6
11-a
40

6
9 D
33

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-a-40
22-4-12

22.7.20

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLII NIGRONI
GENVENSIS
SOCIETATIS IESV
ORATIONES
Quinque & Viginti

Nunc primum editæ.

CVM PRIVILEGIIS.

Collegij Romani Soc. Jesu cat. inscr.

B. S.

MEDIOLANI,

Apud heredes Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtam Piccaleum. M. D. CVIII.

Superiorum permiſſu.

n 823

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO DVCI,

ILLVSTRISSIMIS GVBERNATORIB.

ET PROCVRATORIBVS

Reipub. Genuenſis.

Iulius Nigronus Societatis Ieſu Felicit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RECTORVM vitæ meæ iuſſu meas Orationes edo; iuuenilis quidem partum ingenij, ſed tamen quaſi flores vernos æſtiuorum fructuum, autumnaliumque prænuncios: & eas vobis, qui ſedetis in puppi Reip. clauumque tenetis; atque in vobis, Patriæ do, dico, dono, qua debeo reuerentia, SERENISSIME DVX, GVBERNATORES, ET PROCVRATORES ILLVSTRISSIMI. Diuerſa, non aduerſa mens in hoc munuſculo repræſentando vobis, eſt & Ordini meo, & mihi, qui pariter ad veſtrum decus augendum conſpirauimus. Ille quidem grati animi ſignificationem dare voluit Ciuita-

ti, Reipub. nationique Genuenſi; faterique publice quantum debere ſe intelligit vniuerſis; qui Societatem Ieſu vixdum natam, B. P. Ignatio Parente, atque Ductore viuo, quattuor, & quinquaginta ab hinc annis benigne primum exceptam in vrbem ciuitate donaſtis; deinde tria Genuæ diſſimilis rationis domicilia; Collegiumque in inſula Corſica ditionis veſtræ, per quattuor ciues ex ordine patritiorum liberaliter fundaſtis; tum complures è liberis veſtris in eandem religioſam ſodalitatem, vel obtuliſtis, vel paſſi eſtis adſcribi: poſtremo non iſtic modo ſodales noſtros, ſed vbique terrarum, ac gentium beneuolentia, patrocinio, beneficijsque fouiſtis. Me vero patriæ caritas impulit ad hoc officium boni ciuis: quippe qui magnam in ſpem veni fore, vt hic liber adhortationum ad eloquentiam, philoſophiam, liberaleſque omnes artes adipiſcendas pleniſſimus; & ab amantiſſimo patriæ ciue profectus, ſtimuloſ addere t adoleſcentibus noſtris, quos ſæpe viua voce, tum publice, tum priuatim incitaui, vel ad capeſſendum eloquentiæ ſtudium, quæ ſemper in liberis ciuitatibus primas tenuit; vel ad amandam philoſophiæ ſcientiam, & illius maxime, quæ mores formans, affectuſque componens, animorum cultura dici poteſt, & medicina; vel ad ingenuam quamlibet doctrinam addiſcendam, quæ ſi non aliud efficit; nobilem virum, & honeſte delectat, & liberaliter diſtinens non ſinit eſſe turpiter otioſum, deſidioſumque langueſcere. Tum eo libentius hanc

oc-

occaſionem arripui, quod quo triennio iſtic poſtremo vixi, certatim à prudentibus rerum æſtimatoribus, & amatoribus patriæ vehementer optari cognoui, vt litterarum amor, doctrinarumque ſtudium animis noſtrorum iuuenum inſereretur: quo ſolo, iam auctis multorum opibus, & nauigatione magna ex parte, ob cauſſas vobis cognitas, intermiſſa; putant ab otio, quo quidam in vitia miſerabiliter defluunt; & ab alea, qua familiæ funditus euertuntur, poſſe non mediocriter adoleſcentiam reuocari. Præſertim cum, vt exteræ quoque Gentes iam diu confitentur, ingenium ad omnia defuerit numquam Genuenſibus; qui quocumque toto pectore incumbunt, ſiue in ſcientiam nauigandi; ſiue in artem militarem; ſiue ad amplificandum patrimonium; ſiue ad dignitates Eccleſiaſticas conſequendas; ſiue denique in ſtudia doctrinarum, quod optant aſſecuti, relinquunt poſt ſe nominis ſui gloriam ſempiternam. Atqui de doctrinis id ſatis ſuperque teſtantur Clerici illi, qui S. Proſperum per litteras de difficillimis B. Auguſtini locis, & quæſtionibus conſuluerunt: Innocentius quartus Pontifex Maximus Pontificij iuris conſultiſſimus: tam multi in omnibus religioſorum virorum Ordinibus Theologi doctiſſimi, Concionatores eloquentiſſimi: tot Iuriſconſulti, qui ex iſto Collegio non ita pridem inſtituto, & nulli Italicorum ſecundo prodierunt: complures item philoſophi è medicorum Collegio; nec-

S. Proſp. l. ad excerpta Genuenſ.

non

non Hiſtorici, Poetæ, Oratores qui partim vixerunt quondam; partim etiamnum magna cum laude viuunt: tot denique Epiſcopi, ac S. R. E. Cardinales, qui Apoſtolicæ Sedi, Romanæ curiæ, patriæque ſuæ maximo ſunt decori, & ornamento. Neque vero deeſt ingenio laudabilis propenſio; quam colligo præclaris ex illis nobilium iuuenum cœtibus, gratia doctrinarum inſtitutis, qui ducto nomine à ſchola Platonis, Academiæ vulgo nominantur; in quibus equidem ipſorum ingenij, & eloquentiæ ſpecimen ac delicias, non ſemel magna cùm mea voluptate deguſtaui. Quamobrem ſi cultus ad naturæ bonitatem acceſſerit; ſi propenſionem animi ſtimulauerit auctoritas ſeniorum; ſi ſcholas, & magiſtros tempus exhibuerit, non dubito quin, vt loquitur Aurelius Caſſiodorus, *Mittet & Liguria Tullios ſuos:* & vero etiam alios Innocentios, alios Fulgoſos, alios Braccellios, Fatios, Iuſtinianos, Saulios, Foliettas; & deſinent neſcioqui mirari, ſcopuloſis ex iſtis cautibus elegantiæ quidquam exiſtere poſſe, vnde lectiſſimos flores media hieme, fructusque dulciſſimos omni tempore anni noſtrorum educit agricolarum induſtria. Iam vero Societas noſtra, vt promeritis veſtris aliqua ex parte, pro ſuo more reſponderet, à quo primum tempore ſedes iſtic qualeſcumque habuit, excolere non deſtitit adoleſcentes noſtros, nec ſine aliquo progreſſu, quod indicant, cùm multi Iuriſconſulti, Medici, eiuſque alij extra illa Collegia; tum vero potiſſimum tu Hieronyme Axerete Dux

Caſsiod. l.8. Var. ep.12

Sereniſſime, cuius humanitas ſingularis non diffitetur ſe puerilem inſtitutionem à noſtra Societate ſuſcepiſſe: cuius probitas, & eloquentia nunc eſt nobis magis honori, quàm tibi noſtra diſciplina, propter ingenij tui bonitatem, quæ magiſtrorum diligentiam vincebat, tunc fuerit emolumento. Quin etiam quando ciuium quorumdam liberalitas Collegio Societatis dedit vt plus facere poſſit hoc tempore, quàm poterat in principio; pluribus quoque veſtram Iuuentutem erudire doctrinis concupiſcit; ſcholaſque exoptat, & quærit vrbis amplitudini, magnitudine; Ciuitatis neceſſitati, numero; veſtræ nobilitati, ſpecie congruentes. Atque hoc maxime omnium ſodales mei, noſtri ciues habent in optatis; tum vt communis patria noſtrum omnium, quæ portubus, mole, pharo, naualibus, foro mercatorum, mœnibus, priuatis ædibus, ac publicis, templis religioſorum virorum, virginumque cœnobiis magnifice ædificatis, multis Italiæ atque Europæ nobilibus vrbibus præſtat; ne careat domicilio doctrinarum atque ſtudiorum, non à ciuibus modo, ſed etiam à noſtris vtriuſque oræ Liguribus expetito; quod in Italia quotidie paſſim videmus à multis Ciuitatibus, & expeti, & aperiri; tum vt eam operam, quam extra patriam in nationibus alijs, atque adeo remotiſſimis Indis erudiendis ponunt; in ſuis ciuibus & propinquis inſtituendis iucundius poſſint collocare. Interim dum Deus Opt. Max. difficultatum explicandarum rationem aperit, ſequemur conſuetudinem ve-

terem noſtram, vt ut poſſumus inquilini de veſtra iuuentute benemerendi; cuius voluntatis obſidem hunc orationum librum offero, leue quidem munuſculum, quia leuioris operæ, ſed tamen ab amore aduerſus patriam donatum, qui non eſt leuis. Quod in nomine veſtro prodit, Sereniſſime Dux, Illuſtriſſimique Senatores, veſtræ ſplendore dignitatis illuſtre; non modo vt per auctoritatem veſtram pronioribus animis, atque obuijs manibus illud iuuenes amplectantur; ſed etiam quòd iure quodam æquitatis, primus fructus arboris, quæ in veſtro ſolo nata & educata eſt, vobis debeatur: hoc eſt primus partus auctoris ciuis veſtri patriæ deberi videatur, cui poſt Deum & parentes, nos primum Natura conciliat; quæque tempore eodem gremio ſuo nos i hanc lucem naſcentes excipit, & certam in ſedes ciuitatis, & libertatis adſcribit. Optabam ipſe præſens hoc vobis afferre, quod offero: ſed quia mei iuris non ſum, id Bendinellus Nigronus patruus meus amantiſſimus, animi mei conſcius, qui nunc in iſto ampliſſimo Gubernatorum ordine ſedet, cum Rectore noſtri Collegij meo nomine præſtabit. Mediolani, Idib. Iun. M. D. C. VIII.

RELIGIOSIS ADOLESCENTIBVS SOCIETATIS IESV

Litterarum humaniorum, & eloquentiæ Latinæ ſtudioſis Auctor S.

ORationes hæ meæ, Fratres cariſſimi, prodeunt ipſæ potius, quàm à me produntur: vel vt planius dicam, mihi nec opinanti de manibus excidunt ad veſtrum vſum, eorum nutu, qui me velle poſſunt etiam id, quod minime velim, & maxime nolim. Voluerunt id viri prudentes, vt arbitror; primum quòd vererentur ne quiſpiam extraneus exempla nactus, quæ diſcipuli deſcripſerant, pro ſuis typographo diuulgandas daret, quod numquam non euenit. Deinde quòd exiſtimarent, vos ad hoc humaniorum litterarum, & eloquentiæ latinæ ſtudium colendum excitari poſſe non nihil exemplo meo; qui nullo in vitæ religioſæ munere; neque in rhetoricæ tradendæ floribus; neque in philoſophiæ dumetis; neque in theologiæ contemplatione; neque in concionandi labore; neque denique in gubernationis incude poſitus, hæc omnium doctrinarum ornamenta contempſerim. Terrebat me ſane afflictum inualetudine pariter & ætate labor ſuſcipiendus, cogitantemque partus calore iuuenili triginta & amplius ab hinc annis cœptos effundi, poſtea diu neglectos in taria; proinde non ſolum obliuione ſepultos, ſed etiã puluere obſitos, iam accurate recognoſcendos ac lambendos eſſe, vt pro dignitate lucem eruditiſſimi ſeculi huius poſſent

** *aſpicere*

aſpicere. Sed metus hic ſtatim atque operi manum ac limam admoui, recognitionis delectatione fugatus eſt: ſimulque intellexi expertus verum id eſſe, quod Seneca pater ſentiebat, redire in antiqua ſtudia *eſſe iucundum. Suppudebat quoque me ſeneſcentem, & vtiliora Societati noſtræ molientem, iuuenilium harum lucubrationum edendarum: ſed pudorem abſterſit recordatio virorum ſapientum, qui vel in extrema ſenectute, vt de M. Catone cenſorio legimus, cauſſarum illuſtrium, quas egerant in ætatis viriditate, orationes edendas conficiebant. Alea denique quam ſubibam orationibus peruulgandis, poſt alios noſtri ordinis claros oratores, quibuſcum ſum minime comparandus, editionem retardaſſet, aut etiam ſuppreſsiſſet, niſi moram hanc & difficultatem Moderatorum noſtrorum voluntas ſuſtuliſſet. Etenim Petrus Ioannes Perpinianus, vt primus omnium ſodalium noſtrorum in lucem edidit orationes; ita in hoc dicendi genere princeps eſt omnium noſtrum: quem propterea ſoleo domeſticum Ciceronem appellare; vehementerque lætor, me Romam autographo Gallicanarum orationum tranſmiſſo, quod propemodum cælo delapſum mihi venerat in manus, auctorem impulſoremque fuiſſe, vt omnes huius veri germanique Ciceronis imitatoris orationes in vnum quaſi theſaurum collectæ cum vniuerſa ſocietate communicarentur. Ab hoc ego præſtantiſsimo viro quàm longe abſim, tenuitatis meæ conſcius ipſe peruideo. Franciſco item Bencio, Franciſcoque Remundo, qui ambo Perpinianum vulgatis iuſtis orationum voluminibus cum magna laude ſecuti ſunt, in omnibus ſincere, vt par eſt, libensque concedo. Nec ideo Moderatorum noſtrorum conſilium reprehendendum videtur, quòd eas orationes exire permiſerint, quæ ſint aliis editis inferiores. Nam primum ineſt, ſi non imitatio, conatus certe aliquis imitandi Ciceronis; quem Societas noſtra naſcens exprimendum propoſuit nobis, & complexa eſt; tacite monens vniuerſos, ne ab eo dicendi ſcribendique magiſtro, in quo character orationis eminet omnis, recedamus. Deinde*

M. Sen. l. 1. controu. præf.

Cic. dial. de ſenect.

non

non inanes planè rerum ac ſententiarum deprehendentur : Macr.l. 5. ſat.
quibus copioſo dicendi genere M. Tullij proprio, atque in elo- cap. 1.
quentia communiter expetito, conueſtitis ; longiores, vt in
Tullianis accidit, euaſerunt. Tum argumentis vetuſtis iam,
& opinione nonnullius obſoletis; quæ, me adoleſcente, noua,
propria, temporibus ac muneribus accommodata putabantur,
tractatione & varietate nonnihil eſt datum nouitatis. Po-
ſtremo, quòd humanitatis, & politioris litteraturæ non ſunt
expertes; rhetoricaque præceptis aſperſa; ſcholarum præfa-
tionibus, declamationibus umbratilibus, ac ſerijs orationibus
habendis, exiſtimantur à nonnullis profuturæ. In margine
pagellarum indicaui fontes, vnde ſunt hauſta, quæ dicuntur: Plin. præf. hiſt
quòd ingenui videatur eſſe fateri, per quos profeceris. Ne- natur.
que à ſacris auctoribus abſtinui, quia memineram eſſe me
oratorem Chriſtianum; & intelligebam ex eorum aureis ue-
nis ſtylum eius, qui diligenter fodicet atque ſcrutetur, affa-
tim poſſe ditari. Et quamquam prodeſſe malo, quàm place-
re; tamen vt in cibis alios alij delectant; non quia meliores, Quint.l.11.c.1.
ſed cum edentium palato magis congruentes: ita ſpero fore
quibuſdam non iniucundas; ſi non propter præſtantiam; uti-
que propter ſympathiam cum eorum ingenijs, qui fuerint
hac mediocri dicendi ratione contenti. Neque vero longi-
tudo vitio vertatur hiſce orationibus, quæ nulli ſunt ad ver-
bum ediſcendæ, nulli memoriter recitandæ. Nam Plinius Pl.l.1.ep.20 ad
Secundus, & in dicendo exercitatus, & in ſcribendo prudẽs, Tacit.
magnitudinem in oratione virtutem eſſe decernit; qui obſer-
uauerat ſtatuas, ſigna, picturas, hominum multorumque ani-
malium, tum etiam arborum formas, ſi modo ſint decoræ, ni-
hilo magis, quàm amplitudine commendari: Periclis, Aeſchi-
nis, Cæſaris, Cælij, Pollionis, quas ipſa legerat, orationes fuiſſe
longiſſimas: Demoſthenis ac M. Tullij principum in hac ar-
te, quæ etiamnum extant, nihilo illis eſſe breuiores. Et ſane,
vt ætate Plinij, ea Ciceronis oratio ferebatur optima eſſe, quæ Plut. in Cic.
maxima: ſic ipſe M. Tullius de orationibus Demoſthenis idẽ
iudicium pronunciauit: quod nos quoque de Iſocrateis face-

re poſſumus. Dum enim orationes dicta ſtylo ſcribuntur, nec à rebus vacuo, nec à verbis ieiuno; ſaginantur & augeſcunt: nec edi plane debent, vt dicta ſunt, ſed vt dici debuerant. Quamobrem Cicero cauſſam aliquam vno die actam, in
Orat. 15 n. 30. *plures orationes digeſſit; quod videas in ſecunda actionis*
Pl l. 2. ep. 18. ad Seuer. *in Verrem quinque libris; & Plinius idem panegyricum Traiano dictum edidit ampliorem: Quinctilianus denique*
Quin. l. 12. c. 10 *hanc dirimens controuerſiam,* Si impediunt, *inquit*, breuitate tempora à iudice data, multum ex eo, quod dici potuit, recidatur; editio habebit omnia. *Suſcipite igitur beneuolis animis ab amantiſſimo veſtrum ſodali, hunc orationum librum, tamquam prodromum grauiorum & vtiliorum operum: ſtudiaque Latinitatis, & eloquentiæ ſummo ardore animi fouete, vt in optatis vniuerſæ ſocietatis eſſe pernoſtis: vobiſcum ſæpe reputantes, per ea potiſſimum ſodalitatem noſtram adeo dilatatam, vt videtis; quòd plura collegia, propter humanitatis ſcholas ab Epiſcopis & Ciuitatibus, quā ob alias doctrinas expetita ſint; & per eadem ſtudia conſeruandam eſſe beneuolentiam Ciuitatum. Tum cogitate per earumdem diſciplinarum tradendarum occaſionem iuuentutem, vt noſtræ leges præſcribunt, à primis annis ſancte educari, Chriſtianisque præceptis ac moribus honeſtis inſtitui. Poſtremum has, vt ita dicam, Philoſophiæ Theologiæque phaleras; hæc adiumenta ſacrorum librorum interpretandorum; hæc ornamenta vitæ humanioris, apud integras nationes pluris fieri, quàm ipſam ſcientiam doctrinarum. Valete. Mediolani Idibus Iunijs.* CIϽ IϽ CVIII.

Facultas R.P. Præpoſiti Generalis.

VOlumen Orationum P. Iulij Nigroni Societatis noſtræ presbyteri recognitum, & probatum à tribus eiuſdem noſtræ Societatis Theologis, Ego Bernardinus Roſignolus eiuſdem Societatis in prouincia Mediolanenſi Præpoſitus poteſtate mihi facta ab admodum R. P. noſtro Claudio Aquauiua Præpoſito Generali typis mandari permitto. Mediolani die 11. Nouembris 1607. Bernardinus Roſignolus.

Imprimatur.

Fr. Aloyſius Bariola Auguſtinianus Conſultor S. Officij, pro Reuerendiß. Inquiſitore.

Aloyſius Boßius Canonicus Ordinarius Theologus pro Illuſtriß. Card. Archiepiſcopo.

V. Saccus pro Excellentißimo Senatu.

Digitized by Google

Syllabus Orationum quæ hoc volumine continentur.

I. DE mirabili orationis humanæ præſtantia Oratio prior, Parmæ antequam artem dicendi tradere aggrederetur, dicta in ſubterranea templi maximi parte; Octauio Farneſio Duce, & Ranutio puerulo nepote præſentibus, menſe Decembri 1577. pag. 1.

II. De re eadem oratio poſterior, Parmæ in ſchola Rhetorica initio anni 1578. pag. 44.

III. De ui ac poteſtate eloquentiæ Oratio prior Parmæ in eodem gymnaſio an. 1578. pag. 84.

IV. De eadem oratio poſterior Parmæ an. 1578. pag. 119.

V. De neceſſitate eloquentiæ in ciue togato, & in armato Brixiæ in ſtudiorum repetitione, in templo S. Antonij, præſentibus præclariſſimis vrbis rectoribus, & primaria nobilitate IIII. Non. Nou. 1578. pag. 157

VI. De ſtylo optimo dicendi magiſtro oratio prior, Brixiæ in ſchola Rhetorica poſt paſcha, an. 1579. pag. 207.

VII. De eodem oratio poſterior in eodē loco 1579. pag. 241

VIII. De exercitatione dicendi oratio prior Brixiæ in eadem ſchola ſub æſtatem 1579. pag. 272.

IX. De eadem oratio poſterior in eodem loco. 1579. p. 297.

X. De cultu mentis & linguæ in homine cōiungendo, Brixiæ in templo S. Ant. antequam ſtudia repeterentur, præſentibus vrbis Rectoribus nobilitate comitatis poſtrid. Kal. Nouembris an. 1579. pag. 320.

XI. Ad Io. Delphinū Brixiæ Epiſcopū recens creatū, cū primū in Collegiū Soc. humanitatis ergo veniſſet gratulatio, dicta in atrio Collegij magna nobilium virorū corona præſente. III. Non. Decēbris 1579 pag. 365.

XII. Ad eumdem cum ſcholam rhetoricæ pomeridianis horis adiret eodem die gratiarum actio. pag. 373.

XIII. Ad Parentes diſcipulorum admonitio. 1580. pag. 383.

XIIII.

Digitized by Google

XIV. De liberali nobilium adoleſcentium educatione dicta cũ primum litterarum humaniorum Scholæ aperirentur Patauij, præſentibus Federico Cornelio Epiſcopo, vrbis Prætore, magnaq; Doctorum, atque ſtudioſorũ iuuenum frequentia, in templo S. Mariæ Magdal. IIII. Nõn. Nou. anni correcti 1582. pag. 417.

XV. De imitatione & laudibus M. T. Ciceronis in ſchola rhetoricæ Patauij, cum interpretationem orationis vij. in C. Verrem aggrederetur, Or. I. in qua agitur de Cic. ornamentis ad eloq. ſpectantibus; menſe Nou. 1582. pag. 459.

XVI. De rebus iiſdem, in eodem loco, Oratio II. in qua refelluntur quæ Ciceroni obijciuntur, initio an. 1583. pag. 501.

XVII. De eodem argumento, initio Quadrag. Oratio III. in qua Cic cum Latinis oratoribus comparatur. 1583. pag. 536.

XVIII. De eodem ibidem poſt ferias paſchales Oratio IIII. in qua M. Tullius cum Demoſthene cõponitur 1583. pag. 570.

XIX. De officio Philoſophiæ auditoris, & laudibus Ariſtotelis, antequam philoſophiæ curriculum docendo ingrederetur, in ſchola Logicæ Patauij tertio non. Nouembr. 1584. pag. 617.

XX. De triplici philoſophiæ bono, ante phyſicorum librorum Ariſt. explanationem, in philoſophiæ gymnaſio, oratio prior, qua diſputatur de iucunditate, & vtilitate naturalis philoſophiæ. III. Non. Nou. 1585. p. 665. Poſterior, quæ futura erat de honeſtate philoſophiæ naturalis, impediente morbo non eſt habita.

XI. In funere Alexandri Farneſij Cardinalis, Parmæ in tẽplo maximo, præſente Ranutio Farneſio Principe, recitata per diſcipulum 1589. pag. 702

XXII. De imagine Dei in homine, & laudibus S. Thomæ Aquinatis, dicta in ſchola theologiæ, cum interpretationem

nem primæ ſecundæ Doctoris eiuſdem aggrederetur, Patauij menſe Nou. 1589. *pag. 714*

XXIII. *Ad Odoardum Farneſium recens creatum Cardinalē gratulatio, Parmæ in tēplo S. Rocchi VIII. Kal. Aprilis 1591.* *pag. 766.*

XXIV. *Laudatio S. Hyacinthi confeſſoris Poloni, ordinis Prædicatorum dicta Romæ in templo S. Mariæ ſupra Mineruam, præſente Collegio Cardinalium & populo Romano frequentiſſimo, octauo poſtquàm in numerum Sāctorum eſt relatus, die; qui incidit in 24. Aprilis Dom. II. poſt Paſcha; cum primum fieret miſſæ ſacrificium in eius honorem, publica ſolemniq; ceremonia ab uniuerſa religioſiſſima Prædicatorum familia 1594.* *pag. 780.*

XXV. *De Memoria, recitata in inſtauratione ſtudiorum à diſcipulo Placentiæ poſtridie Kalend. Nouembr. 1602. pag. 795.*

Typographos rogat auctor, ne ſe inconſulto ſecundam editionem moliantur, recognitum exemplar ijs, qui poſtulauerint, tranſmiſſurus.

DE MIRABILI ORATIONIS HVMANAE PRÆSTANTIA.

Oratio Prior . Or. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1 ETSI diſertiſſimum Oratorem Porcium Latronem ætate iam prouectum, vſu, memoria, rebus omnibus ad dicendum inſtructiſſimum, tum primum in foro pro reo propinquo dicere aggredientem inſolentia loci confudit, & eouſq; perturbauit, vt initium duceret à ſolœciſmo; nec ante confirmari poſſet homo non adhuc aperto cælo, ſed parietibus ac tectis aſſuetus, quam inde Iudices, Ipſe, Reus, Auditoreſq. diſcederent, atq. è foro ſubſellia totumq. Iudicium in baſilicam proximam transferretur; Octaui Dux excellentiſſime, me tamen adoleſcentem licet, inopem ab eloquentia, nec per ætatem à natura, nec à doctrina, nec ab exercitatione valde paratum, nihil commouet ſacri huius ſubterranei, ac tenebricoſi ſpecus, mortuiſq. finitimi depreſſa teſtudo; nihil nocturni temporis, horrorem vel fortiſſimis pectoribus incutientis inſolentia conturbat: ſed quantum hæc noua concionis inuſitatæ forma; quantum intempeſtiua hæc noctis ineuntis hora quēque terrere, aut certe debilitare debuiſſet; tantum hæc loci ſanctitas, ardentes hi cerei, ſplendentes hæ faces, hæc oculis amica lumina, quæ poſt occaſum ſolis nobis omnibus

M. Sen. lib. 9. controu. in Præf. Quinctil. l. 10. c. 5.

reddidere meridiem, recreant me dicere parantem, recreatumq. ſuſtentant. Nam aſcendenti mihi de tenebris in hunc locum, atq. lucem; tamquam de nocte ad diem, ex vmbra in ſolem venienti, tum ſalutaris quidam ex hac ſacra magnificentiſſimi Templi parte ſplendor, non tam oculis, quam menti diuinitus, vt reor, illuxiſſe; tum ex iſta humanitate tua in fronte, oculis, vultuq. toto hilariter feſſitante, lenis aura fauoris affluxiſſe videtur: quibus erectus adiu mentis, multo plus nunc dicendo poſſe me ſentio, quam tũ valere me putabam ad dicendum, cum animo fluctuante dicenda meditabar. Iiſdem fretus præſidijs pulcherrimam Orationis humanæ formam, de qua diſputare conſtitui, hoc ipſo in loco, quaſi in bono lumine collocatam, quo melius eius apparere præſtantia, & ſpecies cerni, ac diſpici poſſit, mediocri dictione mea, quæ per aures veſtras in Regiã capitis influet, ſic animis veſtris, mentibuſq. proponam intuendam, Auditores, vt vobiſcum ipſi miraturi ſitis, tantũ Naturæ bonum, quod tenebatis; tantum vitæ decus, quod vos ornabat; tantum lumen à Deo tributum, quod ſplendeſcebat in ore, non antehæc vnquam à vobis vel notatum auribus, vel intelligentia cognitum, vel adhuc animo plane fuiſſe perſpectum. Nec vero, priuſquam à me ratio ſuſcepti conſilii, factiq; reddatur, deſiderabitis, opinor, hac in re prudentiam meam; quod excellentiam Orationis humanæ, quæ tantam admirabilitatem habet, vt illi propterea dicendi genus admirabile debeatur; quam non niſi admirabiliter tractari par eſt; cuius deniq. laudatio, quæ materiæ dignitati par fuerit, admirationes, & plauſus excitare conſueuit, ſuſceperim ipſe magis audacter, quam perite nobilitãdam tractatione mea, quam vulgarem atq. humilem, modeſtiore verbo mediocritatis, eſſe profiteor; quæq; vere, quod nihil præſeferat excultum ingenio, nihil arte perfectum, nihil elaboratum diligentia, perparum argumenti dignitati, magnitudini rei, ſplendoriq. reſponſura videatur. Etenim vt in tenebris hiſce, Parmenſes, multo plus 2

iſthæc

iſthæc lumina ſplendent oculis noſtris, quam ſi arderent in Sole, quo lumen quantumuis magnæ lampadis vel offunditur, vel obſcuratur: ita melius ac præclarius orationis humanæ nobilitas in tenui, inculto, & obſcuro dicendi genere, quaſi in tenebris elucebit. Quid quod in tabulis picturas vmbræ commendant; colores acuit nigror; ficta nox pictas flammas accendit; & ex opacis receſsibus ſplendida magis eminent, & illuſtria? Sit exilis oratio mea, ſit inornata, ſit inelegans: at in ea tamquam in picta tabula, ſimiliter inter vmbras verborum viſitatorum interlucebit illuſtrius perfectio tractandæ rei; de receſsibus qualiumcumq. ſententiarum exſtabit eminentia illa præſtantisſima orationis; ex opaco denique atq. horrido tractandi modo pulchritudinis eius fulgor illuceſcet. Si denique nonnihil elocutionis meæ nigrore clarisſimi argumenti ſplendorem operiens inobſcurauero, facile veniam à vobis humaniſſimis viris impetrabo, quod Pictorum Principis Apellis imitatione peccauero; qui tenuiſſimo atramento picturas abſolutas illinebat, cum alias ob cauſas, tum potiſſimum ne colorum *Plin. l. 35. c. 10.*
nimis floridorum claritas oculorum aciem offenderet, ſed veluti per lapidem ſpecularem excitaret. Et ſane de hac loquendi facultate quamquam multa dici poſſunt digna veſtris auribus, atq. hac nobilisſima corona, qua cingor; hoc loco tamen ac tempore præſtantiam admirabilem tantum attingam orationis, vt à Natura nobis donata eſt. Quam colligã ex ipſa primum collata cum Mente, ac Ratione, cuius eſt Interpres, Nuncia, & Imago: deinde cum auribus hominum comparata, quibus ex inſtitutione Naturæ deſeruit: tum, ſi per tempus licebit, ex natura ipſius accurate ſpectata, quæ lingua, voce, totoq; oris inſtructu continetur. His expeditis intelligetis quam diligenter fuerit hæc loquẽdi vis nonnihil imperfecta nobis à Natura tradita, vobis,
3 Adoleſcentes, arte polienda. Tametſi mens humana diuinitus ab rerum omnium effectore ſapientisſimo Deo, natura immortalis, particeps Rationis, voluntate libera, conſilii

Digitized by Google

compos, beatitudinis capax, & cæleſtium illarum Mentiū quæ ſine corpore, intentis ac defixis in Diuinitatem oculis ſimul æuo ſempiterno beatæ fruuntur, & ſine laſsitudine ſimul cæleſtes orbes conuertunt in gyrum, rebuſq. mortalibus præſident ad tutelam, procreata eſt longe ſimillima: tamen in loquendi munere disſimilitudinem habet ab illis & cauſa, & modo, & genere maximam, Auditores. Nam illæ, quia nudæ ſunt à corporibus, notionibus inter ſe quaſi quibuſdam nutibus, ac verbis ſua cogitata, & optata, cum libet, declarando tam mirabili celeritate, perfectaq; explicatione colloquuntur, vt eam rationem nos humi ſtrati, nec acie mentis comprehendere, nec imitatione conſequi posſimus: noſtræ vero mentes, quibus hoc denſum crasſi corporis velum obiectum, tum luminibus obſtruxit, ne videant niſi per ſenſus; tum faciem obtexit, ne videantur niſi per ſigna; nec ſeſe mutuo aſpicere, & coram intueri queunt, nec inter ſe colloqui, & quæ cogitant, quæ optanr, quæ norunt conferre familiariter, & cõmunicare vicisſim (quæ non eſt minima pars humanæ felicitatis) adeo vt captæ oculis hac contagione corporis, & elingues factæ nonnullis obſurduiſſe videantur. At idem generis noſtri Parens optimus prævidens hominem, quem ex animo, & corpore compactum huius pulcherrimæ Vniuerſitatis Dominum deſignauerat, mancum nimis, atq. imperfectum fuiſſe futurum, niſi ſuccurreret illi, conſuleretq. aliunde: nec dignitatem ſuam, parteſq. tueri, nec ſuis fungi muneribus; nec quibus præpoſitus eſſet, imperare; nec deniq; inter alios communi, ciuiliq. vita pro naturæ ſuæ conditione, quæ ſocietatis, & communicationis rerum omnium amantisſima eſt, viuere poſſe: hoc quod vitium, incommodumq. maximū videbatur, tam large, tamq. munifice compenſauit, plus vt hoc addito munere profuiſſe mortalibus exiſtimetur, quam denegando modum loquendi cæleſtium, nocuiſſe. Quamobrem Architectus hic diuinus inſeruit nobis hanc vim, facultatemq. loquendi Mentis arcanorum explicatricem,

S. Th. 1. p. 107. art. 1.

S. Baſil. Hom. in Attende tibi.

Ar. l. 9. eth. c. 9. l. 2. Polit. c. 2. Cic. l. 1. offic.

cem, Rationis interpretem, conciliatricem humanę ſocietatis, in ore potiſſimum tamquam in animi veſtibulo reſidentem, quæ linguæ dentiumq; percusſione, aerem quem reſpiramus à pulmonibus, ac reddimus format, ac fingit in voces non aſperas ac rudes, vt ceteratum animantium, ſed ſuaues modulis, dulces flexionibus, expreſſas litteris ac ſyllabis, coagmentatas vocalibus & conſonantibus, ſignificantesq. notionum, & cogitationum abditarum pro arbitrio quidem loquentium, ſed tamen ex pactione cõuentuq. nationum; quorum vocum, ſonorum, ac verborum, quæ ſigna quædam ſunt, & notæ rerum earum, quæ in animi receſſibus latent, collectionem ac ſeriem ordine diſpoſitam, ſermonem Orationemq. nominamus. Huius muneris, quod inter eximia generi humano tributa beneficia connumerandum ſit, in ſacris diuinarum hiſtoriarum libris honorifica mentio, ſubobſcure tamen, facta eſt. Nam Moyſes primus diuinarum legum pronunciator, hominis procreationem deſcribens, vbi dixiſſet corpori ex argilla ficto inſpiratum à Deo ſatore omnium vitæ ſpiraculum, hoc eſt immiſſum animum immortalem eodem puncto temporis ex nihilo procreatum, atq; infuſum in omnia membra, vnde in ſingulas partes cuiuſcumq. generis vita permanat; ſubdidit vir admirabilis. *Et factus eſt homo in animam viuentem*, quod Chaldæus interpres vertit. *Et factus eſt homo in animam loquentem*. Quid hoc eſt Parmenſes? Quantum hoc myſterium in ambiguitate Hebraici verbi, vitam pariter, & loquelam ſignificantis diuinitus incluſum! Voluit, opinor, vir acutisſimus Moyſes indicare; primum, noſtri generis ſtirpem Adamum non infantem puerulum, qui nec ſciret fari, nec poſſet, ſed iam corpore grandem atque optime loquentem eſſe creatum: deinde, quo vitam duceret, animum Rationis eſſe compotem, cuius vnius loquendi facultas eſt propria: tum deniq. loquendi poteſtatem, certisſimum eſſe Rationis indicium, & humanæ vitæ argumentum, cum magnam vitæ partem, & maxima vitæ com-

Ar. l. 2. de An. t. 90.
Cic. l. 2. de Natu. Deorum.
Ar. l. 1. de inter. c. 1. & l. 2. c. vlt.
Gen. 2.
Chald. interpr.

moda

moda facultatis huius actus ſermo, & oratio contineat. Magna res omnino, Parmenſes, eſt Oratio: dico iterum, Magna res, & admirabilis hæc non eloquẽdi modo, ſed & loquendi vis, hic Præco voluntatis, hoc Rationis Oraculũ, hæc Reginæ mentis Nuncia; multoq; præſtantior, quam vt quiſquam poſſit eam ſuis tantum viribus fultus, vel ingenio conſequi, vel æquare dicendo. Me imparem eius præſtantiæ plane cognoſco, & fateor ingenue: quanta ſit eius admirabilitas ſuſpicor potius quam capio: ſed tamen conandum eſt, & pertentandum quantum in nobis erit: expromendæ ſunt quantulæcumq. dicendi vires, ne ſilendo, ieiuneue dicendo, vel ingrati Deo beneficentisſimo Aucto ri tanti muneris, vel obliti largioris promisſi vobis initio facti uideamur. Vulgare ad laudem eſt illud, quod omnium 5
Philoſophorum Theologorumq. ingenio, uocibus, & cõſenſione compertum, probatum, ac pronunciatum eſt; Hominis ceteris animalibus imperantis loquendi uim eſſe ſolius: eius unius ex ore fluere melle dulciorem orationem delectando: fulminibus ualentiorem erumpere permouendo: luce ſplendere clariorem animi ſenſa declarando.

Ar l 1 Polit c 2 Plin l. 11 c. 51. S. Baſil. Hom. in Attende tibi. S Amb. l 6 Hex. c. 9.

Cic. pasſim.

Tritum eſt ad commendationem, Nos per orationem ſic ab animantibus abiectis ad paſtum differre, ut illæ quamquam vocem aliquam edunt ſignificantem affectus; mutæ tamen, quemadmodum piſces, proprio nomine nuncupentur: & eouſq; voci ferarum humanum præſtare ſermonem, vt ſi ratione careremus, hoc ipſo tamen ornamento longe cunctis beſtiis, rebuſq. procreatis ad honorem, atq. ad imperium antecelleremus.

Ar. l. 1. Pol. c. 2. Iſocr. in auxil. Cic.

Commune eſt, ac parum ſplendidum ad laudationem, quod perfectiores animantes vocibus ſuis rudibus, abſonis, tum etiam, ſi pauculas canoras aues excipias, iniucundis; hinnitu, mugitu, ſibilis, vlulando, garriendo, latrando non tam ſignificant, quam innuunt obſcure cupiditatis, iræ, doloris, amoris, lætitiæ, timoris affectus: nos autem cum voce, tum expreſſo ſermone non modo has omnes perturbationes, & inſuper quidquid in rebus

Ar. l. 1. Pol. c. 2.

iucundi,

iucundi, quidquid moleſti deprehendimus, indicamus: ſed etiam quid malum ſit, quid bonum; quid iuſtum, quid iniuſtum oſtendimus oratione; quorum cognitio maxime neceſſaria eſt, vt in Ciuitatibus iure ſociati, & in domibus coniuncti amore viuamus. Mitto iſthæc omnia cunctis obuia, nemini incognita, millies prædicatione decantata. Dicere prætereo de ſuauitate, iucunditateq. Orationis, ne feramur in infinitum, ſi velimus exornare omnia, quæ ſunt laudibus prædicanda. Prætermitto, diem in alium reſeruans, vim & efficacitatem eloquentiæ, cuius eſt propria de liberis animis glorioſiſſima victoria. Mihi vnum hodie ſumo pertractandum diligenter; quod primas obtinere exiſtimatur in oratione, quia potiſſimum eius gratia videtur à Natura ſcientiſſima Magiſtra rerum inſtituta, quodq. nō ab omnibus ita notatum eſt, atq. ponderatum, vt oporteret: Explanationem inquam animi, & vim eorum ſignificandi quæ latent in nobis, aliiſq. communicandi. Quid enim efficit id, quod eſt in humana vita maxime expetendum homini Rationis cōpoti, & cognuſcendi cupidiſſimo, vt ea quæ ignoramus diſcere, & ea quæ ſcimus alios doceremus poſſimus? Oratio. Quid præſtat id, ſine quo vita ducitur iniucunda, vt omnia quæcumque mente concepimus; pectore atq. animo tenemus incluſa; Memoriæ theſauro cuſtodimus; quidquid cogitauimus, didicimus, audiuimus; vndecumq. per ſenſus accepimus, hauſimus, expreſſimus, cū propinquis, & amicis ad neceſſitatem; cum ciuibus, ac peregrinis ad vtilitatem; cum omnibus ad uoluptatem communicemus; & ipſi uiciſſim ſua nobis cogitata optata, conſilia patefaciant? Oratio. Quid deniq. facit, vt hac mutua communicatione ſermonis, & cogitationum alatur amor inter propinquos; contrahatur inter ciues amicitia; foueatur inter vicinos beneuolentia; pax inter inimicos concilietur; tum regantur familiæ; ciuitates, Prouinciæ, regna gubernentur: manſueſiant barbaræ gentes, & nationum exterarum vel immaniſſimarum bella ſedentur?

Ar. l. 3. de An. text. vlt.
Cic. l. 2. de Natu. Deorum.
Ar. l. 8. eth. c. 5.
Cic. l. 1. offic.

Oratio.

Oratio. Sed videte quanto artificio Natura opifex ſummi
Architecti famula, & miniſtra, quo hæc omnia præſtare fa-
cile ac probe poſſet, orationem ad ſignificandum peraccõ-
modatam fabricarit. Etenim animus corpore pulcherri-
mo, atq. apparatisſimo domicilio incluſus, viſus eſt neſcio
quibus, vt reus culpæ tenebricoſo carceri potius addictus
in pœnam, quam in palatio Regio habitare iuſſus vt Domi
nus. Mens item nobilisſima pars animi in arce capitis col-
locata, falſo exiſtimata eſt ab iiſdem iniquis rerum æſtima-
toribus, non regnare in aula regia, ſed tamquam honoraria
cuſtodia detineri; propterea quod Menti tria corpus incõ-
moda videbatur attuliſſe. Primum effecit, vt eius ſermo
conſimilis Angelorum, cum pro verbis notiones habeat,
nobis eſſet obſcurus plane, quibus corpus occluſit aures il-
las interiores, quæ tum patebunt, eumq. ſermonem hau-
rient, cum erimus hac mortali veſte ſpoliati: deinde, ne
Mens, quæ foras exire, pedemq. efferre vetatur è domici-
lio, poſſet cum aliis, tametſi id maxime cuperet, agere, col-
loqui, verſari: poſtremum, quia tecta velo eodem in nullius
ſe conſpectum dari poteſt conſpicienda, ne de facie formo-
ſisſimam Mentem agnoſceremus, ne ſpecie, ne lineamen-
tis, ne figura delectaremur, ſed ex motu, agitationeq. cor-
poris, & functionibus ſenſuum, ceterarumq. facultatum,
ineſſe corpori, illudq. habitare, regere, animare coniicere-
mus. O præclaram ſapientiam Dei rerum Molitoris, qui
hæc omnia, quæ putantur incommoda largitate ſumma
per Orationem compenſauit! O mirabilem Orationem,
quæ tantum poteſt, tantum valet, tantum præſtat, quantum
nemo, vel ingenioſisſimus cogitatione fingere, vel cupidiſ-
ſimus incitata voluntate fuiſſet auſus optare! Hæc diuino 8
iuſſu ſermonem illum Mentis nobis in hac mortalis condi-
tione vitæ conſtitutis obſcurum, & inexplicabilem expla-
nat, vt Interpres: hæc mandata Mentis ad alios, etiam lon-
ge poſitos perfert, vt Internuncius: hæc deniq; totius animi
Mentisq; effigiem, vultumq. refert, vt Simulacrum: & pro-
pterea,

Orphei ſect. apud Plat. in Cratyl. Hom. ex Plut. l. de Hom.

Pythag. Plato. & Philolaus apud Theod. l. 5. de cur. græc. aff.

Digitized by Google

pterea, vt initio dicebam, vocata eſt à ſapientibus Mentis Interpres, Nuncia, & Imago. Quid quod hac ratione magis conſultum eſt regiæ Mentis dignitati? Repetite memoria veteres hiſtorias, & comperietis Reges mortales, (imitatione, reor, immortalis Principis Regum Dei, qui facit eadem pro dignitate ſuæ diuinæ, atq; immenſæ Maieſtatis) reſidentes in aula cum interprete audiri ab ijs, quibus lingua Regis eſſet incognita: per internuncios res agere, iubere, imperare, leges ferre: per ciuitates ac prouincias circumferendam imaginem ſuam tranſmittere conſueuiſſe. Nec temere dixi ſapientibus Orationem, Mentis interpretem, & videri, & nominari. Conueniunt in hanc appellationem Latini omnes, & Græci. Quid M. Tullius, cui tamquam eloquentiæ Latinæ Parenti, & huius doctrinæ ſcientiſſimo fidem haberi ſummam æquiſſimum eſt? Is tamquam Prætor cauſſa cognita atq; perſpecta pronunciat: *Mentis Interpres eſt Oratio*. Quid Lucretius verſu Poeta, re Philoſophus? Hic ſermonis præcipuum, & maxime neceſſarium inſtrumentum Linguam, eodem cognomento ſignauit.

M Tit. Cic. l. 1 de legibus.

Lucr. l. 6.

Atq; animi interpres manabat lingua cruore.

Cur Ariſtoteles ingenio, doctrinaque Philoſophorum facile Princeps libellos illos duos ſubtiliſſimos, ac difficillimos, quibus naturam enucleat eius orationis, quæ dicitur nunciatio περὶ τῆς ἑρμηνείας hoc eſt, de interpretatione nſcripſit? Nimirum intelligebat vir ſapientiſſimus enuniationem eſſe noſtræ Mentis interpretem. Nec Platoici deflectunt ab eadem doctrinæ via. Nam Philo ſtuioſiſſimus Platonis, qui propter elegantiam, copiamq. diendi Magiſtri lingua dicitur eſſe locutus, paſſim humanũ rmonem Mentis interpretem & vocat, & probat rationius à ſacra quoque Moyſis hiſtoria repetitis: nimis fortaſſe hiloſophice; non inficior, ſed tamen id fecit, cum ſcripſit Ioyſe, qui ſe confitetur infantem in loquendo Mentem lumbrari; fratre uero Aarone uiro eloquente, Sermonẽ,

Ariſt. l. 1. de interpret.

Philo. l. Quod deter. inſid. potiori. l. de confuſ. ling. & l. de migratione Abraha.

Ex. 4.

qui frater eſt Mentis, ſignificari. Iubet Deus Moyſem
ſuggerere fratri quæ dicenda ſunt ad populum, iubet Aaro-
nem populo enunciare, quaſi Moyſis os, linguam, & inter-
pretem, quæ accepiſſet à Moyſe. Similiter, inquit Philo,
conſtitutum eſt ab Auctore Naturæ, vt in homine Sermo
frater Mentis ſit eius interpres apud homines, quemadmo-
dum Mens interpres eſt ſermonis apud Deum. Nec præ-
tereundi ſunt veteres illi, ſapientiſſimiq. Poetæ, qui fabu-
larum inuolucris præclariſsima ſenſa texerunt. Hi præ- 10
ſtantiam Orationis odorati, atq. adeo venando conſecuti,
quemadmodum ceteris rebus excellentibus, & humano
generi perutilibus fecerunt, diuinitatem neſcioquam Ora-
Cic l. 2. de Nat. Deor. tioni, & eloquentiæ tribuerunt; Deum quemdam ſtatuen-
Pier. Val. l. 15. Hieroglyph. tes eloquentiæ præſidem, orationis opificem; cuius rei no-
tandæ gratia virgam auream manu præferre voluerunt. In
Hor. l. 1. od 10. Macrob. l. 1. Saturn. c. 19. Mundi fabricationem, ne ceteris Dijs videretur inferior,
qui aliquid in eam contulerant, ab eo collatam eloquen-
tiam rerum omnium vinculum catenamque finxerunt.
Hunc Latini Mercurium, Græci vero, hac in re Latinis
acutiores, ἑρμῆν hoc eſt Interpretem appellauerunt. Cur
hoc, Auditores, niſi quia Mentis interpretem eſſe vide-
rant Orationem? Hinc factum eſt, vt Deorum quoque
S. Aug. l. 7. de Ciu. Dei. c. 14. Nuncius & Interpres cenſeretur: vt alas geminas capiti pe
dibusq. adderent, celeritatem Orationis, qua per aerem
fertur, indicantes. Hinc, vt animaduertit, comprobauitq.
Plut. l. de Garrulit. Plutarchus vir eruditiſsimus, ab Homero Principe Græ-
corum Poetarũ verba ſæpe πτερόεντα hoc eſt alis munita vo-
Hor. l. 1. ep. ad Lollium 2. citantur, quem ſecutus Horatius doctiſsimus Latinorum
Poetarum ita ſcripſit auolare verba, vt nullo modo reuo-
cari queant.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Cic. l. de opt. ge. Orator. At videamus quam fideliter interpretetur Oratio Men-
Hor. in poetica. tis ſermonem inexplicabilem mutis, elinguibus, & infanti-
S. Hier. ep. 101. ad Pammach. bus. Etenim ſapientibus viris parum videtur ea ratio inter 11
pretandi probari, qua verbum verbo ſuperſtitioſa quadam
anxietate

anxietate redditur: quod non ea poteſt elegantia retineri, non ea copia referri, non ea verborum vis exprimi, quam auctor ipſe, cuius ſit interpretatio in ſua vel ſcriptione, vel dictione collocauit. Quis veſtrum vnquam vidit Demoſthenis Orationem vllam Latine interpretatam, quæ vim illam acerrimam auctoris ſui, atq. ardorem referret incredibilem? Quis Ciceronis noſtri librum vllum Italice redditum legit, in quo viriditas illa florentiſſima, proprius ille nitor Oratoris elegantisſimi, ac lepos appareret? Propterea Tullius ipſe cum nobilisſimas duorum Oratorum inter ſe contrarias orationes conuertiſſet, AEſchinis, & Demoſthenis, fatetur ſe non eas, vt interpretem, verbum pro verbo reddentem, ſed vt oratorem ſententijs ijſdem, & earum formis tamquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis, non annumeratis, ſed appenſis, genere omnium verborum, uiq. ſeruata conuertiſſe. Qua in re tam accurata, in tanta diligentia, metuebat tamen vir prudentisſimus reprehenſores, hoc vnum, *Verum melius Græci*, dicturos. Ac ſermo noſter fidelisſimus Mentis interpres tanta eſt felicitate præditus à Natura; tantam explanandi vim obtinuit, vt illam reprehenſionem doctorum hominum minime pertimeſcat. Nam eius explanatio fidelisſime omnia Mentis verba, nomina, partes, mores, affectus, vim, impetum, figuras, elegantiam, copiam, proprietatem refert: eius interpretatio fidisſima repræſentat ipſisſimam Mentis orationē auribus noſtris, & pluribus modis, ſi ſit opus, & pluribus linguis enunciat; ita vt numquam ſibi Mens interpretem defuiſſe, aut alio ſe egere interprete conqueratur; niſi ipſa interpreti ſuo, quod ſtupidi, bardi, & ingenio tardi faciūt, perperam ſua cogitata exhibendo defuerit. Hactenus de

Cic. l. de opt gen orat.

Philo l. de migr. Abraha.

12 Interprete. Nuncia me vocat Auditores, quæ non in Arce tantum capitis, vt aures conſtituta eſt, ſed in ore tamquam ſeruus atrienſis in ianua; vt regius ſatelles in aulæ veſtibulo, pro foribus aſtat in conſpectu Rationis, ad nutum Reginæ Mentis, vt eius imperata capeſſat, leges promulget,

Apul. l. de dogm. Plat.

mandata perferat, iuſſa exſequatur, quemadmodum Impe-
Tob. 12. ratori maximo Deo ſeptem Angeli potisſimum aſtare, ac
præſto eſſe dicuntur. Galenus nulli Medicorum ſecundus
Gal l 16. de vſu part. c. 3 & ſeq artem ſolertiamq. Naturæ demirans in corporis humani
fabricatione, quam nullum ingenium contemplando, nul-
la lingua explicando, nulla manus per anatomen inueſti-
gando plane conſequetur; cum demonſtraſſet à cerebro,
vbi Mens habitare creditur, deduci neruos, qui linguæ, ce-
terisq; orationis formandæ inſtrumentis in ore famulan-
tur; exclamat id iure, id merito à ſapientisſima, iuſtisſimaq.
Magiſtra fieri; quod vocis conformatio (quæ cum aliquid
ſignificat ſermo eſt) humanarum actionum ſit longe præ-
cipua; quippe quæ cogitationum Mentis eſt Nuncia. Quid
S. Ambr. l. de Noe et Arca c 7. S. Ambroſius vir non ſanctitate modo, ſed etiam ingenio,
doctrina, & eloquẽtia perinſignis? Hic de corporis eiuſdẽ
artificio philoſophatus, atq. in primis de Regia capitis, ea-
dem nobilisſima cogitatione de Oratione informatus, eru-
pit cum admiratione in hæc verba, veſtris auribus, veſtraq.
approbatione dignisſima: *Quid de ipſa Regia loquar, per* 13
*quam aulici ſermones prodeunt quidem Mentis noſtræ indi-
ces, animiq. internuncij?* Neq; vero hoc officium nuncian-
di latuit Poetas illos veteres Homerum, Heſiodum, atq.
alios ingenioſos, ac prudentes magiſtros morum, qui mira
quadam ſimilitudinis inuentione rem aptisſime declara-
Ar l. 3. Meteor. ſum 2 c 3 & 4 ſect. 12 problem. 3. runt, vt audietis. Euenit interdum vt è madidis ac rotan-
tibus nubibus à proxima pluuia, Sole in eas rariores factas
aduerſis radijs incurrente coloratis, Arcus quidam ingens
Cic l. 2 de Nat Deor. efficiatur in aere, ſpeciem habens iucundisſimam aſpectu,
L. Sen. l 1. nat. qq c 2. & ſeq. cogitatu mirabilem: laudatus ob id in ſacris litteris; in ſi-
Plin. l. 2. c. 59. gnum reconciliationis, ac fœderis vſurpatus à Deo; decan-
Eccl. ſ. 43. Gen 9. tatus à Poetis, inter quos noſtratium Princeps.

Vir. l 4. Aen. *Mille trahens varios aduerſo ſole colores;*

Sermone denique omnium cum admiratione celebratus.
Huius colores, cæruleum, viridem, purpureum, luteum,
aut igneum, admirabili Naturæ arte permiſtos, & confuſio-

ne

Digitized by Google

ne quadam diſtinctos, alios ex alijs nexos, nullius oculi, decipiente commiſſura, quæ à ſimillimis incipiens, in disſimilia deſinit, plane diſtinguent, niſi cum primis extrema contulerint. Eorumdem perſpicuitatem, ardorem, vim, gratiam nullus herbarum, florumque ſuccus, nullus è lapidibus liguiſue liquor expreſſus, nullus vermiculorum, conchyliorumq. ſanguis exæquat. Teſtis Ariſtides pictor alioqui nobilisſimus, quem pingere hunc arcum, atq. imitatione exprimere conantem ars in medio defecit opere: proinde manum de tabula tollens, eam reliquit poſteris inchoatam. Hunc igitur tam eximiæ pulchritudinis arcum Græcorum priſci nominum artifices Irim à dicendo, nunciandoque nominarunt: Poetæq. finxerunt Deam quādam eſſe, Iouis, Iunonis ceterorumq. Deorum Nunciam, quæ mortalibus cæleſtium mandata deferret. Quamobrem in poematibus, legationibus fungitur, orationes habet, pacem, bellum, ſuadet, diſſuadet, & alia præſtat more Legatorum.

Plin. l. 35. c. 11.

14 Adhæc purpureum lilium, cuius folia colorum quadam oculis gratisſima varietate, punctis aureis diſtincta, nonnihil arcum cæleſtem referunt, eodem Iridis nomine ex argumento notauerunt, atq. ad eloquentiam, orationem, eiusq. virtutes ſignificandas Poetæ perilluſtres vſurpauerunt. Quorum primus Homerus diſertis hominibus vocem atq. orationem λειριόεσσαν hoc eſt ſuauem ac floridam tribuit, vocabulo ab hoc flore tranſlato, quaſi lilijs purpureis pulchritudine ſimilem, ac florentem. Sæpe mecum hæc contemplans ipſe cogitaui quid nam Iris haberet commune cū oratione, cuius gratia ſymbolum orationis Irim eſſe voluiſſent. Duæq. mihi veniebant in mentem ſimilitudinis rationes; quarum altera eſt in Iride cæleſti perſpicua, munus prædicendi, atq. enunciandi, quæ dedit illi quoque nomen. Vt enim illa pluuiam prædicit quodam modo, atq. prænunciat ſi oriente ſole extiterit; vel ſerenitatem, ſi apparuerit occidente; ſic humana oratio ſi non prædicit, at dicit; ſi nō prænūciat, ſaltem enunciat quaſi Deorum, vt Poetæ loquebantur,

Ar. l. de coloribus.
Plin l. 21. cap. 5. & 7.
Dioſc l. 1. c. 1. & l 3 c 99.
Io Ruell. l. 1. de nat. ſtirp. c. 2 ol. 2 c. 1.
Lucian in Herc. Gallico.

bantur, Dearumq. Nuncia, quæcumq., vt ſæpe dixi, Mens & Ratio, Voluntas & Appetitus facultates Animi propter immortalitatem, & à Deo Mundi creatore ductam originem pæne diuini, enuncianda nobis imperauerint. Altera 15 ratio quæ cernitur tam in *I*ride cæleſti, quam in flore, eſt fortaſſe melior; quod eloquentis hominis oratio ſimillima vtriq. Iridi varietate ac pulchritudine videatur. Quot colores, quot ornamenta, quot flores, in oratione potiſſimum cum recitatur, partim latitant, partim pellucent, partim eminent, vbi animus in eam ſolem ſuum, hoc eſt ingenij lumen effuderit? Primum omnes eloquentiæ partes rerum exquiſitarum Inuentio; lucidus ordo Diſpoſitionis earũ; vis inexhauſta Memoriæ fontis inſtar perennis dicenda ſubminiſtrantis; & Actio, quæ Demoſthenis opinione primas habet in eloquente: poſtremum, quæ diutisſime remanet elocutio, cernuntur. Deinde partes ipſæ Orationis, Exordium erutum è viſceribus cauſſæ, nexum verbis, ſtructum ſententijs, figuris illuſtre; Narratio perſpicuitate dilucida, feſtiuitate iucunda: Confirmatio proprijs rationum firmamentis, & valida refutatione contrariorum corroborata; Peroratio affectuum permotione dominatrix animorum, collocantur. Tum tres dicendi characteres infimus in docendo, medius in delectando, ſummus in commouendo exprimuntur. Quid quod in hanc conferuntur omnes animi facultates, omnes partes, omnes opes; & interſe mirabiliter conſociantur, ea quę pugnare interſe, vel certe diſſentire videntur? Ars, & Natura; lingua, & ingenium; Mens, & Memoria; vox, & geſtus; modeſtia, & confidentia; flexiones, & ſoni; numerus, & libertas; affectus, & veritas; res, & verba; proprietas, & ornatus. Hic ingenium ſuos theſauros effundit; doctrinarum diuitias, hiſtoriarum cognitionem, nouitatem ſententiarum, quæ ſint in docendo acutæ, in delectando quaſi argutæ, in commouendo graues; facetiarum feſtiuisſimarum ſales, vrbanitatis leporem minime ſcurrilem; verborumq; optimorum

Digitized by Google

delectum; cultam elaboratamq. locutionem; motum vehementem animorum; ac deniq. grauiſsima ornamenta ſententiarum. In ipſa elocutione quot ſplendent ornamenta verborum tum propriorum, tum è pulcherrimis rebus trãſlatorum? Qui nitor, quæ elegantia, quæ ſuauitas exiſtit è numeroſa collocatione verborum? Quæ ornamenta non immerito Rhetores appellant lumina, ſtellas, flores, gemmas, figuras, colores, ruboris candoriſq. pigmenta; propterea quod vt illa res ſuas, ita hæc orationem illuminant,
16 expingunt, & exornant. Quæ res in hac Mundi Vniuerſitate, vel à Natura, vel ab Arte facta reperitur, quæ pulchritudine ornamentorum ac varietate cum Oratione numeris omnibus abſoluta conferri poſsit, vel æquari? Cælum? Eſt illud quidem permultis illuminatum ſtellis, figuriſque diſtinctum: at eæ de nocte tantum apparent: Oratio vero noctu, et interdiu ſuis luminibus ac ſtellis lucet. Pratum? Eſt anni quodam certo tempore florum varietate in herbeſcente viriditate iucundiſsimum; at illi vel aratro ſuccisi langueſcunt; vel ab æſtu ſiccantur, & areſcunt; vel certè, quia ſunt vt magnæ gratię, ſic breuis glorię, paucis ab ortu diebus ſua ſponte moriuntur. Oratio vero non modo cum recitatur nitidiſsima, & viridiſsima effloreſcit, ſed etiam in multos annos commendata litterarum monumentis, nec ruſticorum inſtrumenta, nec ſolis ardorem, nec vitæ breuitatem metuens, ſuis viret, ac floret ornamentis. Tabulæ pictæ? Magnam habent illæ laudem, quas Pictorum excellentium artifici manu, ac penicillo depictas colorum varietas, & ſplendor, ingenium auctoris, & fama commendat: at pigmenta tempore euaneſcunt; relanguent ætate colores, ſituq. fœdantur; tabulaſq. ipſas non modo decolorat, ac deformat, ſed plane conſumit edax rerum, & vorax illa inſatiabiliſq. vetuſtas: vſque adeo, ut iam nec Apellis, nec Parrhaſij, nec Zeuxidis, nec vllius illorum primariorum pictorum tabulam uideas ullam: Orationis autem colores ſunt ſemper ijdem; retinent primam uiriditatem, primos

Digitized by Google

flores: primam gratiam in omne poſterum tempus: ipſaq.
oratio culta, cedro atq. ære digna, mandata ſcriptis, quæ ſu
binde per interualla deſcribendo, atq. imprimendo reno-
uantur, in omnem æternitatem videtur duratura: quod in
orationibus Demoſthenis, ac Ciceronis cernimus eueniſ-
ſe; quas nullæ bellorum iniuriæ, nullæ barbarorum flammæ,
nulla temporis diuturnitas vel fœdauit, vel obliterauit, vel
oppreſſit. Numquid Iris vtraq. cum oratione contendet?
Contendit, vt dixi, non æquat; propterea quod vtriuſq; gra
tia, & pulchritudo tam cito perit, vt quantum voluptatis af-
ferat oculis naſcentis aſpectus, tantum mæroris iucunditas
repente ſubtracta relinquat. Oratio contra figuris ſplen-
dens, elegantia nitens, affluens copia cum audita placet, tũ
vero multos poſt annos lecta, quia cum voce pronunciata
non euanuit, & decies repetita delectat. Num Iridis æmu- 17
læ gemmæ? Pretioſiſſimæ quidem gloriæ eſt Opalus, in
Plin. l. 37. c. 6. quo ſmaragdi viriditas, amethyſti purpura, ignis carbun-
culi, ſulphuris ardentis flamma incredibili pariter miſtura
lucent, & fulgore colores pigmentorum exæquant. Eſt &
Cryſtalli radix, quæ vocatur item ex argumento Iris, quod
Idem l. 37. c. 9. ſub tecto percuſſa ſole, ſpeciem & colores Arcus cæleſtis in
proximos parietes iaculatur, ſubinde mutans, magnaq. va-
rietate ſui augens admirationem. At hæc admiranda ſane
varietas utriuſq; non niſi in ſolis conſpectu, non niſi uirtute
ſolis oblectat; in tenebris remota luce, uel plane latet, uel
parum lucet. Oratio contra gemmis ornamentorum, co-
lorũ uarietate, nitore figurarũ nõ aliunde quã à ſe ipſa ſplẽ-
dore petito collucet: in denſis quoq. tenebris ſuo ſplendet
ingenij lumine, ſuo fulget ſole. Num tela uerſicolor? Ae-
mulata Naturam Ars Textorum, & apud Seras, & in Eu-
ropa, uerſicoloribus bombycinis, aureiſq. filis telam confi-
cit uariam, multiformem, dubiamq. ad aſpectum; in qua
ſpeciem quandam Iridis adumbratamq. imitationem cum
oculorum uoluptate recognoſcas: at hæc oculos tantum,
ut cetera commemorata omnia, non aures oblectat: Ora-

tio

Digitized by Google

tio vero quæ conueſtitur elocutione contexta in oris textrina, quaſi verſicolore textili opere non tam manibus, aut calamo, quàm ingenio; cum legitur oculos, cum auditur aures atq. ingenium mira ſuauitate perfundit. Num deniq. diſcolores auium pulcherrimarum plumæ natura factæ, qualis totus Phœnicis auis ſingularis amictus, Pauonum ceruix, collumq. columbarum? Mirabilia ſunt hæc omnia, Parmenſes, quæ tam varijs, tam multis, tam cæleſtium ſimilibus coloribus nitent. Veruntamen hæc quoq. Orationi poſt habeo. Nam ij colores verius videntur eſſe, quã ſunt; non inhærent, ſed errant: non infixos habent plumæ, ſed fugientes: abeunt antequam ſatient, eos modo ſumũt, cum aduerſo maxime ſole flectuntur, vnde eſt illud Neronis Cæſaris.

18 (margin, beside "res atq. ingenium")

Pl. l. 10 c. 20. L. Sen l. 1. natur. q. c. 4. et ſeq.

Colla cytheriacæ ſplendent agitata columbæ;

modo eoſdem deficiente motu, ac luce deponunt. Oratio cõtra ſemper eſt eadem; non fallens ſenſum, non animum, diutiſſime durat: vel ut pauimentum teſſerulis è marmore diſcoloribus interſe apte compoſitis, & vermiculato emblemate ſtratum: vel quaſi teſtudo interior templi opere muſiuo, hoc eſt cruſtis ad rerum effigiem affixis, quo ſunt vſi Chriſtiani veteres, exornata: vel, quod magis placet, & ad perpetuitatem firmius, atq. ad ſpeciem iucundius humanũ ingenium nuperrime inuenit; tamqnam pictura, non textilis, aut in tabula, ſed in marmore; non pigmentis, coloribusq. depicta, ſed verſicoloribus lapillorum fragmentis interſe tanto Glutinatorum artificio connexis, tam tenaci viſco infixis, tam vere rerum, hominumq. formas imitantibus, vt nullæ appareant commiſſuræ, nullæ cernantur lacunæ, nulla ſentiatur aſperitas, & cum tabulis Apellis pulchritudine, cum ſignis æneis Myronis diuturnitate certare videatur. His tandem ſimilem ornamentis ſuis excultam, ſuis depicta m figuris, ſuis affectibus ſuffuſam orationem, &
19 arbitror, & pronuncio. Quod ſi cuius alitis natura vim ſermonis in enunciando, quam oratione mea pertracto, refert;

columbæ videtur eſſe omnium aptiſſima. Sæpenumero hæc Auis candida nobilis, ac velox, nuncia fuit rerum maximarum. Atque omittam quod in ſacris hiſtorijs legimus, columbam à Noe generis humani Reſtitutore ex ingenti illo nauigio emiſſam generalis eluuionis tempore, præferentem roſtro ſurculum oleæ virentis pacis argumentum, redijſſe Nunciam diminutionis aquarum: Alexandri Carbonarij Sanctiſſimi Epiſcopi concionem pulcherrimarum columbarum grege diuinitus fuiſſe ſignificatam imperito adoleſcenti, qui eam vt minus Atticam arroganter irriſerat; tranſeo ad hiſtorias Græcorum, Latinorumq. ſcriptorum. In Græcia cum Tauroſthenes in illa maxima quinquennali celebritate ludorum Olympicorũ victor euaſiſſet, columbam quam ſecum aſportauerat è patria, purpureo inſignem amictu dimiſit; & per cælum eunte nuncio ſumma pernicitate, vt dicere poſſes cum Mantuano Poeta.

Gen. 8.

S. Greg. Nyſſ. orat. in S. Greg. Taumat.

Aelian. l. 9. var. hiſt. c. 2.

Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.

Virg. l. 5 Aen.

patrem AEginæ commorantem fecit eodem die ſuæ victoriæ certiorem. Quid in Italia? Cum D. Brutus Mutinæ à M. Antonio obſideretur; & Conſules Hircius, ac Panſa cum exercitu ſubſidio veniſſent, internuncia columba cum litteris à caſtris Conſulum, ad Brutum obſeſſum, & à Bruto in caſtra ad Conſules per aerem commeabat. At oratio nonne per cælum quoq. volat, cum à Mente dicentis euolare iuſſa, nobis ea quæ noſſe cupimus, auribus inſuſurrans enunciat? Quibus alis inſtructa volitat Parmenſes? Sono, & ſignificatione. Quibus oculis? Ratione, ac Prudentia. Quid enunciat? Doctrinam, & Hiſtoriam: res, & ſententias ab alijs acceptas, & ab ipſa Mente excogitatas. Quid habet pro candore corporis? Puram, emendatam, & perſpicuam elocutionem, quæ tali ſ efficitur nitore verborum propriorum. Quid deniq. colorum varietati mirabili reſpondet, quæ tamquam monile gemmis intertextum & auro, collum illi circumcingit? Ornatus orationis duplex, figuris

Plin. l. 10 c. 37. Iul. Front. l. 12. de ſtratag. c. 12

20 guris verborum inſignis, & ſententiarum locuples marga-
ritis. De quo quia ſatis multa dixi, refero iam vocem meã
ad tertiam humani ſermonis virtutem in ſignificando, quã
Imaginem appellabam. Reficite quæſo vos, Auditores,
ad ea quæ ſum dicturus: grauiora, ſubtiliora; & admirabi-
liora ſunt: flagitant attentionem, non ea minorem quam
præſtitiſtis. Ex qua factus ſum certior beneuolentiæ veſtræ,
adeo, vt de vobis omnia ſperem, mihi omnia de veſtra Hu
manitate pollicear. Vt expleret Deus Opt. Max. hanc no-
ſtram cupiditatem animi contuendi, pro foribus Regiæ
quandam imaginem Mentis expoſuit, in qua vultum eius
ad viuum expreſſum intueri, ac cernere poſſemus. Eam ima
ginem ſapientes aſſerunt eſſe Orationem in ore collocatã.
Ariſtoteles, cuius ingenium acumine ac iudicio nullus ad- *Ar l.1 de Inter-*
huc philoſophus æquauit, cum rerum ſimilitudines, quas à *pr. ca. 1 & l. 1. c.*
rebus Mens accipit per ſenſus adminiſtros ſuos ὁμοιώματα *vlt. & l. de ſen-*
hoc eſt ſimulacra nominaſſet, quod ex natura rerum ex- *ſu c. 1.*
preſſæ, ſimillimæ ſint imagines rerum vnde fluxerunt: vo-
ces, quibus oratio coagmentatur, & quibus ea ſimulacra re
rũ animis impreſſa, & per ea res ipſæ ſignificantur, σημεῖα
& σύμβολα, hoc eſt notas, & ſigna, quod ex inſtitutione
ſapientum, & gentium, Nationumq. conſenſione ſignifi-
cent, appellauit. Maxime proprie locutus eſt vir acutiſ-
ſimus, qui ad perfectiſſimam Naturæ regulam, cuius erat
interpres, reuocat omnia. Sed Iſocrates, & Plato non ma
le ſenſerunt; quorum ille ſermonem εἴδωλον, hoc eſt ima- *Iſocr. in Nicode*
ginem, ſeu ſimulacrum; hic item Idolum cogitationis in *Plato in Theæ-*
voce nominauit: exiſtimantes in ſermone atq. oratione *teto.*
tamquam in conſimili ſtatua, vel ſimulacro, vel imagine fa-
ciem animi, totamq. effigiem reddi, fideliterq. referri.
21 Mire quoque L. Seneca philoſophus elegantiſſimus ſui tẽ- *L. Sen. ep 115.*
poris, hanc Mentis faciem, ac referendi vim, quam in ſer-
ne incluſam dicimus deſcribens, Vultum animi, definit
orationem. Quid, Auditores, excogitari poterat acutius,
& quid accommodatius enunciari? Noſtis, opinor, quid

Philoſophi doceant de vultu, qui in nullo eſt animante præter hominem: noſtis quam bene animum in vultu cerni, quam ſolerter è vultu deprehendi cognoſciq. demõſtrent. Vultum, Imaginem animi vocat Cicero; Sermonem tacitum; Indicem morum; eumq. ſecundum vocem plurimũ poſſe affirmat, à quo nemo diſſentit. At Seneca eleganter & acute, totum id quod in vultu eſt, vt in oratione reſidere perdoceat, *Oratio*, inquit, *vultus eſt animi*, perinde ac ſi dixiſſet: vt, qualis ſit animus, indicat plane vultus, ita & ſermo. Pariter atq. in vultu Mens habitat in Oratione. Cuius philoſophi doctrinam reddes illuſtriorem, ſi M. Tullii dictũ ingenioſe commutes. Dixit hic, *Vultus eſt ſermo tacitus Mentis*: dic tu; ſermo eſt vultus animi loquens; & Senecæ definitionem vere, ac mirabiliter illuſtraueris. Scite omnes, ac ſapienter; at Plato Ciceroni Deus in philoſophia, 22 palmam tulit; qui cupidus explicandi planius, ac ſubtilius humani ſermonis in animo repræſentando vim, non modo, vt audiſtis Idolum, ſed etiam ſpeculum orationem nuncupauit. Quis tibi Plato pulcherrimam hanc cogitationẽ immiſit? Quàm ſublime, contemplans vim orationis, animus tuus aſcenderat, cum hanc palmarem ſententiam protuliſti? Tetigiſti rem, non acu, quod dici ſolet, ſed acie, ſed acumine mentis, cum orationem ſpeculum eſſe pronunciaſti. Non eſt, Parmenſes, non eſt in hoc Mundi Amphitheatro materia potentior excipiendarum, ac referendarũ imaginum quam ſpeculum. In quo duo ſunt admiranda; repræſentandi facilitas, & rei obiectæ perfecta ſimilitudo: quorum præſtantia, ſtatuis, imaginibus, ſimulacris omnibus, quauis arte, materia, ratione manufactis antecellit. Facilitate quidem, quia nullus apparatus, nullus labor, nulla induſtria requiritur, vt imago reddatur. Continuo vt læue ſpeculum, ac politum cum re quapiam componitur, ea repræſentata comparet: cætera ſigna, vt aſſimulentur, & quempiam vtcunq; referant, longo tempore, labore multo, ſexcentis inſtrumentis, verſanda ſunt, polienda, elaboranda.

Cic. orat. in Piſon. l. 3. de orat. L. de orat.

Plato in Theæteto.

Apul. Apolog. 1.

randa. De perfecta vero imitatione rerum obiectarum, quid attinet dicere? Nam in illis ſingulis deeſt aliquid ad ſimilitudinem referendam, & luto vigor, & ſaxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide ſimilitudinem reddit. Prætereà quidquid eſt luto fictum, vel ære infuſum, vel lapide inciſum, vel cera inuſtum vel ligno inſculptum, vel pigmentis coloratum, vel alio quopiam humano artificio aſſimulatum, non longo interuallo diſſimile redditur, mutata re, cuius ad ſimilitudinem effictum eſt, vel annis, vel moribus, vel affectibus; & ritu cadaueris vnum vultum, quem primum induit, eumq. immobilem ac rigentem retinet in perpetuum. Verum in ſpeculo viſitur imago mirabiliter relata; vt ſimilis, ita mobilis; & ad omnem hominis ſe contemplantis nutum, ac geſtum obſequens; ætate illi ſemper æqualis, ab ineunte pueritia, ad obeuntem vſq. ſenectutem; habitumq. oris, formam, capillum, affectum, colorem, locum, ſitum, diſtantiamq. imitatione commutans, prout ſpectator obiectus ſpeculo va-
23 riatur. Conferte nunc, Auditores, orationem cum ſpeculo tam mirabili, & intelligetis quam perfecte referat nobis animum mentemq. colloquentis. Vt ſe ipſe noſceret homo, qui ſuos in ſe oculos inflectere, qui os, vultumq. ſuum ſuis luminibus intueri non poterat, ſpeculum homini Natura porrexit: ut animum, animiq. uultum Mentem, ad quē oculi mortalium acie non pertinent intueremur, eadem Natura noſtris auribus obiecit ſpeculum Orationis. Illud non modo refert Animi faciem, ſed mores, & affectus; ridenti arridet, dolenti condolet, minanti minatur; ardet in ira, pallet in metu, rubet in pudore; quam ob cauſſam Philoſophorum moralium ſapientiſſimi Socrates, Plato, Seneca, Plutarchus, homines ira, ebrietate, alijs eiuſmodi affectibus perturbatos hortabantur, ut in ſpeculo ſuam ipſorum defor mitatem, ad deteſtationem inſpicerent. Hæc uero mores animi, & affectus, ſupercilium, arrogantiam, uerecundiam pudorem, modeſtiam, motus, perturbationes, uitia, uirtu-

L. Sen. l. 1. nat. quæſt c. 17.

Laer. l 3. in Plat. Apul. Apol. 1. L Sen. l 2. de Ira. c. 36. L. 1. nat. quæſt c. 17. Plut l. de cohib. ira. & l. de præcept. connub.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

tes uſq. adeo reddit, ut inde probitas; ſanctitas, ac peruerſitas manifeſtiſſime deprehendatur. In illo cuiuſq. intuentis ætas, rugæ, caniq. ſenum, adoleſcentium imberbium læuitas, uirorũ hirſutorũ ac bene barbatorum aſperitas apparet: atq. ut ætate progrediente uariatur aſpectus, & habitus oris, ita & in ſpeculo ſubinde figura, imitatioq. mutatur. In ſermone quoq. familiari præſertim, cernis cogitationes, nugasq. pueriles; iuueniles impetus, virilem maturitatem, ſenum grauitatem, ſapientiam ſanorum, in ſanorum inſipientiam; illorum ſcientiam, horum inſcitiam; omnium ingenium, iudicium, prudentiam atq. naturam. Illud deniq. non modo vultum inſpicientis oſtentat, ſed etiã quæ retro, atq. à tergo latitant in conſpectu locat: proinde

Suet. in Domit. c 14. Domitianus ad ſui tutelam ſpeculari lapide conueſtiuit parietes interiores porticus, in qua diutius ſpatiabatur. Hæc item aperit, atque in propatulo collocat ea quoq. arcana, quæ in intimis receſſibus pectorum abdita recondebantur, animi propenſionem, inclinationem voluntatis, finem cogitatorum, deſideriorum ſcopum; quò ſpectet, quò deſtinet, quò dirigat omnia quæcumq. molitur, efficit, machi-

Apul. l 1. florid. natur. Quamobrem argute more ſuo prudenterq; Socra- 24
tes adoleſcenti decoro, & taciturniori, quàm par eſſet, obuius, eloquere, inquit, aliquid, vt te videam. Scilicet tacentem non videbat vir acutus, ac lynceus. At perſpicere cupiebat auribus in ſermonis ſpeculo, quod non fallit, nec præſtinguit oculos, adoleſcentis animum, quem oculis in vultu non plane cernebat: pluris ipſe faciens in hac animorum cognitione teſtem vnum auritum, quam decem oculatos, contra plautini militis ſententiam ignorantis vim, efficaci-

Plaut in Truc. Diog laer. l 6. in Diogene. tatemq. ſermonis. Eandem ob cauſſam Diogenes ille rerum humanarum contemptione nobilitatus, cum in foro captiuus eſſet aliquando venalis, mirabatur ſecum tacitus ſubridens, atque irridens amentiam mercatorum, qui fictilem ollam non emerent, niſi tactu digitorum pertentata, pulſuque explorata bene tinniret, in homi-

ne

ne emendo aſpectu ſolo contenti, de quo tamen è ſermo-
ne, quanti eſſet æſtimandus, longe melius iudicarent.
Atque ita ſapienter, & ille moralis Philoſophiæ Parens, &
hic teſtæ magnus Habitator ſenſerunt, & locuti ſunt, vt *Iuuen.Sat.14.*
vel olfeciſſe ſagacitate legendi, uel ab aliquo inaudijſſe ui-
deantur, quod in Eccleſiaſtici libello legimus ſcriptum eſſe *Eccleſ.4.*
diuinitus: In lingua (cuius loco Græcus codex ἐν λόγῳ
ſubſtituit) ſapientia dignoſcitur; & ſenſus, & ſcientia, &
25 doctrina in verbo ſenſati. Quis igitur hæc intelligens men- *Lucian. in Hermotimo ſiue de ſectis.*
te ſana deſideret amplius cum Momo illo rerum, artificũq;
omnium reprehenſore ſuperbiſſimo ianua, vel feneſtra pe- *Tertull. in Apolog c 35.*
ctus in nobis apertum, cui moroſi alij homines aut vitrum,
aut aliam pellucidam materiam addebant, per quam re-
truſus, atq. abditus in latebroſis receſſibus animus, à curio-
ſis oculis videretur? Quæ ianua, quæ feneſtra patentior
quàm os fingi; quæ materia pellucidior, quàm ſermo repe-
riri potuiſſet? Valeant accuſatores iniquiſſimi Naturæ ſo-
lertiſſimæ, cui tantum debemus: deſinant moleſtiſſimi ob-
ctatores, carpere; deſiſtãt criminari benigniſſimam humani
generis parentem; atq. à tanto ſcelere cogitationem, lin-
26 guam, calamumq. contineant. Ceterum, quemadmodum
in ſpeculo non ſola læuitas eſt imaginis artifex, ſed etiam
ſplendore opus eſt; niſi lumen aliquod dicenti luceat, non
eminebit animi ſpecies in ſermone. Philo de ſchola Pla- *Philo l. Quod det. inſid. potiori.*
tonis, vocem ipſam lucem eſſe dicebat, qua cogitata Men-
tis tamquam picturæ in tenebricoſo loco ad acceſſum lu-
cis, accenduntur, apparent, & quaſi reuiuiſcunt. Præclare
ſane; nam tabulæ pictoris Mentem humanam perſimilem,
ſibi cogitatione fingebat Ariſtoteles, quæ notionibus rerũ *Ar. l. 3. de An tex.14.*
quaſi coloribus pingeretur: & Plutarchus ab opificibus Græ
cæ linguæ vocem φωνὴν appellatam arbitratur, perinde
ac ſi eſſet ὡς φωτίζουσα τὸ νοούμενον hoc eſt quaſi Mentis fetũ *Plut.l.4. de Placit.phorum cap. 19.*
illuminans. At vox quæ cum belluis eſt communis, non
ea vox eſt adeo præclara, quæ Mentem, Mentiſq. partum,
& cogitationes illuſtrat: neque prudentes hi philoſophi de-

lirant

lirant adeo, vt id exiſtiment. Illa vox, illa, Parmenſes, tanto digna nomine lucis eſt; tam nobili decorata munere illuminandi, quæ ab immortali Mente Principe Microcoſmi huius imperata ſignificat notiones animi; multiplicataque ſermonem intexit.

Idem l. ſic viue vt nemo te &c. Clem. Alex. l. 1. Pæd. c. 6. S Greg. Naz. orat. in S. Baptiſma. Niceta interpres in eam or.

Hominem à Græcis φῶτα dici, 27
qua voce mutato non nihil ſono, Lumen ſignificari, doctiſſimi Philoſophi, ac Theologi tradiderunt; quod hoc præſtantiſſimum animal mirabili quadam ratione lumen eſſe videatur. Pro ſuo quiſque ingenio cauſſam inquirit, & inuentam profert tam honorificæ appellationis. Equidem, ſi liceat mihi libere quod ſentio dicere, Lumen arbitror dictum hominem; tum quia Lumen mentis, atq. Ingenij ſummus Artifex Deus illi condidit in Animo, quod Ariſtoteles naturali acumine deprehendit in nobis:

Ar. l. 3. de An. c. 8.

tum quia Lux ab illo lumine in orationem delapſa ſplendet admirabiliter in ore. Quamobrem, non quod aliquis veſtrum expectat, hominem appellabo piſcem Lucernam, qui lingua ignea per os exerta tranquillis noctibus ſummũ mare ſubiẽs relucet, prædãq. facit:

Plin. l. 9. c. 27.

non id faciam, tametſi propter aptã ſimilitudinem iure poſſum; ne videar comparatione vilis animantis abijcere nimis dignitatem humanam. Paruum Mundum cum priſcis philoſophis eſſe palam vociferor, magni huius Mundi æmulum, & exemplum, quod duobus paruulis luminibus, ingentia Solis & Lunæ ſidera imitantibus decoratur. In cælo capitis ſol moderator, Dux, ac Princeps, qui conuertitur, Mens eſt, quæ primum Animum illuſtrat, vt ille diem; deinde lumen de ſuo lumine in oratione accendens, facit vt nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Cic. de ſomn. Scipion.

In ore Luna luce aliena lucens oratio eſt, quæ radijs accenſa Mentis, eiusq; referens imaginem, vt Luna Solis, corpus tamquam noctem illuminat. O ſplendor orationis admirabilis, qui vitam humanam adeo nobilitas. Tu nos feris anteponis: tu noſtras mentes illuminas: tu vitæ huius vſuram nobis facis eſſe iucundam. Iam vero feſtinat 28
animus ad alterum caput pleniſſimum voluptatis, quo com-

paratur

atur cum auribus oratio. Cognita fortaſſe dicam mul-
s ueſtrum doctiſſimis viris, & in primis tibi, Dux Excel-
lentiſſime, qui bonarum artium, doctrinarumq. omnium
ſtudia nequaquam in adoleſcentia contemnenda putauiſti,
minime neſcius quantum ſapientia, & eloquentia decoris
militari diſciplinæ, quantum adiumenti Ciuitatibus guber-
nandis afferret. Quod quamquam verum eſt, peto tamen,
atq; oro vt attente, quemadmodum feciſtis, audiatis. De-
bet enim pulcherrimis in rebus excitare animos languen-
tes, feſſoſq; recreare non cognitio ſolum rerum, ſed etiam
recordatio. Quoniam diuino tanti operis Architecti de-
creto perferenda eſt ad aures hominum oratio, Natura pro
uidens eo fabricata eſt illam artificio, quo celeritate maxi-
ma, prorſus integra ad multos, & minime inanis deferatur.
Mecum ipſe cum hanc Magiſtræ ſolertiam contemplor, nō
admiror modo, ſed etiam obſtupeſco. Tanta enim inter-
ſe sympathia congruunt aures, & oratio, tanta cognatione
Naturæ, nec non ſimilitudine nominis, vt illæ vel ſoli, vel
potiſſimum orationi recipiendæ factæ videantur; hæc vnis
auribus naturali lege deſeruiat. Nam quia factam ex aere *Apul. l. de dogm. Plat.*
oportebat eſſe Orationem, quo feſtinanter in aures inuehe *S. Ambr. l. 6.*
retur: aures quoq. nuncijs aereis, qui aeris remigio perue- *Hex. c 9.*
huntur excipiendis, aereas fecit Artifex, includens mem- *Ar. l 2. de An. t.*
branula exiguum quid aeris, in modum tympani militaris; *82. & ſeq.*
illamq. in auris profundo locans, quæ voce extrinſecus pul-
ſante reſonaret. Hanc connexionem, Herculis apud ve- *Lucian in Herc. Gallico.*
teres Gallos eloquentiæ Præſidis picta fabula ſpectat; cuius
è perforata lingua catenulæ aureæ prodeuntes, & auribus
nexæ multorum hominum, eam ducebant potius, quàm tra
hebant multitudinem ſua ſponte ſequentem. De nomine
vero quid attinet dicere? Nemo neſcit aurem ab Aura La-
tine dici, quæ vox αὔρα Græcis ſpiritum ſonat; quo per *Suid. V. αὔρα*
arteriam à pulmonibus reducto vox fingitur, & oratio; &
antiquiores nonnulli, qui dicebant oriculam pro auricula; *Trogus apud Pl. l. 11. c. 52.*
vocabulum id ab ore deducebant cuius fetus eſt oratio.

Digitized by Google

Lact.l.de opif. Hom. c. 8. Hom.l.1.Iliad.

Verbum item audiendi, quo ſignificatur auris officium, oratione, quam Homerus, & alij Græci ſcriptores αὐδ appellant, in Latinam linguam conſtat eſſe deductum. Sed celeritatem orationis vos, Auditores, me dicente, quæſo conſiderate diligenter: attendite quàm feſtinanter prope-ret: attendite precor. Nonne animaduertitis vixdum egreſ ſam ex ore meo, veſtris in auribus conſidere? Cuius rei ſimilem eſſe dicetis? cuius nam? In re tanta perſpicue declaranda vobis adiutoribus vti cupio. Nauiſne, an Auis alicuius, an quadrigarum conſimilem exiſtimatis? In rebus ab oculorum ſenſu remotis, qualis eſt oratio, declarandis, res corporatas ſub eum ſenſum cadentes, qui nobis vſitatiſſimus, ac familiariſſimus eſt, cogimur vſurpare. Simillimã equidem hiſce rebus eſſe dixerim; ac velocitate longe ſuperiorem addiderim. De Aue iam aliquid audiſtis: Nauim capio, quæ vehiculi genus eſt, quouis terreſtri curru velocius. Igitur è pectore loquentis primum tamquam è naualibus, vbi inchoatur, Orationis nauicula hæc rudis deportatur per arteriæ foſſam in oris ſtationem: hic à faucibus, à palato, à cerebro, atq. ab alijs opificibus perficitur, adornatur, armamentis omnibus ad nauigandum inſtruitur: & ab Animo prout vel neceſſitas poſtulat, vel cupiditas, genere aliquo rerum oneratur. Deinde remis dentium, & linguæ potiſſimum conto, ſoluentibus vltimum funiculum labris, propellitur in hoc amplum aeris inter me dicentem, vosq. audientes interiecti mare. Hic Mens ſcientiſſima Gubernatrix, clauo Rationis vtens, & acu ſalutari veneno Magnetis infecta Prudentiæ; intuens pro Polo captum audientis, dirigit curſum ad portum aurium auditorum: & remis in ſtatione relictis, vnde ſoluerat, pandit velum vocis, auraq. ſpiritus implente velum, atq. pellente prouehitur: non piratis, non ſcopulis, non alio retardatur impedimento: non errat per vndas, non diuertit, non huc atq. illuc peruagatur. Ingentis alicuius ſtrepitus eo tempore incidentis excitatam tempeſtatem, aut reflante clamoris magni vento turbinem

S. Baſil. hom. in Attende tibi. S. Amb l.6. Hex. cap. 9.

ab

ab auerſa concione coortum tantummodo metuit: his pro cellis ſolum iactatur, abripitur, demergitur in profundum. Ceterum cum taciturnitatis eam tranquillitatem ac beneuolam attentionem nanciſcitur (qua nunc oratio hæc mea nocturni huiuſce ſilentij quiete, ſecundisq. humanitatis veſtræ flatibus adiuta perfruitur) per hoc aereum Mare, vel, ut ait Lucretius, per hoc inane quaſi ventis ſuis vſq. feliciſſime fertur, & ſubit optatum portum, atq. tranquillum. Sed quã cito Deus immortalis! quam velociter! quam celeriter! Non nauigat, nec currit; nec volat: verbum quo properationem explicem, non inuenio. Quænam vnquam tabellaria nauicula maximi Regis, lætiſſimum deferens nunciũ; quæ veneta cymbula in lacus æquata planitie propoſito præmio de gloria remigio decertans, qui phaſelus epiſcopius hoſtili conſpecta claſſe feſtinus remis velisq. renauigans ad ſuos, tanta celeritate vehitur, quam oratio? Statim vt ſoluit, hæc in portu eſt: ſimul ac vela dedit, eſt in tuto: vixdũ euehitur, cum inuehitur, & iactis anchoris in auribus conquieſcit. O celeritatem ſingularem imitatione nullius artis adæquandam; nullis humanis viribus conſequendam! At illud, vt mea fert opinio, mirabilius eſt, quod incolumis oratio, tota quanta eſt, nihil imminuta, non in vnius tantum, non in paucorum aures auditorum infertur, ſed omnium ac ſingulorum. Hinc Lucretius Philoſophus inter Poetas. *Lucr. l. 4.*

In multas igitur voces, vox vna repente
Diffugit, in priuas quoniam ſe diuidit aures,
Obſignans formam verbis, clarumq. ſonorem.

In hoc honeſtiſſimo, ac frequentiſſimo cœtu, quotus quiſq; veſtrum eſt, qui mea verba non excipiat? Qui ſedent, qui aſtant, qui circumſtant omnes æque vt unus, ſimiliter ſinguli atq; vniuerſi, eandem integram hauriunt geminis auribus orationem. Nullo definitur numero, dummodo ad omnes vocis magnitudo pertineat. Tot in aures intrat, quot audiunt; nec numero minuitur, nec multitudine con-

ſumitur auditorum. In Amphitheatro quod Romæ Veſpaſianus Imperator ex manubijs vt arbitror Iudæorum, maximum, ac magnificentiſſimum inchoauit, Titus filius, Orbis Amor, perfecit, dedicauitq., cuius etiamnum viſitur non integrum cadauer miſerabiliter in ſuarum ruinarum quaſi cineribus, & ingentibus parietinarũ, ſaxorumq; oſſibus pæne ſepultum; ſeptem, & octoginta hominum millia (præter feminas, & pueros, qui de ſuperiore ambitu, præterq. plebeculam, quæ de cuneis, vijs, porticibuſq;) commode in orcheſtra, & in gradibus conſidentes, gladiatorum ludos, alioſq. ſpectabant. E media cauea cantantis, recitantis, gladiatoris, vt viuere liceret, obſecrantis vna vox, & oratio multitudinis illius ampliſſimæ ſingulis ſpectatoribus, auditoribusq. ſufficiebat. Æmulam Lucis eam appellare conſueui quæ ſine ſui detrimento cunctorum oculos, qui illam aſpexerint, illuminat; ſine ſui diminutione ſingulis lucet intuentibus. Quo minus mira videri debet ora- 31
tionis humanæ cum ſpeculo, quam ante inſtitui, comparatio. Si enim ſpeculum in duas partes diuidas, eadem imago tua, quæ apparebat in integro, tota conſpicitur in partibus: ſi mille in fragmenta comminuatur, in totidem præſto tibi erit, idem vultus tui ſimulacrum. Sic Oratio vna prodit ab ore loquentis: & dum per aerem recta fertur, & in gyrum, & quoquo verſus, non fit varia, non multiplex, ſed eadem perſeuerans indiuidua, multiplicata tamen in omnium audientium auribus à curſu requieſcit. Quod quo 32
modo fiat, re perſimili ſi non plane declarauero non longe tamen abiero: ſi non expreſſero, certe quidem adumbrauero. Meminiſti ne Adoleſcens, qui me audis (cum Rhetoricæ candidatis agere par eſt) meminiſtine cum puer eſſes, in tranquillum ſtagnum, aut lacum, aut piſcinam, aut in hanc foſſam aquæ plenam, quæ Ciuitatis mœnibus circumducta eſt, à te lapillum fuiſſe proiectum? Niſi mentiare, quod non opinor, fatebere vidiſſe te, ſimulac quieſcẽtem aquam attingebat calculus, vndulas neſcio quas exci-

tari,

Suet. in Veſpaſ. cap. 9. X. phil. in epit. Dion. in Tito.

ub. Victor.

Plut. l. 4 de Plac. Phil. c. 19.

tari,quæ paullatim augebantur in orbem in immenſam am plitudinem per totam aquæ planitiem; atque ad omnem oram foſſæ, finesq. omnes, manantes diffundebantur. Cum alterum lapidem iaciebas; ſecundus circulus eodem plane motu primum ſequebatur; cum immittebas tertium, in gyrum tertius circulus inſequens ſecundum, ferebatur; vſq. eo vt aquæ ſupeficies tota circulis vndare, cum maxima tua tuorumq. ſodalium voluptate videretur. Conuertite nunc, Auditores prudentiſſimi,cogitationes veſtras ad aeris naturam contemplandam; eumq. cum aqua comparate: qui quo ſubtilitate, mollitieq. nobilior eſt; eo quoque mobilitate atq. agilitate præſtantior, maiorem atq. adeo mirabilem, incredibilemq. conſecutus celeritatem motus, vix labris attingitur, ceterisq. formandæ vocis inſtrumentis pulſatur,cum in orbem circulis illis, qui vidētur in aqua craſſiore, latent in aere tenuiore,totus commouetur;eaque commotio,quæ vox ipſiſſima eſt,ad aures omnium, qui in aere commoto reſpirant, peruenit, & alij ſuccedente alia, conſtruitur, & connectitur ea, de qua tam multa dicimus,
33 Oratio. Sed minime inanem hanc onerariam nauiculam currere memini me dixiſſe. Quid ego, dicet quiſpiam veſtrum, pretioſi habet hoc oris, auriumque commercium? Quas merces hoc vehiculum in auditorum cellis exponit? è quibus nundinis eas exportat? Pretioſiſſima quæque totius orbis terrarum, quæ in loquentis theſauris, receptaculisque ſeruantur.Certat hæc Oratio cum onerarijs illis maximis nauibus Sebaſtiani Luſitaniæ Regis inuictiſsimi propinqui veſtri,Principes Excellentiſsimi, quæ è cunctis emporijs Indiæ, atque omnibus Inſulis Oceani quotannis in portum Olyſſiponis comportant omnes ferme totius Oriētis opes, ad imitationem claſsis Salomonis Iudæorum ſapientiſsimi Regis,quæ vt diuinis proditur libris,tertio quoque anno ex Ophir (quod emporium non deſunt qui putent vel in India, vel in altero Africæ latere Orientem ſpectante ſolem fuiſſe collocatum) aurum,argētum, gemmas, 3.Reg.10. 2.Paral.9.

ligna

Digitized by Google

ligna thyina,ebur,ſimias,& pauos aduehebant. Nemo eſt ſanæ mentis, qui non theſaurum quemdam domeſticum in interiore animi ſui parte conſtituerit, in quem congerat duo genera rerum. Primum earum quas è perpetuo mercatu Mundi huius, per ſenſus adminiſtros colligit, & potiſſimum per auditum; deferente eas hac orationis, quæ vltro citroque commeat, onuſta nauicula. Genus alterum earum eſt rerum, quas Animus acumine Mentis in ſuis officinis tamquam ingenioſiſsimus artifex fabricatur; vel quaſi quidam ſecundus Deus, vt priſci loquebantur, de nouo procreat: eas vocant *ἐννοίας* Græci, nos cogitata, notiones, intelligētias; quas cum altero genere rerū, in cellis receptricis rerum omnium Memoriæ recondit. Harum vtrarumque rerum plenus viri ſapientis, ac prudentis animus per occaſionem, & ipſe onerat nauiculam ſuam; iubetque opportunis temporibus in aliorum portus nauigare, ſuisq. opibus multorum animos locupletat. Conferte nunc, Auditores, hanc paruulam nauiculam, cum illis ingentibus nauigijs Luſitanicis: & merces cum mercibus, opes cum opibus comparate: fatebimini profectò quantum illa noſtræ præſtant magnitudine, tantum illis noſtram anteire diuitijs: plusque ditari cognoſcendi cupidum annuo viri vnius benedocti commercio, quam annua locupletiſsima claſſe Luſitaniam. Perferunt illæ naues ex India res longè pretioſiſsimas totius Orientis, partim neceſſarias humanæ vitæ, partim vtiles, partim iucundas: hæc item pretioſiſsimas, non Orientis ſolum, ſed & Mundi totius cum neceſsitate, vtilitate, iucunditateq. coniunctas; nec Mundi vniuerſi tantum, cum de rebus humanis, deque iis, quæ ſub cęlo clauduntur, eſt ſermo; ſed etiam cæli totius, cum diſſerit Oratio de cæleſtium orbium conuerſionibus, aſtrorumque magnitudine, numero, ortu, occaſu, lumine, defectu: nec cæli modo, ſed etiam domicilii cæleſtium, cum de beatorum mentibus, de ſempiterna felicitate, de ipſo ſummo rerum omnium fabricatore, ac Moderatore Deo arcana patefacta diuinitus, enun-

Triſmeg l. de ſap. & Pot Dei.

34

c.at.

ciat. Illæ multa conuehunt vel ad vitam conſeruandam, uel ad valetudinem recuperandam neceſſaria, medicamenta ſalutaria corporibus è terra, è mari, ex arboribus, quorum equidem nomina me non habere ingenue profiteor. Hæc è narthecijs ſuis expromit non modo ſalutaria mortali vitæ remedia, ſed etiam immortali, cum effatur non tantum ea, quæ regendæ familiæ, & rei familiari conſtituendæ per cōmercia, negotiationes, mercaturamq. conducunt: ſed etiam cum ſuos familiares, liberos, ſeruos, ſubiectos, amicos optimis conſiliis, paternisque documentis ad cæleſtium bonorum cupiditatem inflammat. Illæ quædam, ſi non plane neceſſaria, vtilia certe vitæ commode traducendæ, aurum, argentum, quæ tanti faciunt mortales, balſamum, telam bombycinam miris operibus, & inuſitatis in Europa contextã, conchylium, muricem, purpuram, aliosque colores ac pigmenta; cinnamomum, piper, gariophyllum, ceteraq; aroma comportant. Hæc contra hiſtorias ueteres ab inde vſque Mundi ſatu repetitas; recentes ætatis noſtræ ignotas iis, quibus ſermone familiari uulgantur: doctrinas omnes, arteſque liberales, earumque præcepta: Naturæ arcana, vim & naturas herbarum, lapidum, animantium, humanorumque morum compertas à philoſophis: quæ omnia tametſi, non plane neceſſaria uidentur omnibus, adeo tamen ſunt utilia huic Mundanæ Reip. ut proximè ad neceſsitatem
35 appropinquent. Illæ non pauca quoque iucunda ad uoluptatem, utilibus ac neceſſariis addunt; gemmas, margaritas, ebur, ebenum, unguenta, thus, odores, ſuffimentorum materiam, pſittacos, aliasque aues numquam à nobis uiſas uerſicoloribus plumis veſtitas, canoras, & loquaces: ſuccum denique illum melli ſimilem ex arundinibus coactum, & in modum candidi ſalis concretum, quem ſaccharon cum Plinio nominamus, ad delicias, quàm ad medicinam magis uſitatum. Hæc è ſuis arcis atque armariis educit bona ſua iucundiſsima ad honeſtam uoluptatem, ſuas gemmas, ſuos odores, ſuas ſuauitates: velut fabulas auditu iucundas, face-

Plin. l. 12 ca. 8.

tias

tias lepidiſſimas, vrbanitates, & ridicula ad hilaritatem excitantia, ſapientum arguta dicta, ſales ſaccharo longe meliores, quibus intentus curis animus relaxatur opportunis horis, & negotiorum feſſus grauitate recreatur. Illæ denique in ripa Tagi exponunt, quæ detulerūt caduca omnia, & ni longo interuallo peritura: quippe quæ mercatoribus diſtribuuntur in Angliam, Galliam, Germaniam, & reliquam Europam deferenda, diſtrahenda, conſumenda, ſic vt pau cis poſt annis earum mercium reliquiæ nullæ ſuperſint. A hæc in Phantaſiæ littore primum, deinde vt me iam dixiſ ſe memini, in arculis memoriæ loco perexiguis, capacitate maximis exhibet ſuas opes: vnde poſtea vel in ſchola, vel in concione, vel in familiari collocutione viri ſapientis Men eodem orationis nauigiolo tranſuehit ad aliorum aures, & inde per illos diſtribuit in vniuerſum orbem; ita tamen v nihil de theſauris eius minuatur. Etenim opes Memoriȩ c ditæ (mirum dictu) cum diſtribuuntur remanent; cum feruntur includuntur; cum enunciantur, inhæreſcūt. Q ſi de nauicula, vt ſæpe fit, vt ad poſteros tranſmittant ... monumenta litterarum referuntur, vel marmore inciſȩ, ve ære inſculptæ, vel ſcriptæ chartis, quæ vetuſtate confect. aut deſcribuntur, aut iterum imprimuntur, videntur no memoriæ hominum mortalium, ſed immortalium ætern tati quodam modo commendatæ, in omnem poſteritate propagari, atque in tempus perpetuari ſempiternum. N que vero hoc loco prætereunda eſt conſideratio portus ... lius, in quem admirabilis hæc nauicula noſtra peruehitur; vbi tot diuitias, deliciaſque deponit: cuius nauiculæ gratia ne faciat in portu (quod nauigantibus, & nauibus miſerrimum eſt) vel naufragium, vel iacturam, exquiſita Naturæ arte tutiſsimus eſt, munitiſsimuſque ex omni parte fabricatus. Primum enim voluit Architectus ſolertiſsimus, portus eſſe geminos in ædificatione propemodum, aſpectuq. Arcis incluſos; vt propius abeſſent à Regia Mentis, & à cella Memoriæ, quæ ad imam aurem ædificata eſt, qui cum diuerſos

Cic l. 2 de Nat. Deorum
Gal l. 11. de vſu part. c. 12.
Lact. l. de Opif. Hom c. 8.

uerſos inter ſe habeant aditus, in capite admirabiliter coniũguntur, & confluunt in vnum interiorem ſinum auditus; ita vt non diuerſa, ſed eadem planè per vtrumque oſtium inferantur. Quæ extra eminent, non pendentes, vt in quibuſdam animalibus, cum deformitate flaceſcunt, ſed erectæ ſiue alæ, ſiue vt accommodatius loquar ad rem noſtram, promõtoria, aut propugnacula, non modo aurium portum ab æſtus iniurijs, ab aſperitate frigoris, à ventorum furore tuentur, ſed etiam veluti geminæ illuminatæ turres nauigantibus indices tutæ ſtationis, monent ne vox aberret ab oſtio, neue imprudenter portum prætervehatur oratio. Deinde patentem, & apertum aditum eſſe perpetuo iuſsit, vt etiam animo quieſcente, cuſtodibusque ſomno ſopitis, nõ foribus, non catena, nõ repagulis vllis vox excluſa retardaretur ab ingreſſu. Tum introitum non amplum fecit, non ſimplicem, non directum, ſed flexuoſum, tortuoſum, anguſtum iuſtiſſimis de cauſsis. Primum quidem ne pergrandes piraticæ hoſtileſque naues, quæ infeſtum habent aetem interdum, quales ſunt tonitrua, ſtrepitus ingentes, clamores immanes, aſperrimæque vociferationes, in auditum facile irrumperent, ac tympanum læderent; ſed potius ſi ex alto ſeſe contractiore illo itinere inſinuarent, ad tortuoſas anguſtias, & flexuoſos anfractus tamquam ad ſcopulos illiſæ frangerentur. Deinde vero conſultum eſt orationi per eaſdem flexiones, quæ portum ingrediens quaſi per amœni Mæandri cuiuſdam alueum ſpatiata reficitur, & ad latera, flexionum aſperitate omni, ſi quam habet, depoſita atque abraſa mollitur, dulceſcit, & veluti ſonus quidam numeroſus efficitur. Quid quod voces è tortuoſis locis referuntur ampliores? propterea ſi tenuis appellitur ad aures ſermo loquentis, in ipſis flexionibus non nihil augeſcit. Quin etiam fit inde, ne ſemel ingreſſa portum, retro feratur ac renauiget; ſed dimittere, & complicare velum, anchoraſque iacere cogatur, difficiliorem inuentura viam Labyrinthi ſimilem ad recedendum, quàm repererat ad veniendum. Et denique neſcio quod viſcus, quo fœdari aures, inquinari portum interio-

S Ambr l 6 in Hexam c 9.
Plin l. 11 c 45.

Ar. l. 2 de Ani. t. 75.
Cic l. 2 de Nat. Deor
S Baſil Hom. in Attende tibi.

rem putares, pro vinculis, funibus atque anchoris huius noſtri nauigioli datum à Natura putat vir ſanctiſſimus Ambroſius, quo vocem ligari exiſtimat, *vt tenacior eius in nobis memoria ſit & gratia.* Pro Deus immortalis non aliqua vos capiet admiratio è tanta orationis humanæ præſtantia? De qua non plura dicam, ne veſtræ benignitatis aures, quæ longius quàm ſtatueram prouexit orationem meam, diutius obtundam ingratus. Quæ dicenda ſuperſunt ex promiſsis, auditoribus meis intra domeſticos parietes explicabo. Vos hic, Parmenſes, duo monendos duxi, quando præſtantiam orationis animo concepiſtis admirandam. Primum vt interdum ipſi vobiſcum tacitis cogitationibus recolentes ac recognoſcentes tam ſingulare beneficium, gratias ingentes Auctori tanti muneris agatis, ne vel ſtupidi atque amentes non agnouiſſe doni magnitudinem, vel inofficioſi atque ingrati non eidem acceptum retuliſſe videamini. Præſertim cum huius, & ceterorum beneficiorum ſit diſsimillima ratio. Nam pro ceteris, quia muta ſunt, ij gratias agere ſolent, ac debent, in quos collata fuerint: at oratio eiuſmodi eſt, vt ipſa perſeſe gratias agere poſsit, quia vis ea eſt, cuius opera, qui beneficia acceperũt, agunt ijs gratias, qui dederunt: propterea id præſtare debet ita, vt ſi hoc grati animi officium prætermittat, ingratiſsima cenſeatur. An vero ignoratis, qnod à viris doctiſsimis ac ſanctiſsimis obſeruatum eſt, linguam potiſsimum nobis eſſe datam, vt Deum laudaremus? poſtremo loco procreatum hominem loquentem, vt pro mutis quoque rebus gratum animũ per gratiarum actionem, beneficiorumque commemorationem oſtenderet? fabulis ipſis proditum, ſciſcitanti Deo ſub finem Mundi fabricæ, numquid deeſſe videretur, fuiſſe reſponſum, Laudatorem ſermonem, qui vel minima quæque ipſius opera percenſendo ſaltem commendaret? Tuam igitur Deus Opt. Maxime benignitatem agnoſco, qui de nobis mortalibus non tam bene, atque optime, quàm immortaliter, ac diuinitus meritus es, cum Generi humano vim loquendi tribuiſti, cuius beneficio tanta cum vtilitate, ac voluptate viuimus.

S. Ambr. l. 6. in Hexam. c. 9.

Arrian. l. 2 de doctr. Epiſt. c. 23

Theodor. ſerm. 3. de Prouid.

Philo l. de Plãt. Noe.

37

38

Digitized by Google

uimus. Fateor hoc tuum promeritum in paucis, atque in primis eſſe ponendum. Intelligo oportere, vt lingua uox, & oratio ab animo memori excitata, gratijs agendis numquam de tuis laudibus conticeſcat. Nunc accipe debiti confeſsionem noſtrum omnium: quorum nomine, quia non tantum queo perſoluere gratiarum, quantum debeo, ſaltem ago tibi gratias quam maximas poſſum, debendo magis, quàm loquē-
39 do. Alterum, quod uos ueſtrosque liberos noſſe cupio, Parmenſes, eſt Hanc loquendi facultatem dari quidem à Deo promiſcue mortalibus omnibus (niſi impedimentum aliquod intercurrat, quod mutū quempiam efficiat) Chriſtianis, & barbaris; ruſticis & urbanis; ſapientibus, & amentibus: infimis, medijs, ſummis: non tamen vſum æque perfectum tribui communiter omnibus, ſed ita ut alius alio nationis ſuæ linguæ melius loquatur, quod equidem interpretor, clarius, elegantius, atque copioſius; animique ſenſa, notionesque in oratione cum lepore, ornatu, ac ui maiore ſcriptas, expreſſasque pronunciet. Magna quidem ex parte id prouenit à bonitate Naturæ, quæ ſecum affert uber ingenium, uocem magnam & canoram, perſpicuitatem ordinis, verborum copiā, facilitatem explanandi, felicitatemque dicendi, ſi nactus eam fueris Matrem benignam, non Nouercam. Nec deſunt, qui pæne pares hiſce muneribus procreentur: uideas quoq; alios aliis requapiam ſuperiores, qui uicisſim aliunde uincuntur. Hic affluit copia, ualet ille uocis magnitudine, floret alius elegantia; non nemo celeritate loquendi uincit omnes. Sæpe item fit, ut qui natura deſtituebatur, aſſequatur diligentia ſua, ut naturaliter bene loquentes aliquando tandem exæquet; & par parem ſuperet; æqualis ab æquali uincatur induſtria. Vnde hoc Auditores? Quanam id ratione conſequuntur? Num hæc perfectio pendet ab educatione puerili? Non equidem negauerim magnum in educatione ad bene loquēdum poſitum eſſe momentum: fateor eam multum ad hanc præſtantiam adiumenti conferre. Cur enim Quinctilianus, ac B. Hieronymus optant, & ſuadent, vt infantes pueri nutri-

Digitized by Google

cibus bene loquentibus educandi concredantur? Cur vrbani
Quinct. l. 1 c. 1. ruſticis; nobiles ciues, opificibus ſordidorum artificiorum;
S Hier. ep 7 ad Latam. qui verſantur in aulis Principum ab ineunte pueritia, viuen-
tibus in priuatis parentum domibus laude bene loquendi
longè antecellunt? Cur denique in aliquibus ciuitatibus, ve-
lut Athenis in Græcia quondam,& in Italia Romæ,tum in ali
Cic. l 3. de orat. l. de clar orator. Quinct. l. 1. c. 1. qua domo, familiauè, vt in Gente Lælia, Mucia atque Cor-
nelia,bene loquendi conſuetudinem viguiſſe, ac floruiſſe vi-
dimus,aut accepimus? id educationi referri oportet acceptũ.
Verum non ſat eſt educatio domeſtica, vrbanaque conſue-
tudo. Quoties enim germani fratres, ingenio ceteriſque re-
bus ſimillimi nutricibus iiſdem,atque educatoribus vſi, tan-
ta inter ſe diſtare loquendi facultate viſi ſunt, vt alter infans
atque elinguis: alter diſertus & eloquens cenſeretur? Aliæ
cauſſæ requirendæ ſunt huius præſtantiæ; quas ipſa educatio
demonſtrat. Quid eſt bona educatio in loquendo, niſi ad be-
ne loquentium imitationem, præceptis nutricum, parentum,
& domeſticorum educatorum exercitatio loquendi directa?
Tria videtis vno educationis verbo contineri; Artem, Exer-
citationem,& Imitationem. De ſingulis non eſt,neque tem- 41
pus neque animus dicendi. Peruellem, Adoleſcentes,vt vnã
Artis limam hodierna die, me hortatore, vobis eſſe linguæ
poliendæ neceſſariam perſuaderetis: mea voce permoti mul-
to,quàm antea diligentius ad orationis abſolutionem eadem
vteremini. An vero vos, qui tam generoſis parentibus,auis,
maioribus veteribus illis Romanis fortiſſimis viris prognati
eſtis: vos qui magno animo eſtis imbuti, quod abſens ex alio-
rum accepi ſermone,ac laudatione; præſens ex oculis, fron-
te,totoque vultu,bonæ indolis indicibus,ipſe conieci: vos tam
cupidi laudis atque honoris in ceteris rebus, vnam hanc di-
Lucr l. 5. cendi perfectionem,laudem,gloriamque negligetis? Infantes
pueri Naturæ impulſu formare voces in verba, & loqui co-
nantur: quod ſi non poſſunt fari lingua, nutibus ac digitis ani-
mi notiones expromunt: ſi non expreſſis vocibus,neque inte-
gris; id voculis, vt poſſunt, fractis dimidiatiſque balbutiunt:

vos

vos adoleſcentes iam enucleate ac plane loquentes, non in id toto pectore, conſilio, Rationeque imperantibus, incumbetis, vt non loquamini modo, quod communiter datur omnibus, ſed, quod eſt tributum paucis, eloquamini? Vos qui loquendi facultate potiſſimum anteſtatis animantibus, vt me dixiſſe principio meminiſtis: quo vos diſcrimine Natura diſtinxit à feris, non eodem vobis glorioſum duce *Pl. l. 11 c. 51.* *Quinct. l. 2 c. 16*
42 tis æqualibus quoque veſtris anteire? Neque verò mihi *Cic. l. 1. de Ora.*
tamquam murum opponatis illam excuſationem: Non eſſe vobis Latinam eloquentiam, neceſſariam, non Græcam: proinde noſtri Gymnaſii diſciplinam, vbi eas linguas profitemur, non eſſe magnopere vobis expetendam. Nam primum minime vos contemnere decet eas linguas, quas mortales omnes recte ſentientes de rebus humanis à multis ſæculis admirantur; quæ putantur eſſe firmamenta Chriſtianæ Religionis, & ornamenta: per quas tamquam per alueos defluunt ad nos è fontibus ingenioſiſſimorum, doctiſſimorumque virorum ſapientiæ riuuli, atque omnium flumina doctrinarum. Deinde vos latuit adhuc iiſdem Rhetoricæ præceptionibus Demoſthenem Græcorum oratorum, & Ciceronem Latinorum Principem eruditum? eandem Artem dicendi linguis omnibus, nationibus, ac gentibus Hiſpanis, Germanis, Italis eſſe communem, eo vſque vt in vernacula Parmenſi lingua, quam cum nutricis lacte ſuxiſtis, Ariſtotelis, Theophraſti, Ciceronis, Cornificij, Quinctiliani, Hermogenis, Aquilæ, ceterorumque Rhetorum
3 præceptis euadere poſſitis eloquentes? At Naturæ vim obijciet alius, & eloquentiam naturalem ſibi ſatis eſſe iactabit. Nolite vos oro atque obteſtor per veſtram ingenuitatem: nolite ad Naturæ bonitatem perfugere, vt artem repudietis: nolite in eloquentia naturali ſpem omnem bene loquendi collocare. Non ea ſatis eſt, mihi credite, non eſt ſatis. Ponite in duobus æquale prorſus ingenium, parē verborum copiam, ſimilem dicendi facultatem naturalē: fingite quod ſæpenumero euenit, alterum altero melius

loqui,

loqui,cultius,elegantius,ornatius. Quid hic beneloquentem,ab vtcumque loquente diſtinguit? Quid inculto atq; ineleganti præponit eloquentem? Artis præceptio, Parmenſes,Ars Magiſtra. Quid vitia cognoſcit,demonſtrat, ac tollit quæ inter loquendum etiam in bonam naturam irrepunt, vt in fertili agro minime culto,ſpinæ,vepres,herbæque noxiæ ſua ſponte naſcuntur? Ars Magiſtra. Quid virtutes eas,quibus orationem humanam illuminari, pingi, florere paullo ante dicebam atque audientibus admirabilem fieri,loquenti ſubminiſtrat? Ars Magiſtra. Cuius denique ope conſequitur, tum qui locuturus eſt inter familiares, amicos, ciues priuato ſermone;tum qui de loco ſuperiore oratione continuata verba facturus eſt,in frequētiſſima concione,ut non tam quid dicat, quam quomodo dicat,quod eſt in dicendo potiſſimum, attendat, niſi Artis eiuſdem magiſterio? Memorabilis eſt Philoſophorum, ac Rhetorum omnium tamquam à publico ſapientum conſilio profecta ſententia; veriſſimaque in omnibus facultatibus, Ars perficit Naturam. Memoria item ſæpe repetenda eſt illa vox Ciceronis eloquentiſſimi oratoris, & Rhetorum facile Principis, quaſi oraculi cuiuſdam effatum: *Et ſi magnis ingenijs præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequuntur, Ars tamen eſt dux certior quam Natura.* Cui par eſt, & aliud eius adiungere dictum æque verum ac uulgatum: *Et ſi ſæpius ad laudem atque virtutem Naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam, tamen tum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarū ac ſingulare exiſtere ſolere.* Quid qui proxime ſequitur in præcipiendo Quinctilianus? Hic concedit quidem Naturam ſine doctrina valere multum, nihil ſine Natura doctrinam: ſed ſi doctrina atque natura æqualiter ad quempiam perficiendum coniungantur,exiſtimat eum, qui perfectus fuerit plus debere doctrinæ,quam Naturæ; quod inſtar materiæ ſit Natura, quæ fingitur, Ars vero tamquam

Ar. l. 2. de An. t. 79. l. 7 polit. c. 17.

Cic. l. 4. de fin.

Idem Orat pro Arch. Poeta.

Quinct. l. 2. c. 19

Artifex,

Artifex, qui Naturā format, ac fingit. Quis ergo neget, his
44 auditis, & citius, & melius eloquentiam Arte, quam Natura tantum comparari? Nonne videtis, tametſi Natura ſanitatis effectrix, Medicusque tantum modo miniſter cenſeatur à ueteribus principibus medicorum, tamen prudenter à medicis præſcribi, atque adhiberi medicamenta, quibus adiuta, & corroborata Natura vehementius, efficiat vt corpora citius meliuſque curentur? Sic vos ſi naturæ doctrinā adiungetis, eamque polietis arte, næ breui tempore mirabilem quandam eloquentiam, & ab omni poſteritate celebrandam efficietis. Quid Aegyptij ſapientiſſimi illi, qui nō ſcriptis uocibus, ſed pictis rebus res ipſas ſignificabant, indicare uoluerunt, cum linguam in manu pingebant, niſi dicendi vim, & orationem artis manu, hoc eſt Rhetoricæ præceptione perpoliendam eſſe atque ornandam? Quid ſenſerunt magni illi viri Plato, & Ariſtoteles, magni, inquam, ingenio, magni ſapientiæ laude uſque eo, ut alter diuinus, alter dæmonios, quaſi ſemideus appellaretur, qui in tanta gloriæ Philoſophiæ tradendæ, præcepta quoque dicendi ſuis auditoribus, non curſim, ſed ſenſim; non aliud agentes, ſed in eo toti quaſi nihil agerent prærerea, tradiderunt, & ſcripta poſteris quoque reliquerunt? Quid denique de artis dicendi neceſſitate cenſuit, & Veſpaſianus in gubernatione prudentiſsimus, & Reip. amantiſsimus Imperator, qui primus è Fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit; & Alexander Seuerus doctrinarum omnium, & eloquentiæ Tullianæ ſtudioſiſsimus, qui ſalatium eiſdem reſtituit, & diſcipulos ingenuos pauperum liberos attribuit? Quænam alia facultas humani corporis ſiue totius, ſiue partis alicuius ſine arte perficitur? Quæ facilitas ſiue agendæ, ſiue faciendæ cuiuſcumque rei, tum in manibus, tum in pedibus, tum in toto corpore ſine præceptionibus comparatur? An vero manus, brachia, totum corpus, dimicandi, iaculandi, equitandi, natandi artibus ad laudem militarem, bellicamque gloriam erudietis, linguam ſolam,

Gal. in Thraſyb. c. 26.

Pier. l. 33. Hieroglyph.

Suet. in Veſpaſ. c. 18.
Lamprid. in Alex. Seuero.

quæ

quæ ſæpe ſua ui atque eloquentia retudit hoſtium tela,mu
croneſque repreſsit, inertem atque ineruditam eſſe patie-
mini? Pluris digitos,quos arte ſcribendi,pingendi, fingen-
di, pulſandi fidibus;pluris pedes, & crura, quæ numeroſo
ſaltandi præceptis inſtituitis, quàm linguam præſtantiſsi-
mam omnium membrorum facietis? Quid de voce dicam 45
Adoleſcentes? Miris eam modulis,ſonis,flexionibusq; fin-
gitis arte canendi,quibus canoras auiculas cantu, uel imi-
tamini,uel ſuperatis; eandem ut hominibus alijs loquenti-
bus antecellatis benedicendo,non artificio Rhetoricæ po-
lletis? Nolite committere,Parmenſes,ut Caſsij, Macrobii,
& aliorum ueterum eloquentium uirorum ciuium ueſtro-
rum, quibus hæc Ciuitas ſemper abundauit obliti, pars ea
corporis humani,ea uis,ea facultas, quæ quia principatum
obtinet, & uos diſtinxit à belluis, & maximè omnium in
uita neceſſaria eſt,plus artis,atque expolitionis ad ſui ſplen
dorem,& ornamentum, quàm aliæ, flagitat; per uos,atque
adeo ueſtra culpa,ſine ullis præceptis iners, horrida atque
inculta relinquatur, Nolite pati, ut humana oratio,quam
audiſtis eſſe interpretem, Nunciam,& Imaginem Mentis,
ab eius nobilitate degeneret:contendite honorario certa-
mine cum ipſa Natura;ut quantum illa contulit artificium
ad orationem fabricandam Menti præſtantiæ reſponden-
tem;notionibus exprimendis accommodatam; & auribus
auditorum ſeruientem;tantam uos item artem adhibeatis,
ut quæ Natura manca fecit, mutila, & imperfecta, uel in
uoce,uel in pronunciatione, uel in copia,per ueſtram dili-
gentiam redintegrata perfecta, & emendata ſuppleantur.
Tuque Ranuti nobiliſsime Puer, flos Italicæ iuuentutis, 46
farneſianæ arboris ex inſitione Regij ſurculi fructus opta-
tiſsime, qui tam præclara iam edis eximiæ ſigna Probita-
tis,& Ingenii,mirificam indolem, & ſpem egregiam cum
uirtutum ceterarum, tum uero Eloquentiæ, quam in iſta
ætatula præfers; educa ſalubertimis hiſce, quæ modo
commemoraui, nutrimentis. Ad exemplar domeſticum

Aui

Aui tui, Rhetoricæ Artis lima, & exercitationis tritu de pe**ctore,** ore, Naturæq. tuæ bonitate, latentes tamquam è ſi**lice** ſcintillas laudis, & flammas elice gloriæ: tum quaſi ex **abdito** fonte lacteum educ pariter flumen orationis, vber**tatemq.** dicendi melle dulciorem. Memento deberi tibi **vt** heredi maiorum tuorum non modo nobilitatem, opes, **ciuitates**, ſed etiam patrimonium eloquentiæ. Propria **Farneſiorum** Gentilitatis ea eſt. Lilia illa ſiue cærulea, ſiue
47 purpurea, quibus inauratus clypeus gẽtilitius tot ictibus cõtuſus, toties mucronibus, & ferreis globis tranſuerberatus in prœlijs, floret, admonent te, Princeps ingenioſiſſime; quantum maiores tui potuerint in dicendo; quàm eloquentiæ laude floruerint: quid te iam nunc præſtare oporteat, vt ne tantulum, vel à nobiliſſima ſtirpe, vel ab illorum conteſtata virtute degeneraſſe videare. Suauem, iucundam, *Heſychius.*
amabilem loquendi copiam illa ſignificant; vt ex Homero ante cognoſti: cui veteres Corinthios adde, qui Lilium *Cant. 5.*
ἀμβρόσιαν appellabant, qua voce paſſim apud ſcriptores bonos orationis ſuauitas ſignificatur: adde Salomonem, qui in Canticis ſponſo illi cæleſti labra dat lilijs ſimilia, nõ cãdidis opinor, quia deformia labra, quæ pallent; ſed purpureis, quia decora quæ purpuraſcunt: cuius oratio fuit ſono dulciſſima, gratioſa mortalibus, verbis flexanima, rebus plane diuina. Quibus intelligis à maioribus tuis, qui militare ſcutum lilijs eloquentiam ſignificantibus aſperſerint, & eam apprime cultam, & cum armis fuiſſe ſociatam. Paullo poſt, ex optima educationis Principi congruentis ratione, tractabis gladios, haſtas, arma; plumbeas glandes inflammato puluere ferreis è fiſtulis extrudes in ſcopum: feroces equos curſu, ſaltu, gyro domabis, agitabisq; vel certe in generoſis equis inſidens ex arte iactabis tere ad numerũ, atq. animos induſtriamque oſtentans cõcurſus ad te ſpectandũ facies in campo. Iaculo præterea, curſu, natatione, verſatu tenera membra, neruos, vires corroborabis, & pectus animumq. firmabis ad militiam. Deniq. vmbratili medica-

rioni pugnandi, fictiſq. ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ certaminibus, aſſueſcès domi; ut aliquando ex aula pergas in caſtra; ex vmbra in ſolem: è palæſtra in aciem; atq. è ludicris pugnis in vera prœlia deſcendas: & luſorijs ornamentis in arma decretoria commutatis, vel imiteris auum Octauiũ, qui copias Italicas ducens ſub Carolo V. Imperatore ſocero in perduelles Lutheranos eximia fortitudine furorem eorum impetumq. repreſſit: vel ſequare patrem Alexandrum imitatione, & corpore ipſo; qui cum primæ rudimenta militiæ auunculo Ioanni Auſtriaco inuictiſſimo Præfecto claſſis Chriſtianorum approbauit, tam inſignia dedit argumenta fortitudinis; tam ſolida iecit fundamenta felicitatis, quàm omnes norunt; tum priore illo anno propter inſignem victoriam de communibus hoſtibus ad Echinadas nauali prœlio partam, Chriſtianis omnibus ad commemorationem, memoriamq. iucundiſſimo, vbi noſtri Barbaros, Scythas, Turcas à ſe uinci poſſe didicerunt; tum poſteriore, cum multis peditum millibus, non tam in experimentum, quàm è prioris anni proſpero euentu præfectus, deſcenſione facta in Peloponneſum oſtẽdit, & hoſtibus, & ſuis quantam in pectore ferret animi magnitudinem. Facies hæc omnia, Ranuti, quæ auguror; & efficies plura, quã ego prædico, perficiesq. optime quæcumq; moliere. Principum hæ ſunt exercitationes: Ducibus aliquando futuris digniſſimæ proluſiones: conuenientes tibi, tuique ſimilibus palæſtræ. Verum nequaquam fas eſt tibi negligere ſtudium eloquentię, quod maiores tui minime contemnendũ eſſe putauerunt. Iis artibus à pueritia perpolitus, ijs præceptionibus imbutus ad labores militares; ad bellicum puluerem, periculumq. prœliorũm, quæ ſane maiora ſunt decora, & glorioſiora laudibus vrbanis, paratior venies, & inſtructior. Non negabunt educatores, ac Magiſtri tui, viris Principibus, exercitusq. Ductoribus eloquentiam vtilem eſſe, propemodumq. neceſſariam, quam Alexandri, Pyrrhi, Scipiones, Cæſares, & præſtantiſſimi Duces horum

Auctor Rhet. ad Alex in proœm

pares

pares non minus ad victoriam ſibi aliquando profuiſſe, quã **machinas,** & arma fatebantur. Etenim, vt tui Præceptores opportuno tempore copioſius, quàm hic ego præſtare poſſim, te docebunt: Philippus Rex Macedonum Alexandri Magni pater, æque militaribus ſtudijs, atq. oratoriis valuit. Themiſtoclem bellica laude clariſsimum Athenienſium Ducem; qui Xerſis mille nauium claſſem Græciam petentis, nauali prœlio deuicit, conſtat tum conſilio, tum eloquentia præſtitiſſe. Scipio Carthaginis euerſor expugnatorq. Numantiæ, bellicam gloriam, vt Cicero teſtatur, eloquentiæ laude cumulauit. Cn. Pompeii, cuius tres triumphi teſtes fuerunt totum terrarum orbem imperio teneri Romanorum, oratio, quàm omnibus ornamentis abũdaret & copia, ſæpenumero non auditorum opinione tacita, ſed perſpicua admiratione multitudinis declarabatur. Quid rerum Domini? Cæſar Dictator, qui tot domuit gentes, Remq. publicam Romanorum ad vnius ſui nutum arbitriumq. redegit, ſummis oratoribus æmulus fuit: neq. Auguſto qui duodecim natus annos auiam pro roſtris laudauit, & Cæſari proxime ſucceſsit, prompta defuit, ac profluens, quæ deceret Orbis Principem, atq. Arbitrum Eloquentia. Tiberius quoq. callebat artem qua verba expẽderet, tum validus ſenſibus, aut conſulto ambiguus: etiam C. Cæſaris Caligulæ turbata mens, vim dicendi non corrupit: nec in Claudio quoties meditata diſſereret, elegantiã requireres. In Nerone contra, qui Senecæ Magiſtri vtebatur opera cum publice verba facturus erat, à Iulia gente cũ Imperio defecit eloquentia. Quæ cum tecum cogitabis attente, non ſpernes, credo, quod tot tantiq. viri Principes adamarunt: animum tuum horum exemplis incenſum, honeſtiſsima æmulatione ſimillimæ laudis, & decoris titillari perſenties. Et quo maiore cupiditate bellicæ gloriæ tenebere cum adoleueris, eo magis tibi ſum auctor, ſuaſor, impulſor, vt eloquentiæ tela atq. ornamenta iã nunc tibi parans, linguæ cultum, artem, exercitationemq. dicendi, pectore toto, mentis ardore, & digna genere tuo diligentia complectaris.

Aelian. l. 4 var. Hiſt. c. 19.
Plut. in Themiſt.
Cic. l. de cl. orat.
Idem. l. 1. off.
Id orat pro Cor. Balbo.
Plut. in Caſare
Quinct. l. 10. c. 1.
Corn. Tac l. 13 Annal.
Quinct. l. 12 c. 6

DE MIRABILI
ORATIONIS HVMANAE
PRAESTANTIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Oratio Poſterior. Or. II.

Plut. in Themiſtocle.
Cic. l. decl. Orat.

QVOD ille Themiſtocles Dux Athenienſium rebus geſtis, & memoriæ felicitate clariſſimus, cum impetu ciuium inuidorũ patria pulſus in Perſarum Regnum exſul profugiſſet, in ſecundo congreſſu, de admirabili vi ſermonis humani, Regi dixiſſe fertur; idem ego Parmam tamquam in amãtiſſimam patriam accerſitus eorum imperio quibus pareo nõ inuitus, in hac ſecunda oratione, re ipſa plane mihi poſſe præſtare videor, Auditores. Nam cum ille per interpretem cum Rege loqui coactus ob linguæ Perſicæ ignorationem, non ea poſſet clam ceteris omnibus ad eum efferre, quæ pectore atq. animo arcana recondebat; tempus, & veniam ab Rege petiit, atq. impetrauit, nationis eius linguam addiſcẽdi, quo liberius, ac tutius remotis arbitris effari poſſet, quæ mente concepiſſet: ſubdens pro ratione memorabile dictum illud à Rege maximè probatum, laudatum à prudentibus, ab hiſtoricis celebratum, Orationem humanam ſimilem eſſe ſtromatibus hoc eſt figuratis aulæis, quæ cum explicantur, flores, arbores, belluas, venationes, homines, pugnas, aliasque rerum figuras in illis arte mira contextas, atque intextas oſtendunt; cum autem complicantur, eadem illa omnia fugiunt, latent, abſconduntur. Equidem animo mecum ipſe commentans domi quaſi cõtexueram aulæum vberiore filo, in quo formam, ſpeciem, admirabilem perfectionem, virtutesque 1

Val. Max. l. 8. c. 7.

Digitized by Google

teſque fere omnes Orationis humanæ ſuis ipſius viſendis ornamentorum coloribus depinxeram; nec totum explicare licuit in proxima oratione publica; quam vnius horæ, pro rerum multitudine, breuitas; & aduerſus Principes veſtros reuerentia, quos detinere diutius tempeſtatis perfrigidæ nocturno tempore minime decebat, mediam propemodum interruperunt. En iterum hodierna die, quæſita diligenter, atque arrepta cupide occaſione, quæ vos frequentes in hanc dicendi palæſtram cum diſcipulis meis conuocauit; replico vobis inuolutum orationis meæ periſtroma; rurſus aperio; quæ paucis hiſce diebus interpoſitis latuerunt, vt quam præſtantiam humani ſermonis mente conceperam: nec totam atque integram in prima oratione demonſtrare potueram, eam in hac expoſitam, expreſſamque ex omni parte videatis. Neque enim fas erat, quæ me dicturum coram Principibus veſtris ſum pollicitus, nec per anguſtias temporis proferre licuit, prætermittere: in tāta veſtra præſertim audiendi cupiditate, quam interpretor ex concurſu, atque ex alacritate conijcio; ne vel arrogans tunc in promittendo fuiſſe; vel in promiſſis exſequendis poſtea fidem videar feſelliſſe. Nec vero, quæ dicenda ſuperſunt, vt vulgaria, communia, atque contrita eſſe relicta exiſtimetis: ſed vt electa, ſingularia, & noua in hunc diem reſeruata putatote. Lautiſſimæ illius cœnæ, non analecta, ſed apophoreta digna veſtris ingenijs, vel etiam ſecundas menſas varietate, copia, ſuauitate primis nequaquam inferiores, vobis ſtructor appono Parmenſes; & ob id conuenit vos tam appetentes, auidosque audiendi tamque præſentes animis nunc eſſe, quàm tum fuiſtis in me audiendo publice de Orationis eadem præſtantia diſputantem. Eius enim Natura peruestiganda, & explicanda eſt à me; ſpectanda vobis, & admiranda vis, quæ lingua, voce, totoque oris inſtructu continetur. Tam in artium magiſtra Natura, quam in artibus æmulis Naturæ, boni rerum æſtimatores compererunt illud opus exquiſitiore perfectum artificio, *Ariſt. l. de Mundo cap. 6.*

ma-

Digitized by Google

maioris item æſtimationis,ac pretij cenſeri, quod pluribus machinis,inſtrumentis,operis elaboratur ac perficitur. Ex naturalibus, quantam habet ex arte, deſcriptione, modo, quo fictus eſt, admirabilitatem fauus mellis; in quo conſtruendo tanta ſedulitate, tam multiplici ſuccorum lacrymarum, liquorum operoſo delectu collectorum apparatu,

Virgil.l.1.Aen. tos induſtriarum apum, non ſine regulis, norma, perpendiculis opificum examen tam diuturnus ac pertinax ſub ſole labor exercet? Inter arte facta,vaſorum cælatorum è cryſtallo gratia vincit iam pretia gemmarum:hæc ſunt munera Regum;hæc deliciæ. Sed quot rotis, tornis,ſcalpellis: quot mucronibus, malleolis, limis: quot venenatis aquis: quot metallorum ramentis; quàm multorum lapidum ſcobe cryſtallus ſecatur, expolitur, & in multiformia vaſa fingitur?Quanto denique tempore,labore,opera; & adamantis quoque puluere, figuræ mirabiles ad rerum effigiem in cryſtallo cælantur, & inſculpuntur?Quamobrem in humano corpore, in quo Natura tota eſt,eadem videtur eſſe ratio perfectionis, vt in illis ſenſibus, ac partibus, quæ plura ad ſui conſtructionem, ornatum, defenſionem requirunt, plus excellentiæ reſideat.Sed equidem neſcio an ad vllius ſenſus officium, atque vſum plures machinas comparauerit,& inſtrumenta mirabiliora ſit machinata, quàm ad vſũ Orationis,in quam vires omnes,ingenium, induſtriamque profudit. Galenus qui vel Princeps Medicorum,vel certe ſecundus exiſtimatur à Principe, tria neceſſario requirit

Gal l.de Vocal. inſtr.diſſect.c.2. ad vocem, Orationemque conformandam, vt in operibus ceteris, Artificem,Inſtrumenta, Materiam. De Artifice, 3 quæ facultas eſt animi voces formans, vocibusque ſignificationem tamquam vitam imprimens, nihil hoc loco dicam, quod oratione ſuperiore ſatis ea de re diſputatum meminiſtis. De Materia poſtea:nunc videtur de inſtrumẽtis differendum,quæ tam multa ſunt,tam varia, tam accurate elaborata,tam longe ducta, vt caput, cerebrum, pectus,totumque corpus Orationi ſeruire videatur: atque vt

eorum

eorum conſideratio clariſſima ingenia contemplando, manumque doctiſſimorum virorũ ſcribendo defatiget. Omitto dicere de ijs, quæ in pectore, atque è pectore famulantur Orationi: velut de pulmonibus, qui raritate quadam, & aſſimili ſpongijs mollitudine ad hauriendum ſpiritum aptiſſima, tum ſe contrahunt aſpirantes, tum ſe dilatant ſpiritu, vt frequenter ducatur aer, tum tamquam ferrariorum fabrum moderati folles, in ore formandæ voci ſpiritum tranſmittunt ad fauces. Taceo de aſpera arteria, quæ mirifica Naturæ induſtria prodiens à pulmonibus ad os vſque intimum pertinet: per quam veluti tubum ac fiſtulam ductus aer recurrit ad vocem. Mitto cerebrum, vnde tam multi nerui, linguæ verſandæ in omnem partem celeriter ad omnes ſonos, ac voces effingendas deducuntur: vnde neſcio quis humor eidem linguæ faucibusque loquendi continuato labore ſitientibus areſcentibusque guttatim quaſi potio ſtillans reſtinguendæ ſiti deriuatur. In ore conſiſto atque hæreo diutius, vbi tamquam in officina tanti operis, primaria, proxima, & maximè propria ſunt inſtrumenta collecta, lingua, palatum, dentes, guttur, fauces, buccæ, tonſillæ, labra, multaque alia, quorum nomina græca, non dum Latinorum vſu planè mollita facile mihi memoria patior excidiſſe. Quo in ore quanta Naturæ ſolertia! Primum hæc officina, vt Galenus loquitur, in capite locata eſt, hoc eſt in Arce, atque Regia totius corporis, vbi Regina Mens habitare ſede fixa, regnareque putatur, vt propius abeſſet ab ea cui deſeruit interpres ac nuncia, quæ in hac nobiliſſima officina fabricatur, Oratio. Qua itidem in Arce ſpeculatores rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, oculi vigilant atque obſeruant in ſpeculis: aures tamquam exploratores ſonorum omnium intentæ ſunt in excubiis: ceteri denique ſenſus Mentis eiuſdem adminiſtri, nuncii, ſatellites excubant in ſuis quique vigiliis atque cuſtodiis: qui cum Menti, renunciandis rebus extrinſecus perceptis ſeruiunt; Orationi quoque famulantur, quæ res collectas

Cic l. 2. de Nat. Deorum.

Lact. l. de opif. Hom. c. 11.

Gal. l. de Vocal. inſtr. diſſect. c. 2.

ſenſibus

ſenſibus in aliorum aures effundit. Præterea non oris interiores partes vel duriſſimas fecit, vel tenerrimas; quod vtrumque futurum fuiſſet ineptiſſimum ad orationis, & procreationem, & vſum: cum vox in duro corpore nimis aſpera reddatur; in tenero langueſcat, & moriatur. Non totum ſtruxit ex oſſe, quod frangitur; non totum è carne, quæ vulneratur: ſed medium quid adhibuit ad oris fabricam, inter carnem & oſſa: duritiem inter & mollitiem, (cartilaginem auctores Latini non mali vocant) vt Oratio facillime fingi formarique poſſet, & quamclariſſima, quamque maxima in auditorum quamplurimorum commodũ è faucibus loquentis erumperet. Deinde quanta dignitas oris? quanta ſpecies? quanta venuſtas? *Alijs animantibus*, ſcripſit non ignobilis auctor è ſchola Platonis, *ad explendam victus neceſsitatem, inferendaſque ventri copias os comparatum eſt; ſed hominis promptuarium potius rectæ Rationis, & ſuauiſſimæ datum eſt; vt quæ prudentia corde conceperit, ea ſenſa promat Oratio. Hoc eſt animi veſtibulum, Orationis ianua, & cogitationum comitium; pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fecunda. Feris, & pecudibus os humile, & deorſum ad pedes deiectum, veſtigio, & pabulo proximum; numquam ferme niſi mortuis, aut ad morſum exaſperatus conſpicitur; hominis vero nihil prius tacentis, nihil ſæpius loquentis contemplere.* Nec minus eleganter Ambroſius vir Sanctiſſimus, & antiquæ latinitatis amantiſſimus deſcripſit os humanum, cum aliud nihil eſſe dixit, niſi ſermonis adytum, fontem diſputationis, aulam verborum, & promptuarium voluntatis. Quarum laudum illa meis oculis maxime ſplendet, qua fons dicitur: inferior nulli videlicet ex illis mirabilibus fontibus à magno Naturæ ſcriba Plinio notatis, qui modo dulcem, modo amaram aquã; modo frigidam, modo feruentem emittunt; quod accuſando, defendendo, laudando, vituperando; interrogando, reſpondendo; nunc partem hanc diſputationis, nunc illam contrariam alterna viciſſitudine tuendo mirificos illos fon-

Gal. l. cit. c. 6.

Plin. l. 11. c. 37.

Lact. l. de opif. Hom c 10.

Apul. l. 2 Dogm. Plat.

Idem Apol. 1.

S. Ambr. l. 6 in Hexam. c. 9.

N. l. 2. cap. 103.

5

tes referre videatur. Verum è tam multis inſtrumentis, quæ in hac locupletiſſima, inſtructiſſimaque officina ſeruātur, Linguam, quæ principatum obtinet, enucleandam perſecandam, aperiendam linguæ meæ cultro, quo clarius interior eius nobilitas appareat, mihi ſumo, eorum more qui animantium, hominumque corpora diuidunt articulatim, artuſque ſingulos minutatim ſecant, vt latens artificium Naturæ deprehendatur. Habet hæc alia, præter vſum loquendi, non contemnenda munera. Primum quidem cum ſit Guſtatus primaria ſedes, vel vt propriè loquar, prætoria ſella, Tribunalque iudiciale poculentorum, & eſculentorum; in ea reſidens Guſtus cum cognitione ſaporum omnium iudicium de iis exercet vt Iudex fertque ſententiam : adeo vt pro eius arbitratu, quibus veſcimur cibi, quibus depellimus ſitim potiones, ſi non illi placent, à ſtomacho atque ore protinus reſpuantur : nihilque plane in ſtomachum alimenti demittatur, quin illa conuiuii moderatrix & quaſi prægustator, ſuo conſenſerit præiudicio. Deinde cibum extenuatum, molitum, manſumque dentibus, agitatione, impulſu, motibuſque ſuis depellit, & tanquam edentis manus detrudit in ſtomachum. At eius præcipuum officium, nobiliſſimumque munus eſt, aeris in vocem, & vocis in orationem conformatio. Nam ea ſpiritum à pectore, pulmoneque per arteriam aſperam immoderate profuſum terminat, fingit, moderatur: ex eo vocem rudem primum diſcernit, quam deinde ſonis diſtinctis ac preſſis modulans in verba perfecta concinnat : & cum dat ſuos articulos, ac ſonos vocibus, tribuit nobis vt articulate loquamur : quod beneficiū Lucretius merito linguæ refert acceptum, cum inquit:

Ar. l. 3 An. c. 88. l. 2. de par. animal. cap. 16.
Cic l. 2. de Nat. Deorum.
Pl. l. 11. cap 37.
Gal l. 11. de vſu part. cap 10
Apul l. de dogm. Plat.
Lact. l. de opif. c. 10.
S. Ambr. l. 6. in Hex. cap. 9.

Mobilis articulat membrorum dædala lingua
Voces: — *Lucr. l. 4.*

Cuius rei gratia, vt intra buccas quaqua verſus, longe lateque ſurſum deorſumque moueri, flecti, circumferri poſſet hæc vocum, ſonorum, verborumque fictrix, adeo

tenera, lata, mobilis nobis ingenita eſt, vt teneritate, latitudine, ac mobilitate omnium pro corporis portione linguas ſuperet animantium. Non vno verbo præſtantiſſimum hoc munus explicare queo: tam multa de eius dignitate ac vi, mente concepi. Vix expreſſero nonnullum eius vſum, cum Obſtetricem Animi, Typum verborum, Memoriæ clauem, Plectrum Mentis, Manumque Rationis appellauero. Nemo Philoſophorum eſt, qui non fateatur humanam Mentem cognitionibus rerum quaſi ſe- 7
minibus per aurem potiſſimum ſuſceptis grauidatam, parere atque effundere orationem. In hoc honeſtiſſimo nobiliſsimoque partu ſingularia, & mirabilia ſunt omnia; Parmenſes: concipiens; modus concipiendi; fetus conceptus: tempus grauiditatis; pariendi ratio: partus ipſe; feliciſsima denique obſtetrix, atque adiutrix in pariendo. Fictis Poetarum veterum fabulis Minerua Sapientiæ Dea de cerebro, capiteque Iouis dicitur eſſe nata: cuius commenti non vna profertur cauſſa; Sunt qui fictum id exiſtiment, quod artium liberalium inuentio, quarum ipſa ferebatur inuentrix, non putaretur, ob inuentorum præſtantiam, ab humano ingenio proficiſci potuiſſe. Fabulam alij referebant, vt prodit Auguſtinus vir æque doctiſsimus, ac ſanctiſsimus, ad conſiliorum Prudentiam, quæ Rationis eſt propria, cui ſedem capitis etiam Plato dedit. Sed cur apud Iuuenalem

Natal.com. l. 4. Mytholog. c. 5. Claud. Min. in Embl. 1. Alciati

S. Aug. l. 20. contra Fauſtum c. 9.

Iuuen. Sat. 10.

Eloquium, & famam Demoſthenis, aut Ciceronis,

admirati pueri cupidiſsime ſibi petunt eloquentiam, & eam totis Quinquatribus peculiolæ largitione, votiſque continuatis à Minerua precantur? Nimirum, vt ego non longe abiens ab vtriſque interpretor, ſignificare priſci maluerunt ab hominum ingenio concipiente omnia, ſapiendi ac dicendi fonte, quod propter acumen inueniendi, vim iudicandi, copiam explicandi: tum propter immortalitatem, diuinamque imaginem quam præfert, Diuinitatis cuiuſdam particeps eſſe videtur, non minus eloquentiam, & Ora-

Orationem, quàm Prudentiam, & Sapientiam generari: neque hoc virtutum par in lucem edi poſſe niſi vocis, ſermonis, orationiſque partu ingenioſa mente concepto. Cuius concipiendi modum quis non admiretur? Per aures aerea ſemina Memoriæ, Mentique mandantur: voces eruditæ Magiſtrorum, imbutæ ſcientia, refertæ ſententijs, plenæ doctrinarum: in quibus ea vis ſeminum, ac procreãdi ingenita eſt, quam, efficaciorem tamen, in diuinis oraculis, ſuiſque verbis inſitam eſſe Generis humani Saluator aſſerebat, cum ea ſemina vocitabat. Quod Plinius parum credibiliter de Luſitanicarum equarum ad Tagum partu prodidit: eas fauonio flante concipere fetum è ſpiritu partumque gignere, vt ipſe loquitur, perniciſsimum: longe verius ſcripſiſſet, & facilius poſteris approbaſſet, de humana Mente; quæ gremio comprehendens per diſciplinam aereas voces, Zephyri melioris afflatu concipit, & efficit fetum; perfectumque edit ore partum, lingua iuuante, Sermonem tanta velocitate præditum, tantaque incitatum pernicitate, quantam par eſt eum habere cuius capiti geminas, totidemque pedibus alas Deus artifex addidiſſe videatur. Sed quinam, qualesue ſunt hi fetus qui ex aere concipiuntur à Mente? Græci Νοούμενα vocant, & Ἔννοιαι;
9 M. Tullius cogitata Mentis, ſenſa; notiones, & intelligentias. Scriptores argentei ſæculi, hoc eſt Cicerone poſteriores, quod animo concipiente, Mentiſque conceptu gignãtur, iure ac rite conceptus nominauerunt. Sed quid rerum ſunt? quidnam? corpore vacant, an ſub ſenſum cadũt? eadem Oratio quæ paritur, Auditores, ſpoliata ſono, nudata voce, materiæ huius denſæ concretione ſecreta, nulli ſubiecta ſenſui, tantum oculis obiecta Mentis fetus eſt. Animi: quæ deinde in pronunciationis partu, ſono, voce paulatim conueſtitur, dum naſcitur; verborum elegantium pigmentis depingitur, dum editur; gemmis, floribus, cincinnis figurarum, ſi ſit opus, exornatur, dum dicitur; qui tamen non oculis aſpiciuntur, ſed auribus, animoque ſentiuntur.

Matth. 13.

Virgil. l. 3 Geor. Plin. l. 4 c. 22. l. 8. ca. 42. & l. 16. c. 25.

Plut. l. 4 de Placit. cap. 19. Cic. in Topicis, & alibi Pl. l. 20. c. 22.

tiuntur. Nec ratione temporis eſt Orationis minus admiranda conceptio. Quæ pariunt animantes, ſuos ha- 10
Pl. l.7.cap.1. bent definitos, certosque dies, menſes, annos ferendi, augendique fœtus: ſua quoque magnitudo, ſuus numerus in quaque ſpecie definitus eſt adeo, vt non poſsint præſcriptam à Natura lineam tranſilire. Sed hic Orationis fetus creſcit in immenſum magnitudine, in infinitum numero, ſi prægnantis voluntas ferat; vſque eo vt in Elephantum diuturnitate temporis augeſcere poſsit oratio concepta, ſi eam aſsiduo ingenij calore foueris, ſi multo ſtudij nutrimento alueris; ſi diu intra mentis aluum abortione vitata, maturitate exſpectata continueris. An non elephantes ſunt Demoſthenis, ac Ciceronis Orationes illæ grandes, quæ quaternas aut ſenas horas in partu conſumpſerunt?

Plin. l.3. ep. 18. ad ſenerum. Elephantum quoque dixerim Plinii iunioris nobiliſsimum panegyricum Traiano Imperatori dictum, qui poſtea tribus diebus in amicorum conuentu vix potuit totus recitari. Dices ingentia hæc, & immania monſtra; non iuſtos ingeniorum partus. Falleris, erras, alucinaris. Quid M. Tullius optimus æſtimator eloquentiæ; Demoſthenis lau-
Plut. in Cicer. dator prudentiſsimus, imitatorque ſtudioſiſsimus, de illius orationibus exiſtimabat? Quam ceteris principem anteponebat? Teſte locupletiſsimo Plutarcho pulcherrimam eam eſſe, quæ lõgiſsima eſſet dictitare ſolebat. Idem quo-
Pl. l.1 ep.20. ad Tacitum. que iudicium de Tullianis Romæ ferebatur, vt Plinius minor nobiliſsimus orator ætatis ſuæ prodidit: optimam eam eſſe, quæ maxima. Quid quod ratio pariendi admiratio- 11
nem habet non vulgarem? Notiſsima res eſt apud omnes, quanta ſit in quacumque re concipienda voluptas, in geſtanda labor, in parienda dolor: at vero in orationis ſermonisque conceptu labor eſt, in grauiditate dolor, in partu voluptas. Cum paratur Oratio, quanta in inuentione rerum, ac ſententiarum dicendarum inquiſitio? Quàm accurata in diſponendis inuentis, & collocandis rebus cogitatio? Quàm uaria in ueſtiendis elocutione ſolicitudo? Quæ

ſane

ſanè commentatio multiplex ſine capitis defatigatione, totiuſque labore corporis eſſe non poteſt. Dolorem autem in fetu gerendo quiuis mediocriter in hac dicendi exercitatione uerſatus expertus eſt. Mens grauida parturit continenter: concupiſcit diem horamque partus aduentare feſtinanter; torquetur, angitur, cruciatur, ſi parere prohibetur. Facilius nonnulli candentem ore carbonem, quàm cogitatum continuerint. Dicerent muti, ſi loqui poſſent, quàm doleant, quod ſua cogitata parere non poſſunt: ex infantibus pueris facite quoque coniecturam de mutis, qui omnes quia lingua fari non poſſunt, manu, digitis, nutibuſque loquuntur. Hinc illa Poetæ veteris. *Ipſa videtur* Lucr. 5.

Protrahere ad geſtum pueros Infantia lingua

Cum facit vt diglto, quæ ſint præſentia monſtrent.

At in ſermonis pronunciatione, quæ partus editio ipſiſ-
2 ſima eſt, qui loquitur, multiplici, & maxima uoluptate circumfluit. Tum ea ſuauitate perfunditur, quæ quamlibet actionem Naturæ conuenientem comitatur ac perficit Artificis ſummi iuſſu, ne propter difficultates intercurrentes, aut laborem res inchoata deſeratur. Tum ea iucunditate conſpergitur, quæ deſiderium enunciandi cogitata, quod expleuimus dicendo conſectatur; cum omnis expletio deſiderij, cupiditaſque ſaturata iucũdiſsima ſentiatur. Quas ob cauſſas nos adeo congreſſus amicorum colloquio mutuo conciliatus; nos adeo conſuetudo, loquendi & audiendi uiciſsitudine condita delectat. Tum denique lætitia efſertur ea, quam in dicente generat atque excitat Auditorum in attentione declarata beneuolentia, in crebris aſſenſionibus approbatio; in plauſibus admiratio. Nobiliſsimus denique eſt ipſe partus in lucem editus propter immorta-
3 litatem quandam, quam, ſi ſit abſolutus, ac perfectus, ſuapte ſponte conſequitur. Caducos, mortales, & aliquando tandem perituros, ſuos pariunt fetus arbores omnes, atq; animantes: at Mens humana ſi non omnes, aliquot certe perfectiores edit, multos annos, & longa ſæcula duraturos.

Ar. lo. 1. Ethic. c. 4.

Ar. l. 10. Eth. c. 3

An

Digitized by Google

An vero Demoſthenis orationes ab eo dictæ, non ſunt perpetuitatem quandam adeptæ, quæ poſt annorum duo millia viuunt adhuc in chartis; multorum oculis atque ore cum admiratione voluantur, & viuent in hominum memoria ſempiterna? An non eandem immortalitatem conſecutæ ſunt Ciceronis orationes fere omnes, quæ poſt mille circiter ac ſeptingentos annos verſantur in oculis noſtris, incurrunt in aures, hærent in memoria, victuræ mea ſententia vſque dum vigebunt ingenia, loquentur homines, & Mundus ſtabit vniuerſus? At quò ſpectat tam copioſa, tamque longe repetita de mirabili partu ſermonis diſputatio? Nimirum vt intelligatis, Parmenſes, eius præſtantiam, quæ tanti partus eſt obſtetrix. Poetæ Lucinam, quam eandem Lunam, & Dianam eſſe dicebant, humanorum partuum adiutricem Deam ſtatuerunt: hanc aduocabant in pariendo Græcæ Romanæque feminæ ſine luce Chriſtianæ religionis parientes: illud inclamantes cũ gemitu, Lucina fer opem. Socrates apud Platonem libere atque ingenue fatetur ſe honeſtiſſimæ obſtetricis filium eſſe: neſcire ſe omnia: nihil auditores ſuos docere de ſuo: ſed exiſtimans noſtram ſcientiam eſſe recordationem, interrogando, ſciſcitando, dubitando, ſe partum ex eorum ingenijs prouocare, adiuuare, excipere parentis ſuæ obſtetricis in morem. Quid quod Iobus vir ſapientiſſimus diſſerens de fulminibus, fulguribus, aliisq; portentis igneis, quæ gignuntur in aere, draconeſque volantes appellantur à Philoſophis, quod in ſpeciem tortuoſarum ſerpentium coruſcent, atque vt loquitur Poeta non malus, obliqua via cadant, ait in earum rerum procreatione, eſſe diuinæ potentiæ manum obſtetricem? *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus*. Tres habetis obſtetrices: primam quæ re nihil eſt: ſecundam quæ aliquid: tertiam quæ omnia. Quænam igitur erit in hoc partu ſermonis obſtetrix adeo felix, quæ vincat nobilitate Dianam; æquet diligentia Socratem; æmuletur manus diuinæ potentiam?

4

Plato in Theæteto.
Cic. l. 2. de Nat. Deorum.
Plato in Theæteto.
Iob. 26.
Sen. in Thyeſt. act. 2.

Quæ ſemper adſit aduocata? quæ feliciter Philoſophicum ſermonem educat? quæ manum porrigat adiutricem fulguranti, tonanti, totamque concionem permiſcenti? Non erit quidem vox, (id pace Philonis dixerim) quod ea non eſt Artifex, ſed Materies; non inſtrumentum, ſed fundamentum; non adiutrix parientis, ſed pars fetus eloquentis. Quænam inquam erit tanto digna nomine, tam præſtantis muneris effectrix, Auditores? Dædala lingua. Quæ in ſecundo dignitatis gradu videbitur fortaſſe vobis illuſtrior. Zeno Philoſophus qui Stoicorum familiam, & inſtituit, & duxit, verba quibus humanus ſermo conficitur, ſimilia nummis eſſe dicebat: diſplicereque ſibi vehementer, quæ perpolita nimis, ſolidis vacua ſenſis, & inania ſententijs eſſent; ſimillima nomiſmatibus Alexandrinis, quæ propter magnitudinem, læuitatem, & integritatem ſigni pulcherrima ad aſpectum nihilo ceteris cudebantur meliora: probari ſibi contra nummos Atticos, aſperos illos quidem, nec æqualiter circumraſos, necnon impreſſam effigiem referentes diſtortam; Alexandrinis tamen, & pondere grauiores, & auri puriputi bonitate præſtantiores: proinde placere ſibi conſimilia nummis Atticis verba, quæ ſententiarum plena ſapientiſsimarum, rerumque vtilium pondere grauia, nullis extrinſecus ornamentorum pigmentis fucata ſignabantur. Præclara ſunt iſthæc dogmata Philoſophis aptiſſima Stoicis, qui non niſi rerum ſuccum & pondus amant; verborum ſchemata ſplendoremque contemnunt: nobis non item, qui nec doctrinarum ſcientiam reſpuimus: nec orationis elegantiam nitoremq; damnamus; ſed ornatu verborum, cultuque decoro ſapientiam onueſtimus; & ſplendida lectaque verba doctrina rerum mbuimus; vt nummi quos cudimus in officina noſtra dicendi, & auri bonitate, & iuſto pondere, & ſpecioſo charactere nullis aliis inferiores eſſe deprehendantur. Illud t nobis modo ſatis, à Zenone didiciſſe, verba genus quod am eſſe nummorum; quod nec latuit Quinctilianum, qui,

Philo. l. Quod deterius inſid. &c.

Diog. laer. l. 7. in Zen. citt.

Quinct. l. 1. c. 6.

qui, quia conſuetudo eſt certiſsima loquendi Magiſtra,
monet vtendum eſſe plane ſermone, vt nummo, cui pu-
Plut in Lycurgo. blica forma eſt. Nec fugit Plutarchum, qui Laconibus à
Lycurgo ferreum nummum pondere maximum, æſtima-
tione minimum præſcriptum tradit; contra verò num-
mum Orationis minimum verbis, & maximum ſententiis
fuiſſe præceptum. Nec præteriit Horatium, qui de nouan-
dis verbis agens licere putat,

Hor. in Poet. *Signatum præſente nota procudere nomen.*

At qua in officina ſignantur hæc verborum nomiſma- 16
ta? quo metallo? qua nota? quibus malleis? qua incude?
quo typo monetali? Domum Iſocratis nobiliſsimi Rheto-
ris, orationumque ſcriptoris elegantiſsimi vocauit offici-
Cic l. de Orat. nam eloquentiæ Cicero ipſe Magiſter proprie & emen-
date loquendi: non mihi liceat, eius exemplo artificioſum
os humanum, vocum, verborũ, quæ Zeno nummis æqua-
uit, nec non orationis officinam appellare? Hoc igitur
Natura quaſi nummariam inſtituit, atque inſtruxit offici-
nam: in qua malleos, incudem, typum, & omne neceſſa-
rium ad ſignandum inſtrumentum collocauit: in eadem,
quod eſt omnino ſingulare, venas, auri, argenti, æris ge-
nuit & propagauit: inde, quod eſt dictu, atque auditu mi-
rabilius, nomiſmata hæc aſſimulata verborum maiore va-
rietate prodeunt, quàm nummi ipſi veri è pecuniaria cu-
iuſpiam opulentiſsimi Regis officina. Signantur enim in
illa & adulterini, & boni: atque ij diuerſi materia, aurei, ar-
gentei, ænei; pondere impares drachmæ, didrachma, tetra
drachma: diſsimiles figura, ſcutati, cruciati, capitati: varij
denique magnitudine, æſtimatione, pretio. De noſtra vero
domeſtica nummaria officina, cum aperitur, ſignata pro-
funduntur nomiſmata verborum, quibus ordine collectis
in vnum, theſaurus conflatur orationis, notabili diſtincta
varietate: tranſlata, propria; natiua, peregrina; noua, priſca;
vſitata, obſoleta; grandia, parua, mediocria. Nitida præte-
rea, & ſordida; ſplendida & obſcura, culta & horrida; gra-
uia,

da,& leuia;aſpera & lenia; ſeria; iocoſa; ludicra. Quid plura? Quædam valde ſignificantia; quædam parum, aut nihil; optime ſignata,& perperam; bene ſonantia, & male; quæ referunt eumdem in cadendo ſonum, quæ diuerſum; quæ hic nihili fiunt, & alibi ſunt in pretio maximo; quæque contra pluris hic æſtimantur, quam alibi: quæ deniq; inam mentis imaginem, rectam, integramque oſtendūt; quæ mutilam, diſtortam, atque inſanam. Hora me deceret, Parmenſes, ſi cuncta verborum diſcrimina, ſi differentiam omnem tam multiformium variorumque verborum pergerem recenſere. Sed quo metallo cuditur hæc varietas? Irridebor fortaſſe, ſed tamen dicam. Aer eſt pro metallo, qui ſubminiſtratur à pectore. Qui character? quæ forma? Significatio: qua ſicut à feratum notibus, ita ter ſe quoque verba diſtinguuntur. Quæ incus? quid malleus? Palatum, totumque os interius ſolidis dentibus inſtructum. Qui denique typus ad incudem pulſu ſuo tam nitidam, tamque vtilem, iucundamque varietatem obſignat? Dædala lingua. Multo plura hæc præſtat, quam typus monetalis: præparat enim materiam, non modo ſignat eadem æris metallo nota ſua, verba faciat aurea, & argentea: & quo cudit ictu nummum, eodem illum in aliorum poteſtatem tradit. Planius loquor. Hæc lingua fictrix artificioſa verborum, ſpiritum è pulmone per arteriam, tamquam è vena metallum eductum, in particulas tribuit: hæc intimum os, ad dentes, & ad palatum præcipue vt ad incudem eas particulas allidit, tundit, cudit: hæc denique ſi monetalis typus ijſdem ſuam notam, ac ſignum, & quæ neceſſaria ſunt ad perfectum verbum imprimit, atque ſculpit, ſonum, ſignificationem, motum: plane vt per ſonum voces fiant, per ſignificationem humanæ, per motum ... teres; & per illa omnia, vno ictu, percuſſione, pulſuque magnitudinem accipiant, formam, pretium, atque ad aliorum aures ex officina eductæ perferantur. Scientiſſime Cæſar Auguſtus de P. Vinicio, quo nemo in cauſſis agendis M. Sen.l.2 controu.5. Quinct.l.6.c.4

H (quas

(quas ex tempore agebat) ea ætate præſentius habuit in-genium;cui quod longa cogitatio præſtitura erat, prima ntentio dabat, & tamquam adnumerabat, *Ingenium*,in-quit,*in numerato habet*. Quid hoc eſt, Parmenſes? Quid ſibi vult hoc ſcitum, niſi ingenium habet in ore; mentem in lingua;in oratione memoriam?Os officina eſt,vbi ſigna tur pecunia numeranda; lingua ſigillum; verba nummi; Oratio,theſaurus ipſe pecuniæ ſignatæ, ac ſumma nume-ratæ: in qua non Vinicius modo, ſed ingenioſiſſimus, ac promptiſſimus quiſque libentius habet ingenium ſcien-tiamque ſuam collocatam, quàm in nominibus commen-tariorum,librorum,aduerſariorū, quæ ſerius multo quàm cupimus, & quàm egemus debitum depoſitumque perſo-luunt. Non ne diſpicere incipitis,Parmenſes,linguæ no-bilitatem,vim, atque præſtantiam? Quid ſi clauem eam appellem? Audiſtis à doctoribus veſtris ſæpenumero pue-ri;legiſtis paſſim apud probatiſſimos auctores, atque in pri mis apud M. T. Ciceronem exemplar eloquentiæ: tum in vobis ipſis ſentitis animo, inſidere capite intimo, ad imas aures cellam neſcio quam anguſtiſſimam loco, capacitate latiſſimam,diſpoſitione plane mirificam, quam Memoriā appellare conſueuimus. In eam incredibili quodam arti-ficio Naturæ, diſtinctam ſedibus, diſtributam armarijs,di-uiſam loculis,inſtructam arculis, tamquam in ſanctius æra rium maximus quidam copioſiſſimusque theſaurus impor tatur; non gemmis, non margaritis,non auro,argentoque facto,infectoue conflatus, ſed rebus pretioſioribus,ijs vide licet omnibus, quas vel ſenſibus percepimus; vel mente concepimus;vel ipſi cogitatione finximus. In eodem æra-rio conditæ res à nobis geſtæ, fictæ, dictæque: ſæculorum omnium hiſtoriæ quas legimus;nomina rerum, atque ho-minum,quos nouimus; doctrinas omnes, quas didicimus; artium,quas exercemus,præcepta; ſapientia denique vni-uerſa cuſtoditur. Latent in illis receptaculis hæc omnia, ſiue reapſe,ſiue in ſuis imaginibus, & ſimulacris, quæ flu-

Plin. l. 11. cap. 45.

8

xerunt

xerunt ab eis latent & multo plura, quæ præterij, ſepta, recondita, incluſa niſi aperiantur, inde paullatim depromantur, & ſenſim efferantur in lucem. Quænam igitur erit illa de nobis tam benemerita clauis, cuius beneficio tam abditæ, retruſæ, ac circumſeptæ memoriæ fores aperiantur, patefacta ianua pandatur, atque aures noſtræ diuitiis ingẽtibus, de theſauris alienis; aureſque aliorum viciſſim opibus de noſtro ærario, mutua ſermonis communicatione perfruantur? Dædala lingua. Sed iam reuocate vos, Auditores, atque intendite animum ad ea quæ dicturus ſum, noua, inaudita, vere admirabilia: latine me loqui, nõ oratorie putatote cum admirabilia dico: non ea ipſe cogitatione finxi; non erui ex meo ſenſu; non è fabulis Poetarum decerpſi, ſed è veterum doctiſſimorum Philoſophorum, ſapientiſſimorumque Theologorum arcis, theſauriſque deprompſi. Neſcio an quiſquam veſtrum, Adoleſcentes, animaduerterit vndenam ars humana didicerit muſicorum inſtrumentorum ferme omnium conſtructionem, & fabricam; tam eorum quæ ſpiritu inflata digitis moderantibus ſonum reddunt; quàm eorum quæ neruis intenta reſonant, cum plectro, manuue pulſantur; neſcio an notarit adhuc vnde ſumpſerit exemplar in tota natura, quod imitaretur: vbi compererit ideam, quam ære, ligno, ebore ſua calliditate referret. Si dixero tantorum operum officinam, os humanum fuiſſe; formam in eo propoſitam, exẽplarque hærere omnium, nolite fidem vllam habere mihi, niſi cumulatiſſime probauero. Muſici peritiſſimi canendi, quibus vel ingraueſcens ætas infregit, vel morbus aliquis ſuauitatem vocis infuſcauit, vt artem muſices, quam mente iam inde à prima pueritia conceperant inſignem, cum ciuibus amicisque communicent, tum vero aduenis, ac peregrinis oſtentent; pro uoce intercepta læſaque tibiam, lyram aliaque inſtrumenta, quæ vocem illam, qua carent, quàm maximè referant, ſubſtituere conſueuerunt. Non diſſimili ratione Mens humana, cum, quod oratione

Cæſar dial 3. Theodor. ſer 3. de Prouid.

priore docui, non potuerit mortali nobis corpore inuolutis, cogitationes explicare ſuas, vocibus illis ſuauiſſimis, quibus inter ſe beatæ Mentes colloquuntur: arripuit diuino nutu muſicum quoddam inſtrumentum animatum, quod pulſu reſonat interiore ac ſuo, cuius ſonis conſilia, ſenſaque ſua mirabiliter, & cum incredibili quadam audientium voluptate patefacit. Animata lyra eſt tota interior bucca: neruorum inſtar ſunt dentes intenti; qui pro-

S. Ambr. l. 6. in Hexam. cap. 9.

pterea ſcienter à S. Ambroſio modulatores vocis exiſtimantur, ita vt ſi qui deciderit, quod maxime ſenibus euenit, vox plane claudicare videatur. Tum os totum reſonat, cum ad dentium chordas potiſſimum pellitur aer ac frangitur. Sed quo pectine pulſantur à Mente fidicine? Quod plectrum huius lyræ, quo nerui tanguntur, & chordæ? Dædala lingua. Multorum enim veterum philoſopho-

Cic. l. 2. de Nat.
Phil. l. de ſac. bō.
Gal. l. 7. de vſu part. cap. 5.
Plut. in M. Ant.
Fulg. l. 1. Mytho-
S. Baſil. hom. Attende.
S. Nyſſ. l. de opif. cap. 8.
Cæſar. dial. 3.
S. Ambr. l. 6. in Hexam. cap. 9.
Theod. ſer. 3. de Prouid.

rum punctis, Ciceronis, Philonis, Galeni, Plutarchi, Fulgen- 20
tii, multorum item Theologorum Baſilii, Gregorii Nyſſeni, Cæſarii, Ambroſii, Theodoreti conſenſione, plectrum ſimilem eſſe humanam linguam ſtatutum, & pronunciatum eſt: cuius ad dentes artificioſa offenſione ſonus dulciſſimus iucundiſſimusque fluit orationis. Huc ſpectat, quod Plutarchus rationem reddens, qua Cleopatra poſtrema Aegypti Regina C. Cæſarem primum, deinde Cn. Pompeii filium ad ſe amandam induxerit, poſtremo M. Antonium pellexerit adeo in amorem illum inſanum ſui, quo miſerabiliter periit: non tam fuiſſe ſcribit formam aliquā, quæ ſui admirabilitate præſtingueret oculos intuentium, quàm illecebram ſuauis, dicacis, & copioſæ linguæ, quam velut

Plut. in M. Ant.

inſtrumentum multis intentum chordis quocumque libitum erat, ita prompte, feſtiue, ac ſuaui voce conuertebat, vt omnes melle verborum dulciſſimorum, ſalibus facetiarum, atque vrbaniſſimo lepore ſermonis tamquam Siren veneficis cantibus, aut quaſi ſaga magico carmine obſtupefactos caperet, ſibique deuinciret. Hoc igitur os humanum eſt vera illa teſtudo, cuius ſono Thebarum mœnia la-

pidibus

pidibus loco motis ab Amphione ædificata eſſe dicuntur. *Hor. in Poetica.* His fidibus, in fabulis fertur Orpheus arbores, ſaxa, feras duxiſſe, rapidos ſuſtinuiſſe fluuios, atque inferos permulſiſſe. *Sen. in Herc fur.* *Hor l. 1. od 12.* Hac lyra Mercurius feros homines manſuefecit, agreſteſque mores eorum, barbaróſque ritus conformauit. *Id l. 1. od. 10.* Qui quia curuæ lyræ parens ab Horatio dicitur, vt ab aliis multarum artium inuentor; vnde nam cepit formam eius conficiendæ, niſi ab ore humano, vbi tota lyræ ſupellex, atque integrum inſtrumentum teſtudo, chordæ, plectrũ, aer, interualla ſonorum, varietas, & diſtinctio reperiuntur? Hic non fictus ac falſus Deus Eloquentiæ præſes, vt antiquitas ſomniabat, ſed vir ingenioſiſſimus, muſicæ ſtudioſiſſimus, cultor vocis, fictor artificioſi ſermionis, exornator naturalis orationis, cum illa omnia, quæ commemoraui, per occaſionem flectendarum vocum in cantu, poliendæque orationis in loquendo, diligenter obſeruaſſet in ore humano, comperit in eo perfectum exemplar, vnde imitatione lyram expreſſit. Hic paulliſper conſiſtam Auditores, quando ſoni mentio facta eſt, & ad orationis materiam explicandam, quam vocem eſſe noſtis, vt aerem vocis; equidem vocem orationemque meam à laudibus linguę deflectam; voſque è cognitione vocis, in orationis intelligentiam: ex illius nobilitate in huius admirationem cogitatione venietis. Mira prorſus natura vocis eſt, maxime ſcilicet articulatę (quorumdã paucorum ſuſurrus ad hanc poſtremam uocem admonet me tacite, vt interpretor, nõ ea Ciceroniem vſum. Magna uidelicet eſt iſtorum religio. *Ar. l. 2 An. t. 90.* *l. 5 de Gen animal cap. 7.* *Gal. l de vocal. inſtr. diſſ c. 2.* Fuit magiſtro ſummo, in ore quotieſcumque res tulit, articulus: articulatim & articulate dicere non refugit articulare uocem; latinę linguę bonus auctor Lucretius dixit, non mihi effari uocem articulatam liceat? Quod ſi non licuit adhuc, liceat iam nunc per ueſtram humanitatem: detur à uobis, diſputandę rei neceſſaria uenia huius uerbi nouitati, ſi tamen nouum eſt, quod fuit priſcis uſitatum. *Cic. l. 1. de leg & l. 6. ad Att. ep. 5* *Lucr. l. 4.* Mirifica, inquam, plane uocis natura eſt, humanę præſertim,

tio,quæ, quia ſonis, & ſyllabis tamquam articulis diſtincta eſt,articulata eſt à Philoſophis appellata, tum uero cęterorum animantium uoci multis nominibus antecellit.

Gal.l 7. de uſu pars cap.11.

Vincit magnitudine:quod pro corpuſculi portione maxima uox humana cum aliarum beſtiarum uocibus comparata cenſeatur; & ob id inter animantes maximæ uocis homo numeretur. Vincit uarietate: nam bouem à boue paris ætatis, mugitu; luſciniam à luſcinia cantu, aut uix, aut nulla ratione diſtinguimus:at hominum totidem ſunt uoces,quot in rerum natura mortales; & ſua cuique ſicut facies;eamque agnoſcimus,antequam cernamus; nec aliter quàm oculi, uox in homine magnam partem uultus habet. Vincit ſuauitate: quod animalium uoces aſperæ, 22

Pl.l.11.cap 51. Quinct.l. 11.c. 2.

rudes, abſonæ, ſi pauculas auiculas canoræ uocis eximas, aures obtundunt,feriunt,uulnerant:noſtra uero, niſi morbus aliquis eam ſciderit, aſperitas extraordinaria sauciarit,contentio raucam fecerit,canora, dulcis,blanda, mulcet,lenit,oblectat aures: & ea iucunditate,quæ potiſsimum oritur è tribus ſonis inflexo,acuto,graui,quibus ipſa natura propemodum eam modulatur, infecta eſt adeo atque affecta,ut non homines modo, ſed etiam beſtiæ immanes cantu flectantur; delphines animalium omnium uelociſsimi detineantur, & uoluptate aurium capti, ſtupefactique conſiſtant. Vincit denique teneritate,ac mollitudine, de qua ſuauitatis mater uarietas quædã naſcitur incredibilis. Nihil enim magis fingitur, frangitur, flectitur:nihil pluribus flexionibus,argutiis,ſonis in cantu præſertim commutatur, ad auium uſque cantus, animantiumque omnium uocis abſolutam imitationem. Nunc in longum trahitur continuato ſpiritu, nunc uariatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo: modo falſis uoculis mollitur; modo certis ac ſeueris intenditur: ſæpe deorſum à ſumma uel ſaltu, uel per ſingulos,uel per aliquot gradus præcipitatur; ſæpe ſurſum ab ima ſimiliter attollitur. Quid cum intorto ſpiritu copulatur,promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato?

Cic.l. de orat.

Idem orat. pro Archia.

Ael l.12 de animalibus c. 12. & l.12.c.45.

Pl l.11.cap.37.

Pl.l.11 c 37.

Quid cum diutius extenta perdurat, cum deſinit, antequã ſatiet, cum pũcto temporis euolat? Grauis interdum emittitur, acuta, inflexa: tum plena & exilis; crebra, & rara; vibrans aliquando & lenta; incitata & tarda: diffuſa nonnũquàm & contracta; attenuata; & inflata; ſumma, media, ima. Quid in orando? Et hic vel omnes perſequitur ſonorum gradus tum incitata, tum remiſſa: hic ſubmiſſa leniter, inclinata grauiter, inflexa miſerabiliter, & atrociter contenta modulatur, flectit, variat orationem, cuius gratia tam flexibilis, & tot capax modulorum à natura fabricata eſt. Quamobrem ipſam quoque orationem, quæ vocibus cõponitur ſyllabatim atque articulatim, adeo ſuauem, & blandientem auribus excipimus, vt ſonus quidam propemodum muſicus eſſe videatur. De teſtudinis ſono iam dixi; non ea repeto: noua; & mirabiliora mihi ſubminiſtrat res ipſa, Parmenſes. Argutæ tibiæ cantum, ſi Galeno me-dico doctiſſimo credimus è Philoſophis; ſi Gregorio Nyſſeno viro ſanctiſſimo è Theologis, oratio noſtra, & æmulatur, & ſuperat. Pro fiſtula ex horum ſententia Natura machinata eſt aſperam arteriam; quæ ſpiritu inflatur illo, quem reducimus à pulmonibus, quod ſæpe diximus. At nequaquam Tibia reſonat, niſi manus aliqua claudens, aperienſque artificioſa viciſſitudine foramina; & labra ſpiritum fiſtula ductum moderentur. Labra ſunt in propatulo; ſtant ori pro poſtibus: quærenda manus artifex tanti, tam varij, tamque mirabilis ſoni. Sed quid in ore, Parmenſes, habitat manus inſtar? Lingua niſi fallor, non modo dædala, ſed & logo dædala, cuius pæne in vocis laudibus, obliuiſcebar; non tam edentis manus, vt loquitur S. Ambroſius, quàm cantantis, loquentis, pulſantis, perſonantis dextera. Rationis hæc iuſſu (cuius manum eſſe nuper dixeram) motu, impulſu modo huc; modo illuc ictus mucronis ſui tamquam digitorum appulſus imprimens orationem variis diſsimilibuſque vocibus modulatur, eo mirabiliorem eburneæ vel æneæ tibiæ cantu; quod hic, qui nihil

Quint. l. 11 c. 3

Gal. l. de vocal. inſtr. diſſ. c. 6. S. Greg. Nyſſ. l. de opif. hom. c. 8

S. Ambr. l. 6 in Hexam. c. 9.

ſigni-

ſignificat, aures tantum delinit non animum; ſed oratio, quæ rei cuiuſpiam ſemper infert auribus notitiam, & aures vocibus, & ſignificatione ſenſum interiorem, animúque delectat. Quid quod Theodoretus vir omnium do-14 ctrinarum ſcientia non leuiter tinctus ſed imbutus, non modo lyram, tybiamque in ore noſtro deprehenſam ab arte opinatus eſt, ſed etiam neſcio quid aliud mirabilius? Non auderem hoc loco rem tantam dicere, ne fidem orationis minueret admiratio, niſi me Theodoreti muniret auctoritas. Hinc iam intelligetis omnia muſicorum inſtrumentorum genera ſic in ore noſtro fuiſſe à natura facta, & collocata, vt dicere poſsitis de buccis humanis, quod Poeta non illipidus de Sirenum, Muſarumque certamine cecinit.

Thaod ſer. 3. de Prouid.

Auſ. Edyll. 11.

Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.

Vſitata ſunt in templis Chriſtianorum à primis ſæculis propagatæ religionis ad excitandos animos noſtros in diuinas laudes, & gratiarum actiones, inſtrumenta quædam muſica, quæ vocabulo Græco latinitate à bonis auctoribus donato, paſsim organa nominantur. Aenearum fiſtularum ſeriem rectarum continet id inſtrumentum; quæ numero impares, ac longitudine ita ſunt diſpoſitæ, vt per tubos item æneos, aut ligneos inflentur ſpiritu, qui follibus ingentibus collectus valentiſsimi operarii brachiis ad fiſtulas traſmittitur: tum ictibus digitorum manus vtraque Magiſtri ſcientiſsimi prudenter huc atque illuc errans flatum immoderate profuſum, opercula foraminum, vel abducens, vel inducens, vt fere fit in tibiis, ex arte moderatur: quo fit, vt quod per ſe incondite maxime reſonaret, & prope mugiret, iucundum auribus cantum, acutis, grauibus, mediis ſonis muſice temperatum edat, quo templa tota feſtis diebus alacritate quadam, & ſuauitate complentur. Hoc ipſum organum in ore humano comperit Theodoretus: eius cantum, ſermonem eſſe ait, quem ipſe ſermone ſuo pro dignitate ſe non poſſe explicare profitetur. Pulmo

I. Sin. ep. 84.

Digitized by Google

nes dati ſunt à natura pro follibus, quos comprimit pectus vt reddant aerem, quem acceperunt: arteria ductus inſtar eſt, quo fertur ſpiritus: pro fiſtulis illis numero multis, inæquabilibus magnitudine, quæ cantum efficiunt in organo; ſolidi dentes ſunt in ore, qui vel omnium maxime inſtrumentorum ad vocem fingendam formandamq. conducunt. Ratio Magiſtra eſt artifex quæ vtens pro manu lingua, ſpiritum è gutture effuſum, & ad dentes velut ad fiſtulas æneas appulſum modulatur: vnde mirificus hic animatus orationis cantus editur, tot flexionibus variatus, tot ſonis diſtinctus, tot vocibus moderatus: qui ſæpe adeo prodit magnus, ex tam anguſto buccarum organo, vt maximũ templum impleat, ingentemq. multitudinem ſuauitate permulceat. O ſummam Dei ſapientiam, ſummamq. bonitatem, qui tanto nos dono ac munere decorauit. Sed
5 non hic artificium linguæ definitur: non vocis admirabilitas in oratione, quæ vere arte dædalea contexitur, paucis hiſce laudibus terminatur. Reuocate vobis in memoriam, quod modo dicebam, mollitudine ac ſuauitate vocem humanam ferarum vocibus abſonis præſtare mirabiliter. Cuius vtriuſq. perfectionis indicandæ gratia legimus à ſapientiſſimis viris orationem vel molliſſimæ ceræ, vt à Cicerone, ſimillimam exiſtimari, quæ formatur ad arbitrium noſtrum ac fingitur: quæ proprietas in cera Plinio viſa eſt maxime laudabilis: cuius illa ſunt; *Cic. l. 3. de Ora.* *Plin. l. 7. ep. 9. ad Fuſcum.*

Vt laus eſt ceræ mollis, cedensq. ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaq. fingat opus:

uel melli guſtatu dulciſſimo æquari, tum vero etiam anteponi, vt ab Homero, cuius in Iliade Neſtoris eloquentiſſimi ſenis ab ore, quemadmodum M. Tullius interpretatur, melle dulcior fluebat oratio. Præclare vtriq; ſi nec à cera mel ſeparant, nec ceram à melle ſeiungunt: nam cera emũcta melle, flexibilis eſt; at non ſuauis guſtu: mel cera expreſſum dulciſſimum eſt; at formari non poteſt: quod ſi vtrumq. miſceamus, vtramq. virtutem facilitatem & dul- *Hom. l. 1. Iliad.* *Cic. l. de Sen.* *S. Hier. ep. 2. ad Nepot.*

cedinem vno verbo complectemur, atq. vtrorumq. clariſſimorum ſcriptorum dicta metaphorasq. conciliabimus, qui nec ceram melle vacuam, nec mel effuſum cera, de ſermone culto atq. eleganti locuti plane intellexerunt. Quid nam tandem hoc erit Auditores? Mellarium illud opus cotam pariter, & mel continens in vnum, quod fauum nominamus. Quo auctore id aſſeris? Magiſtro ſapientiſſimo mortalium Salomone, qui multa inter alia prodidit oraculum illud ad rem noſtram accommodatiſſimum; *Fauus mellis verba compoſita*: quo ſignificabat ſermonem humanum apte, concinne, prudenterq. coagmentatum verbis quaſi quemdam fauum eſſe teneritate molliſſimum, guſtatu ſuauiſsimum, animoq. ſaluberrimum. Vos hic obteſtor, Parmenſes, per Deum immortalem, vt eximium Salomonis ingenium, vel vt melius dicam, diuinam ſancti Spiritus ſapientiam attente conſideretis, & admiremini venerando, in orationis humanæ, quam ipſe architectatus eſt, cunctis virtutibus vno verbo, vnaq. ſimilitudine comprehendendis. Vt hoc probe intellexeritis, iam minime vo- 26
bis incredibile videbitur; nec à Poetis confictum exiſtimabitur, ſed à Deo ipſo vel imperatum, vel permiſſum prodigium illud, tot ab hiſtoricis proditum; quod futuram ſuaueloquentiam portendit trium periluſtrium virorum in diuerſo dicendi genere: Pindari nulli mortalium imitabilis in poeſi; Platonis in philoſophia propter orationis vbertatem cognomento diuini; S. Ambroſij qui propter ſapientiam, & accuratum in Theologia ſtylum inter primarios Eccleſiæ Doctores annumeratus eſt: quibus cum infantes iacerent in cunis, aut cum pueruli in vmbra depoſiti obdormiuiſſent, apum examina, vel in labellis conſidentia mel in os congeſſerunt, vel in ore ipſo parulo fauum ædificare cœperunt. Quæ ſimilitudo, pro Deus bone, quàm multis in rebus eminet! in opificibus, in loco, in ſedibus, in fundamento, in ſucco, in fluxione, mollitudine, dulcedine, voluptate, medicamentis. Conferte nunc, Auditores, apes

cum

Prou. 16.

Pauſ. l. 9 biblic. Philoſtr. in imag. Pindari. Antip. l. 4. epig. Græcor. Ael. l. 12. var. hiſt. c. 45. l. 10. c. 21. Ci l. 1. de diuin. Pl. l. 11. c. 17. Paulin. in vita S. Ambr. c. 1.

cum ſenſibus; caput cum alueario; cellas cum memoria; ceram cum verbis; mel cum ſententijs; fauum cum oratione; vſum cum vſu; cum effectibus effectus, & intelligetis perſpicue Salomonem eſſe, vt vere eſt, diuinitus elocutũ. Etenim apes paruo corpore, magno animo, mira ſolertiá præditæ inter alites, aculeo armatæ, ſolæ potiſſimum hominum cauſſa genitæ, vt Plinio placet, faui mirabilis ad vitam, vſumq. noſtrum ſunt fictrices; operi præſidente in aluearia vel natura, vel arte facto ipſarũ Rege, qui magnitudine corporis inſignis, apibus quaſi lictoribus ſtipatus, nudus ab armis, maieſtate tantum cuncta moderatur. Orationis autem Mens eſt artifex in capite reſidens, ſine corpore maxima; ſine armis metuenda, maieſtate vera atq. auctoritate Regina; quæ ſenſibus interioribus ſepta cuſtodibus, externis tamquam ſatellitibus ſagaciſſimis ad indagandum; aculeatis ad penetrandum; celerrimis ad referendum vtitur in materia ſermonis præparanda. Ab illis in alueo mellario multæ cellæ conſtruuntur è cera fabricatæ, ſenis omnes angulis, ordine præclaro diſpoſitæ; ad certam normam dimenſæ, atq. deſcriptæ, quibus dulcis copia nectaris ad tempus aſſeruatur. At in domicilio Mentis, memoria iam inde à prima ſui procreatione comparata eſt, velut cella partitione artificioſa, vt me dixiſſe recordor, in varias ſedes diſtributa; quam Homerus, Socrates, Plato, Cicero, Cornificius alijq. ſapientes ceræ ſimilem eſſe dixerunt, in cuius loculis tum uerba, tum res à ſenſibus uenatoribus aduectæ, materiæq. concretione purgatæ cuſtodiuntur. Illæ per prata, ſiluas, flores, herbasq. fragrantes, atq. arbores luxuriantes ſedulitate quamargutiſſima uagatæ, duo cõtrahunt inde, colliguntq. rerum genera fauis confingendis neceſſaria: quorum priore tamquam tectorio parietes interiores illinunt aluei: pro fundamento totius operis utũtur; cellasq. fulciunt, ac ſtabiliunt, quod materia ſit tenax, uiſci ſimilis, affinis ceræ; ex arborum gummia lacrymisq. potiſſimum expreſſa: unde illud Homeri noſtratis de apum induſtria,

Ar l.9 hiſ ani. c 40
Plin. l.11. ca 5. & ſeq.
Ael l 1 de animal c.10 et ſeq. & l.5.c.42.
Virg. l 4 Georg.

Plat. in Theæteto
Cic. in partit. et l 2. de orat.
Cornif l.3. rhet.
S. Greg. Nyſſ. hom.9. in Cant.

Narciſsi lacrymam, & lento de cortice gluten
Virg. l. 4 Georg. *Prima fauis ponunt fundamina*;
Poſterius delibant è floribus, quibus nihil oſculo nocent; ſuccum illum ſugentes ſubtiliſſimum, dulciſſimum, ſaluberrimum; non Deorum nectar, vt nugantur poetæ; non cæli ſiderumq. ſudorem, vt opinatur Plinius; ſed vt recte putat magnus naturæ interpres Ariſtoteles, aerei roris perfectiſſimam portionem; cuius incremento, ut idem tradit philoſophorum doctor, prodeſt mirabilis arcus ille cęleſtis, qui ſermonem humanum deſignat ac refert; cum terris incumbit; atque hoc Apes replent,

Ar. l. 5. de gener. animal. c. 22.

Ac liquido diſtendunt nectare cellas,

quo decocto, purgatoq. mel maturum ac perfectum exiſtit. Sed humani ſenſus curioſiores ac perſpicaciores apibus, ſpatiati ſimiliter per omnes huius Vniuerſitatis campos, colles, & nemora, ſaluis atq. integris rebus ijs, quas attigerunt, in ampliſſimum alueum memoriæ comportant duo item non tam corporum, quam ſimulacrorum genera; verborum ſcilicet ac rerum. Ac verba primum quidem vitæ principio, in ipſa infantia, tum cum loqui diſcimus à matre, nutricibus, & educatoribus, vt res appellare poſſimus: deinde paullopoſt à pædagogis doctrina puerili maiorem eorum ſupellectilem, quam rebus ac ſententijs in oratione ſubſternamus; cum, Cicerone magiſtro, ſolum quoddam ac fundamentum ſit verborum vſus, & copia bonorum; quo iacto feliciter fauus orationis exſtruitur: tum ætate progrediente rerum ſuccum, & doctrinarum rorem ſenſus in eaſdem memoriæ cellas inſtillant, cuius vel genitor, vel auctor loquens arcus cæleſtis eſſe ſolet, hoc eſt doctoris boni vox & magiſterium. Poſtremum ex aluearı pleno defluit per foramen paullatim fauus iam decoctus, & maturus, niſi violenter fuerit extractus aliunde: qui cum exprimitur manu large dat, hinc quidem ceram ſine melle teneram, mollem, flexibilem, aptam nutriendo lumini, multis medicamentis, ſignis innumerabilibus fingendis;

Cic. l. 3. de orat.

27

illinc

illinc verò mel effundit ſincerum;iucundum guſtui, ſtomacho non inutile;corpori ſalutare. Delabitur pariter ex ore fauus ſiue ſermonis,ſiue orationis integer;cuius partium tum fit ſecretio,cum ad aures ille peruenerit,ubi ſucco ſententiarum,rore ſenſorum, melle rerum in animum influẽte;vocum & verborum cera protinus in auribus euaneſcit. Affert ea quidem lucem rebus ac menti pronunciatione accenſa. Nam auctore M. Tullio (quem ſemper honoris cauſſa nomino) cũ *omnis ex re atque verbis conſtet oratio,neq; uerba ſedẽ habere poſſunt,ſi rem ſubtraxeris, neque res lumen ſi verba ſemoueris*: verùm vt res eſt mente percepta,verborum repudiatur lumen,& exſtinguitur. Hanc igitur oratorij faui fluxionem ab ore, Theologi, Philoſophi,Oratores,Poetæ certatim admirantur: inde, cum ſermonem,locutionem,verſus,ſtylum,orationem, appellant fauum,ceram,mel, verba transferunt, atque à ſimili mutuantur.Faui quidem nomine quo mel & cera continetur, orationem totam conſignant, res & verba complectẽtem: ob id è cæleſtis ſponſæ labellis fauus ſtillare dicitur à Salomone, non mel tantum; quia diuina doctrina,quæ manat ab ore Catholicæ Eccleſiæ,& cera verborum, & ſenſorum melle componitur. A cera vero tranſlationem ducunt ſpectantes orationem flexibilem in omnem partem; commutabilem in omnes formas ad arbitrium noſtrum, & ſequentem quocumque torqueas feſtinanter. Hinc optimo iure ſummus ille magiſter,quem ſuſpicimus,*Nihil*,inquit, *eſt tam tenerum,neque tam flexibile, neque, quod tam facile ſequatur,quocumque ducas, quàm oratio*: tum eam molliſſimæ ceræ comparat: eadem verba probans ad quodcumque genus orationis vſurpari. Nemo neſcit aliam eſſe orationem Poetarum vinctam numeris;aliam ſolutam Oratorum, & Philoſophorum: at in vtraque verborum eadem adhibetur cera,formis,figuris,numeriſque mutatis:ex hac verſus diſparibus numeris conficiuntur; ex hac, in multa genera fuſa oratio ſoluta,maiore cum æquabilitate numerorum

Cic.l.3. de orat.

Theodor. in c.4. cant.

Cic.l.3. de orat. & l. de orat.

Cic l 3. de orat. l 1. & 2. offic. Cornif l.3 rhet.

totum profluit: quæ Rhetoribus optimis auctoribus in ſermonem, & contentionem diuiditur: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſatur, conuiuiaque perſequitur; contentio, quam eloquentiam propriè dicimus, diſputationibus iudiciorum, concionum, ſenatusque tribuitur. Sed vnde ad vſum quotidianum verba, vnde ad ſcenam pompamque ſumuntur? Ex eadem cera ſuppeditantur; Hinc tres characteres dicendi ſummus & grauis; infimus & ſubtilis; medius & temperatus conformantur. Hinc ornamenta verborum propriorum, & translatorum, quæ vel in ſingulis verbis elucent, vel in coniunctis figurantur. Hinc Philoſophi ac Theologi, ſiue de moribus, & affectibus animorum agant, ſiue de cœlo, & uniuerſitate rerum diſſerant; ſiue de Deo Superiſque philoſophentur; ſiue de ipſorum natura verborum diſputent, ceram verborum ex eodem fauo decerpunt. Quid de ſonorum numero, modulorum, ac flexionum vocis dices; & cum oratio pronunciatur, & in cantu? Niſi ceram æmularetur vox, & oratio, numquã tot mutationibus, characteribus, conuerſionibus fingi, torqueri, flectique poſſet. 29

Sed nulla in re magis hæc orationis humanæ ad noſtram voluntatem nutumque ſequentis cerea teneritas cum admiratione ac laude cernitur, quàm in multitudine numeroque linguarum. Ducit quidem à mortalium culpa principium hæc à multis ſæpe defleta loquendi varietas, quæ tot nationes, mutuo commercio, conſuetudineque familiari ſublata diſſociauit: veruntamen prouidentiſſimus rerum omnium Rector Deus, vt alia multa errata noſtra, ſapienter hanc diſſimilitudinem loquendi ad hominũ vſum, ornamentum, commodumque deduxit: vt à quibus gentibus linguæ natiuæ diuerſitate diſtinguimur, obſcuritate vernaculæ abalienamur, barbarie domeſtica refugimus: iiſdem peregrinarum, alienarumque linguarum beneficio reconciliati, cogitationum, ſtudiorum, negotiorum, vſus, rerumque omnium communione denuo ſociemur. Quàm

glo-

Digitized by Google

loriosa eſt ad orationis humanæ laudem, Mithridatis Pō- *Val. Max. l. 8. c. 7.*
i Bithyniæque Regis inter barbaros ſiue memoriæ vis, ſi- *Pl. l. 7. c. 24.*
e linguæ facilitas, qui duabus & viginti Nationibus, qui- *Quint. l. 11. c. 2.*
ous imperabat, totidem linguis è tribunali iura reddebat; *Iu. sol. c. 4.*
ingulasque gentes ſuo ſubiectas imperio pro concione ſi- *A. Gell. l. 17. c. 17.*
ne interprete quàm expeditiſſime alloquebatur? Hunc
ecutus eſt, longo quamquam interuallo, de Romanis M.
Craſſus, re & cognomento diues; qui cum Aſiæ præeſſet *Val. Max. l. 8. c. 7.*
quinque linguarum Græciæ vim, proprietatem, differen- *Quint. l. 11. c. 2.*
iasque tam bene callebat, vt è prætoria ſella, qua quiſque
ingua ius ſuum apud eum poſtulaſſet, eadem reddita ſibi
decreta referret. Nec inter feminas defuit, quæ conditio-
nem hanc flexibilem orationis, linguarū uarietate declara
ret: nam Cleopatra, quam commemoraui Regina, non ſo- *Plut. in M. Ant.*
lum cum paucis Nationibus per interpretem loquebatur,
ſed quod eſt mirabilius, per ſe ipſa ſuo ipſorum ſermone
reſpondebat Aethiopibus, Trogloditis, Hebræis, Arabi-
bus, Syris, Medis, Parthis aliisque permultis gentibus, qua-
rum erat lingua difficillima. Præ ceteris mortalibus hanc *Act. 2.*
teneritatem orationis teſtati ſunt diſcipuli Liberatoris no
ſtri cariores; qui diuinitus edocti ſancti Spiritus afflatu,
Gentium omnium, quibus lex diuina diuulganda erat, ſer
mone loquebantur; ita ut eadem ſententia, eadem animi
cogitatio, tot locutionis generibus inter ſe plane diuerſis
ab eis efferri poſſet, quot ubique gentium erant linguæ di-
ſtinctæ, quotque Nationes inter ſe ore ac ſermone diſcre-
pabant in orbe terrarum. Ceterum cum orationis alte-
ram partem iidem uiri ſapientes, quæ melli reſpondet in
fauo, rerum varietatem, argutias ſententiarum, animorum
delicias, unde ſuauitas, dulcedo, uoluptas, necnon ſalutaris
affectuum medicina fluit in animum; mirum eſt, quàm ſæ-
pe à melle uerba mutuentur. Hinc non modo Neſtori tri- *Hom. l. 1. Iliad.*
buitur ab Homero lingua, & oratio, ſed etiam à Cicerone *Cic. l. de ſenect.*
ſermo melle dulcior Xenophonti: Eupolis in comoedia *Idem l. de orat.*
dixit Athenis in Periclis labris leporem habitare melle dul *Idē l. 3. de orat.* *Val. Max. l. 8. c. 9.*
ciorem.

Digitized by Google

Lucr l 1. ciotem. Quid Lucretius?non ne ſuum ſtylum mel muſæũ *Pier.l 26.* appellat? Quid Diogenes?non ne artificioſam orationem *Symm. ep. 1. ad Aus.* mellitum laqueum uocitabat? Quid Symmachus? nonne feſtiuitatem Auſonii Tulliano melle oblitam dicit, uno *Auſ epiſt. 22. in Profeſſor.* uerbo laudans utrumque? Quid apud Auſonium Criſpi, *mellitæ nectare voces*? Quid multorum Meliſſæ cognomẽ? Quid apud uulgus mellita uerba ſuaueloquentium? cur *Heſiod.* apud Heſiodum Muſæ melleum rorem amicorum linguis inſtillant?Hi omnes optime norant orationis humanæ medullam ſuauitate faui liquori ſimillimam. Nec diſſenſit *Theocr. in comata.* Theocritus, qui mel cum lacte miſcuit ſuauitatem ſententiarum cum ſermonis proprietate coniungens: imitatione fortaſſe Salomonis qui linguam ſponſæ cæleſtis melle, & *Cant. 4.* lacte prodit affluere, præſignificans fore ut aliquando concionatorum Chriſtianorum ab ore ſermo dulcis, iucũdus, & uero etiam ſalutaris melle doctrinæ cæleſtis; tum purus, dilucidus, & candidus lactea ſimplicitate proflueret. At videte,per ueſtram humanitatem uos oro, quanta ſit hæc 31
ſuauitas & perfectio ſermonis humani uel ex hoc uno, quod cum res creatæ propemodum omnes, feræ,aues,cauernæ,humanæ artes admiratæ, atque æmulatæ conentur imitari. Dixi conantur,non imitantur;pertentant, non exprimunt;ſoquuntur,non aſſequuntur, propterea quod rerum admirabilium atque abſolutiſſimarum proprium eſt, eadem pulchritudine ac perfectione ſimul allicere ſpectatores ad imitationem ſui, ſimulque reijcere: quos quãtum excellentiæ cupiditas inuitat, ac prouocat; tantum operis difficultas abſterret ac repellit; vel certe cohibet ab imitatione perfecta,quæ tam ſublime non poteſt aſcendere, conatu atque adumbratione iubens eſſe contentos. Adhibẽt conatum ſuum ad hanc humani ſermonis imitationem *Plin. l. 8 c 30.* Mantichoræ, Crocutæ, atque Hyenæ feroces beſtiæ,quæ uoces, ſermonemque hominum inter paſtorum ſtabula aſſimulare, nomenque alicuius, quem euocatum foras lacerent addiſcere per ſe ipſæ dicuntur. At quis credat eam

imi-

Digitized by Google

imitationem eſſe perfectam? Quantulum eſt voces aliquas ſine articulis æmulari? Quantulum item vnum tantummodo nomen frendendo, aut ringendo referre? Perfectam integramq. orationem animalium vlli plane imitabilem pernegaui. Scio ſturnos, luſciniasq. auditas græce, *Pl.l.10 c.42.43* & latine loqui: ſcio turdos, picas, coruos, & ſuper hæc *Plut.l de induſtr. animal.* omnia pſittacos non verba modo, ſed & membra periodosq. acceptas humano more pronunciaſſe: principes viros, atq. Imperatores ab his auibus, conceptis verbis ſæpenumero ſalutatos, adeo vt vere ſermocinari viderentur. *Macrob lib 2. Satur.c 4.* *Perſius in prol.* Addet aliquis, quod eſt mirabilius canoras auiculas nec verberibus, nec doctrina magiſtri, ſed ſua ſponte, ſtudio tantum imitationis impulſas breuem oratiunculam effari didiciſſe: *Plut.l. de induſtr. animal.* narrabit Pſaphonis amentiam, qui veſana quadam cupiditate diuinitatis abreptus, in auicularum comitio Deus creari, Deus earum ſuffragiis renunciari voluit. *Max. Tyr ſerm. 19.* Nam multas aues è loquacibus in auiario collectas dicere docuit Μέγας θεὸς Ψάφων: tum aperta cauea liberas per colles camposq. dimiſit; à quibus aliæ tria illa verba ſuopte ingenio doctæ proferre, canebant idem (quod Annoni Carthagin ienſi, facinus idem pariter conanti minime ſucceſſit) ita vt tota Libya Pſaphonis aerea atq. inani diuinitate perſonaret. *Ael.l.14. var. hiſt c.30.* Sed eæ voces tametſi proferuntur articulatim, proprie voces humanæ non ſunt: ſimulatas, adūbratas verius dixeris, quàm veras: conatum vt Perſius ait, *Perſ. in prol.* non locutionem; propterea quod non eam habent ſignificationem à pronunciantis mente conceptam: non capiūt, non intelligunt, quæ garriunt: ſic vt pueri atque homines ij, qui neſcij ſunt ſignificationis verborum eorum quæ proferunt, non modo à viris prudentibus, ſed etiam ab imperitorum vulgo non eloqui nec dicere, ſed more pſittaco-
2 rum recitare, aut balbutire cum irriſione dicantur. Triumphabit alius in cauernis, conuallibus, ſpeluncis à natura factis: in cameris, teſtudinibus, atriis ab arte; *vnde reſponſa ſuauia* (ſic loquitur S. Ambroſius) *referens Echo reſultat.* *S. Ambr. l. 6. in Hexam. c. 9.*

Etenim Lucretius non minus in philoſophia naturali, quã in poeſi verſatus cecinit aliquando,

Lucr. l. 4.

Saxa pares formas verborum ex ordine reddunt.

quod copioſius expreſſit Auſonius.

Auſ. ep. 25. ad Paulin.

Reſpondent, & ſaxa homini; percuſſus ab antris
Sermo redit; redit & nemorum vocalis imago;
Littorei clamant ſcopuli; dant murmura riui.

Cic. orat. pro Arch. Poeta.

Cicero ipſe, ſaxa, & ſolitudines humanæ voci reſpondere, grauiſſimo in iudicio, populo Romano audiente, dicere non pertimuit. Neque vero vnam, aut alteram vocem reddit hæc mirabilis Echo, ſed vt obſeruat Poeta phyſicus multo plures:

Lucr. l. 4.

Sex etiam aut ſeptem loca vidi reddere voces
Vnam cum iaceres; ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.

Plu. l. 4. de plac. philoſophorum c. 20.
Plin. l. 36. c. 15.

Teſtes huiuſce rei Lucretio aſtipulantur Pyramides Aegypti quæ vni hominis voci, quattuor, aut quinq. reddere ſolebant. Teſtes Cyzici turres iuxta portam, quæ Thracia vocabatur, quæ ſeptem acceptas voces numeroſiore multiplicabant repercuſſu. Teſtis Olympiæ porticus, quam oppidani ex effectu Heptaphonon appellabant, è qua eadem vox illata, ſepties ad aures referebatur alloquentis. Nodo huic tam difficili ſcilicet diſſoluendo peripateticorũ aliquis accerſatur: qui pro ſua auctoritate contendet Echo non aliud eſſe niſi tuam ipſius vocem, quæ ad latera ſpecus appulſa eſt, non afflicta, tuas ad aures integram reuertentem; pilæ ritu quæ ſolido impacta ſaxo reflectitur in iacientem. Argumentabitur à ſpeculo, in quo non aliquid tui cernis, ſed te ipſum; non imago venit, ſed ipſe vultus redit ad oculos; & quod ingeſſeras in ſpeculum aſpectu, reſiliens à læuitate ſpeculi regeritur. Vox pariter quæ prodiit ex ore tuo toties recipitur auribus, quoties non eliſa parietibus, ſed erratica per cameras; non diſſipata, ſed integris artubus è concaua porticu eſt paſſa repulſam. Dixerit hæc Philoſophus: at ego, quoniam ex oratorum, ac poetarum

Ar. l. 2. de An. tex. 80.
L. Sen. l. 1. qu. nat. c. 15.

arma-

Digitized by Google

armamentario eſt telum immiſſum argumentationis, eorumdem ſcuto reſponſionis repellam, atq. retundam. Quæ vox humana dici poteſt in cauernis genita, quæ nullam habet à parente vim ſignificandi? Iure ſe amentem Echo vocat apud Auſonium. *Auſ. epigr. 11.*

Vocem quæ ſine mente gero.

Non ero tam iniurioſus in hanc æmulam veræ vocis quàm fuit Euodus, qui fæcem vocis, & verbi caudam dixit. *Euod l. 4. epig. Græc.*

Ἠχὼ μιμολόγον φωνῆς τρύγα ῥήματος οὐρὰν

Quid ergo? modeſtior dicam non eſſe aliud niſi quemdam ſonum, humanæ vocis vmbram, quam pingere quidam pictor affectans ſcite monitus eſt ab Auſonio præclaris verbis *Auſ. epigr. 11.*

Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

3 Ars deniq. rebus in omnibus æmula naturæ freta hominis *Ar. l. de Mund. cap. 6.* ingenio, quod tantum poteſt, quantum noſtis: elata proſpe *L. Sen. ep. 65.* ro euentu in animalium omnium vocibus vel ore proprio, *Auſ. epigr. 75.* vel fiſtula exprimendis, conata eſt humanam quoq. vocē imitari. Nam fuerunt aliquando qui callida imitatione vocis quaſdam animantes adeo fefellerint, vt illæ ſimillimo ſono deceptæ, ſui generis eam vocem eſſe putantes, ſua voce reſponderint. Alii cantum auium imitati, luſcinias ipſas ad canendum prouocatas in certamine vel afflictas deſperatione victoriæ, vel labore canendi ſpiritu deficiente *Plin. l. 10. c. 29.* fractas, vel mærore confectas quod ſe victas viderent, emori coegerint. Quid deniq. vocibus, & cantu hydraulicorum organorum, in quibus errans artificis digitus

In carmina concitat vndas. *Claudian. ad Manl.*

Ars effecerit, inuenta primum à Cteſibio, deinde ætate noſtra ad miraculum vſq; aucta per auicularum canentium *Pl. l. 7. c. 37.* imitationem, non ſunt certiores teſtes excitandi, quàm amœniſſimi Cardinalium Ateſtinorum horti Tiburtini magnificentia ſuptuq. regio conſiti; piſcinis, euripis, aquarum ductibus, hydraulis artificioſiſſimis, fontibus ſalientibus ex operoſa deriuatione fluminis irrigati; merito non- *Folietta in deſcript. hortorum Tiburt.*

Digitized by Google

nullius ſtylo, & omnium qui viderunt ſermone cum admiratione celebrati. Tentauit eadẽ vocem hominis tibijs, fidibuſq. referre: prope quidem viſa eſt acceſſiſſe, ſed non peruenit: quia nondum potuit Ars in vlla re perfectè adæquare naturam: non Fictorum induſtria, quæ membra effingit, ſed non dat colorem: non Pictorum ingenium, quod tribuit effigiem, ſed non motum: non deniq. Muſicorum ſolertia, quæ ſonum varium iucundumq. è lyra tibiisque elicit, ſed nec articulos, nec ſignificationem, quæ ſonum in humanæ vocis dignitatem extollunt. Iam vero ne in ve- 34
ſtram humanitatem videar iniurioſus longitudine orationis, demittam, & complicabo velum vocis meæ flacceſcẽtis, non intermiſſo flatu beneuolentiæ veſtræ, ſed virium mearum tamquam ſpiritu deficiente; iaciam anchoram in media nauigatione, vt paucis poſt diebus tertia tandem velificatione ſubeam portum diſputationis inchoatæ, ac liberem oppigneratam fidem meam. Et quoniam hodierna die conſtitutum eſt præſtantiam orationis humanæ pendere potiſſimum, tum à lingua, quam educere partum animi, conſignare verba charactere, memoriæ theſauros aperire, ſonumq. animatum à fidibus, tibiis, organis oris elicère diximus; tum à voce, quæ multis nominibus uincens animalium uoces, flectitur in omnes ſonos, commutabilior cera in omnes formas, ſuauitate melle dulcior, omnes inuitans ad ſui imitationẽ imitabilis nulli: uos hortor, Adoleſcentes, ut in harum duarum rerum, quæ primas propemodum habent in oratione pronuncianda, cultum & expolitionem incumbatis. Quæ tametſi natura tam excellentes ſunt, quàm audiſtis, niſi vitium aliquod in ortu ſe ſe ingerat; interdum tamen genitorum, opinor, imbecillitas maculis quibuſdam aſpergit, quas niſi deleant induſtria nitentes ad eloquentiæ gloriam, maxime retardantur. Nec mediocrium hominũ modo linguam, & uocem hæc uitia deprauant; ſed etiam ſummorum ingenio uirorum perfectionem dicendi, & eloquentiæ pulchritudinem ſpeciemq.

Digitized by Google

ciemq. deformant. Quot ingenioſiſſimos homines balbos, hæſitantes lingua, fuſca, exili, aſpera voce, ſpirituq. anguſto matres pepererunt? Demoſthenes, qui princeps Græcorum oratorum eſt habitus, maximum ἰσχνοφωνίας impedimentum atq. alia ſecum tulit ab ortu, quibus ita balbus erat, vt eius ipſius artis cui ſtuderet primam litteram dicere non poſſet; tam exili atq. acerba voce, vt populus Athenienſis dicentem aliquando vel deſereret, vel exploderet; adeo ſpiritus anguſtijs intercluſus, vt periodum integram non vna interſpiratione proferret. Ariſtoteles Philoſophorum Antiſtes pæne pari vitio laboraſſe fertur. Et Antonius ille magnus orator, cui tantum in dialogo de oratore, atq. in libro de claris oratoribus Cicero laudis impertit, non ne vocem ſubraucam acceperat à natura? Ciceroni vero adoleſcenti cuius in ore ipſa eloquentia cunctis ornamentis exculta ſeſſitare, atq. habitare cum ingenio exiſtimata eſt, nonne Plutarchus vocem aſperam atq. incomptam, & vero etiam eadem ferme vitia, quæ Demoſtheni, pronunciationis affinxit, quæ ipſe non omnino diffitetur? Patria quandoq. teneræ linguæ prauitatem aliquam inurit, quam niſi meditatio diligens, ac multus labor abraſerit in adoloſcentia; cum ipſa ætate corroborata, ad finem vſque vitæ perdurat. Non enim omnes Athenis nati ſunt; vbi lepos Atticus in loquendo norma erat propoſita ceteris Græcis recte pronũciandi: quo natiuo ſapore caruit Theophraſtus, cui ex anicula percontanti quanti aliquid venderet, illa reſpondit, & addidit, *Hoſpes non pote minoris*. Et quamuis ætatem egiſſet Athenis, & optime ſuorum æqualium loqueretur, & à diuinitate loquendi nomen accepiſſet, quia tamen Athenis natus non erat hoſpitis ſpeciem effugere non potuit. Non omnes Romę educati florente Rep. cuius vrbis quondam fuit certa quædam vox, & ſauitas loquendi, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poterat; nihil ſonare, aut olere peregrinum. Cuius ſonis aſſuefactæ aures Pollionis Aſinii patauinitatem quandam

Plut in demoſt.
Val. Max l.8 c. 7.
Hier. Mercur. l. 6. var. lect c 4.
Suid. in Ariſt.
Laert. l 5. in Ariſt.
Plut. l. de aud. poet. & l. de diſcr. adul. &c.
Cic. l. de claris Orator.
Plut. in Cicer.
Cic. l. de cl. ora.
Cic. l. de cl. orat. & l. 3. de orat.
Quinctil. l. 8 c. 1.
Cic. l. de cl. orat.
Cic. l. 3. de orat.
Quinctil. l. 8. c. 1

Digitized by Google

Plin. l. 2. ep. 3. ad Nepotem. S. Hier. ep. 103. ad Paulinum. Cic. orat. pro Arch. Poeta.

quandã in eſſe deprehenderunt, in T. Liuio; cuius eloquẽtiæ fama prouocatæ Gentes exteræ Romam vſq; ad eum audiendum concurrerunt: & Ciceroni acerrimo æſtimatori bonæ pronuntiationis, ob eandem cauſſam Cordubæ nati poetæ pingue quiddam, & agreſtæ ſonare in latina lingua videbantur. Non omnes deniq. in ea feliciſſima Italiæ regione naſcuntur, à qua, communis eſt opinio, ſonũ vocis auribus adeo ſuauem, & gratum in ore collocari puerorum infantium, vt de illis iure dici poſſit, quod paucis quibuſdam eueniſſe meminiſtis, in eorum labellis apes conſidere, atq. inde ſermonem fluere melle dulciorem. Quid? 36 quod in nonnullorum lingua, & voce, non à natura, nec à patria, ſed ab errore mentis, & à voluntaria conſuetudine profecta deformitas adhæreſcit? vnde canticum illud quorumdam è Phrygia, & Caria Rhetorum in epilogis à Cicerone notatum ac reprehenſum veniebat? vnde affectatus ille, nimiuſq. vſus aſpirationis in Arrio neſcio quo tam feſtiue atq. eleganter à Catullo nobiliſſimo, ac lepidiſſimo epigrammate deriſus? vnde ruſtica vox, & agreſtis L. Cottæ, qui quo magis antiquitatem ſuus ſermo retineret, grauitate linguæ gaudebat, & illud quod loquebatur, priſcum viſum iri putabat, ſi plane fuiſſet ruſticanum? Ex eodem errore ſunt illa quæ Sulpicius imitabatur in Cotta, cum iota litteram tolleret, & è pleniſſimum diceret; qua in re nõ oratores antiquos, ſed meſſores referre videbatur. Itaque vitia hæc, ſi qua ſunt in vobis, Adoleſcentes, vel à Natura, vel à patria, vel ab opinione falſa contracta, maxime veſtra intereſt lima diligentiæ, manuq. artis deteri ac deleri. Sed minima ſunt iſthæc, dices, & contemnenda magnis animis. O errorem non ferendum. Tu minima dices ea, quæ maximis uiris, qui reliquis omnibus ad dicendum ornamentis circumfluebant, obſtiterunt, ne primas in concionibus obtinerent? Tu contemnes eos næuos, qui partes nobiliores uultus occupantes, totam faciem fœdant, ita ut pulchritudinem omnem exterminent? An neſcis quoties

Cic. l. de orat.

Catull. epigr. in Arrium. Cic. l. 3. de orat.

Cic. l. 1.

ties M. Tullius cum Demoſthenis maximi oratoris, atq. *Cic. l. de orat.*
experientiſſimi ſententiam approbaſſet omnium ſcriptorū *Cic l. 3. de orat. al. de cl. orat.*
conſenſione laudatam, Actionem in eloquentia primas, & *Quinct. l. 11 c. 3*
ſecundas, & tertias ferre: diſtribuiſſe hanc partem in ge- *S. Aug. ep. 56. ad Dioſcorum.*
ſtum, ac pronunciationem? Qua in re poſita eſt pronun-
ciatio recta, niſi in linguæ, vocis ac ſpiritus moderatione *Cic. l 1. & 3. de orat.*
artificioſa? Si hæc tria non ſunt integra, non ſunt ſana, nō
ſunt expolita; vbi laus, ubi gloria, ubi ſplendor eloquentiæ?
Si hæc minima putas, non ergo cupis eſſe perfectus; non
appetis ex eloquentia coronam: negligis palmam gloriãq.
dicendi. Dicam amplius: his uitiis non deleris cum pri-
mum aſſurges ad dicendum, uis, ut aliquando Demoſthe-
nes, infeſto clamore ac ſibilis à concione depelli. Quia
prominet in ore pronunciatio, ſubit uelut Apellis tabula
expoſita in pergula iudicium non modo intelligens docto- *Plin. l. 35. c. 10.*
rum, ſed etiam arrogans imperitorum. Omnes enim ho-
mines natura teretes aures habent ad errores non recte pro *Cic. l. de opt. ge orat.*
nunciantium perſentiendos: faſtidioſiſſimum hunc ſenſum
ægre moderatione coercent: nec uerentur inſcii contra
monitum Apellis, tamquam ſutores ſupra crepidam, de a-
liorum locutione, uoce, ſono pronuntiationeq. uniuerſa iu
dicare, & ſuperbisſimo aurium iudicio ferre ſententiam.
Tu igitur qui minimas maculas nihili facis, nec doctorum
uirorum, nec multitudinis cenſorium iudicium, ac tacitam
uituperationem pertimeſces? Vitate per Deum immor-
talem uos reliqui Adoleſcentes qui nondum huic tam gra-
uiter erranti conſenſiſtis, hoc ſcylleum fretum erroris: exi-
ſtimate minimos ingenio, iudicio, experientia, qui hæc
minima iactant, & omnium oratorum minimos futuros,
qui labem pronunciationis, ſi quam in ſe comperetint, non
eluerint. Qui enim minima poſſunt eſſe commemorata
uitia, & impedimenta; in quibus auferendis Rhetores, &
oratores omnes tamdiu dictis, & factis præceptis, & cona-
37 tibus laborarunt? Attendite uos oro atq. obteſtor, præbe-
te mihi aures per ſingulas pronūciationis partes, linguam;

vocem, ſpiritum percurrenti. Quò ſpectant tot Rhetorũ præcepta, & Ciceronis in primis de ſuauitate appellandarum litterarum comparanda; deq. ruſticana aſperitate, & inſolentia peregrina fugienda? Nimirum vt lingua, ſi quid habet contra naturæ regulam deprauatum, arte, cura, nitore corrigatur.

Cic. l. 2. de diu.

Quidam, quorum linguæ ita inhærebant, vt loqui non poſſent, quo liberarentur, eam reſecari ſcalpello paſſi ſunt, vt tradit Cicero, vos vitia radi, vos deleri diligentia atq. exercitatione recuſetis? Quid Demoſthenes, qui linguæ vitio laborans pertinaciter cum natura præliatus, cum reliquis omnibus impedimentis difficultatem illam ſuperauit, qua Rho dicere nõ poterat, adeo vt poſtea planiſſime diceret, & alterum illum mater, alterum induſtria feciſſe videretur? Num Magiſtros contempſit? minime vero: non vnum ſed tres adhibuit ad faciendam huic morbo medicinam, Eubolidem, ſi Laertio credimus, Andronicũ, ſi Quinctiliano; Satyrũ, ſi Plutarcho. Qua ratione? multis uſus eſt modis: exercitatione ac meditatione ſuſtuliſſe vitium prædicat Cicero: verſibus Euripidis, & Sophoclis difficlllimis, atq. aſpertimis aſſidue pronunciandis Plutarchus: calculis in os coniectis, quos domi dicens lingua volueret Quinctilianus.

Cic. l. 2. de diu. l. 1 de orat. Val Max. l. 8 c 7 Plut. in demoſt.

Diog. Laer. l. 2. in Euclide. Quinct. l. 11. ca. 3.

Vulgata ſunt hæc, Auditores: mirabile quid habeo ſumptum à Hieronymo viro in omni doctrinarum genere atq, hiſtoriæ volutato. Neſcio an ad omnium veſtrum aures adhuc peruenerit quod ſum dicturus hoc loco. Non ille Magiſtris vſus eſt ad ſanandum linguæ morbum hominibus tantum, non Rhetoribus, non Hiſtrionibus, non Phonaſcis, ſed etiam ratione carentibus. At quibus? quibusnam? Timide dicam, propter rei nouitatẽ, & inſolentiam; ſed tamen dicam Hieronymi clypeo tectus: & humanitate veſtra fretus: à canibus, Adoleſcentes, à canibus inquam, qui cum ringunt, tum maxime Rho vehementiſſimeq. exprimunt, ſiue trium illorum magiſtrorum monitu, ſiue ſuapte ingenio voluit didiciſſe. Pro Sancte Deus; tantum in eo valuit amor explanatæ pronunciationis,

8 Hier. Apol. 1. adu. Ruff.

ciationis, vt vel ab ipſis animantibus peteret medicinam? vos à magiſtris veſtris, qui tametſi nec Attici ſunt, nec Romani; vitio tamen nullo linguæ laborant quæ Dei benignitas eſt: & tantum canibus in pronunciandis litteris, quantum ratio ſenſui præſtant, rectæ, integræ, limatiorisq. pro
38 nunciationis præcepta non audietis? Nec vocis diſciplina minima eſt; nec neceſſitas vocis moderandæ, vnde omnis pendet motus animorum, & victoria: de qua multo plura quàm de lingua produntur documenta, quæ prætereo ſtudio breuitatis. An quemquam veſtrum fugit quid à ſe ipſe Cicero fateatur vocis cauſſa perfectum? Dedit ſe in Roſcij comœdi, & Aeſopi tragœdi diſciplinam: hoc parum eſt: tum Romam tantiſper reliquit, peragrauit Aſiam, luſtrauit Græciam, audijt optimos quoſq. dicēdi Magiſtros, omne genus ſubijt exercitationis, vt nimia contentio vocis recideret, quam ſine remiſſione, ac varietate ex artis moderatione, ſumma vi, cum vitæ periculo totam effundere conſueuerat. Quod & aſſecutus, Romam mutatus à ſe ipſo atq. alter redijt; ex quo regnare in foro, dominari in iudiciis, in Senatu triumphare cœpit: vos vt aliquam in dicendo laudem conſequamini, nō eas ſcholas quas Parmæ apertas in patria veſtra poteſtis ſine vllis incommodis adire, frequentabitis? non eos Rhetores de vocis moderatione diſſerentes, qui vobis erudiendis ſine longa, & periculoſa peregrinatione præſto ſunt, attente atque alacriter audietis? M. ille Antonius dicendi gloria clarus qui ſatellites ad ſe iugulandum miſſos eloquentiæ vi lacrymari coegit, vitium ſubraucæ vocis, artificio, & meditatione conuertit in bonum; adhibēs flebile quiddam in quæſtionibus, aptum cum ad faciendam fidem, tum ad miſericordiam commouendam: vos artem, & exercitationem, quibus hæc vitia vocis vel tolluntur omnino, vel certe ad commodum aliquem vſum inflectuntur, arroganti ſupercilio, iuueniliique licentia contemnetis? Cæſar Auguſtus inter totius Imperij Romani regendi curas, non lucri ſpe, quia di-

Plut. in Cicer
Cic l. de el orat

Val. Max. l. 8 cap. 9.
Plut. in Mario.
Cic. in Bruto.

Suet. in Aug c. 84
Hier. Mercur l 3. de arte gymn cap. 7.
Plin. l 34 c. 18.

tiſſimus omnium mortalium, non maiorum honorum ex-
pectatione, quia quò altius aſcenderet, non habebat: ſed
vel cupiditate cuiuſdam honeſtæ gloriæ, vel amore perfe-
ctæ virtutis, operam dabat aſſidue Phonaſco, qui magiſter
erat moderandæ vocis à Rhetore diuerſus, vt dulcem ſo-
num vocis in loquendo, quo videlicet præſtabat, & conſer-
uaret, et augeret: vos Adoleſcentes ab alijs curis liberi: vni
huic arti capeſſendæ à parentibus deſtinati, moderandæ
vocis, & exercitationem, & præcepta refugietis? Nero itē
Imperator voluptatum inuentor, artifex deliciarum, vena
tor ſuauitatum omnium, hoſtis acerrimus probitatis ac vir
tutis, glorioſa tamen quadam bene pronunciandi, & ma-
gnæ ſplendidæq; vocis laude captus, vt alias exercitatio-
nes prætercam, laminam plumbeam pectori imponebat, &
ſub ea cantica exclamans, alendæ vocis rationem demon-
ſtrauit: Vos veræ virtutis amatores, vitiorumq; hoſtes:
vos ſolidæ laudis ab eloquentia efflореſcētis cupidi, decla-
mitandi laborem ſanandæ, augendæ, moderandæ voci nō
vtilem modo, ſed plane neceſſarium; non alacri animo ſu-
ſcipietis? Cur Demoſthenes, quem vnum in hac cura mi-
ror, in littore maris aſſidue declamitabat ad fremitum flo-
ctuum ad illud ſe ſe frangentium? Nimirum vt fori ſtre-
pitum, clamoremq. populi reclamantis atq. exſibilantis
quem erat expertus, vocis magnitudine atq. contentione
vincere conſueſceret: vos, vt aliquando cum dignitate in
medium agmen, puluerem, & clamorem venire poſſitis,
hanc domeſticam exercitationem, hanc incluſam com-
mentationem, hanc deniq. vmbratilem declamandi con-
tentionem non magna ſedulitate, atq. aſſiduitate comple-
ctemini? Deniq. tertium illud vitium, quod interclusio- 39
nem animæ vocant Rhetores, quod ab anguſto pectore o-
ritur, quod ſæpe interſpirare dicentem, ac medias perio-
dos delumbare ac frangere, nec non valetudinem corpo-
ris labefactare cogit; tollendum eſt, aut ſaltem corrigendū.
Sit vobis magiſter ille idem Demoſthenes, qui nec labori,

Cic. l. 5. de fin
Val l 8 c 7
Plut in Demoſt.
Quintil l 10 c 3
Liban. in demoſth.

nec

Digitized by Google

nec tempori, nec ſumptui pepercit, vt pectus dilataret, fir maret latera, longisſimas verborum comprehenſiones vnâ reſpiratione pronunciaret. Hic Magiſtros optimos conſuluit, ijsq; paruit: hic, vt noſtis, coniectis in buccam ſcrupulis, ſumma uoce, uerſus multos, uno ſpiritu pronunciabat, non modo domi, ut linguam quaſi limaret, & expoliret, quemadmodum diximus, ſed inambulans, & quod eſt durius, aſcenſu ingrediens arduo. Quid præterea? Numquam opinor hoc audiſtis, Adoleſcentes; decem drachmarum millium mercede didicit à Neoptolemo hiſtrione uno ſpiritu iuſtas, & integras circuitiones uerborum efferre: tantaq. diligentia meditandi; tanto labore animæ continendæ: tanta pecuniarum impenſa eſt aſſecutus, & una cõtinuatione uerborum (id quod eius ſcripta declarant) binæ ei contentiones uocis, & remisſiones continerentur.

Cic. l. 1. de orat. *Val. Max l 8. c. 7.* *Plut. in Dem.* *Quinct. l. 11 c. 3.*

Plut. in vitis x. orator. in Dem.

Quamobrem, Adoleſcentes optimi, quorum per hos paucos dies, & ingenium aptisſimum ad eloquentiam, & naturam optimam, & animum minime alienum eſſe deprehendi; quando nec uobis Parentes deſunt imperio, nec tempus ſtudio; nec ætas opportunitati, nec uoluntati ſcholæ, nec Præceptores ſcholis: facite per iſtam ueſtram præclaram indolem uos obteſtor, ut omnia linguæ limandæ, uocisq. moderandæ pariter adiumenta complectentes quotidiana ſedulitate, præceptis imbuatis ingenium, meditatione naturam poliatis, animumq. cupiditatis bene loquendi flammis, & tot perilluſtrium uirorum exemplis incendatis.

✣

Digitized by Google

DE VI AC POTESTATE ELOQVENTIÆ.

Oratio Prior. Or. III.

Ar. lib 1. Rhet. c 2. Quinct. l 2 cap. 16. l. 6 c. 1. l. 12. c. 10 Iul. Pollux. l 8. Athen. l. 13. Dipn. Lucian. in Gymnaſ. Apul. l. 10. metamor.

SI quantum Senatus, populuſq. Athenienſis 1
uim Eloquentiæ poteſtatemq. pertimuit, cum in omnibus, etiam ſeueriſſimorum Areopagitarum iudicijs, prooemiũ, & epilogum, in quibus illa permouendis affectibus dominatur, ab oratoribus adhiberi uetuit in perorando; tantum uos, Adoleſcentes, Eloquentiæ regiam potentiam admirati, pulcherrima eius forma ſplendoreq. delectati, leporem, ubertatem, ornatum, fulminaq. dicendi concupiſceretis: magna ſpe ducerer fore, ut multi ueſtrum ingenii copiis affluentes, paucis poſt annis eloquentiæ gloria florentes ſe, familiam, genus, ac patriam multis titulis honoribusq. decorarent. Nec dubito quin illa bono in lumine ueſtris oculis obiecta, non cincinnata calamiſtris huius artis, quam profiteor; non infucata coloribus è Rhetorum officina petitis; non laudum ornata margaritis extrinſecus accerſitis; ſed ueris, natiuis, ſuis tantummodo compta, polita, cultaq. ornamentis, adeo ueſtros animos excitatura ſit in admirationem, beneuolentiam, cupiditatemq. ſui, vt iſta ætate ad amandum propenſa, reuocatum à ceteris facultatibus, artibus, exercitationibus omnem amorem in hanc unam inflammato conſtantiq. ſtudio transfundatis. Nam eius naturalis dignitas, ſpecies, ac uenuſtas tanta eſt Auditores, tamq. amabilis & gratioſa, ut ipſa per ſe poſſit ſine ullis aut externis adiumentis, aut aduentitiis illecebris, aut artificioſis inuitamentis ad ſe ſe adamandam allicere, rapere atq. illigare ſpectatores. Itaq. negligam hodierna die, quas in principiis dicendi quidam animo ſolicito

Digitized by Google

ſicito atque anxio quærunt inſinuationes aucupandæ bene
uolentiæ auditorum: quam apud vos de integro captari mi
nime neceſſarium mihi eſſe intelligo; cum ex attentione,
quam ſummam in orationibus ſuperioribus mihi præſtiti-
ſtis; tum ex hodierna frequentia veſtrum, quá concurriſtis
in hanc dicendi palæſtram, quæ completa confertaq. eſt
adeo, vt iam plures capere non poſſit: multoq. minus ipſi
Eloquentiæ, de qua diſſeritur, conciliandi ſunt animi ve-
ſtri ac voluntates, quod talis eſt, vt ſimul aſpiciatur & pro-
betur; ſimul videatur & ametur. Omittam, & ornamen-
ta, & amplificationes, & artificium omne in curſu dicendi,
quod hæc depromantur ex artis theſauro tum, cum rem
ipſam tractandam vel augeri paruam, vel expleri ieiunam,
vel deniq. obſcuram oportet illuſtrari. Quare vos illud
vnum oro, atq. obteſtor per veſtram præclaram indolem
ingenij, morum, virtutis, perq. illam cupiditatem gloriæ,
qua vos liberalis ambitio titillat, vt oculos mentis in Elo-
quentiam intendatis acerrime, dum eius vim ac poteſtatē,
in qua ſuccum, ſanguinem, neruos, robur, gratiam eius ac
pulchritudinem arbitror collocatam, in orationis meæ qua
ſi tabula, vel ſpeculo repræſentatam, & expreſſam pro vi-
ribus, lingua velum paullatim auferente, voce lumen pa-
riter prætendente, vobis membratim articulatimq. de-
2 monſtro. Sed in hoc orationis veſtibulo, primoq. aditu
dicendi, mihi videor audire neſcio cuius non incurioſi, ne-
que imperiti tacitam vocem efflagitantis, quidnam intelli-
gam, cum Eloquentiam dico: quæ notio ſubiecta ſit voci
huic tam ſæpe laudibus cumulatæ: quam rem adeo præ-
ſtantem, vt ſignificaui, nomen eloquentiæ clauſam inuo-
lutamq. contineat. Mihi quidem, Auditores, pulcherri-
ma quædam eius effigies inſidet in mente; quam cum ocu
lis animo cerno, ſtupefactus admiror: & doleo pariter non
eam feliciſſimam mihi ſuppetere facultatem orationis: nō
eam copiam, vbertatemq. colorum, quibus linguæ peni-
cillo referre poſſim ad viuum imaginem eius nobiliſſimā:

opto

S Greg. Naz. carm. ad Nicob. filium. opto mihi vehementer, cum Gregorio Nazianzeno ſanctiſſimo, & eloquentiſſimo viro de hac ipſa vi cum admiratione diſputante, parem eloquentiam Eloquentiæ, vt non meis, ſed ipſiuſmet Eloquentiæ verbis ac ſententijs, quæ ſola ſe poteſt exprimere, perfectam eius formam effingam. Nam ſi dixero præſtabilem eſſe quandam facultatem bene dicendi, qua qui præditus eſt non declamator, non diſer- *Cic. l. de orat.* tus, ſed eloquens appellatur: nihil dixero. Si facilitatem non loquendi ſolum, ſed eloquendi, cum linguæ volubilitate, verborumque celeritate coniunctam definiero: cuius partus ſit docta, copioſa, ornata, & elegans oratio, voce clariſſima & ſuauiſſima pronunciata, ſumma felicitate memoriæ, acerrimo iudicio, maximo decoro, venuſtiſſimo geſtu totius vultus, & corporis ab ore profuſa. parum eſt. Si addam eſſe vim admirabilem, qua qui eſt inſtructus magna grauiter atq. atrociter; mediocria modice ac temperate: & humilia ſubtiliter ac demiſſe dicit: qua magnus hic tempe ratur varietatis huius, opportune vel docet & probat; vel *Cic. l. de orat. l. de opt gen orat* mulcet ac delectat; vel permouet ac flectit: aliquid erit, ſed non ſatis. Quid ergo? Quouſq. fertur hæc præſtan- *Cic. l. 1. de orat.* tia? Dicam huius ope facultatis eloquentem oratorem dicendo tenere hominum coetus, tractare animos, irrepere in ſenſus, permouere affectus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, & vnde velit deducere; modo elicere lacrymas ab auditoribus, modo ad riſum hilaritatemq. traducere, permiſcere totam concionem ac ciuitatem; vibrare interdum orationem fulminis inſtar, effundere aliquando fluminis incitati ritu pleno gurgite, & alueo redundante: pugnare in contentionibus non modo fortibus, ſed etiã ornatu fulgentibus armis; non ſolum ferire fulminibus, ſed etiam terrere tonitruis, & fulguribus coruſcare: dicam hæc, & Eloquentiam primis lineamentis adumbrauero.

Cic. ep ad Brutum apud Quinct. l. 8. c. 3. Quoniam autem eloquentiam, quæ non habet admirationem, nullam iudicat ſummus artifex orationis M. Tullius, 3 veram atq. ſpirantem eloquentiam eam eſſe pronuncio, quæ

Digitized by Google

quæ facit, vt oratori turpe ſit quidquam, aut ſpectari, aut audiri libentius; vt ſolus vel cum paucis facere poſſit, quod omnibus natura datum eſt: vt dicendo moueat non approbationes modo, ſed admirationes, clamores, plauſus; vt eius perſuaſione victi fractiq. ciues patiantur in ciuitate plurimum poſſe, ac libere dominari; finitimi ac longinqui fama exciti concurrant ad eum audiendum, in eo exhorreſcant, & exclament, cum eo nemo mortalium contendere audeat: eum deniq. omnes gentes, non vt hominem ſed quaſi ſemideum, vel terreſtrem Deum obſtupefacti ab eius ore pendentes intueantur. Per hæc non equidem exiſtimarem Eloquentiam eſſe plane deſcriptam, niſi me clariſſimorum Rhetorum confirmaret auctoritas, qui tradunt hanc eſſe veram dicendi facultatem, & germanam eloquentiam. Hinc opinor lux vobis oboritur, qua diſpicere incipitis robur, neruos, ac vires tam præſtantis facultatis, quas potisſimum in illis tribus amplisſimis docendi, delectandi, ac permouendi muneribus, promit, adhibet, exercet. Atq. in docendo, quod eſt neceſſitatis, & de quo multa ſunt à me prima oratione diſputata; tametſi maximam habet ad mirabilitatem eloquentia, tum à ratione ipſa loquendi naturali, tum à felicitate interpretandi, enunciandi, ac referendi fideliter cogitata mentis, & optata voluntatis; tamen vis & poteſtas, de qua nunc diſſero, maxime ſcilicet in delectando, ac flectendo, in quibus motus quidam ineſt, animiq. tractatio, continetur. Pericli fortisſimo ciui, qui annos quadraginta præfuit Athenis, & vrbanis eodem tempore, & bellicis rebus, ſumma vis eloquentiæ pasſim ab omni antiquitate tributa eſt: quam Eupolis Poeta comicus inter maledicendum, quod tum Athenis ciuitate libera fieri licebat, ſic expresſit, vt diceret in eius labris habitaſſe Πειθὼ, tamen in eorum qui audiiſſent mentibus aculeos quaſi quoſdam relinquere conſueuiſſe. Sed quid eſt hæc Pitho? Quodnam myſterium latet in eo, vobis adoleſcentibus obſcuro, & incognito verbo? Deam quandam putat

Cic. l. 3 de orat.

Quinct. l. 12. c. 10.

4 *Cic. l. 3. de orat & l. de cl. orat. Val. Max. l. 8 c. 9. Pl. l. 1. ep. 20 ad Corn. Tacit. Plut. in Pericle Lucian in Encom. Demoſth.*

Pauſ. lib. 1. tat eſſe M. Tullius, cuius imaginem Praxitelis opus The-
Quinct. lib. 2. c. 15. & l. 10. c. 1. bis in templo Veneris dicatam produnt: quam perſuaden
Cebet. tabula. di tum opificem, tum Deam interpretatur Quintilianus:
Pauſ. l. 9. eamq. Eruditionis filiam, Veritatiſq. ſororem Sapiẽtes tra
dunt; nec deſunt qui eandem in tribus Gratijs numerent;
Ennius Suadam vocat, arbitror à ſuadendo; & indidem
Cic. l. de cl. orat. Suadelam appellat Horatius: cuius vim tantam exiſtimauit
Hor l. 1. epiſt. ad Numic. eſſe Themiſtocles vt eam æquauerit Neceſſitati. Nam cũ
Herod. l. 8. in Andrum pecuniæ cauſſa in bellum exigendæ nauigaſſet
ſe duas Deas ciuibus illis afferre dixit, Πειθὼ ϗ Ἀναγκαίην
Plut. in Themiſt. Perſuaſionem, & Neceſſitatem, quibus Athenienſes freti
pecunias expoſcebant. At Cicero quem alij ſequuntur
non vno in loco ſuauitatem interpretari videtur, cum Eu-
polidis teſtimonium de Periclis eloquentia referẽs in eius
labris, inquit, inſediſſe leporem. Quid hoc eſt? pugnan-
tia loquitur Cicero modo Deam Suadam, modo leporem
interpretans? Num ab ſe, atq. ab aliis diſſentiens contradi
xit? Minime vero: Sed quia notio verbo illo deliteſcens
quaſi prægnans vim duplicem Eloquentiæ, delectandi, &
permouendi continebat, voluit vir prudentiſſimus atque
ingenioſiſſimus, diuerſis in locis vtramq. vim è verbo illo
enucleare, atq. excutere, quam Eupolis eleganter incluſe- 5
rat. Itaq. merito Pericles ea tutus atq; inſtructus oris ho-
ſpite Pitho perſuaſionis Dea: munitus labrorum habitato
re lepore, permulcebat Athenienſium aures ſuauitate di-
cendi: & ſimul in eorum animis ſtimulos, quibus punge-
rentur relinquebat: api conſimilis, quæ mel dulciſſimum
pariter habet, & aculeum acutiſſimum. Merito illæ ipſæ
Athenæ, quæ ſæpe ipſius lepore ac ſuauitate hilaratæ ſunt;
& copiam atq. vbertatem admiratæ, uim eius ac terrorem
pertimuerunt: quippe quod ille ipſe qui nonnumquam lin
gua nectar & ambroſiam fundebat; qui mellitos rores, uio-
las roſaſq. ore ſpargebat: interdum quoq. tonando mina-
batur; fulgurando terrebat, & fulminibus concionum ſua-
rum totam ciuitatem, ac Remp. permiſcebat uniuerſam.

Eandem

Digitized by Google

eandem geminam poteſtatem, quæ ſuauitate perfundit animos,& ſuaſione perfringit Homerus Poetarum magiſter in Neſtore,atque Vlyſſe deſignauit; illius ſuauem orationem melle dulciorem, & huius copiam atque impetum niuibus hibernis parem tam inſigniter decantans. Eodem ferebatur Claudiani ſtylus in laudando Manſio,cui tribuebat in panegyrico poteſtatem vtramque pertrahendi dulcedine,& copia peruincendi, verſibus illis pulcherrimis. *Cic.l.de cl.or.*

Iam dulce loquendi
Pondus,& attonitas ſermo qui duceret aures:
Mox vndare foro victrix opulentia linguæ
Tutariq. reos.

Claud. in Paneg. Manlij.

6 Atque ut agamus primo loco de vi delectandi:mirabiliter hæc apparet & cernitur cum eloquens Auditores ſuos,vel diu cum voluptate ſine ſatietate detinet ab ore ſuo pendentes:vel ducit pæne captiuos quocumque libet: vel pertrahit ad ſe audiendum è longinquo. Detinet primum eloquens diutiſſime attentos ac patientes auditores: quod cum in Demoſthene, Pericle, Cicerone, Hortenſio, ceteriſque clariſſimis oratoribus omnium ſæculorum perorantibus viſum ſit, & noſtra etiam ætate cernatur: tum vero id habemus à luculentiſſimo teſte Gregorio Nazianzeno iam commemorato, qui inter Græcos magiſtros Chriſtianorum à doctrinæ theologicæ præſtantia Theologi cognomen eſt adeptus, & propter eloquentiam inter primarios oratores connumeratus eſt. Is cum in ampliſſima vrbe Cōſtantinopolitana, maximo ac refertiſſimo templo, celeberrimis concionibus ad populum peroraret, mirabatur aliquando,vnde attentio tanta naſceretur,vt omnes in ſe dicentem aures, mentem, oculos conuerſos haberent: vnde ſilentium tam magnum,vt nec vox,nec oſcitatio,nec ſuſurrus, nec reſpiratio exaudiretur: unde patientia tam inſignis tandiu, vel ſedendi, vel ſtandi ſine defatigationis ſenſu proueniret. Atque vt erat modeſtiſſimus,horum omnium cauſſam retulit in Deum Opt.Max.& merito in do- *S.Greg Naz.or. 12.quæ eſt.a.de ſeipſo.*

ctrina diuinitus accepta tradenda Chriſtianis: quæ quia, propter perfectionem in multis captum excedit humanū, non niſi ope diuina, & traditur, & addiſcitur. Sed quoniam humana quoque florebat eloquentia, quam uis diuina non negligit; ſi cauſſas humanas quærere inſtituiſſet, admirationem inter eas comperiſſet: quæ rebus nouis, inauditis, ſingularibus, ijsque præclaris ac ſublimibus in nobis excitatur. Cur cometen ex improuiſo in aere comparentem atque ardentem omnes intentis oculis ſæpiſſime, ac diutiſſime contuentur? Cur Philoſophi ex inſolitorum naturalium effectuum aſpectu, quærentes cauſſam, in eorum

Cic. l. 3. de orat. diligenti contemplatione defiguntur? Atque hæc, M. Tullii teſtimonio, tanta eſt interdum in oratore eloquentiſſimo audiendo, vt auditores exhorreſcant, obſtupeſcant, exclament, applaudant pæne delirantes. Hinc eſt quod

Quinct. l. 8. c. 3. Quinctilianus orationem cornelianam Ciceronis admirans, in qua populus Romanus admirationem quoq; ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confeſſus eſt: *Non*, inquit, *tam inſolita laus dicentem eſſet proſecuta, ſi vſitata, & ceteris ſimilis fuiſſet oratio: ſed ſublimitas, & magnificentia, & nitor, & auctoritas illum fragorem expreſsit*. Subditque illos qui aderant, non ſenſiſſe quid facerent, nec ſponte voluntateque plauſiſſe, ſed velut mente captos, & quo eſſent loco ignaros in illum voluntatis affectum erupiſſe. Verum admiratio neque ſola, neque integra, neq; 7
præcipua eſt cauſſa patientiſsimæ attentionis; quod cauſſa peruestigata, atque deprehenſa rei mirabilis illico ſolet euanſcere: ſed illa iucunditas inexplicabilis, ſuauitas, ac dulcedo reſidens in ingenio, labris, oratione, voce, vultu, geſtuque oratoris, qua delectat ac perfundit auditorem; & in auditore delectatio ex auditione percepta, & inde continenter manans ac defluens aurium mentisque voluptas. Minus id fortaſſe cogitans idem Gregorius indicauit, cū illius attentionis cauſſam magnetis virtute ferrum trahentis declarauit. Hic vos, Adoleſcentes, potiſſimum attentos

volo,

volo, tum quia uobis inaudita ſunt quæ dicam, tum quia nulla ſimilitudine aptiore poterat explicari delectationis uis in detinendo. Lapis eſt in rerum natura, quem Plato vocat Herculeum, ob vim incredibilem, opinor, quam intelligetis, nos Latini Magnetem; aſpectu, ſicut loquitur Claudianus, *Decolor, obſcurus, vilis*, virtute præſtans, ſingularis, plane mirabilis: quippe qui magna improbitate naturæ, neſcio qua ratione ferri ramenta, fruſta, clauiculos, aculeos non longe poſitos ad ſe rapit, & detinet appenſos cum admiratione Philoſophorum, quorum adhuc occulta cauſſa torquet animum, & exercet ingenia. Quod ſi contingat annulos prope abeſſe, trahit illos alium ex alio ſic, vt fieri propemodum catena videatur, de qua magni doctrina, & ingenio viri philoſophati ſunt Plato, Lucretius, Plinius, Philo, necnon è noſtris Ambroſius, Auguſtinus, Iſidorus, ac Hieronymus, qui Chriſti Liberatoris noſtri vim concionum homines pertrahētem ea catena deſignauit. At videte quàm multis in rebus ſimilitudo reſideat. Ibi eſt lapis trahens; hic orator eloquens: inde uirtus occulta transfunditur; hinc recondita delectatio tranſmittitur: ſtupet annulus, & tamquam latenti veneno inficitur; ſtupeſcit auditor, & dulcedine latenter afficitur: rapitur ille ad magnetem, & inuiſis vinculis lapidi adhæreſcit; capitur hic ab oratore, & pendens ab eius ore mirabiliter tenetur: ille vbi ſemel adhæſerit numquam ſua ſponte diuellitur; hic vbi ſemel eſt captus non niſi vi neceſſitatis abſtrahitur. Quid quod à magnete catena pendet annulorum;

8 & ab eloquente oratio catena verborum? In magnete denique quæritur adhuc, & quæretur, vt mea fert opinio, in omne poſterum tempus, quid ſit ea virtus, amor ne an ſympathia: qualis ea vis, corporatane an corporis expers: vbi lateat, in ferro ne an in magnete: cum rapitur ferrum, accurritne an trahitur? de eloquentia pariter à Rhetoribus diſputatur, & perpetuo diſputabitur quanam ratione permulceat, oblectet, ac detineat auditores. Non enim hic ar-

Plato in Timeo

Claud epigr. de Magnete.

Plin. l 36. c. 16.

Plato in Ione.
Lucr. l. 16.
Pl. l 34 c. 14.
Philo l. de op. Mundi.
S. Ambr. l. de Parad.
S. Aug. l. 21. de ciu. c 4.
S. Iſid. l 16. orig. cap. 4.
S Hier. in ca 9. Matt.

Guill Pariſ P. 1. de Vniu. p. 1. ca. 46. & p 3 c. 11.
Hier. fracaſt. l. de Symp. & Antip rerum c 5.

tifex delectationis audientes capientis ac retinentis eſt tantum uerborum delectus ac nitor, quod eadem culta & nitida uerba ſæpe in ore alius obſoleſcant: non ſententiarum acumen & argutiæ, quod eædem ab alio dictæ frigeſcant. Num materiæ iucunditas? Poteſt hæc aliquid; ſed ea ſola non detinet, cum cetera ſuauitate non reſpondent. Vocis ſuauitas, ſplendor, & magnitudo? Permulcet illa quidem aures, ſed ad mentem non pertinet. Venuſtas actionis ac decora pronunciatio? Fateor has multum poſſe, ſed non omnia. Verborum, & ſententiarum ornamenta? Plurimum hæc ualent ad delectionem, præſertim cum prudenti varietate temperentur; ſi tamen alia multa comitentur. Quid ergo? cumulus horum omnium? Mihi certiſſimum eſt omnia quæcumque commemorauimus; & multo plura quæ prӕterij neceſſario conſpirare oportere ad conſtituendum hunc uoluptatis effectorem: ſed ſæpe accidit, ut nihil horum quæ diximus in oratore deſideres, nec tamen placeat, aut ſi placeat in principio, non fugiat in curſu dicendi ſatietatem auditorum. Itaque vt euenit in magnete, effectus apparet, cauſſa latet. Quis in audiendo eloquentiſſimo uiro, numeris omnibus abſolutiſsimo non permulcetur? Quis non ſentit ſe cum uoluptate detineri? Quis non id animaduertit, & fatetur ſibi uim quandam afferri, qua recedere à concione prohibetur? Quis quam- 9
quam ingenioſus, doctus, ac prudens plane diſtinguit, in quo nam, ex tot naturæ, uel artis muneribus, reſideat potiſſimum id, quo placet, arridet, & probatur orator? Siue igitur hanc delectationis cauſſam cum quibuſdam dixeris ſaporem quendam nectaris, ambroſiæ, mellis aerei ſimilem: aut leporem, qualis in ore Periclis ſeſſitabat: ſiue Gratiam, non de numero commentitiarum, ſed qua uere gratus, acceptus, & gratioſus redditur auditoribus orator: ſeu Venerem nominaueris, non illam quidem fictam in fabulis cupidinis matrem, quæ ut ait ille

Auſon epigr 32 *Nata ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cælo eſt;*

ſed

Digitized by Google

ſed aliam quandam veram Gratiæ filiam, in ore, labris, lingua, vultu, geſtu, totoque corpore atque ingenio dicentis habitantem, quæ venuſtam facit actionem, ac pronunciationem concinnitate neſcio qua rerum omnium noſtris apta, & accommodata ſenſibus: elocutionem vero margaritis diſtinguit ornamentorum: gemmis illuminat, floſculis aſpergit, numeris concinnat, & omnibus feſtiuitatibus complet: tum gignit amorem in audiẽte qui cunctis in rebus, quas amat, oblectationem comperit, & iucunditatem: ſiue catenam vocaueris, non vt eſt illa pendens à magnete ficta non facta, paucis annulis non inſertis, atque inter ſe connexis, ſed extrinſecus adhæreſcentibus aſſimulata; verum ferreæ perſimilem, verborum elegantium, & bene ſignificantium annulis nexam, & compactam, quæ liget, vinciat, & conſtringat animos auditorum; qualem catenam Mercurio tribuebat antiquitas eloquentiæ Deo, iactatam *Eunap. in Porphyr.*
1 prouerbio ἑρμαϊκὴν σειρὰν: ſiue denique ſympathiam appellaueris, hoc eſt conſenſum quemdam, & quaſi concentum, tum earum rerum quæ in oratore ſunt, inter ſe; tum inter oratorem atque auditores, illius ingenium, linguam, & geſtum; & horum aures, oculos, & ingenium: quidquid, inquam, horum dixeris, cauſſam deliteſcentem voluptatis effectricem, animorum vinculum, compedes auditorum adumbraueris, deſcripſeris, ſignificaueris, non depinxeris, expreſſeris, declaraueris. Quarum omnium
10 deſcriptionum, ſi mihi detur optio, poſtremam eligam, in qua concentus auribus iucundiſſimi mentio facta eſt. Quid enim eſt eloquentis oratio, niſi cantus quidam muſicus, qui non tam aures mulcet, quàm animum oblectat, etiam M. Tullij magiſtri huius artis teſtimonio? Quod equidem *Cic. l. de orat. & l. 2. de orat.* dixerim, non tam quod vocibus componatur, quæ muſices ſunt artifices, & inſtrumenta; non tam quod in oratione ſoni, ſonorum interualla, modi, flexiones, & numeri reperiantur, qui ſuo modo, quamquam diuerſo, & potiore iure in harmonia dominantur; quàm quod in ea, quemadmo-

dum

dum in teſtudinis ſono nerui, in Muſicorum cantu voces, in organorum ſymphonia ſoni concordant, ſic ea omnia concinant, quæ ad orationem formandam, pronunciandamque concurrunt. Itaque cum inuentio diſpoſitioni reſpondet; & cum diſpoſitione conſpirat elocutio; nec actio diſcrepat à memoria, nec à rebus inuentis: cum vultus aptatur voci, vox geſtibus accommodatur; cum ſenſibus auditorum dicentis ingenium, vox auribus, motus oculis cōgruit: cum decorum eloquentis, cum auditoribus, rebus, & dicentis perſona concordat: & denique in oratione totaque actione, extrema primis, media vtriſque, omnibus omnia, ſingulis vniuerſa, rerum omnium accuratiſſimo contextu ſtructuraque cohærent, concinunt, & conſentiunt; tum ille concentus elicitur, qui delectat adeo, capit, & detinet auditores. O concentum non minus potentem quàm ſuauem, qui detinet oblectando, & vinciendo delectat! Cu-

Plato in Euthyd. ius vim ac potentiam non obſcure Plato ſignificat, cum 11
ſupra ceteros mortales locat oratores, quod eorum facultas diuina pæne ſit, & particula quædam magnæ illius, & admirabilis artis excantandi. Nam vt hæc ſiue carminibus, ſiue vocibus ſcorpios, viperas, araneas, angues venenatas mitigat; morboſque minuit, ac leuat: ita vis oratoria delectamentum eſt auditorum, delinitio multitudinis, quæ ſerpentium excantatarum more obſtupefacta conſiſtit in audiendo. Quid quod eumdem concentum fabulæ ſapientum innuebant cantu Sirenum, Orphei, Mercurij? Nam Sirenes cantus ſuauitate præternauigantes detinere

Orat. 2 n. 19. & ſeqq fingebantur. Quot & quibus inſtrumentis? Voce, tibia, lyra. Meminiſtis, credo, proxima oratione probatum à me fuiſſe, in ore humano non modo vocis ſonum eſſe proprium, ſed prætere a lyram quandam, ac tibiam, vnde cantus admirabilis orationis funderetur. Igitur eloquentia quæ teſtudinis, tibiæque inſtar eſt, permulcebant illæ nauigantes; lepore dicendi pelliciebant; orationis catena colligatos detinebant; quod & illi ſenſiſſe videntur; qui Sire-

num

Digitized by Google

num nomen ἀπὸ τῆς σειρᾶς hoc eſt à catena traxerunt, quod eloquentiæ catena prætereuntes conſtringerent oblectando. Cur Orpheus cantu lyraque non trahebat modo, ſed etiam detinebat feras & flumina? nisi quia voce & oratione feros homines manſuefactos, vt docebo, & qui ritu fluminum effrenati ferebantur, eloquentiæ ſuæ vi delectatos in officio continebat? *S. Greg. Naz. Car. ad Nicob. filium.*

Orpheu te tenuiſſe feras, & concita dicunt
Flumina Threicia ſuſtinuiſſe lyra. *Proper. l. 3. eleg. 2*

Cur Mercurius, qui Præſes habebatur eloquentiæ (quam ob cauſſam lingua illi ſacrabatur) inventor etiam lyræ dicitur, niſi quia parens elegantis, cultæ, ac numeroſæ fuerat orationis, quæ muſici concentus in modum, aures hominum ſuauitatis ſuæ melle delibutas tenet? Cycnus item eandem ob cauſſam eloquentiæ ſymbolum eſt: & Cygnea vox & oratio tum apud Ciceronem, tum apud alios ſcriptores bonos, pro virorum eloquentiſſimorum poſtrema vel ſcriptione, vel dictione vſurpatur; & cycni pullus in ſomnis viſus à Socrate in ſinum ſuum primum ex ara Cupidinis, deinde in cælum ingentibus alis euolans, Platonem, ob ſuauitatem, & copiam orationis, Socrate ipſo interprete, & coniectore præſignificauit. Quod ſi muſica vocum & concentus quoque auium nihil ſignificans tantopere ſenſus afficit, mulcet, delectat; quid mirum id præſtare orationem elaboratam, & elegantem viri ſapientis tam multa, tum auditu ſuauia, tum intellectu iucunda ſignificantis? *Athē. l. 2. Dipn. Hor. l. 1. od. 10. Cic. l. 3. de orat. S. Hier. ep. 2. ad Nepot. S Greg. Naz. in Carmin. Apul. l. de Dog. Plat. Diog. Laert. l. 3. in Plat. Tertull. l. de An. c. 46.*

12 Dixi Parmenſes, de vi ſuauis eloquentiæ in detinendo catenæ ferreæ non nihil ſimilis: ſed mirabilior eſt uis eloquentis aureæ catenæ perſimilis in trahendo. Quos enim voluptate cepit, ac tenuit attentos ſine ſatietate, ſi voluntas ferat, poſt ſe ducit quocumque libet. Reges quoque Theologus magnus inquit Gregorius, ac cœtus hominum quò vult trahit, verſat, rapit. Extitit ante quingentos ferme annos (vt à fabulis, & priſcorum hiſtorijs paulliſper abeamus) vir quidam religioſus, Petrus nomine, domo *S. Greg. Naz. Carm. ad Nicob. filium. Guill. Tyr. l. 1. de Bello Sacro ca. 11. 13. & 22.*

domo Gallus, Ambianenſis patria, ſolitudinis habitator ab ineunte adoleſcentia, probus vita, & quod notari mente cupio, natura diſertus, ita vt ſuauis pariter, & copioſus eſſet ac vehemens. Is per Italiam, & trans Alpes maxime per Galliam concionando paucos intra menſes effecit ut armatorum hominum quinquaginta millia ſe in Aſiaticam expeditionem Ieroſolymæ cauſſa recuperandæ ſequerentur. Scio iuuiſſe Summi Pontificis Vrbani II. cohortationes, & auctoritatem; qui Chriſtianos omnes ad tam præclarum facinus verbis, litteris, nuncijs incitabat: Scio valuiſſe multum religionem dolore miſtam in pectoribus Latinorum excitatam fama calamitatum, quibus Paleſtini crudeliter à Turcis, ac Saracenis premebantur: at quod magis hunc inermem homuncionem rei militaris imperitum, pecuniis vacuum, nulla fultum auctoritate, vel à nobilitate generis, vel à ſcientia bellicæ diſciplinæ comparata ſequerentur; quàm Gotfredum Bullonium, aut Balduinum fratrem, aut Boemundum Apuliæ Principem, aut alios claros natalibus, opibus, rebus geſtis Duces, qui tum erant in procinctu: quod tot numero; tam diuerſi genere; tam diſſimiles moribus; tanta patientia laborum itineris terreſtris, pedeſtris, deuij, longiſſimi multorum menſium; tanta perpeſſione incommodorum, contemptioneq; periculorum; ab eo vno tum humili, tum puſillæ ſtaturæ homunculo penderent, vndenam potuit proueniſſe niſi ab eloquentia, quam hiſtorici temporum illorum inſignẽ in eo notauerunt; & Græcorum Imperator Alexius Conſtantinopoli in eius congreſſu eſt vehementer admiratus? 13

Quamobrem, Adoleſcentes, mihi ſemper viſum eſt prudenter excogitatum, & idoneum maxime ad rem, quam pertracto, declarandam inuentum illud veterum Gallorum ſapientum, quibus pro Deo eloquentiæ præſide, vt Græcis Hermes, Latinis Mercurius; Hercules colebatur: quem Druides, atque Aegyptii fuiſſe virum eloquentiſſimum pluribus ac varijs nominibus deſignatum arbitran-

Lucia. in Herc. Gallico.

Adag. col. 1313.

tur,

Digitized by Google

tur, nec à Mercurio re ipſa diuerſum; quam ob cauſſam ſtatuis utriuſque gymnaſia exornabantur; nec defuerunt qui quia putabant eumdem eſſe, vnum duos referens ſignum, quod Hermeraclam M. Tullius vocat, artificioſe finxerint. Hunc igitur Herculem effingebant Galli ſpolio Leonis indutum, armatum claua, lingua ex ore prolata, cuius è mucrone perforato catenulæ aureæ prodibant innumerabiles, quæ immiſſæ altero capite in perforatas item aures totidem hominum, trahebant lætam atque alacrem infinitam prope mortalium multitudinem poſt Herculem humaniter illis arridentem. Quid eſt hoc Auditores? Quid nam ſignificant hæc inaudita Herculis ornamenta? Nimirum eloquentiæ vim in trahendo mirabilem. Herculi tribuunt, opinor, hanc catenam, quam Græci Mercurio, vt audiſtis; vel quod exiſtimarent hominem eloquentem, qualem nondum Antonius audiuerat, alterum in diuerſo genere fortitudinis Herculem eſſe: vel herculeum eſſe facinus, homines liberæ voluntatis, pro arbitratu trahere dicendo; viribus Herculis opus eſſe in ſenſibus, affectibus, uoluntatibus humanis permouendis: Delectationem, & Perſuaſionem in loquendo propter maximam difficultatem vulgatis duodecim laboribus Herculis eſſe tãquam tertiumdecimum addendum. Promitur lingua, quã à me iam didiciſtis, præcipuum eſſe locutionis inſtrumentum, orationis plectrum, manumque Rationis in ore tibiam, lyramque pulſantis. Pendent ex ea catenulæ aureæ ſignificantes idem quod aurea virga Mercurii; & aurea catena Homerica Iouis è cælo demiſſa; Locutionem, orationemque eloquentis perfectione, pretio, ſplendore non mò do cum auro conferri, ſed æquari; cuius rei certa ſunt argumenta tributa uiris eloquentibus aurea cognomina Chryſoſtomorum, Chryſorrhoarum, & Chryſologorum. Trahuntur auribus homines, quod hæ tum verba recipiãt; tum voci ac linguæ reſpondeant ac deſeruiant. Læti ac ſponte ducuntur catenati; quod eloquentiæ vis, eſt ſine ui;

Cic. l. 1. ep. 8. ad Atticum.

Hor. l. 1 od 10. Lucian. in Hermotimo, & in Ioue tragœdo.

violentia eius,non eſt violenta ; ducit, ſed non repugnan-
tem;trahit, ſed non renuentem; cogit ſed non inuitum. O
catenam ſuauem,o dulcem vim,o ſuauitatem herculeam.
Plut. in Polit. Iam num intelligo vetus prouerbium ; Lupum auribus 14
non poſſe teneri ; poſſe populum , & inde maxime duci.
Deprehendo mirum artificium Claudiani Manlium lau-
dantis ab eloquentia , cum primo loco tribuitur illi

Claud. in Paneg. Manlij.

Dulce loquendi
Pondus,& attonitas ſermo qui duceret aures.

Hor. l. 1. od. 12. Capio mentem Poetarum , cum apud hunc, dicitur Or-
pheus cantu,& oris lyra , & dentium fidibus canoris auri-
tas ducere quercus;apud alium lego ;

Et Siluas,& aues,ſaxaq. traxerat ;

Sen. in Herc. fur. hoc eſt ſilueſtres homines conſilio , & oratione mitigatos
per aures à fera vita reuocatos, ad ciuilem eſſe pertractos.
Video non incredibilem eſſe magnam illam hyperbolen
Horatij de Amphione Thebanæ vrbis creatore , qui di-
ctus eſt,

Hor. in Poet.
S Greg. Naz. Carm. ad Nicob. fil.

Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
ducere quò vellet ,

cum eloquentiæ vi & ſuauitate barbarorum pectora mol-
lierit , atque ad bene moratæ vitæ rationem in ciuitate
mœnibus cingenda traduxerit. Nec vero detinet hæc ſua- 15
uitas diu;aut præſentes ducit quò libet , ſed etiam , quod
alicui videri poteſt,& iure,mirabilius attrahit è longinquo
quaſi longiſſima ex ore miſſa Iouis aurea catena;concurſus
ad ſe facit eorum qui numquam audiuerunt; ſed vel exci-
tati rumore , vel fama permoti , vel opinione ducti con-
fluunt ad audiendum eloquentem. Docuerunt Athenis,
vbi omnes doctrinæ inuentæ , atque vnde in omnes terras
diſtributæ putantur,Socrates,Plato,Xenocrates,Ariſtote-
les, Anaxagoras Philoſophorum facile Principes: qui con-
curſus ad eos audiendos ? Si ducenti,ſi trecenti auditores
diſputationibus eorum eruditiſſimis intererant , magna
frequentia videbatur: bene ſecum actum ipſimet putauiſ-
ſent,

Digitized by Google

ſent, ſi quingentos auditores è ſella ſpectauiſſent. Verum ad Demoſthenem perorantem quot accurrebant? quot ex oppidis? quàm longinquis? Ad eum cum dicturus eſſet, auctor eſt M. Tullius eius æmulus gloriæ non ex finitimis *Cic. l. de cl. orat.* oppidis tantum, aut ex una Ciuitate, ſed ex vniuerſa Græcia *Idem l. de opt. gen. orat.* concurſus audiendi cauſſa fieri conſueuiſſe: & tum præſertim ſunt facti, cum venit in iudicium cum Aeſchine clariſſimo item oratore, atque æmulo laudis. Quid enim aut tam viſendum, aut audiendum fuit, quàm ſummorum oratorum, in grauiſſima cauſſa, accurata & inimicitijs incenſa contentio? Catonis ſenioris ætate Romam *Cic. l. 2. de orat.* venit Carneades Academicus philoſophus vna cum Cri- *Plut. in Cat. ſen.* tolao peripatetico & Diogene ſtoico legatus miſſus Athe- *Æl. l. 3. var.* nis: cuius uis incredibilis, & celeritas, & copia dicendi, quę *hiſt. c. 17.* *Pl. l. 7 cap. 30.* mulcebat, & tenebat, cum ſalutaretur, deguſtata; tanto ru- *Agell. l. 7. c. 14.* more atque admiratione vniuerſam vrbem, nominisque *Macr. l. 1. Sat.* fama compleuit, vt cuncta iuuentus poſthabitis volupta- *cap. 5.* tibus, intermiſſis conſuetis exercitationibus ad eius hoſpitium audiendi gratia ſpiritu cupiditatis incredibilis afflata conflueret. Quid Ciceroni fiebat? Num ipſe vel Demoſtheni, vel Carneadi fuit inferior? Opificum officinæ claudebantur, (quod alicubi me legiſſe arbitror) cum ille cauſſam aliquam acturus, vel concionem habiturus eſſet: vt viri, pueri, adoleſcentes conuenire poſſent: tanta erat opinio de mirabili eius eloquentia, tanta voluptas in audiendo, vt ad eum ſemel auditum certatim omnes iterum ac ſæpius audituri concurrerent. Mitto T. Liuium, qui Ga- *Pl. l. 2 ep 3. ad Nepotem.* ditanos ciues ab Hiſpaniæ finibus vſque Romam traxit *S Hier ep. 103.*

16 vbertate lactea dicendi. Mitto veteres alios, vt aliquid di- *ad Paulinum.* camus de Chriſtianis oratoribus, qui ſingulis ſæculis, atque ætatibus, ex omnibus Religioſorum virorum ordinibus eloquentiſſimi prodeunt. Nondum anni ſunt ducenti, cum Vincentius Ferrerius Hiſpanus è familia prædica- *Petrus Ranz. l. 2. vita. c. 7.* torum vir diſertiſſimus & ſanctiſsimus Hiſpaniam, Galliam, magnamque Italiæ partem concionando luſtrabat:

ad quem tanti fiebant concurſus, vt extra templa, in foris, in campis perorare cogeretur; tanta hominum celebritate, vt aliquando ad octoginta millia concio peruenerit. Secutus eſt eum ſeneſcentem Bernardinus Senenſis Ordinis Minorum dulcedine vocis, & eloquentiæ ſuauitate pæne par, vitæ ſanctitate non minor, qui concionans per Italiam æquales fere concurſus habebat: concionaturum in templis præueniebant in aurora: captabant ſubſellia, locum occupabant antelucano tempore, ne non audire poſſent: præſtolabantur multas horas vocem illam ſuauem auribus excepturi; cenſaque ſunt in eius concione nonnumquam capitum triginta millia. Pro Deus immortalis! cui non erit perſuaſiſsimum ita proprium eſſe præſtantis eloquentiæ tenere, ducere auditores, concurſum facere, vt nec Philoſophia, nec Aſtrologia, nec Medicina, nec vllius artis doctrinæue profeſsio queat parem ſibi laudem arrogare? Iam vero mihi gaudeo, vobiſque gratulor, Adoleſcentes, aliquando tandem orationem meam in Eloquētiæ Regnum 17
perueniſſe: pedem intulit in poteſtatem permouendorum, flectendorumq. animorum, vnde iure flexanima, & omnium Regina rerum à bono Poeta vocitatur. Duplicem animi partem optimi quique Philoſophi comperereunt in nobis; expertem rationis alteram cum belluis, rationis compotem alteram cum Superis communem. Vtramque ſuis machinis adoritur eloquens: vtrique admouet ſuos arietes: vtramque non oppugnat modo vehementer, ſed feliciter expugnat. Ac primum in viliore parte (in qua ſedem habēt Appetitus, & Ira, & vbi degunt in eorum contubernio cuncti affectus illorum duorum Principum affines atque aſſeclæ, metus, odium, amor, voluptas, miſericordia, lætitia, mœror) hæc Regina dominatur, regnat, triumphat, exercetq. pæne tyrannidem; vel affectus illos ſedatos perturbando, vel ſedando perturbatos. Nam cum libet, & iram accendit extinctam; & odium irritat pacatum;

Laur. Sur. in vita cap 27. Maij 20.

Pacuuius apud Cic. l. 2. de orat.
Ar. l. 6 Eth c. 1. & l 7 Polit. c. 14 15.
Pythag. Plato. Xenocr ex Theodor. l. 5. de cur. Græc aff.
Cic. l 1. off.
L Sen. ep. 77.
Plut. l. de virt. mor.

Cic. l 2. de Nat. Deo.
S Ambr. l. 6. in

tum; & lætitiam exſuſcitat dormientem: modo metum *Hexam.c.9.*
expergefactum conſopit: mœrorem inſanientem conſo- *S.Greg Naz. carm.ad Nicob.*
latur; voluptatem comprimit geſtientem: ſæpe lacrymas *fil.*
habenis quaſi quibuſdam & aſtringit, & relaxat: vt non mirum videatur ab Athenienſibus tot cautiones iudicibus adhibitas fuiſſe; tot prouiſiones innocentibus reis; tot clypeis, muris, ac munitionibus, vt ita dicam, protectos, defenſos, ac munitos Iudices, lege, præcone, nocte, tenebris: vt ne recta ratio, per affectuum permotionem, quæ per ſenſus oculorum, atque aurium irrepit ad animum, in iudicio
18 ferendo, ab æquitate, iuſtitiaque deflecteret. Etenim admoniti atque docti multis exemplis, quàm potens eſſet hęc tyrannis oratorum eloquentium, in commouendis affe- *Athen.l.13.*
ctibus, peruertendisque iudiciis, & in primis Hyperidis *Dipn. Quinct.l.2.cap.*
facto, qui Phrynem famoſum ſcortum, grauiſsimorum ſce- *15.*
lerum ream, eius nudato pectore, & ad commiſerationem excitato ſeueriſsimorum iudicum conſeſſu, nocentem licet, à ſententia mortis eripuit: ſuſtulerunt in poſterum Athenienſes hoc periculum lege lata, ne cauſsis in agendis oratores vllos mouerent affectus, ſimplici, ac ſincera facti, legum, teſtium, iudiciorum, argumentorumq. narratione, recitationeq. contenti. Quin etiam in ipſo quoque Areopago per præconem interdicebatur antequam dicere inciperent, vt initio ſignificaui, ne prooemijs, neue *Lucian.in Hermot. ſiue de ſectis idem in Demo.*
epilogis vterentur, vbi partim in inſidijs, partim in acie ponuntur eiuſmodi permotiones: poſtremo ne commiſeratio per oculos in animum influeret, aut odium irrumperet, re quapiam obiecta permouendis animis apta, nocturno tempore atque adeo in tenebris tam accuſatores, quàm defenſores perorare iubebantur. Pro Deus bone! Tantum ab oratoribus inſidioſis, iuſtitiæ, iudicijs, ac iudicibus, etiam Areopagitis illis integris atque incorruptis metuerunt? Sed reor optare vos Adoleſcentes, hanc potentiam
19 eloquentiæ primum in ſedandis affectibus perturbatis enucleate magis intueri: Non eſtis, vt ſuſpicor, contenti

Poe-

S. Greg. Naz. Carm. ad Nicob filium.

Poetarum teſtimonio, qui, vt eſt auctor ſanctus Gregorius Nazianzenus, quem honoris cauſſa nomino ſemper, Orphei ſæpe commemorati fabulis pulcherrime fictis rem adumbrarunt, qui quia feros affectus improborum hominum oratione comprimebat,

Hor. in Poetica.

Dictus ob hoc lenire Tigres, rapidoſque Leones.

Non enim ille vi & ſuauitate loquendi traxit ſiluas, ſed ſiluarum incolas; non molliuit ſaxa, ſed dura pectora mortalium; non mitigauit feras, ſed homines efferatos; non ſuſtinuit ventos, ſed iratos celeres ad vltionem; non continuit fluuios, ſed iuuenes in omnem voluptatem defluentes. Veſtris igitur obſequar optatis: conabor uim eius oſtendere, in dolore minuendo, in comprimenda voluptate, in metu pellendo, & in ira reſtinguenda. Perturbationes animi 20 morbos eſſe quoſdam; quibus mortales grauius, quàm æſtu febrique corpora, & deterius affligantur, fatentur Philoſophi omnes, qui prudenter exiſtimant, & ſapienter docent illis à Philoſophia morali fieri medicinam: ſed imbecilla ea eſt, quæ præceptionibus tantũ & doctrina continetur. Præbuit aliam validiorem eloquentia, ſcilicet Orationem. Fertur à Græcis Aeſchyli Poetæ verſus prouerbij loco

Aeſchyl. in Prom. Plut. conſol. ad Apollon.

ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι

Iſocr. orat. de Pace Philo. l. de ſomn. Pl. l. 29 c. 1.

quo dicitur oratio medicus eſſe animis ægrotis: ſed vere ac proprie oratio medicina eſt, medicus eſt eloquens: & ut de medicis eloquentibus ſcriptum reliquit Plinius, eos vitæ, neciſque hominum Imperatores fieri, ita uir prudens inſtructus eloquentia, ſanitatis, & morborum, valetudinis, & ægritudinis animi Rex eſt, ac dominus, cum in eos incubuerit orationis medicamento; quod auctore Nazianzeno, refert apud Homerum herba Moly, quam Mercurius, toties eloquentiæ parens nominatus, porrigit Vlyſſi ad Circem profecturo, vt ſocijs ſubueniat eos à ferina forma reuocãdo; ſeque præmuniat, atque à poculis Circes caueatur. Verum inter animi morbos, non habet poſtremum locum

S. Greg. Naz. Carm. ad Nicob fil. Hom l. 11. Odyſ. Pl. l. 25. c. 4.

dolor,

Digitized by Google

dolor,ac mœror:& vos Adoleſcentes,quàm ſit grauis non modo auditione accepiſtis, ex ijs qui vel interierunt acerbiſſimo oppreſſi mœrore, vel impatientes moræ medicinam voluntaria morte ſtultiſſime præuenerunt; ſed forte iſta ætate iam eſtis aliquando perpeſſi grauitatem. Tempore quidem vulgo dicitur hæc crucians ægritudo mitigari; leuari die; ferunt nullum eſſe tam acerbum mærorem,quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. *Sulp. l. 4. ep. 5. ad famil.* At quàm lenta,quàm tarda,quàm fallax hæc temporis medicina? Quoties mærore confectus extinctus eſt æger prius,quàm morbus temporis diuturnitate decoqueretur? Quoties magnitudini doloris ac morbi conceſſit hæc imbecillis medicina? Verum oratio prudens accommodata,ſuauis hominis eloquentis in tempore adhibita, mirum eſt,quàm præſens ſit,non lenta; quàm opportuna, non tarda; quàm efficax, non fallax mærore profligatis medicina. Iure veteres aureolum ſenarium habebant in ore λόγος γάρ ἐστι φάρμακον λύπης μόνος *Adag. col. 810.*
21 quo medicina doloris eſſe oratio prædicabatur. Quid Homerus Antiſtes Poetarum? Apud eum Helena remedium *Hom. l. 4. Odyſſ.* quoddam vino miſcuit,quo mæſtum Telemachum hoſpitem mæroris oblitum flexit ad gaudium. Νηπενθὲς vocat auctor:quod etſi verum pharmacum Plinius,& Athenæus *Plin. l. 25. cap. 2.* vt vere erat,exiſtimant; tamen Plutarcho, Macrobio, & *Athē. l. 5. Dipn.* S. Gregorio Nazianzeno non herba ſalutaris, non ſuccus *Plut. l. 1. Sympoſ. quæſt. 1.* ex India,non è pharmaco pœorum pyxide liquor fuit hoc *Macrob. l. 7. Satur. cap. 1.* nobile Nepenthes, ſed opportunitas ſermonis ſuper menſam inducti, leuamentum prudentis orationis inter pocula,qua paternam Vlyſſis gloriam, & ſingula eius fortia facta commemorando,filij animum reddidit alacriorem: atque inde credita eſt medicamentum contra mærorem vino miſcuiſſe. *S. Gregor. Naz. carm. ad Nicob. filium.* Quod ſi ſcripta oratio in conſolatorijs, vel epiſtolis, vel libellis, in quibus illo ſpiritu caret, propter quem vox dicitur viua:ſcriptura mortua: tantum ualet ad dolorem leniendum: quantum valituram putatis uiuam

atque

Digitized by Google

atque animatam eloquentis orationem? Crantorem ſe-
cutus Cicero ſeipſe libello propter Tulliæ filiæ mortem
afflictum ac dolentem conſolatus eſt: ſcripſerunt Plato,
Diogenes, Clitomachus, Carneades, Poſidonius ad ſedan-
dos luctus opuſcula: clarorum virorum extant conſolatio-
nes, Sulpitij epiſtola ad Ciceronem, Senecæ conſolatio ad
Polybium, ad Marciam, ad Heluiam matrem; Plutarchi
liber ad vxorem alter, & alter ad Apollonium: tot epiſtolæ
Hieronymi conſolatoriæ: Boethij libelli de conſolatione
Philoſophiæ: Ioannis Boccaccii, qui Tullius Etruſcus exi-
ſtimatur, ad Pinum Rubeum exſulem epiſtola grauis, &
erudita: quibus è conſolatoriis ſcriptis multi conſolatio-
nem in mæroribus, alleuationem in doloribus percepe-
run t; ad quos ſi uiua uox horum diſertiſſimorum uirorum
acceſſiſſet, non dubito quin ſtatim alacres & erecti in pri-
ſtinum lætitiæ ſtatum è ſqualore luctuque redituri fuiſ-
ſent. Quare numquam arrogantiæ damnandum Anti-
phontem cenſui, qui & artem abſtergendorum dolorum 22
condidit, & Corinthi pro tabernæ foribus ſcripſit, ſe eos
qui eſſent in mærore, verbis alleuare; cauſſiſque doloris
perueſtigatis, & auditis conſolabatur eos oratione, qui ad
eam tabernam foro proximam accedebant. Erat enim
eloquens Orator, & ex ijs decem præſtantiſſimis, quos
Plutarchus libello complexus, ſtylo ſuo poſteritati com-
mendauit ita, ut eorum memoria numquam interitura vi-
deatur. Quis ergo tam ignarus erit artis argumentandi,
qui linguæ deneget, quod concedit ſtylo? plus uirium ſcri-
ptis impertiat, quàm uocibus? plus ſcripturæ tribuat, quàm
orationi? plus denique mortuis litterarum monumentis,
quàm uiuis uerbis eloquentis? Exultantem porro lætitiam 23
in adoleſcente voluptario ac libidinoſo, qui laxatis habe-
nis à Ratione, calcaribus admotis à prauis ſodalibus, inti-
ma cupiditate incitatus, præceps in uoraginem flagitio-
rum, gurgitemque uitiorum rapitur, numquam putaſſem
ab humana eloquentia cohiberi poſſe, vel reprimi, niſi

S. Hier. ep. 3. ad Heliod.

Plut. in decem orat. in Antiphonte.

Xe-

Digitized by Google

Xenocratis & Polemonis factum ſumma cum voluptate perlegiſſem. Erat Athenis Polemo luxuria perditiſſimus adoleſcens; atque eius dedecoris ſibi gaudebat infamia, quia pudorem omnem ex eo peccandi conſuetudo deterſerat. Hic è nocturno conuiuio rediens aliquando poſt ortum ſolis diſtentus crapula, vino languidus, delibutus vnguentis, ſertis redimitus, pellucida veſte amictus, ſiue ſuapte ſponte, ſiue corruptorum ſodalium impulſu, qualem deſcripſi, ſcholam Xenocratis nobiliſſimi Philoſophi, doctorum virorum conſeſſu, modeſtorumque iuuenum celebritate refertam ingreditur. Neque illi ſatis fuit os impudentiſſimum, habitumque turpiſſimum, atque alieniſſimum à loci perſonarumque moderatione, in domicilium temperantiæ, ſcholam modeſtiæ, ſedesque virtutis introduxiſſe: conſedit quoque inter grauiſſimos viros, temulenta laſciuia, iuueniliique licentia diſputationem interpellando turbaturus. Hic omnes, vt par erat indignitate rei commoti, ſtomachari, fremere, indignari petulantiam; de iuuene audaciſſimo expellendo ſecum cogitare: ſed vultum in eodem habitu retinens Xenocrates ad hæc exercitatus, ſiue diſputationem inſtitutam continuans, ſiue, ut alij tradunt, à propoſito digrediens, de modeſtia, & temperantia diſſeruit tanta prudentia, ui, grauitate, ut Polemon perſuaſione victus reſipiſceret; ac primum coronam de capite detractam proijcit: deinde brachium intra pallium reducit: tum oris effuſam hilaritatem contrahit: poſtremo totam luxuriam exuit; orationisque Xenocratis medicina ſanatus ex infami ganeone, clarus Philoſophus euadit, atque ipſi Magiſtro in ſchola regenda ſuccedit. Et quod omnia, quæ narraui, vincit admiratione, quod à miraculo prope videtur abeſſe tanta vultum, habitum oris, motum oculorum modeſtia, grauitate, conſtantiaque in reliqua vita compoſuit, vt ad eum accedere ſcorta non auderent, & eius picta imago (quod refert S. Gregorius Nazianzenus vir doctiſſimus) à meretrice flagitium parante con-

Hor. l. 2. ſat. 3. Val. Max. l. 6. cap. 11. Diog. laert. l. 4 in Polemone. S. Hier. cap. 1. Oſee. S. Aug. epiſt. 130. Lucian. in Bis accuſato. S. Ambr. l. de Elia & ieiun. cap. 12.

Greg. presb. in vita S. Nazianz. S. Greg. Naz. carm. de ſubm. & temper.

ſpecta, perinde ac viua fuiſſet, eam feminam à flagitio deterruerit. O poteſtatem inauditam eloquentiæ ; ò vim efficacem dicendi, tam inſignis mutationis effectricem ! Iam num Adoleſceutes, incipietis credere, quod equidem ab initio ſignificabam, ſummam eſſe in comprimendis affectibus vehementius concitatis eloquentiæ potentiam. 24

Quinct. l. 2. ca. 16.

Quam ſane cernetis magis in abigendo metu, confirmandiſque animis terrore proſtratis hominum alias fortiſſimorum. Cum C. Cæſar in Gallia bellum adminiſtraret, rumor per exercitum improuiſo diſſipatur Ariouiſtum Germanorum Ducem cum maximis copijs aduentare: robuſtorum corporum immanitas, trux vultus, oculorum acies horribilis, animi feritas, exercitatio in armis ſingularis prædicabatur: atque ut aſſolet, improuiſus rumor per multorum ora vagando viribus auctus, ingenti formidine Romanorum militum pectora compleuit. Iam alij diſceſſum cogitabant, aut parabant; alij tabernaculis incluſi, timide ſecum taciti calamitatem ſuam lamentabantur; aut cum familiaribus, & amicis exitium commune miſerabãtur: militaria teſtamenta multi iam iam deſerturi patriam, vxores, liberos ac vitam ipſam, obſignabant: tumultuari denique nonnulli; renunciare Cæſari ſe non ſecuturos ſigna, cum ea moueri ac ferri iuſſiſſet: dictitare ferarum eſſe, aut deſperatorum hominum in certum interitum ruere; cum Cæſar in tam magno communique omnium terrore, conſtans, erectus atque inuictus animo concionem cogit: Eloquentiæ ſuæ toties in foro, in curia, in caſtris exercitatæ copias exponit, ingenii uires exprommit, atque è pectoris armamentario validiſſima tela argumentorum educit, in perterritos auditores intenta voce contorquet; partimque conſolando, blandiſsime commilitones appellando; partim vires hoſtium pro veritate minuendo; partim minando, ſi reliqui deſerant Imperatorem, ſe cum decima tantum legione, cuius virtute ac fide plurimum confidebat, in hoſtes impetum facturum, metum omnem depulit, animos

C. Caſar. l. 1. de bello Gall.

Io. Zonar. T. 2. annal. in Caſ.

Iul. front. l. 1. ſtratag. c. 11. & l. 4. cap. 5.

mos

mos animis, vires corporibus, corda pectoribus trepidantibus reddidit adeo, ut tum vſitato militiæ more non alacritatem modo, ſed & audaciam præſeferrent, & paullo poſt inſolita fortitudine præliati de illis ipſis, quos formi-
25 dauerant, victoriam inſignem reportarent. Hic audire videor, Auditores, neſcio quem, iracundiæ flammas eloquentiæ flatu diſperire poſſe pernegantem. Mæror, inquit lætitia, metus diſpelluntur vi dicendi; ſed iracundia flagrat, æſtuat, ardet adeo, ut in humanis pectoribus ætnæis æqualia creet interdum, & conſeruet incendia. Verum Aegyptiorum ſapientes iram quoque vinci poſſe lingua eloquentis me docuerunt, qui Leonem animal inſigniter iracundum ſub caduceo, qui eſt inſigne Mercurii, procumbentem humi figurabant, quaſi ſignificãtes iram eloquentia ſuperari. Nam ſi ſuas habet illa flammas, & incendia; noſtra hæc ſuos habet fontes & flumina quæ mox audietis. Chriſtianorum epiſcoporum eloquentiſsimi Ioannis Chryſoſtomi factum egregium fidem vobis faciet, qui barbari hominis efferueſcentem animum iracundia, ſapienter obruit aureo flumine verborum. Gainas natione Gothus, corrupta religione Arrianus, militum Arcadii Præfectus, ex infimo elatus loco, ſuperbia quoque elatus animo, Conſtantinopoli tyrannidem aduerſus Imperatorem exercebat, cogens illum ad iniquas & Imperatore indignas conditiones. Bis huius impotentis barbari Ioannes retudit furorem, iracundiamque reſtinxit eloquentia. Primum quidem cum ille ſibi ſuiſque Arrianis intra mœnia vrbis, contra ius fasque templum attribui flagitaſſet ab Imperatore, ac pæne violenter extorſiſſet. Etenim Ioannes bono animo eſſe iubet Arcadium: rogat vt ad colloquium ſecum Gainam accerſat: ſinat ſe cum barbaro coram agere: facturum omnino vt ab iniuſta petitione deſiſtat. Aduocantur ad Arcadium ambo: Gainas templum efflagitat audaciſsime: Ioannes pernegat conſtantiſsime: tum rationes exquiſitas profert, ob quas tradi minime

Pier. Valer. l. 1. Hieroglyph.

Theodor. l. 5. hiſt. eccl. c. 32. Sozom. l. 8. hiſt. eccl. c. 4.

oporteat; minatur Imperatori diuinum ſupplicium, ſi tradat: Gainæ vero, & Imperatorum beneficia obiiciens; & à qua paupertate ad tantas diuitias ac potentiam aſcenderit exprobrans ſumma ui atque vbertate dicendi, ferum hominem, atque ardentem ira coegit obmuteſcere, nec 2
non ad aliquot menſes audaciam eius, impudentiamque perfregit. Poſtea cum idem Dux improbiſsimus, propter crimen proditionis, direptionemque vrbis animo conceptam declaratus hoſtis Imperij, Thraciam cunctam ferro flammaque vaſtaret; metuerentque omnes ne infeſtis armis ad vrbem reuerteretur diripiendam: Ioannes, ceteris metu perculſis, rerum deſperatione trepidantibus, rogatur vt barbarum furentem audacia, ſceluſque anhelantem adeat, mitiget, placet. Non recuſat optimus paſtor proficiſci, non refugit periculum, non labores à ſe deprecatur: immemor prioris ſimultatis; ſuæ ſalutis oblitus, de aliena ſolicitus pergit in Thraciam: atque vt venit in eius conſpectum, hominem inflammatum iracundia, ſuperbia inflatum, Arcadio necem, depopulationem vrbi, vaſtitatem imperio minitantem aggreditur; quà blandiendo, quà minando, quà ratiocinando tractat, verſat in omnem partem, concutit, flectit, nec inde diſcedit quin eloquentiâ ſua mitem, mollitum, atque Imperatori vrbique placatum, reconciliatumque relinquat. I nunc & nega, ſi potes, irarum vehementiorem ardorem; & æſtus excandeſcentis iracundiæ niuibus eloquentiæ refrigeſcere; qui vides in Gainæ pectore flammarum globos ætnæos, non commentitio fonte caballino Poetarum, ſed vero Chryſoſtomi torrente reſtinctos. Sedatos affectus, & tranquillos concitat, 26
& perturbat eloquentia; quod multi difficilius, ac laborioſius arbitrantur; non ſedet, ac tranquillet perturbatos? Nō Aquilo, non Auſter, non alius vehemens ventus, aut turbo furioſis flatibus à montibus erumpens, ita mare commouet tumidas vndas attollens, & immiſsis in littora fluctibus ſæuam tempeſtatem creat, vt eloquentis lingua uerborum

Theodor. l. 5. hiſt. eccl c. 33. Metaphr. in vita Chryſ.

Perſ. in Prol.

borum flatu tranquilla pectora turbat audientium, & affectuum fluctibus commotis. ab imis animorum vadis cõciones, ciuitates, prouinciasque permiſcet. Iræ concitatæ ſumite, Parmenſes, exemplum in populo Romano, quem M. Antonii tum conſulis, poſtea Triumuiri oratio aduerſus C. Cæſaris Dictatoris interfectores inflammauit. Audierat pronis auribus populus Romanus, nec ſine approbatione concionem Bruti rationem Cæſaris occiſi reddẽtis: quod tyrannum ſuſtuliſſet; quod Patriam in libertatem aſſeruiſſet, maiorum ſuorum exempla domeſtica ſecutus, qui Reges exegerunt: cum ecce tibi poſtero die, quo die Cæſari iuſta perſoluebantur, aſcendit roſtra M. Antonius Cæſaris amiciſsimus, & propinquus, veteri more funebrem inſtituit laudationem; in Cæſaris laudes ac res geſtas plenis velis ingreditur: laudat primum, opinor, nobilitatem generis, acumen ingenii, doctrinarum copiam, vim & vbertatem eloquentiæ; deinde commemorat Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos: tum per virtutum campum ſpatiatus, manſuetudinem eximiam, liberalitatem inexhauſtam, clemẽtiam ſingularem, animi magnitudinem incredibilem commẽdat: poſtremo recenſet collata in populum Romanum beneficia, nationes deuictas, auctum prouincijs Imperium, largitiones factas, legata viritim relicta: denique in perorando prætextam Cæſaris imbutam ſanguine, tribus & viginti vulneribus confoſſam oſtentans per indignationẽ, tantam commiſerationem pariter & iram ſuſcitauit in populo aduerſus coniuratos; tam acerbam, & atrocem illis conflauit inuidiam, vt iracundia furibundus atque impotens, cum iiſdem facibus ac ſemiuſtulatis lignis è rogo extractis, quibus cadauer Dictatoris cremabatur, ad eorum domos accurreret inflammandas. O vim eloquentiæ formidoloſam; quæ tantum, animum affectumque populi commutauit! Plus apud vos, Romani, valuit oratio

Plut. in M. Antonio & in Bruto.

Dio. l. 44. Hiſtor.

Io. Zon. Tom. 2. annal. in Cæſare.

Appiã. l. 2. bel. ciuil.

Quinct. l. 6. c. 1.

Io. Zon. Tom. 2. ann. in Cæſare.

 Con-

Conſulis, quam inſitus à natura libertatis amor ? Parrici-
das,proditores , incendio flammiſque digniſſimos exiſti-
maſtis eos poſtero die,quos pridie Patres patriæ, liberato-
res Imperij,tyrannidis extinctores iudicaueratis ? Vnde
tam improuiſa , tamque inſignis animorum commutatio?
vbi conſtantia illa propria Romani generis & nominis ?
Quæ furiæ vos ardentioribus tædis agitabant , quàm quas
coniuratorum ædibus inferre parabatis? Ab ore M. Anto-
nij perorantis,reſponderent ſi adeſſent, erupit in nos flam
ma,furor,iracundia. Proditum eſt hiſtoriis Archimedem
mortalium omnium,omnis memoriæ, ſæculorum omniũ
in machinis cuiuſcumque generis extruendis ingenioſiſ-
ſimum architectum ac feliciſſimum,in obſidione Syracu-
ſarum , naues Romanorum aliquot , ſolis radiis in ſpecu-
lum coeuntibus primum,deinde vi maxima reflexis è ſpe-
culo,ac retortis in nauigia,concremaſſe. Proclus item im-
butus Archimedis doctrina multis poſt ſæculis in obſidio-
ne Byzantij , Græcis Anaſtaſio imperante, barbarorum
claſſem eodem plane ſpeculorum artificio, parique felici-
tate traditur inflammaſſe. Magna res: mirabilis ingenii
vis ; numquam ſatis laudata manuum induſtria: ſed non
minor, Auditores, linguæ poteſtas, non inferior vis elo-
quentis, qui lumen ab ingenii ſole mutuatus, iracundiæ
flammas , & affectuum ſuorum ignes in orationis ſpeculũ
primum immittit atque imprimit, deinde voce iaculans
eos ac retorquens in auditores,facilius ac felicius (quia ſæ-
pe id fieri videmus) pectora,& animos eorum ira,furoreq;
inflammat, quam Archimedis, ac Procli ſpecula claſſes
hoſtium incenderunt. Iam vero in lacrymis per commiſe- 28
rationem eliciendis quantum valet ? Orpheus ad inferos
deſcendens Euridicen vxorem repetiturus Plutoni Furiiſ-
que lacrymas excuſſiſſe proditur eloquentiæ cantu .

Dio. apud Zonar. Tom. 2. & 3. annal. Luciã. in Hippia.

Io. Zona. T. 3. annal. in Anaſtaſio.

Tum primum lacrymis victarum carmine fama eſt
Eumenidum maduiſſe genas.

Ouid l. 10. Metam.

Sed has mittamus poetarum fabulas, quæ non magnam
fidem

Digitized by Google

fidem faciunt: omitto quoque de Christianis oratoribus dicere, qui de Martyrum cruciatibus acerbiſſimis, & maxime Chriſti Principis Martyrum atrociſsima nece diſſerentes, tanquam è fontibus vberrimis ex auditorum oculis educunt riuulos lacrymarum: ne quis obiiciat mihi non tam ab eloquentia concionatorum eum motum eſſe, quàm à pietate Chriſtianorum, eorum pectora molliente, qui atrocitate rei, dolorumque acerbitate dumtaxat commemorata permouentur. Quid Cicero mouendorum affectuum optimus exercitatiſsimuſque magiſter? Hic miſeratione ita dolenter vſus eſt vt puerum infantem in manibus tenens, vel excitato reo nobili, ſublatoque etiam filio paruo forum plangore, ac lamentatione perorando compleret. *Cic. l. de cl. orat.* Quid C. Gracchus, qui in deflenda fratris nece, totius populi Romani lacrymas concitauit? Quid Ser. Galba? *Quinct. l. 11. cap 3.* Hic pro roſtris à Libone Trib. plebis accuſatus vehementiſsime, quod in Hiſpania magnam Luſitanorum manum, interpoſita fide, Prætor interemiſſet; *Val. Max. l. 8. cap. 1.* oratione ſua ſubſcribente, atque ad eius condemnationem incumbente M. Catone cenſorino grauiſsimo, & tum vltimæ ſenectutis viro: *Quinct. l. 2. cap. 15.* producens in concionem paruulos liberos ſuos, & Sulpitij ſanguine coniuncti filiolum ſuis manibus quoque circumferens, cauſſam ſuam ipſe reus ac patronus egit diſertiſsime: tantamque commiſerationem, tãtum fletum, tot lacrymas excitauit in vniuerſa concione, vt debitam ex lege pœnam, nullum pæne triſte ſuffragium ferens abſolutus elaberetur. Quid M. Antonius orator clariſsimus Antonii commemorati conſulis auus? Hic Man. Aquiliũ virum conſularem, quem Capitolium ouantem viderat, ſordidatum excitans, eiusque tunicam diloricans, vt cicatrices ſenis Imperatoris aduerſo corpore exceptas oſtenderet, *Cic. l. 2. de orat. & orat. 7. in Verr.* ſuo dolore ac lacrymis perorando effecit, ut benemeritum ciuem iudices commiſeratione permoti in patria retinerent; *Quinct. l. 2. c. 15.* & C. Marius præſens ac ſedens, quanquam natura ferox, & exercitatione bellandi durior, lacrymis

ſuis

ſuis ad hominem retinendum adiuuaret. Sed numquam magis, ac nuſquam mea ſententia vis eloquentiæ in exci- 29
tanda miſericordia valuiſſe videtur, quàm in hoc ipſo M. Antonio Romæ à C. Mario, Cinnaque proſcripto. Ciuile bellum exarſerat, & inteſtinis odiis acerbiſsimis, ac præliis, in duas diuiſa factiones contrarias L. Sylla, & C. Mario ducibus Reſp. conflictabatur. Aberat ille bellum gerens aduerſus Mithridatem in Aſia: Marius ex Africa quò tempeſtate ciuili pulſus parua nauicula fugerat, reuerſus cum Cinna viribus coniunctis, furore agitatus, cupidus vlciſcēdi, ſanguinem ſitiens inimicorum, ferro, vulneribus, cæde in Syllanæ partis ciuium corporibus crudeliter bacchabatur. Syllam in hoc diſsidio Ciuitatis ſecutus erat M. Antonius vir eloquentiſsimus, qui vna cum Craſſo primas in foro tenebat. Hic ſæuitiam Marii furentis declinans in amici domum ſeſe abdiderat: proditur verbis incauti ſerui: Mario renunciatur vbi latitat: mittit illico ſatellitum manum Antronio duce iugulatum. Hic imperata facturus pergit ad latebram; in atrio ſubſiſtit, intrant eius iuſſu conclaue ſceleris adminiſtri. Rem admirabirabilem nunc attendite. Satellites armatos, atque vt par eſt opinari, diſtrictis gladiis vagina uacuis, hoſtiliter parantes in Antonium irrumpere, preuertens Antonius aggreditur; & quaſi torpedo neſcio quo torpore orationis eorum manus, brachia, & animum inficit; retardat ab impetu, permulcens efferatos homines lenitate verborum: deinde linguæ ſuæ mucronem educit è vagina, dicendi vim efferens, apertis tibiis permouens affectus, ratione, voce, vultu lacrymas elicit ab ijs, qui iugulum ſuum ferocia militari petebant: tum obſtupefactos admiratione cogit hærere, gladios vaginis reddere, retro pedem referre lacrymantes, ac perſuaſos fas non eſſe tam præclarum Romanæ vrbis ſplendorem extinguere: ferinum prorſus atque inhumanum ipſius eloquentiæ ſpirantis in Antonio linguam excindere. O ſatellites humaniſsimi, quos Antoniana lyra longe melior quā 30

Val. Max. l. 8. c. 9.
Plut. in Mario.

orphæa

Orphæa manſuefecit; cur non ſunt cognita diſcipulis hiſce meis veſtra nomina, vt vobis nominatim de M. Antonio ſeruato verſibus & orationibus gratias agant? vos ego tanto præmio dignos cenſeo, quanta pœna ſceleratiſsimũ illum veſtrum ducem Antronium; qui, cui uos humanitate, ratione, atque oratione victi pepercistis; immaniſsimus ipſe barbarus, quauis truculenta beſtia ferocior, humanitatis omni ſenſu ſpoliatus caput à ceruicibus abſtulit; & eodem ictu ſecuris, Romani fori linguam, eloquentiæ vocem, patrocinium miſerorum exſecuit. O crudeliſſime Antroni: tu vides perfuſos lacrymis miniſtros tuos, & nullam inquiris cauſſam lacrymarum? Tu cernens eos re infecta reuertentes, fremis, furis, excandeſcis, cum mirari debueras? Cur, vt illi, non audis tantiſper Antonium? Metuis Sirenæ præſtigias pertimeſcis? Non peto, ne interimas: rogo ut audias: fortaſſe ſubrauca & flebili uoce ſua tibi perſuaſerit non eſſe eo tempore iugulandum: tu quoque hærebis, mihi crede, torpebis, obſtupeſces; atq; à tam nefando ſcelere manus abſtinebis, præmium ampliſſimũ, non à C. Mario laturus oratoris occiſi: ſed ab oratorum vniuerſitate ſeruati. Diti lacrymas excuſſit Orpheus, non è tuis oculis fletum, non è tuo pectore miſericordiam excitabit Antonius? O celeritatem inſanam, o furorem amẽtem, o rabiem cæcam. Tu M. Antonij caput in ijs ipſis roſtris collocabis, in quibus ille Remp. conſtantiſſime defenderat? Tu, quæ roſtra cenſor ipſe manubiis imperatorijs ornarat, eius cruore reſperſa fœdabis? Tu populo caput illud oſtentabis, quo conſiliorum pleno fuerunt multorum ciuium capita ſeruata? Si tua ſica ſanguinem Antoniorum ſitit, pete filium iſtius Antonium; huic transuerbera pectus; hunc confodi, ne M. Antonium triumuirum gignat, necem, interitum, & extinctorem eloquentiæ. Sanguine huius capulo tenus imbue gladium tuum: extingue in ſemine Reip. peſtem; elide in ſtirpe perniciem eloquentiæ, ne poſt quadraginta circiter annos, M. Antonius ne-

Manil. l. 5. Aſtron.

Cic. l. 3. de orat.

pos per Popilium ſcelere atque audacia tibi parem ipſam eloquentiam in M. T. Ciceronis ceruicibus obtruncet. Tolle filium, tolle in filio nepotem, ne tollat nepos iuuenis Tullium ſenem, atque vno vulnere cladem populo Romano, decus imperio, foro denique ſolitudinem, ac miſerandam inferat vaſtitatem; cum caput & manum Ciceronis in ijſdem roſtris conſtitui iuſſerit, vbi tu caput aui, iuſſu Marii collocaſti. Sed immoderatus feror: me ipſe refreno, rectamque deuius repeto: doloris acerbitas ex tã immerita, atque immani præſtantiſſimi oratoris nece, deplorare me coegit indigniſſimam mortem illius, cuius glorioſiſſima memoria numquam morietur; indignitas rei compulit me dolentem ad eam indignationem, quam audiſtis: vos veniam iuſto dolori date, meamque lameniationem commiſeratione veſtra iuuate, vt coniunctis lacrymis eloquentiſſimo viro, mortalium omnium oculis deflendo, quaſi iuſta perſoluamus. Igitur finem dicendi fa- 31
ciam: præſertim cum ex affectuum valle, in Capitolium Rationis ac Mentis aſcendere parantem currum orationis meæ, quo pæne triumphans inuehitur eloquentia, temporis ad dicendum præſcripti definitio, timorque ſatietatis veſtræ ſufflaminent, ac detineant. Quæ pars pompæ triumphalis reſtat in alium diem differetur; quo fiet, vt hæc orationis & eloquentiæ laudatio mea quattuor orationibus diſtincta, quaſi quattuor equis tracta, verus quadrigarum currus eſſe videatur; in quo ſedens hæc Regina mortalium, uobis acclamantibus atque applaudentibus, non quadrigæ, non equis, non aurigæ, ſed ipſi triumphanti, via laudum triumphali procedens, in Capitolium ſummi honoris inuehatur. Interim illud vnum moneo vos, Adoleſcentes, etſi primo loco commendauerim eloquentiæ vim in delectando tantum, quantum per ingenii mediocritatem potui; tamen in eloquentiæ comparandæ ſtudio, vt multo plus laboris, curæ, diligentiæ in facultate permouendorum affectuum acquirenda, quam in delectandi arte

ponatis.

ponatis. Digniſſima eſt aureis litteris, menti commendan-
da penitus, & ſæpe memoria retractanda M. T. Ciceronis *Cic. l. de opti. mo gen. orat.*
illa ſententia: *Docere debitum eſt: delectare honorarium:*
permouere neceſſarium. Quid enim tibi prodeſt aures au-
dientium permulſiſſe, cepiſſe elocutionis ſuauitate, pen-
dentes ab ore tuo tenuiſſe, ſuſpicientes, admirantes, accla-
mantes; niſi quod optas impetres? quò cupis impellas? &
perſuadeas, quod maximè concupiſcis? In perſuaſione vi-
ctoria eſt: affectuum permotio perſuaſionis eſt artifex. At-
que vt in bello numquam velitando tibi victoriam com-
parabis, ſed agmine inſtructo, iuſtoque prælio, ſignis expli-
catis decertando; ſic in concione de animis auditorũ num-
quam victoriam reportabis niſi delectationi tamquam
velitationi leuis armaturæ, conatum atque impetum ad-
dideris militum grauis armaturæ, motum videlicet ani-
morum. An obliti eſtis, quod à me toties è doctrina Ci-
ceronis audiſtis, nec docere, nec delectare, ſed flectere ani-
32 mos eſſe victoriæ? Qua potiſſimum laude præſtabat De- *Cic. l. de orat.*
moſthenes ille Græcorum oratorum lex, & norma bene-
dicendi? Permouendorum animorum. Quam ob cauſſam
omnes eum ſuſpiciebant, admirabantur, obſtupeſcebant?
Propter eius vibratas, contortasque ſententias ad com-
mouẽdos affectus comparatas. Philippus Macedoniæ Rex *Plut. in vitis*
æſtimator eloquentiæ prudentiſſimus, in familiarium ſer- *x. orat. in De-*
mone conferens aliquando Demoſthenem aduerſarium *moſt.*
ſuum acerrimum in Rep. Athenienſium, quem audiebat,
crebro philippicis aduerſum ſe fulgurare, & fulmina vi-
brare; cum Iſocrate, quem ſciebat oratorem eſſe dulciſſi-
mum, floſculis redundantem, nitore illuſtrem, numerorũ
ſuauitate delibutum: illum militi pugnanti: hunc pugili,
vel athletæ ſimilem pronunciauit: quod hic, vt loquitur
Quinctilianus, palæſtris accommodatior eſſe, quam pugnæ *Quinct. l. 10. c. 1.*
putaretur; quippe qui totus eſſet in epidictico genere pom-
pæ, non certaminis proprio; atque in exornationis viridiſ- *Cic. l. de orat.*
ſimo florentiſſimoque prato ſpatiaretur: Demoſthenes

vero ſemper in acie quaſi conſtitutus vel diſtrictum gla-
dium ac nudatum teneret; vel arcum intentum, atque ad-
ductum haberet in manu: vel tela acuere, vibrare; ſagittas
veneno imbuere continenter videretur. Si vobis, Adole-
ſcentes; optio daretur, vtrum cum Iſocrate palæſtræ vm-
broſæ pugiles, an cum Demoſthene milites caſtrenſis pul-
ueris atque ſolis eſſe malletis? cæſtibus ac pugnis, an gla-
diis dimicare? rudibus batuere Gladiatorum, an ferro mi-
litari, decertare? Si veniendum eſſet in agmen, vtra vobis
magis tela, & ornamenta prodeſſent, luſoria ne, an decre-
toria? Vtra præliis aptiora & ad nocendum arma, gladijne
obtuſi gymnaſiorum, an enſes peracuti caſtrorum? Deni- 33
que vtri equites eſſe cuperetis, ſpecioſi ne velites, an ro-
buſti cataphracti? Specioſum intelligo velitem, equitem
leuis armaturæ ſed inſigniter exornatum: cuius equus ſal-
tationi atque agitationi tantum vrbanæ aſſuetus, & ſolea-
tus argento, phaleras ſericas pulcherrimas habeat opere
phrygio floribus depictas aureis, & argenteis, pendenti-
buſque lemniſcis decoras, monilia non diſsimilis materiæ:
caputque ſuperbum pinnis verſicoloribus attollat: eques
verò chlamidem purpuream varijs coloribus intextam,
auro gemmiſque diſtinctam geſtet; clypeum è ligno, ne
brachium oneret, inſignem argumento, qualis illius apud
Poetam, cui

Virg. l. 10. æneid.

Vaſtos vmbo vomit aureus ignes,

galeam è tenuiſſima lamina ferri bracteis aureis tectam,
ingentibus pauonum aliarumque auium exquiſitarum plu-
mis criſtatam; aurata calcaria, pictas ocreas; haſtam argen-
tea cuſpide, cetera inermis incedat. Quid pulchrius exco-
gitari poteſt ad ſpeciem? Cataphractum equitem contra
mente concipio, inſidentem in forti ac generoſo equo,
curſui, pulueri, laboribuſque bellicis aſſuefacto, cui caput,
ceruices, pectus, & ceteros artus pro phaleris, graues &
craſſæ ferri laminæ operiant: armatum ac protectũ ocreis,
armillis, lorica, galea, clypeo, quæ millies in incude per-

cuſſa

eoſſa, millibus durata ictibus, minime peruia iaculis teliſque reſiſtunt: haſtæ inſtructum è robore, præcinctum gladio, munitum claua: non illi aurum, non gemmæ, non plumæ: nullus nitor, nulla ſpecies, fulgor nullus, nihil ad pompam; pro his duriries, aſperitas, horror: omnia ferrum, chalybs, acies, & acumen. Cuius arma ſi fulgerent auro, ſi decoraretur apicibus inſignibus galea, ſi veſtis arte laborata, ſi phaleræ acupictæ ferro adderentur, non dubito fore quemdam numeris omnibus equitem abſolutum. Verum in acie ponamus vtrumque, & illum, quo nihil magis eſt viſendum; & hunc cui non deſunt arma, ſed ornatus: fac prælium eſſe breui committendum: vtrum tu tandem eſſe malles, inermis & ornatus eques, an inornatus, & armatus? Non arbitror te tam amentem fore, vt robore armorum, inſtrumentis pugnæ, ſpe victoriæ neglectis, ſpecie tantum & pulchritudine grata oculis, apta pompæ, neque ad defendendum, neque ad nocendum vtili capiaris. Quod ſi Dux regeres exercitum, in quo tum huius, tum illius generis equitum aliquot alæ militarent, vtrarum turmarum impetu atque impreſſione, velitum ne an cataphractorum, hoſtiles copias reprimi, turbari, ac profligari
34 poſſe ſperares? Facillima eſt deliberatio. Plane idem, Iuuenes optimi, de oratoribus dico, quorum alteros, qui toti ſunt in aucupandis clamoribus ac plauſibus auditorum per delectationem; qui nihil meditantur ac dicunt, niſi quod ad pompam & oſtentationem facere videatur; qui capere homines admiratione, tenere, vincire ſtudent, imbellium atque imbecillium velitum duco perſimiles. Alteros vero, quorum altior eſt animus ad victoriam & perſuaſionem intentus, in affectibus vel ſedandis, uel perturbandis occupatus, non tam uerborum figuris ac phaleris, quàm telis & ornamentis ſententiarum, necnon ardore ipſo tum meditandi, tum dicendi; non modo ſtrenuos, ſed etiam fortes bellatores cataphractos, uelitibus illis præferendos, & imitatione digniſsimos exiſtimo. Sed quid ego Ciceronem

alterum fulmen eloquentiæ; cataphractorum alterum Ducem Demoſtheni parem præteribam? Quæ ipſe toties ſcripſit, præcepit, inculcauit, de permouendis affectibus; in ſuis orationibus effecit; expreſſit, re ipſa præſtitit abunde. Repetite memoria, quæ de commiſerationibus audiuiſtis: euoluite orationes eius ſagittarum ignearum, ac tædarum thecas, & reperietis perorationes, & epilogos, animorum motibus accenſos conflagrare: legite diligenter hiſtorias, & intelligetis, grauioribus in cauſſis poſtremas partes illi plurimum fuiſſe non relictas, ſed tamquam ad Colophonum equitum, aut Triariorum peditum Ducem reſeruatas: vt non tam cauſſas ageret, quàm perioraret, non moueret animos, ſed permoueret; non impetum faceret, ſed proſterneret; & quos alij ſuis actionibus rogos extruxerant in pectore iudicum, ipſe poſtremus ardore animi, verborum facibus, & vocis flamma ſuccenderet. Quamobrem, Adoleſcentes, hos pæne pares oratores; hos glorioſiſſimos viros eloquentes; hos geminos oculos, vel vt melius dicam, hæc duo fulgura tonantis, & omnia permiſcentis eloquentiæ, ſtudiis veſtris æmulamini; tum quam poteſtis maximam ingenii vim, mentis induſtriam, laborem corporis, cunctasque vires animi collectas in eorum imitationem intendite.

Cic. l. de orat. in orat. pro Mur. orat. pro Sextio.

DE

DE VI, AC POTESTATE ELOQVENTIAE.

Oratio Poſterior. Or. IIII.

1 QVOD inſtituto Romanorum Imperatori *Pl.l.28.cap 4.*
triumphanti per carnificem denunciaba- *Iuuen. ſat. 10.*
tur ad ſingulas ciuium acclamationes, vt *Tertull Apo-*
reſpiciens retro tintinnabulum & flagella, *log.cap.33. S.Hier.ep.25.*
ſe hominem eſſe, mortalemque meminiſ- *ad Paulam.*
ſet; ſi Demeſthenes ac Cicero principes Oratorum & *Io.Zon.Tom.*
ſummi Eloquentiæ Græcæ Latinæque perfectores, in ſuis *2.ann.*
ciuitatibus pæne triumphantes ex tot reportatis eloquentia victorijs, in illo proſpero curſu felicitatis, aut à ſimili monitore penitus accepiſſent, aut identidem cogitatione reuoluiſſent; non illi, Parmenſes, poſt tot laudes, plauſus, honores; poſt tam multos geſtos magiſtratus, coacervatas opes, clientes comparatos; poſt tam ingentem gloriam dicendo partam, aduerſæ fortunæ reflatu à portu repulſi, & *Plut. in Demoſt. & in Cicerone.*
ſæua tempeſtate iactati, miſerabiliter vel hauſtu veneni, vel datis ceruicibus, vt bonus Poeta loquitur, ingenio ſuo *Iuuen. ſat. 10.*
perijſſent. Tanta enim eſt eloquentiæ gloria, fulgor, auctoritas è vi dicendi, potentiaque ſplendeſcens, vt honores ſummos olympionicis decretos in Græcia, Romanorumque triumphos non æquare modo, ſed etiam ſuperare videatur: proinde tanta item eloquentiſſimos homines inflat confidentia; tantos ſpiritus tribuit diſertiſſimis oratoribus; tantam denique dicendi libertatem impertit, & agẽdi licentiam, ut niſi cohibeatur impetus, & refrenetur audacia, vel animi ſapientis moderatione, vel fortunæ commutabilis metu, vel alienorum caſuum exemplis, eos trãsuerſos ac præcipites agat, & rapiat in dominatus vſque cupiditatem, vel certe in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem, vnde ruina fortunarum, dignitatis amiſſio, & vitæ ipſius

fœ-

fœdiſsimus exitus hanc elationem animi ſæpe conſequitur. Quod equidem, Adoleſcentes, non ideo dixi, quod vos ab eloquentiæ faſtigio ſuperando deterream; quos ad eius ſtudium tam acriter ſum tribus orationibus, & maxime proxima cohortatus: ſed vt clariſsimorum virorum docti ruina de ſuperbiæ monte delapſa, cautionem tum ab humanæ prudentiæ præceptis, tum à philoſophiæ moralis officina, tum à theſauris Chriſtianæ legis adhibeatis: atque 1
his rationibus cautiores facti, ſummam eius, quam oratione ſuperiore demonſtrare cœpi potentiam admirati, conatus omnes animi, viresque corporis ad eam conſequendam intendatis tanto confidentius, quanto me monitore iam tutius vſuri eſtis hac poteſtate dicendi, ſine cuiuſquã iniuria, more proborum hominum, & ex lege Chriſtianorum. Qui proximis menſibus in cœlo Cometes ad occi- 2
dentem formidoloſus atque horribilis, & magnitudine comæ, & multitudine cincinnorum, & ardendi diuturnitate comparuit; conuertens in ſe omnium oculos cum admiratione, concuſſit, vt aſſolet, pauore mortalium pectora, quod maximarum calamitatum vulgo putetur eſſe prænuncius: atque exitus exſpectatione, vt vno verbo dicam, Orbem exterruit vniuerſum. Precor Deum Opt. Max. vt huius ſtellæ minas, omenque malum ab hac Ciuitate, ab Italia cuncta, & ab omnibus Chriſtianorum regnis auertat; eaque vel in extremas Mundi oras, barbariemque vltimam; vel in Chriſtiani nominis perpetuos hoſtes immittat. Sed cum in aliqua ciuitate ſummus exiſtit orator ingenio, copia, & elegantia maxime inſignis, ac de repente cometæ inſtar apparet, pro Deus immortalis quid non efficit! Rapit item omnium in ſe ciuium oculos, atque ora conuertit; obſtupefactas præterea detinet aures ad audiendum, cum admiratione quidem propter ſplendorem figurarum, cincinnos verborum elegantium, ardoremque dicendi, ſed ſine vllo terrore, quod à bene morato viro, qui lætarum vtiliumque rerum nuncius eſſe conſueuit, ni-

Digitized by Google

nihil ſibi pertimeſcant. Eo tamen comete quouis admirabilior in hominum conſpectum prodit, quod plus in animos immortales poteſt, quàm cometes in corpora vitamque mortalium. Etenim crinita ſtella, non ea, quæ minitatur opinione hominum efficit, non popularem peſtilentiam, non Principum interitum, non agrorum ſterilitatē, non bellorum creat incendia, ſed ſignificat; & ex aeris tēpeſtatisque antegreſſæ ſiccitate, unde tum ipſæ, tum illa gignuntur, eſſe futura prænunciat. Sed eloquens ubi de ſuggeſto ſua lumina iecerit, ornamentorum; ſuos ardores affectuum emiſerit; ſuam uerborum pluuiam effuderit in concionem; & ea omnia per aures illapſa in audientium animos influxerint, eos totos afficit, commouet, verſat, non tam ſiccitate, ut cometes, quàm ubertate fontis ingenii: tum excitat, ſi ſit opus, affectuum prælia, tum concitatas perturbationes pace componit: tum ægris animis affert præceptis ſalutaribus ſanitatem; ſterilibus ex ignorantia, fœcunditatem doctrinarum: Regem denique ipſum Microcoſmi non perimit, ſed per inſidias captiuum facit, captumque ad tempus excæcat, ne uideat quæ ſibi ſunt & aliis nocitura. Quod tum maxime accidit, cum eloquen-
3 tia iacto ponticulo facit ex inferiore animi parte tranſitum ad ſupremam arcem expugnandam, partem illam rationis compotem, qua præſtat homo beſtiis, par eſt ſuperis, Deoque perſimilis. Quid admirationis habet dicendi facultas, cum Appetitus quocumque flatu uocis agitatur, quocumque linguæ motu, fluctibus perturbationum turget; qui quemadmodum mare uentis ac Lunæ, ſic oratoris uerbis & linguæ cenſetur obnoxius? Non magnam enim uero: ſed ſummam admirabilitatem habet in Ratione, quæ Linguæ frenum, orationis magiſtram, uocis moderatricem, ſcopulum inter undas affectuum ſe profitetur eſſe, cum ſe uinci patitur ictibus, & obrui fluctibus eloquētiæ. Quæ quia non tam nomine, quàm re flexanima eſt, nec reformidat Rationis potentiam: nec ueretur regiam

Q Ma-

maieſtatem; nec metuit eius in res omnes imperium; ſed elata ſpe uictoriæ ſuos arietes huic quoque admouet; hanc ſuis machinis aperte verberat; hanc occulte cuniculis oppugnat; ſingulis partibus Memoriæ, Menti, Voluntati fallaciter inſidias adhibet, & tormenta manifeſta; nec oppugnat eas modo, ſed expugnat, atque in hac poſtrema victoria geſtiens exultat, regnat ac triumphat. Senſit memoriam expugnatam ſibi Curio pater orator perloquens, qui cum in priuata cauſſa, magna & graui, M. Tullio, qui contradixerat, reſpondere cœpiſſet, ſubito aſſedit, cum ſibi memoriam diceret veneni ereptam. Quod nam venenum, Deus bone, de ore Ciceronis, cuius oratio Neſtoris, ac Xenophontis ſermone ſuauior, melle dulcior profluebat, in Curionis memoriam eſt illapſum? Qui cum tam ſuaui melle verborum, tam exitiale memoriæ virus eſſe potuit infuſum? Erraſſe te puto, mi Curio, cum de veneno queſtus in eius vim, quaſſatæ atque euerſæ tuæ memoriæ cauſſam retuliſti. Non illa fuit virus à venefico, ſed virtus ab ingenio: non vis veneni; ſed vis dicendi Lethæo flumine potentior, quæ tibi rerum omnium obliuionem induxit, & pariter ſilentium induxit. Eloquentiæ Tullianæ laus eſt hæc, Auditores, cuius oratio, non tam hibernis niuibus ſimilis, aſſidua, copioſa, larga, qualis apud Homerum Vlyſſis, quàm æſtiuæ grandini par, id eſt crebra, vehemens, incitata, quæ quocumque incumbebat impetu calamitatem, & vaſtitatem afferebat, irruens in Curionis memoriam eius omnia ſimulacra loculis mouit, perfregit, diſſipauit; rerumque omnium dicendarum ordinem, ſeriemque confudit. Non magna laus eloquentiæ; dicet quiſpiam, Curionis obruiſſe memoriam, quæ dicente nemine ſuapte ſponte, atque obliuione deleri potuiſſet. Non nego, concedoque perlibenter. At hiſcere audebis cum probauero Mentem, quæ oculus eſt animi, ſæpe tantiſper ab eloquentia præſtingui? Hic Auditores, non raro dicentibus oratoribus eloquentiſſimis eclipſim paſſus alucinatur: huic

Cic. l. de orat.

Lucan. l. 8.

Hom. l. 3. Iliad.

4

clariſſimo lumini, & ad videndum acutiſſimo licet, obſtruit ſæpenumero, tenebraſque offundit eloquentia. Sæpe mecum exiſtimaui tacitus, quod nunc decreui communicare vobiſcum, in hoc hominis Microcoſmo, atque adeo in capite Microcoſmi cælo duo tamquam ſidera, ſolis ac lunæ vice, maxima ceterorum eſſe defixa, rationem, atque orationem, mentem & eloquentiam: quarum illa nobilior ſoli, hæc lunæ reſpondet. De Ratione ſilebo quæ non eſt huius loci; Luna vero dicendi facultas, & oratio copioſa tam congruenter exprimitur, nihil vt aptius excogitari poſſe videatur. Etenim Luna cęlo vltima, citima terris, æmula ſolis, noctis decus, receſſu magis à ſole, quàm acceſſu, Principis ſiderum accenſa radijs, ideoque luna nominata, quod luce ſplendeat aliena, reddit terris lumen cęleſte quod accepit. Eloquentia vero infima in capite, proxima nobis, æmula Mentis, corporis honos, loquendo recedens ab animi Regina, ſplendorem ab ingenio Mentis lumine mutuata, tamquam ſpeculum aduerſum; radios quibus illuſtratur, voce regerit in auditores, vt ait ille Poeta doctus, *Notam iactat de corpore lucem.* Illa lumine ac motu ut ſcienter Peripatetici definiunt, multarũ rerum ſingularũ, quæ quotidie procreantur, & ortæ occidunt in aquis potiſſimum, creſcens ac ſeneſcens genitrix eſſe dicitur: procreataſque, vt in oſtreis conchylijſque videtis, accretione luminis ac diminutione vel auget, vel imminuit: Hæc luce perſpicuitatis ab ingenio in verba delapſa, motuque linguæ quo conformatur ſermo doctoris, omnium artiũ, quæ in animis hærent, omnium doctrinarum, cunctæque litteraturæ vel parens eſt, vel opifex docendo: tum cum fontes aperit, aut auget in opinione hominum amplificando, aut minuit extenuando, quæ docet eloquendo. Quid præterea? Luna ſic mari dominatur, vt aſpectu ſuo fretorum anguſtias commoueat; maritimorum æſtuum acceſſus ac receſſus motibus ſuis moderetur; ortu atque obitu, nimbis, procellis, imbribus, turbinibuſque immiſſis Oceanum,

Cic. l. de ſomn. Scipionis. Apul. l. de Deo Socratis.

Lucr. l.

Q 2

num, mariaque omnia tempeſtatibus permiſceat, tum iactata, & perturbata tranquillet: Eloquentia item ſibi pectus humanum, animique partem inferiorem, popularemque concionem ſic obnoxiam habet, vt quemadmodum oratione proxima audiuiſtis, fluctus, æſtus, tempeſtatesque commoueat etiam ſeditionum, cum duris verborum grãdinibus, vehementis pronunciationis flatibus, amplificationum procellis, & occulto perſuaſionis motu permiſcet affectus; aut certe concitatas ab aliis tempeſtates, & turgeſcentes fluctus, imbre largifluo leniſſimorum verborum, & ſuauis ac mitis orationis Fauonio placat, deprimit, tranquillitatemque reſtituit. Denique quod rem attingit noſtram, pluriſque facio, quàm quæ ſunt hactenus diſputata; nonne Luna cum ſeſe aſtrorum duci ſubijcit, opponitque oculis noſtris, clariſſimi ſideris radios, ac lumen obſcurat? Nonne tunc defectio ſolis eſſe dicitur, quod eius lucem terris, noſtriſque oculis eripiat? Eloquentia ſimiliter, Parmẽſes, cum orationem ſuam, ad perſuadendum ſummo artificio comparatam, auditoris animo, ac menti, quamquam clariſsimo ſoli obijcit, atque opponit; neſcio quo mirabili modo illius inter dicentem, & audientem interiectu Mens obſcuratur ac deficit; euis radij iudicium non attingunt: & iudicandi uis priuata lumine, cæco in errore verſatur, & errat. Cur Hortenſius ſummus orator, & Ciceroni pæne par, ei pro familiari reo non reſpondit? Cur homo audaciſſimus Catilina in Senatu, ab eodem accuſatus obmutuit? Cur eodem M. Tullio legem agrariam à P. Rullo Tribuno plebis latam populo vtiliſsimam diſſuadente, Romanæ tribus alimenta ſua vitæ neceſſaria ſuſtentandæ conſtanter abdicauerunt? Cur eodem ſuadente Cicerone, Roſcio theatralis ſeditionis auctori Iudices ignouerunt? Cur populus Romanus notatas in theatro ſedes ignominiæ diſcrimine, perſuaſione Ciceronis æquo animo tulit? Nimirum eloquentia mentibus auditorum caliginem, ac tenebras tum offudit, ne verum cernerent; quales ipſe Cice-

Cice. l. 2. de Nat. Deorum. Idem l. 2. de Diuin.

Cic. l. de orat.

Plin. l. 7. c. 30. Quinct. l. 2. ca. 16.

Plut. in Cicer.

ro iudicibus in cauſſa Cluentii ſe offudiſſe gloriatus eſt: *Quinct. l. 2. c. 17.*
retudit illa Rationis aciem, ne quod in illis deliberationi-
bus eſſet vtile, diſpicere poſſent: defectionem deniq; men- *Plut. in Cicer.*
tes illorum, interpoſitu dictionis eloquentiſsimi hominis
patiebantur, quæ iudicandi aliter ac ille ſuadebat, faculta-
tem minuebat. Nec vero M. Tullius caliginis huius arti-
fex ſolus cenſeatur: quicumque præſtiterunt eloquentia
calluerunt hoc artificium, vt non artificum oratorum dũ-
taxat ea vis, ſed facultatis ipſius eſſe videatur. Quam ob *Lucian. dial. de ſaltat.*
cauſſam, puto, finxit Homerus à Mercurio conſueuiſſe
tum immitti, tum excuti, pro arbitratu, ſomnum oculis,
quos aurea virga tetigiſſet; vt intelligeremus eloquentiæ
perfectæ vi, cum uoce verberantur aures, ab eloquente
Mentis oculos vel aperiri cum libitum eſt ad veritatem
diſcernendam, vel ad eandem claudi, ſomnoque conſopi-
ri. Quam callidus in hac offundenda caligine Carnea-
des? Hunc legatum Cato cenſorius, ſi Plinio credimus, *Plin. l. 7. c. 30.*
quamprimum Roma dimittendum cenſuit ab Senatu;
quoniam illo viro argumentante, quid veri eſſet, haud fa-
6 cile diſcerni poſſet. Quàm felix in eadem nebula erroris
Aſclepiades Pruſienſis? Hic ætate Pompeij Magni Rhe- *Plin. l. 7. c. 37. & l. 26. cap. 3.*
toricæ Magiſter ingenii quidem ſagaciſsimi, ſed tamen
non ſatis in arte ſua docendo quæſtuoſus, vectigalis au-
gendi cupiditate ſtimulatus, ad medicinam repente ſe cõ-
uertit; homo qui nec vmquam medicinæ ſtuduerat; nec
morbos, aut medicamenta nouerat; nec vſum medendi
vllum habuerat: tum cõcitata meditataque oratione quo-
tidie blandiens auribus auditorum, veterem medendi ra-
tionem vniuerſam reprobauit, & quod in ipſo fuit, profli-
gauit ac ſuſtulit. Artificio mirabili trahebat mentes ho-
minum: damnabat enim curam aliorum Medicorum ni-
mis anxiam; moleſtas vomitiones, amaras potiones, ſudo-
res multa veſte coactos: detrahebat adurentes ſoles, tor-
rentes ignes, ſecantem ferrum ceteroſque medendi cru-
ciatus: proponebat non medicamenta, ſed auxilia com-

munia

Digitized by Google

munia pro remedijs, ambulationem, geſtationes, fricationes corporis, moderatam abſtinentiam cibi; quæ quia facillima erant, vera putabantur; & quia vnuſquiſque ſibi præſtare poſſe ſemetipſum intelligebat, fauentibus cunctis, vniuerſum prope genus humanum circumegit in ſe, non alio modo quàm ſi de cælo demiſſus aduenisset. Aegris præterea vinum promittebat, & aquam frigidam, dabatq. tempeſtiue; lectulos ſuſpendebat, quorum iactatione, aut morbos extenuaret, aut ſomnum conciliaret; balneas inſtituebat ab omnibus cupidiſſime expetitas, aliaq. ſimilia dictu grata, factuque iucunda. Multum quidem hæc excogitata blandimenta potuerunt apud homines delicatos ac voluptarios, ad auctoritatem, famam, beneuolentiamque colligendam; qua Rhetor è leuiſſima gente, ſine vllis opibus orſus, ſine ſcientia medicinæ, tam repente Medicus euaderet, duceretq. familiam. Sed quod tantam faceret, tamque repentinam conuerſionem animorum; quod leges ſalutis humano generi præſcriberet; quod probatam, ſpectatamque per tot ſæcula veterem medicinam conſentientibus omnibus abdicauerit; quod repudiatis ceterorum Medicorum libris, conſilijs, remedijs, experimentis, huius vnius; non Aeſculapij, non Hippocratis, non Antiphanis, non experientiſſimi Medici, ſed Rhetoris egentis, inexercitati, nouitatique ſtudentis vocem, nouamq. medendi rationem, inuſitatam omnino, nullis adhuc probatam experimentis, omnes cæca mente, prona voluntate, ſtudijs inflammatis ſequerentur: hoc non niſi ab eloquentiæ vi, facultateque dicendi proueniebat, qua efficiebat, vt illi tamquam amentes, ac deliri vitam & ſalutem imperito crederent, & recentem artem antiquæ; nouam curandi rationem, inueteratæ conſuetudini præponerent; remedia denique parum tuta, & vſitata; meliora veteribus, imperitiores ipſi iudicarent, & probatiſſimis anteferrent. Quàm denique potens in eiſdem tenebris Pericles? Qui ciues ſuos Athenienſes perterritos obſcuratio- 7

L. Sen. ep. 95.

Val. Max. lib. 8 cap. 11.

ne

Digitized by Google

ne ſolis, redditis eius defectionis cauſſis, ingenti metu libe- *Quinct. lib. 1.*
rauit: non ſæpe ſuæ orationis, ſuiq. leporis interiectu men- *cap. 10.* *Pl. l. 2. c. 12.*
tes eorumdem obſcurauit? Thucydides vir nobiliſſimus *Plut. in Peri-*
qui Periclis hanc vim deprehenderat, eam egregie ſigni- *cle.*
ficauit Archidamo Lacedæmoniorum Regi; qui cum in-
terrogaſſet vter præſtantior eſſet in luctando, ipſene an
Pericles, quo cum luctabatur, reſpondit; Difficile, Rex, eſt *Plut. in Peri-*
explicatu: nam cum illum ego deieci, negat ipſe vi ſua di- *cle, & in Po-*
cendi ſe cecidiſſe; ſpectatoribusque verum id eſſe perſua- *lit.*
det. O cæcitatem, o ſtuporem non ferendum! Si vidiſtis
oculis ipſis Periclem cadentem, ſi lapſum, ſi proſtratum,
cur eum cecidiſſe negabatis? Qua faſcinatione ille vobis
ſenſum oculorum eripiebat, vt ante conſpectum veſtrum
in luctatione deiectum non videretis? Ille, cuius in ore la-
briſq. Dea Pitho ſeſsitabat, poterat vos mala lingua faſci- *Catull. epig. 7.*
nare adeo, vt in meridiana luce falleremini? Si reuiuiſce- *ad Lesb.*
rent ab inferis excitati, nihil dicerent, nihil clamarent, ni-
hil proteſtarentur aliud, niſi lepore Periclis, quaſi faſcino
quodam ſe eſſe deceptos. Quo ſit veriſimile, (quod Quin- *Quinct. lib. 8.*
ctilianus in cauſſa Corneliana M. Tullio perorante tradi- *cap. 3.*
dit eueniſſe) non ſentientes interdum auditores quid fa-
ciunt, nec ſponte, iudicioque plaudere oratori, ſed veluti
mente captos (notate vim verbi) & quo ſint in loco igna-
ros erumpere in acclamationes, & alios manifeſtos volun-
tatis affectus. Atque hæc faſcinatio ſpectatoribus illis à
8 Pericle impreſſa, tametſi neque infirma eſt ad probandam,
quam conamur dicendi poteſtatem rationis oculos inob-
ſcurantem, neque nugatoria; tamen Hegeſiæ Philoſophi
eloquentis inſtitutum iure damnatum, ac ſublatum ab Re-
ge Ptolemæo, quod narrare paro, vim ingentem eloquen-
tiæ in expugnatione rationis ſolis luce reddit clariorem.
Hic igitur Hegeſias Cyrenaicus Philoſophus vir, vt appa- *Val. Max. l. 8.*
ret ex euentu, præſtantior eloquentia, quàm vel doctrina *cap. 9.*
ſolida, vel probitate morum; de miſerijs, calamitatibus, *Plut. l. de Amo re prolis.*
ærumnisq. humanæ vitæ vehementer adeo, copioſaque

oratio-

oratione diſſerebat, vt multis perſuaderet mortem voluntariam: cumq. Ptolemæus Rex multitudine commoueretur eorum, qui ſibi moliebantur interitum ipſius perſuaſione; vetuit Hegeſiam ea de re in poſterum diſputare. Volo nunc vos attentos, Parmenſes: cupio vos intelligere, nihil inſtinctu Naturæ magis homini carum eſſe, quàm vitam. *Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ;*

L. Sen. ep. 36. ſcripſit & vere L. Seneca filius Philoſophia, quàm eloquentia M. patre maior. Cogitationes omnes, conatus, artes, ingenium, induſtria, vires, affectiones ipſæ, vel proferendæ, vel conſeruandæ vitæ deſeruiunt: vitæ perpetuitatem cupimus, atque adeo æternitatem ipſam, tametſi optime intelligimus naſci nos aliquando tandem morituros: qui ſi vitam hanc fragilem producere non poſſumus in his caducis corporibus, perpetuare conamur in imaginibus, in ſtatuis, & quod viuum genus ſimulacrorum eſt, in liberis; tum nomine, rebus geſtis, gloria, in memoria poſterorum; atq; in litterarum, marmorum, ærisq. monumentis. Quis vmquam crediſſet, niſi ſcriptores teſtatæ fidei traderent, eloquentiam adeo potentem eſſe, vt eius perſuaſione mortales tàm vitæ amantes, quàm audiſtis, catenam illam abruperint, cum de incommodis vitæ, deq. bono mortis diſputationem audiſſent, ſibiq. ipſi manus intulerint? Vos communem humanitatis ſenſum exuiſtis? vos Naturæ, quam cuncti vitæ ſuiq. conſeruatricem prædicant, & ſentiunt, ductum, impulſum, lumenq. contempſiſtis? vos rerum omnium pretioſiſsima, cariſsimaque vita pro nihilo habita (quod eſt incredibile dictu) vos met vobis ipſis eripuiſtis? Quem affectum in veſtris pectoribus ingenerabat Hegeſiæ diſputatio? Vitæ ſatietatem? at nec tam longa, nec tam diuturna eſt humana vita, cuius breuitatem cuncti deplorant; vt antequam Deus parens vitæ ſpatium eius præſcriberet, vos caperet viuendi ſatietas. Aerumnarum faſtidium? etſi hæ uitam faciunt iniucundam, eaſque pertæſi uiri ſanctiſsimi uitam hanc ærumnoſam cum immortalita-

te

te bonorum omnium cumulatiſsima mutare concupiſcunt; tamen non eæ tanti ſunt, vt naturalem, intimum, natiuumque amorem vitæ ſine aliquo mentis errore ſuperare queant. Num odium vitæ? Sed qui poteſtis odiſſe vitam à vobis minime ſeiunctam, qui voſmetipſos minime poteſtis odeſſe? Num denique cupiditatem mortis? At quo animo poteratis optare mortem, quæ Philoſophorum conſenſu, immo & mortalium omnium res eſt nulla terribilior? Quam, vt rerum terribilium formidoloſiſſimam exhorreſcentes, & homines, & animantes, & plantæ ipſæ refugiunt? Non igitur ſatietas, non faſtidium, non odium, non cupiditas, non vllus alius vſitatus affectus miſeros illos ad interitum adigebat; ſed error mentis à dicendi fallacijs, præſtigijsque profectus. Nam vt Plato ſimiles excantatoribus eſſe arbitrabatur eloquentes oratores, eo quod affectus lenirent, vt illi feras, morboſque depellerent; ſic ego præſtigiarum artificibus ſimillimos eſſe iudico. Nam vt illi, vel incredibili celeritate manuum; vel feſtina mutatione colorum; vel varia coagmentatione vertibularum mille formarum ſpecies aſſimulant; iiſque fallacijs decipiunt oculos, vt ſe videre ſæpe fateantur, quæ re uera non ſunt ea, quæ apparent; interdum vero putent falſa eſſe, vel alia, quæ vere conſpiciuntur; ſpectatoreſque deceptos fallacia ipſa delectet: ita diſertiſſimi oratores Chriſtiana probitate vacui, aut certe morali virtute ſpoliati; vel quæ clara ſunt fallaciter inobſcurantes; vel obſcura callide illuminantes; vel augentes amplificatione parua, vel affligentes extenuatione magna: tum pulchra vituperatione fœdantes, tum fœda laudibus exornantes: denique aliter ac ſunt demonſtrantes omnia per Rhetorum præſtigias & artem, fallunt cum voluptate aures verborum ac rerum ſuauitate delinitas; decipiunt cum delectatione oculos mentis ex inſidiis, aut mendaciunculis aſpergentes, quę dicunt, aut per inſinuationem illis caliginem erroris, falſæque opinionis tenebras obijcientes, ita vt orationem

Ar.l.5.eth.c.6.

Plato in Euthyd.

Auſon. præf. edyll.13.

Auct.l. de Mũdo cap.7.

Apul.l. de Mũdo.

Plato in Menex.

L.Sen.ep.45.

Petr. Arbiter in fragmentis. eorum laruam illam argenteam Petronij dicas, cuius articuli ac vertebræ in omnem partem verſatiles, multas formas puncto fere temporis referebant; aut rorantem nubem aduerſo colluſtratam ſole, lenique flatu agitatam arbitrere; quæ quot paſſus facit, tot colores, qui veri nō ſunt, tot monſtroſas formas aſpectum fallentes intuentium fingere, referre, mutare videatur. Sed quid ego longinqua ſenſibus affero? Qui capite ſunt imbecilliore crebro experiuntur in tranando ſiue pedibus, ſiue in equis torrente, qui rapide feratur, quàm fallaciter aquarum impetus oculos phantaſiamque decipiat. Quot accidit interitus, vel certe periculum vitæ, qui quod exiſtimarent errore capti ſurſum fluere, cum vere deorſum laberetur, ſe flumini ſecundo dederunt, cum contra fluminis aduerſi impetum conniti debuiſſent? Vacillat oculus, phantaſia fallitur, ipſa mens errat. Ita dum eloquentis oratio, quam fluminis inſtar eſſe mox dicam, aures auditorum, animumque præterfluit, decipiuntur aures, phantaſia claudicat, ratio decepta alucinatur; & ſurſum ferri putat, quod deorſum rapitur, & contra labi deorſum, quod ſurſum verſus aſcendit. Sed iam tandem euolemus ex his fallacijs, & gradum faciamus ad voluntatem, vltimum, intimum, abditum 10
animi receſſum, libertate munitiſſimum, imperio nobiliſſimum: quem tamen ipſa eloquentia, admota horribili machina perſuaſionis concutit audacter, & ſæpe aperit, perrumpit, expugnat. Audiuiſtis oratione proxima de *Cic. l. 2. de orat. Plut. in Catone ſen. Ael. l. 3. Var. hiſt. cap. 17.* nobiliſſima legatione Athenienſium Romam aliquando miſſa, Carneade quem modo quoque ſum miratus, non tam ætate, aut dignitate, quàm doctrina, & eloquentia principe; qui Romanam iuuentutem ad ſuum hoſpitium frequentiſſimam exciuerat eloquentiæ fama: cœperat ſuauitate ſermonis; detinuerat vbertate dicendi. Nunc accipite quid ſenes, hoc eſt Romani ſenatores de cuncta legatione iudicarint. Proponendis enim in ſenatu publice poſtulatis Athenienſium; cum ſingulis ſenatoribus agendo

pri-

Digitized by Google

priuatim de rebus ijſdem, tam inſignem dicendi grauitatem, & copiam; tam graue rationum pondus attulerunt, vt non modo quæ popoſcerant nomine ciuitatis, vnde venerant, liberaliter impetrauerint, ſed etiam multi ſenatores admirati vim, & perſuaſionem periclitati dixerint exclamando: Non Athenienſes miſerunt oratores Romam, qui nobis perſuaderent, ſed qui cogerent Senatum: non ea præſtare, quæ conſilium orbis terrarum vellet, ſed quæcumque illis placuiſſent. Adiungite, Parmenſes, le-
11 gatorum Athenienſium facinori, recentius exemplum expugnatæ voluntatis per Latinæ linguæ machinam, ne Græciæ quidquam in ſumma gloria Latium concedere putetur. C. Cæſar Dictator apud ſe ſtatuerat Q. Ligario, *Plut. in Cicer.*
qui pro Cn. Pompeio ſteterat in acie Pharſalica, multaque alia contra dignitatem ſuam commiſerat, numquam parcere. Ciceronem pro eo ſupplicantem audire non grauatur; mutata voluntate flectitur ad clementiam: condonat iniurias, eum recipit in amicitiam. Lineamenta tantum duxi, non pigmenta, non colores pulcherrimi & maximi facti, in quo uis eloquentiæ extat atque eminet adeo, vt occultari non poſſit. Adiuncta tam multa, tam grauia, tam propria rem circumſtant, vt ipſe Cæſar qui ſenſit, atque excepit ictus, qui multum dicendo valuit, interrogationibus exquiſitiſſimis ad reſpondendum explicationis gratia cogendus videatur. Qui primum in animi ſui totius conſilio decretum de non parcendo Ligario fecerat, obſignauerat, fixerat: deinde pectus obfirmatæ ſententiæ lorica de non mutanda, in ea cauſſa, voluntate ſolerter armauerat: parum dico; voluntatis, cui metuebat, arcem oppoſito nouo muro cuiuſdam ſiue obſtinatæ deliberationis, ſiue pertinacis obſtinationis militari pariter atque oratoria calliditate munierat; idque amicis in Curiam veniens neſcio quo verſu ſignificauit: eoſque præmonuit, à ſe Ciceronem auribus officii gratia tantum auditum iri, non animo, quem iam precibus omnibus obſtinatione præcluſe-

rat. Hoc difficillimo rerum ſtatu ſummus tractandorum animorum artifex, & in oratoria militia bellator maximus M. Tullius, cum in toto dicendi curſu voluntatis munitiſſimam arcem oratione tamquam ariete muris adducto atque admoto uerberauit; tum uero ter potiſſimum impetum fecit. Ad primum enim ictum munitiones omnes nutare, labare, vacillare: Cæſaris uultus rubere, pallere, ardere; ſæpius colorem mutare: deinde cum ille uoluntatum expugnator commemoratione Pharſalicæ pugnæ ſecundum impetum impreſſiſſet; hic, nimis decreto ſuo iam confidens, nunc mœnium, opinor, metuens ruinam, quaſi amens in ſella toto corpore uehementer exiluit: tum ad tertiam impreſſionem perorationis animaduertens labefactatas pæne atque euerſas munitiones, deſperatione furens libellum ſupplicem, quem habebat in manibus proiecit in ſolum: denique perorata cauſſa nolens uolens mollitus, fractus, uictus dat manus oratori, ueniam reo, gratiam inimico. Quæ te, C. Cæſar magnanime, qui tot bella geſſeras, tot prælia commiſeras, tot uictorias retuleras, tot nationes domueras, tot regna uictricibus armis occupaueras; quæ, inquam, te uis perculit, conturbauit, confudit, ut uultu, qui tacitus eſt ſermo mentis, tot colores indueres, tot commutationes ſuſciperes, tot ſignificationes animi nutantis ac perturbati dares? Reſponderet, ſi uiueret Cæſar, & præſens adeſſet: Eloquentis perſuaſio. Tu qui primos inter oratores tot cauſſas egeras, toties in foro peroraueras, in iudicijs, & in curia; tam bene callebas artis oratoriæ præcepta, quibus & cognoſcere captiones, & uitare fallacias, & deprehendere inſinuationes, & artificium retegere poteras; cuniculoſque omnes atque inſidias rhetoricas cognitas habebas, atque perſpectas: tu qui iam ſenex eras, cui non facile dantur uerba, quid nam orante Cicerone perſenſiſti, ut totus commouerere? ut loco ſtare neſcires? ut æſtuares intus? ut arderes foris? ut impotens, quæ manibus tenebas abiiceres? Quid, inquam,

Digitized by Google

tuam ſcientiam obruit, tuas artes vicit, tuam calliditatem fefellit? Ciceronis perorantis perſuaſio. Quid denique labefactauit, patefecit, expugnauit arcem atque turrim voluntatis tuæ tantopere firmatam præſidijs, clauſam, communitam; teque coegit vt iniuriarum obliuiſcere, Ligario parceres, errato veniam dares, pœnam remitteres, in gratiam inimicum acerbiſſimum, amicitiamque reciperes?

12 Vnius hominis diſertiſſimi Perſuaſio. O telum amentatū eloquentiæ, pectora muroſque tranſuerberans! o militarem arietem non percuſſorem modo, ſed euerſorem, atque expugnatorem arcis regiæ firmiſſimæ natura, conſilioque munitiſſimæ voluntatis! Quam facultatem animi, neque cælum infundens in res omnes procreatas vitam & mortalitatem, attingit: neque aſtra lumine, conuerſione, figuris, aſpectu, quibus in reliqua omnia dominantur, afficiunt: neque fati neceſsitas, quam temere atque inſipienter, quod nulla eſt in rerum natura, veteres quidam Philoſophi formidarunt, cogit: neque vis vlla mortalium mouere niſi volentem de ſuo gradu poteſt, neque de ſtatu deijcere, neque cogere: quod nulla pars animi adeo ſuæ ſpontis eſt, ac ſui iuris, nulla ſuam in poteſtatem habet

21 alias facultates, ſenſus, actiones, vt hæc voluntas: eloquentiæ potentia, vis dicendi, perſuaſionis machina, quantumuis pertinacem atque obſtinatam flectit, expugnat, de ſtatu graduque deturbat. Iure igitur hæc ſumma victoria pugnantis eloquentiæ dicenda eſt: iure pro titulo in eius domicilii fronte, in arcubus, in vexillis inſcribi poteſt, quod Poeta vetus in ſepulcro Scipionum inciderat, verbo voluptatis in voluntatis commutato: *Ald. Man. in ortographia.*

Maxima cunctarum victoria victa voluntas.

Iure denique in ſe poteſtatem, iura, nominaque honorifica tranſtulit voluntatis, quæ Reginam in homine voluntatem ceteriſque in rebus dominantem ſuperauit. Hinc Euripides nobiliſſimus poeta tragicus orationem quæ telum eſt eloquentiæ, Reginam omnium rerum merito

Euripid. in Hecuba. *Quinct. l. 1. c. 12.* *Cic. l. 2. de orat.*

nun-

Cic.l.1.de orat. nuncupauit. Hinc centies M. Tullius dominatricem animorum nominat eloquentiam, quæ in omni populo libero, maximeque in pacatis, tranquillisque ciuitatibus ſemper dominata eſt. *Plin.l.29.c.1.* Hinc Plinius palam eſſe conqueſtus eſt, vt quiſque inter medicos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ noſtræ necisque fieri. De fonte eodem *S. Hier. in c.3. Iona.* eſt, quod toties apud M. Tullium, Quinctilianum, Hieronymum & optimos quoſque ſcriptores legitis; clariſsimos oratores, & eloquentiſsimos viros, quales fuerunt Pericles, Demades, Hyperides Athenis; Craſſus, Antonius, Hortenſius, Cicero Romæ, vel in foro dominari, vel in iudiciis regnare, vel eſſe Reges in concionibus. Idem ſpectat Romæ principis ciuitatum graue iudicium de Prohæreſio viro eloquentiſsimo, Chriſtianoque oratore, cui, propter merita in educanda iuuentute, atque ad eloquentiam in- *Eunap. Sard. in Prohæreſio.* formanda tum in Gallia, tum Romæ, quo tempore Conſtans Conſtantini F. rerum in occidente potiebatur, ſtatuam æneam, ſtaturæ illius maxime parem magnitudine poſuit hac præclara inſcriptione ſubiecta grãdibus litteris;

Regina rerum Roma, Regi eloquentiæ.

Plato in Gorgia. Denique merito Plato tyrannis ſimiles eſſe dicit oratores;
quippe qui in iudiciis, in concionibus popularibus, in cœ- 15
tibus ciuium, in legationibus, in ciuitatibus totis, in integris prouincijs, ita dominantur, & eloquentia verſant, trahunt, obnoxias ſibi faciunt ciuium eorum, quibus cum agunt voluntates, vt tyrannidem quandam, ſuauem tamen & voluntariam illis, qui ſubiguntur, exercere videan- *Val. Max. l.8. cap.9.* tur. An non tyrannus per eloquentiam Piſiſtratus, cui regium imperium Athenienſes eius oratione capti, poſthabito Solone ſalubriora ſuadente, permiſerunt? Nonne item Pericles mirabilior, qui iugũ ſeruitutis liberis Athenarum ceruicibus impoſuit, illam ciuitatem, lepore ſuorum laborum delinitam, arbitrio linguæ verſans, non armatus vt Piſiſtratus, ſed inermis? Non ne denique M. Tul- *Plut. in Cicer.* lius Romæ nulla commendatione maiorum, quia nouus

homo;

homo, nullis rebus fortiter geſtis, quia nondum arma tractauerat; ſed togatus eloquentiæ vi conſulatum ampliſsimam in Rep. dignitatem atque auctoritatem adeptus, in ea tyrannidem propemodum geſsit; cum, vt loquitur Plutarchus, pluſquam Dictator, & prope Monarcha vrbem ab incendio, populum à direptione, Remp. à ruina ſeruatam ſuo nutu, ſolus pæne conſtituit, temperauit, ſtabiliuit; & Catilinam, Lentulum, Cethegum nobiliſsimos ciues, atque audaciſsimos, tum affinitatibus, amicitiis, conſpiratione potentiſsimos, partim eiecit ex vrbe, partim in carcere ſupplicio extremo mactari parricidii patriæ conuictos imperauit? Ceterum vt expreſsius cernatis, Parmenſes, hanc eloquentiæ poteſtatem, non in vna tantum hominis voluntate deuicta, ſed in multis: atque adeo in integris ciuitatibus expugnandis: operæ pretium exiſtimo diſputationi iam inſtitutæ duorum translatorum nominum explicationem adiungere; quæ ſimilitudinem ac formam eloquẽtiæ, tamquam annuli gemmam egregiè ſculptam includunt. Multa ſunt translata nomina facultatis huius, quæ
14 magna luce circumfunderent animos veſtros, ſi ea vobis omnia ſigillatim interpretarer à doctiſsimis viris vſurpata, cum eam honoris gratia Solem corporis, Lunam animi, Lumen ingenij, populi frenum, Reip. gubernaculum, caſtrorum tubam, amicitiæ vinculum, hominis nudi telum nominarunt: ſed breuitati ſtudens & perſpicuitati conſulens, illis omnibus prætermiſsis antepono duo, quibus ipſamet eloquentia, ſiue partus eius, ac telum, oratio vibrans & copioſa, fulmen dicitur, ac flumen: quorum quidem priore, uis perſuaſionis exprimitur cum elocutionis ſplendore coniuncta: poſteriore vero doctrina, delectatio, permotioque declaratur. Pericles ille, cuius ſæpe cum laude mentionem feci; quemque ceteris oratoribus Athenis præſtitiſſe docet apud Platonem Socrates; ab Ariſtophane Poeta comico, cuius verba ſcriptores omnes admirantur, referunt, & laudibus tollunt in cælum, fulgurare, tonare

Plato in Phædro.
Cic. l. de orat.
Ariſtoph. in Nebulis.

per-

Plin. l. 1. ep. 20. ad Tacitum. permiſcere Græciam dictus eſt. Si reuocemus Poetæ di- *Quinctil. l. 2. cap. 16.* ctum ad Phyſicorum regulam, nulla fulminis mentio verbis eius expreſſa continetur: aliquid maius eſt, ac vehementius fulmen, quàm aut fulgur, aut tonitruum; nam ſi proprie, vere, & exquiſite loquamur, minatur tonitruum *L. Sen. l. 2. nat. quæſt. c. 12. & ſeqq.* ignem; fulgur oſtentat; fulmen aut iacit, aut defert in terras. At quis iure dubitare poteſt ex Ariſtophanis opinione, num Pericles fulmina quoque iactare conſueuerit, qui Eupolidis teſtimonio, ne dicam conuicio, delectando figebat aculeos in animis auditorum? Qui Græciam permiſcebat, eius inania ſemper fuere tonitrua? uacua prorſus, & ſine ictu ſemper fulgura illa coruſcabant? minime vero. Fulminibus imbuta, & armata fulgura vibrabant ex eius ore, qui tantos motus animorum efficiebat. Sic Ariſto- *Quinct. l. 12. c. 10.* phanis mentem & verba Quinctilianus interpretatur, à quo Periclem, eiuſque vim, ac celeritatem, fulminibus, ac cæleſti fragori exiſtimat comparari. Sic Plutarchus, qui *Plut. in Pericle* eumdem non tonare modo & fulgurare, ſed & horrendũ lingua fulmen geſsiſſe prodidit litterarum monumentis. Nec vero Pericles ſolus fulminabat, cum Athenis impetu 15 concitato perorabat; ſed & Demoſthenes ætate ſequente, quem Cicero præter ceteros paſsim ſuſpicit, laudat, imitatur; cuius fulmina, teſtimonio eiuſdem, non tam vibrarẽt, *Cic. l. de orat.* niſi numeris contorta ferrentur. Mutuis inter ſe fulminibus emiſsis vtrimq; decertarunt Demoſthenes & Aeſchi- *S. Hier. Apol. 1. adu Ruffinũ.* nes, ut auctor eſt S. Hieronymus, in acerrima illa contentione iudiciali, in qua victus hic poſterior, & tamquam ictus fulmine, ac ſemiuſtulatus Rhodum profugit in exilium. Quid hic ego commemorem Ciceronem? Nonnẽ Papirius Pætus in epiſtola quadam uerborum miratur fulmina Tullianorum? Ipſe M. Tullius nonne ſcribit grandi- *Cic. l. 9. ep. 7. ad famil. ad Pæt.* loquos oratores, uehementes, uarios, graues, copioſos, ad permouendos & conuertendos animos inſtructos & para- *Cic. l. de orat.* tos, cum ſententiarum grauitate, & maieſtate uerborum, in quibus uera, germanaque uiget, ac uiuit eloquentia, uti

dicendo fulminibus? unde intelligas in oratorum eloquentium numero non eſſe collocandos eos, qui dicendo fulmina nulla contorquent: ſummos eſſe, qui fulminare conſueuerunt. Aquilam reginam volucrum Poetæ finxerunt eandem, & nectare fuiſſe Iouis infantis altricem, & grandis natu nunciam ac ſatellitem fulmina porrigentem. Quo ſpectat hæc tota fabula? Nempe hanc eloquentiam animi noſtri nunciam eſſe, cum eius ſenſa promulgando docet; alere nectare oratorem, cum illi tribuit, vt cum ſuauitate delectet; ſuggerere fulmina dicenti, cum granditatem verborum, acumen, grauitatemque ſententiarum; ardorem animi, permotionem affectuum, vimque perſuadendi ſubminiſtrat. At videte animis, quàm ſimilis ſit fulminis & orationis eloquentis ratio. Iacitur è nubibus fulmen; à capite labitur oratio: ſtrepitum illud habet; hæc vocis ſonum: illud fulgorem ignis, hæc ſplendorem locutionis: illud ſpiritum inflammatum; hæc ardentem affectum. Fertur illud plerumque tranſuerſum & oblique; ſæpenumero hæc per circuitionem ſe in animos inſinuat. Quanta eſt celeritas fulminis? Hinc eſt illud Lucretij;

Moero Poetria Bizant. *Cic. l. 1. de legib.* *Idē l. 1. de Diuin.* *Lucr. l. 6.*

Celeri volat impete labens.

Hinc illa Virgilij nobilis amplificatio, *fulminis ocyor alis.* Indidem Cæſar Auguſtus ſententiam illam ſuam pulcherrimam, atque pleniſſimam prudentiæ, quam ductoribus militum, & rectoribus prouinciarũ tanto opere commẽdabat, & inculcabat Σπεῦδε Βραδέως *feſtina lente*, in nomismate exprimens, termino erecto fulmen ad pedes abiecit, vt celeritas maxima fulminis, ſtabilitate termini cohiberetur, & termini tarditas, velocitate fulminis incitaretur. Quanta pariter celeritas orationis? Non equidem in ſola celeritate dicendi, neque in volubilitate linguæ curſuque verborum, vt imperiti quidam, ſummam eloquentiæ laudem pono: non Q. Haterium laudo, quem idem Auguſtus ſerio iocatus ſufflaminandum eſſe dixerat: quod cum non haberet in poteſtate modum, vt ingenium, tanta fundebat

Virg. l. 5. Aen. *Suet. in Aug. cap. 25.* *Leu. Torrent. in Suet. Aug. cap. 25.* *Cic. l. de orat.* *M. Sen. l. 4. contr. in præfat.* *S. Hier ep. 61. ad Pammachium.*

Digitized by Google

orationē velocitate, ut vitiū fieret, quod laus eſſe potuiſ-
ſet;& decurrere potius, quàm currere videretur. Multo
minus tarditatem eloquenti tribuo, vitium celeritati ni-
miæ contrarium & tamquam oppoſitum è regione; ſed
eam celeritatem probo, non quæ ſplendorem fulguris
præuertentem fulminis ictum adæquet, ſed qua non tar-
Apul.l.de Mūdo. dius ab ore dicentis ad aures auditorum peruolet oratio,
quàm expreſſum è conflictu nubium fulmen ad apices
montium ruit feriendos. Quanta denique fulminum
vis? Terebrat, diſcutit, vrit quæcumque percuſſerit: æra
L. Sen.l.2.nat. q.c.40.52. liquefiunt:cum lapide,ferro, & duriſſimis quibusque con-
fligit:faſtigia diſijcit, turres perrumpit, muros labefactat.
At eloquentiæ veræ illius, quam proxima oratione deſcri-
pſi, partus oratio; cum grauiſſimis argumentis aculeata,
granditate verborum optimorum armata, perturbatio-
num grauiorum permotione ardens, latiſſimi pectoris im-
petu emiſſa, vocis maxima contentione vibrata, & ſumma
validiſſimorum laterum firmitate, totiusque oris, vultus,
corporis actione contorta, in alicuius aures oculoſque in-
cubuerit, penetrat ſenſus, irruit in intimos affectus, per-
fringit pectus adamantinum; ſtantem animum verſat,
agitat,proſternit,obſtinationem eius mollit, & ſuæ vi per-
ſuaſionis parere ſibi cogit antea repugnantem. Quid aliud
S. Greg. Naz. Carm. ad Nicob.fil. ſenſit Gregorius Nazianzenus bonus fulminum faber; 16
quorum ictus & ſalutaria vulnera crebro populus Con-
ſtantinopolitanus aduerſo pectore excepit, cum ſcripſit
homines quamlibet robuſtos eloquentia, non aliter quàm
igni ferrum,molliri atque liqueſcere? Quod & mirabili
quadam ratione non ante hac audita,qui me audiunt,ado-
leſcentibus,frequenter efficitur. Nam fulmen, quia cum
duris pugnat,valentiora, quæ reſiſtunt, vehementius diſ-
L.Sen.l.2.nat. quaſt.cap.52. ſipat,& teneris parcit, quia cedunt, etſi flammis opportu-
na videantur: proinde incolumi vagina liquefacit enſem;
& loculis integris,pecunia quæ in his fuerat,non raro con-
flata reperitur. Et eloquentis oratio, quia cum pertinacia

bellum

Digitized by Google

bellum gerit, pertinacius cum obſtinatis confligit: & ſtãtibus corporibus, quæ quaſi vaginas, thecas, loculos animorum nonnulli dixerunt, proſternit animos; ſaluis membris inflammat affectus: integris artubus obſtinatas mollit intus & liquefacit voluntates. Quæ tam mira facit oratio iactibus, & ictibus fulminum ſimilia, non erit fulminis in-
17 ſtar Auditores? Verum quoniam fulminis natura, quæ non plane nota Philoſophis eſt, vobis adoleſcentibus iure videri poteſt ignota; cupio vim eius in fulmine manu, & arte facto cernatis oculis, manuque tangatis: vnde ad vim orationis eloquentis hominis cognoſcendam me duce, ac præferente facem veniatis. Proditum eſt, fabulis ne an hiſtorijs? quondam extitiſſe Salmoneum hominem ingenioſum & audacem, qui fulmine percuſſus pœnas dederit audaciæ, quod cæli tonitrua, fulgura, fulmina, nimbos, aſtrorum curſus imitari conaretur; vnde eſt illud Homeri Latinorum: *Lucian. in Timone. Suid. in Salmon. Virg. l. 6. Aeneid.*

Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.
&, *Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen*
Aere, & cornipedum curſu ſimularet equorum.

Paullo amplius, quàm ducenti ſunt anni, cum in Germania neſcio quis extitit Archimedis, & Procli nobiliſſimus in fabricandis bellicis machinis æmulus; quem, quia me latet nomen memoria ſempiterna digniſſimum, alterum Salmonea, me iuuat appellare. Qui multo felicior illo vetere, & ingenio, & exitu vitæ, fulmen, Virgilio viſum non imitabile, feliciſſima imitatione conflauit, & expreſſit ex ære: cogenſque in vnum, arte militari magiſtra, tonitruum, fulgur, & fulmen; primi ſtrepitum, alterius flammas, poſtremi violentiam implicuit, atque in vno tormento mirabiliter illigauit. Bellicum illud tormentum hoc eſt horribile, quod arietibus Romanorum, in mœnibus, turribuſque diruendis euertendiſque ſucceſſit, quod nulla deſinet admirari poſteritas. Hoc Itali maiores noſtri, vt viris doctis placuit, Bombardam ficto nomine per onoma- *Polid. Virg. l. 2. de inuent. rerum c. 11. & l. 3. cap. 18. Bened. Varchius in Herculano.*

topeiam,quod bombum,ardorem,& ſtragem edat, voca-
uerunt : ex cuius imitatione fecit ars eadem fiſtulas manu
tractabiles,quas quia ſucceſſerunt arcubus, arcus perfora-
Perſ.ſat.5. tos:& quod referunt ſtloppum , ſeu ſcloppum, hoc eſt ſo-
num,quem ex inflatione buccarum reddimus , ſcloppos,
ſeu ſtloppos item nominarunt. Quanto igitur notiores
ſunt proprietates atque effectus mirabiles Bombardæ ,
quàm fulminis,tanto manifeſtior fiet vobis eloquentiæ vis
atque poteſtas. Conferte nunc Auditores eloquentiam
cum hoc terreſtri fulmine,& intelligetis num oratorie an 18
vere dixerim fulmini ſimillimam eloquentiam. Cum
Bombarda ſuum fetum extrudit, ſplendet flammis ; cum
eloquentia ſuum partum effundit, fulget ornamentis : ar-
det illa igne;feruet hæc affectibus : illa æneam pilam euo-
mit;hæc aeream orationem emittit : illa cum ſtrepitu;hæc
cum clamore:iacitur illa vi ſulphurei pulueris in tormenti
fundo ſuccenſi;funditur hæc vi ſpiritus in imo pectore ca-
lefacti. Sed quid diutius moror? Præſtat eloquentia, præ-
ſtat, Auditores, quod Bombarda ſingulis iactibus vacua
redditur,nec valet quidquam , niſi iterum puluere , globis
extrinſecus aſſumptis compleatur: eloquentia non vna di-
ctione orationis exinanitur, nec extraneis opibus, ſed in-
terioribus ac ſuis refercitur: illa globos explodendo terret
animos timidorum: hæc eloquendo ſæpe pectora magna-
nimorum:illa fundit armatos ferro milites in prælijs, hæc
profligat ſophiſtas inſtructos argumentis in diſputationi-
bus:illa denique concutit muros, & turres; hæc proſternit
mentes, & arces. Sileant, ſileant accuſatores iniquiſſimi
Pl.l.7.proœm. Naturæ:faceſſant aliquando hinc, & obmuteſcant Archi- 19
Lact.l.de opif. tecti Dei reprehenſores ; qui de corporis humani fabrica
cap.2.3. queruntur, artificemque ſapientiſſimum inuidioſe crimi-
S.Greg. Nyſſ. nantur,quod alias animantes rationis expertes,& abiectas
l.de opif. c.7. ad paſtum, partim cornibus , roſtro, dentibus,vnguibus,
Max.Tyr. aculeis, iaculis, viribus armauerit ad nocendum inimicis:
ſerm.32. partim teſta,cruſtis, ſquamis, plumis contexerit ad defen-

ſionem

ſionem ſui partim pennis, alis, pernicitate pedum inſtruxerit ad quærendam fuga ſalutem: hominem illis imperaturum nudum; inermem, imbecillum in hunc Mundum non immiſerit natum, ſed tamquam in ſolitudinem, in exſilium, & in barbariem aliquam expulerit, atque abiecerit rerum capitalium condemnatum. An ignorant maledici iſti Momi, pro ijs omnibus, quæ homini denegata videntur, multo meliora donata? Rationem primum inuentricem omnium artium? deinde manum omnium operum, veſtium, armorum, tectorum, & machinarum opificem? tum ſocietatem hominum, atque amicitiam in vrbibus incluſam, quam ciuitatem appellamus, cuius viribus coniunctis opera illa fiunt ingentia, quæ nos tutantur à feris, defendunt ab hoſtibus, muniunt contra elementorum iniurias; mœnia, foſſæ, turres, caſtella, moles, nauigia, pontes, ædificia, tecta: & quæ ſinguli non faceremus, efficimus vniuerſi? Poſtremum, adde orationem & eloquentiam; cuius opera cum aliis inuentæ artes communicantur; docentur manus opificum; homines in ciuitates congregantur; ciuium ſocietates ad opera magna communi labore perficienda conciliantur; & omnium denique rerum vitæ neceſſariarum negotia contrahuntur. Quid quod eadem facultas telorum, armorumque generis cuiuſcumque vicem habere proditur à doctis viris? Quod ſcutum ad tutelam ſolidius, quod telum aptius ad pugnam cum hominibus reperiri poteſt? Quo protectus clypeo Tiberius Gracchus in Hiſpania, Mancini Conſulis ignauia, Romanorum rebus afflictis, periculum deditionis faciendæ Numantinis hoſtibus, ſui, conſulis, totius exercitus effugit? Eloquentia. Quo ſcuto munitus Cinnanorum, Marianorumque ſatellitum mucrones à ſe repellens, vt oratione proxima audiuiſtis, mortem imminentem diſtulit tantiſper Antonius? Eloquentia. Quæ armatura minas, iras, vlciſcendi rabiem furioſorum hominum, crudeliſſimorumque inimicorum vim capiti veſtro, ceruicibusque intentatam in rixa, ſæpe

L. Sen. l. 4. de benef. cap. 18.

Max. Tyr. ſerm. 32.

Phil. l. de ſomn.

Pl. l. de vir. illuſtr. cap. 64.

Plut. in Gracch.

Val. Max. l. 8. cap. 9.

Plut. in Mario.

 à

à vobis feliciter auertit? Eloquentia. Quæ baliſta, quæ turris, quæ catapulta, qui aries, quæ vinea, quæ machina muralis, quod tormentum bellicum, vel iaciendis telis, ac lapidibus, vel muris verberandis, labefactandisque comparatum, poteſt cum fulminibus orationis, & eloquentiæ bombarda conferri? Quæcumque ferrum moliri atque efficere poteſt hoſtium, omnia conficit, vt Euripides ait, eloquentis oratio. Turres hæc altiſſimas, & in iugis montium ſitas, arietans perſuaſione complanat: hæc arces natura', manuq; munitiſſimas ſuis rationum ictibus aperit & euertit: hæc vrbes mœnibus & foſſis cinctas, verborum machinis expugnat: hæc aggeribus, & vallo circumſepta caſtra, vocibus ſuis ad deditionem cogit: atque hæc omnia citius nonnumquam efficit ac facilius, quàm vllius vel impulſus arietis, vel impetus tormenti, vel ictus machinæ, vel vis continuata bombardarum. Iactet alijs, non mihi, Philippus Macedoniæ Rex ſummam potentiam pecuniarum: ſibi habeat ipſe ſuas haſtas argenteas, quibus fundat exercitus: ſuum aſellum onuſtum auro, quo patefaciat vrbes: mihi vel relinquat, vel tribuat eloquentiam, quàm auro, & argento duco potentiorem. Nam pecunia, tametſi Salomonis ſapientiſſimi mortalium omnium teſtimonio ei parent omnia: non tamen virtute ſua vincit & expugnat hominum voluntates, ſed accipientium vitio, quos ſua cupiditas atque auaritia corrumpit, & facit proditores. At eloquentia vi ſua innata atque inſita, quæ eſt perſuaſio rationibus nixa, mollit, & perrumpit animos, facitque vt velint, & tradant perlibenter, quæ paullo ante maxime nolebant: & ſæpe accidit, vt quos inuictos aurum non corruperat cuſtodes arcium, eos eloquentis oratoris perſuaſio ad deditionem impellat. Teſtis huius potentiæ Pyrrhus Rex Epyrotarum, rebus bello geſtis clariſſimus, qui plures ciuitates adiunctas imperio ſuo fuiſſe Cyneæ Theſſali oratoris lingua & eloquentia, quàm virtute ſua, ſuorumque militum armis, plane ac libere prædicabat. Teſtis Demoſthe-

Euripides apud Plut. in Pyrrho.

Cic l. 1. offic. 21

Plut. in Apopht. Regũ, & in Paullo Aemil.

Hor. l. 3. od. 16.

Eccl. 10.

Digitized by Google

nes Græcorum oratorum magiſter, qui nomine iuſſuque *Plut. i Demoſt.* Athenienſium Reip. legatione fungens, totamque pæne Græciam obiens, omnes ferme ciuitates, & Thebanorum in primis obſtinatiſſimam atque alieniſſimam, ad retinendam libertatem excitatas conſilio atque oratione, in belli ſocietatem aduerſus Philippum Regem Macedoniæ, communionemque contraxit. Teſtis Athenienſium *Cic.l.1. offic.* *Ael.l. 3. Var. hiſt. cap. 16.* *Pl.l.7. cap. 38.* Dux preſtantiſsimus in vrbibus expugnandis Timotheus Cononis F. par exiſtimatus Demetrio Regi Macedonum, qui Poliorcetes cognomento dictus eſt ab vrbium expugnatione; quod eloquentia, verbis ac perſuaſione confeciſſet ille; quod armis, obſidione tormentiſque Demetrius. Teſtes denique vos ipſi, Adoleſcentes, eritis breui, ſi diligentia qua cœpiſtis, & quæ vos decet Romanorum ſanguine prognatos, Rhetoricæ ſtudium, cum exercitatione ſcribendi dicendique, & primariorum oratorum
22 imitatione coniunctum amplectemini. Tot igitur teſtibus, tam locupletibus, tam incorruptis comprobata eloquentiæ poteſtate, fulmini vtrique pari; & vero etiam ſuperiore; non permittetis, Auditores, orationem meam ad lætiorem diſputationem, floridioremque tranſire; tranareque non modo fluminis propoſitam translationem, ſed etiam per eius amœnas actas, vndaſque ſpatiari? Hanc ſcilicet metaphoram vſitatiſsimam reperio Philoſophis, Oratoribus, Poetis; qui videntur omnes hanc animo concepiſſe, atque impreſsiſſe opinionem, Orationem ex ore *Plato in Sophiſta.* diſertorum virorum, tamquam à fonte riuum, fluuiumque manare. Plato reliquis viam aperit, probatus à ſuis, qui *Alcin.l.de doctr.Plat.c.4.* ſermonem, fluxionem per os à cogitante animo cum *Philo.l. Quod deter.inſid.potiori.* voce manantem eſſe definijt. Quoties M. Tullius eodem eruditus Magiſtro viris eloquentibus orationis, eloquentiæ, verborum, & ingenij flumen attribuit? *Cicer.libris de orat.* Quid Horatius poetarum ſui temporis doctrina facile princeps? vt *Hor.l.7.od.2.* Pindari poetæ beatiſsimam rerum ac verborum copiam, *Quinct. l. 10. cap 1.* profluentiamque deſcribit? Amni de montium iugis imbribus

Digitized by Google

bribus aucto defluenti parem facit.

Monte decurrens velut amnis imbres,
Quem ſuper notas aluere ripas
Feruet, immenſusque ruit profundo
Pindarus ore.

Iuuen. ſat. 10. Torrenti ſimilem Demoſthenem Græciæ totius eloquen-
tiſsimum Iuuenalis; & Q. Haterium copioſum, & celerem
M. Sen. l. 4. *cõ-* in dicendo M. Seneca pariter agnoſcunt. Quid S. Hiero-
trou. præfat. nymus, cui tantam eruditionem debemus de T. Liuio ſen-
S. Hier. epiſt. tit? Eum lacteo eloquentiæ fonte manare. Quid de S. Cy-
103. *ad Paulinum.* priano? Inſtar puriſsimi fontis dulcem, & placidum ince-
Idem l. 2. *ad* dere. Quid de Lactantio Firmiano? Quaſi quemdam flu-
Gal. in præfat. uium eloquentiæ Tullianæ decurrere. Quid denique de
S. Hilario? Alterum eloquentiæ Latinæ Rhodanum eſſe.
Porro dicendi vis & celeritas S. Ioannis Archiepiſcopi
Conſtantinopolitani, qui ſolus inter Chriſtianos oratores
Chryſoſtomi cognomentum ab orationis aureæ diuitijs,
Suid. in Chryſoſt. & copia conſecutus eſt, non ne præcipitantis Nili catadu-
pis à veteribus antefertur? Nec Salomon, cuius auctorita-
tem omnibus ſcriptoribus antepono, pulcherrimam hanc
prætérijt tralationem, cum ait ex ore ſapientis tamquam
Prou. 18. à fonte torrentem profundum verborum, ac redundan-
tem erumpere. Qui omnes doctiſsimi viri ſimilitudinem
maximam agnoſcebant in origine, in materia, in proprie- 23
tatibus, & in effectibus vtriuſque. Nam in flumine prima
origo eſt abdita vena; in oratione mens occulta: deinde
illic fons; hic os: illic tubus; hic lingua: illic alueus, hic ina-
ne: illic vndæ, hic verba: illic murmur decurrentis, hic cla-
mor pronunciantis: illic arenæ, hic ſententiæ: illic fœcun-
ditas, hic doctrina: illic amœnitas, hic delectatio: illic de-
nique ruina ſæpe riparum, pontiumque caſus; hic affe-
ctuum permotio, & obſtinatæ voluntatis euerſio. Vtinam,
Parmenſes, diuinitus poſſet, vel ſenſus oculorum in aures
per aliquam metamorphoſim commutati, uel certe ita
inter ſe coniungi, ut in auribus oculi, aut in his aures tan-
tiſper

tiſper habitarent, dum ſapientiſsimus eloquens, & eloquentiſsimus ſapiens eloquitur: næ videretis, mihi credite, cum veſtra inexplicabili admiratione ac voluptate profluere primum à mente, & capite tamquam à vena; tum ab ore & lingua quaſi à fonte prorumpere amnem, non tam ſpiritus, vocum, ac verborum, quàm balſami, mellis, ac nectaris; in aurium mentiſque delicias: cerneretis incredibili celeritate, perenni curſu labentem, vel leni ſuſurro cum ſedate loquitur; vel ingenti murmure; cùm exclamat, vociferatur, excandeſcit: conſpiceretis deferentem ſecum, non tam res & ſententias, quàm margaritas, aurum & gemmas in animorum ornamentum, ac diuitias augendas. Sed par eſt quæ paucis, breuiter, ac ſtrictim di-
24 cta ſunt, pluribus, copioſius, & planius explicare; ne in tanta rerum vbertate ac profluentia, diſputantes de flumine eloquentiæ, ſiccum atque aridum dicendi genus amare atque vſurpare de induſtria videamur. Philoſophorum omnium acutiſsimus Ariſtoteles exiſtimauit fontes, vnde perennes delabuntur amnes, non aliud eſſe, niſi concauas ſpeluncas, aut latebroſas cauernas, in ſinu viſceribuſque montis abditas, in quibus aer illuc delatus continenter ad explendam inanitatem illam, quam tantopere Natura, & abhorret, & refugit, vi frigoris quod ibi maximum eſt, ſubinde concreſcit in aquam ſuopte pondere deorſum perpetuo defluentem. Quod ſimiliter fieri videas in pharmacopœorum vaſis illis plumbeo tectis operculo, & fornaculæ impoſitis, quæ Alambicos Medici noſtrates vocant, à Græcis opinor mutuati vocabulum, quibus vaſa montis ſupercilium referentia dicuntur ἄμβικες: vnde ſuccus è floribus, aut herbis; liquoreſque de cunctis ferme rebus eliciunrur, atque ſtillant; cum vapor ex tepefactis illis rebus eductus, & ad operculum faſtigiatum ac frigidum appulſus commutatur in aquam, ſtillicidioque delabitur. Referte nunc cogitationem ad hominem eloquen-

Ar.l. 1. Meteoror.ſum.4. cap.1.

Athen.l. 11. Dipn.cap.8.

tem, in cuius caput partem corporis editiſsimam, tamquam in cauernam nobiliorem, per foramina ſenſuum ingreditur ſcientia rerum,& cognitio: tum quia Mens auidiſsima eſt cognoſcendi; tum quia ſenſus ipſi ſagaciſsimi ſunt rerum omnium aucupes ac venatores; ita vt paullatim in capite quoque vacuum omne compleatur. Atque ex hac cognitione, quæ aeri reſpōdet in fonte,non frigore vt illic,ſed ingenii calore Mens cogitata format, intelligentias fingit, orationemque velut fetum concipit verbis ac nominibus compoſitam; iubet fluuium hunc mirabilem, qui percipitur aure, per linguam,& os ſubinde foras excurrere. Quamobrem tam ſæpe probatiſsimi ſcriptores, ingenio vtpote origini, venæ, ac fonti tribuunt elo- 25
quentiam.Hinc illæ Ciceronis magnificæ in amplificando voces,eloquentiam, tum ingenii vim, ubertatem,lumen, tum ingenii flumen appellantis; hinc illæ propemodum lacrymæ Iuuenalis geminos oculos eloquentiæ Demoſthenem,ac Ciceronem, ſua ipſorum præſtinctos eloquentia deplorantis.

Ar.l.3. An.t. 39.l.1. Metaph.cap.1.

Cic. orat. poſt red. in ſen. & orat. pro Marcel.

Iuuen.ſat. 10.

Eloquio ſed vterque perit orator: vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons;
Ingenio manus eſt, & ceruix caſa.

Illic deinde vis aquarum ingenita curſim erumpens ex hiatu cauernæ riuum facit, fluuiumque perennem: hic ex ore,labriſque prodiens formatarum cogitationum, uoce uerbiſq; optime veſtitarum collecta copia, flumē ereat orationis: ut iure uideat os humanum, non modo fontem appellare,quod ex eo ſermo fluat,& oratio,ſed etiam fontem Dodonæum;quod vt ille faces immerſas extinguit,& ſi extinctæ admoueantur accendit, ita hic fons uerborum tum extenuatione res magnas ac ſplendidas uituperando paruas facit & obſcuras; tum amplificatione res humiles atque ignobiles laudando grandes efficit,& illuſtres. Poſtremo illic è fontibus tria fluuiorum genera dimanare

Pl.l.2.cap.103.

di-

imanare ſolent: primum amnes quidam pellucidi, qui ne vllis ſalebris feruntur, veſtitu riparum viridiſſimo, & rborum diffuſarum vtrimque patulis ramis opacantium mœnitate lætiſſimi: qualis per longos Meſopotamiæ tratus Euphrates excurrit; qui à lætificanda regione, quam rrigans præterfluit, nomen inuenit. Deinde labuntur alij luuii, non ita quidem læti atque amœni, ſed tamen piſcius abundantes, diuites gemmis & auro; quales erant quondam in Hiſpania Tagus, & in Lydia Pactolus, de quius idem Poeta, quem modo retuli. *Pl.l.18.c.17. & 18.* *Iuuen.ſat.15.*

Non ſuffecerat aurum
Quod Tagus, & rutila voluit Pactolus arena.

Poſtremo rapidiſſima flumina proruunt incitatiſſimo curu, & ingenti aquarum mole turgida, quæ & nouas ſibi ipas faciunt; & obuia quæque raptant, euertunt, deuorāt, axa, pontes, molas, aggeres, & vt inquit ille *Hor.l.3.od.29.*

Nunc lapides adeſos
Stirpeſque raptas, & pecus, & domos
Euoluit vna non ſine montium
Clamore vicinæque ſiluæ.

Hic pariter è noſtro fonte tria video tamquam fluminum genera defluere, humile, mediocre, ſummum; quæ tribus oratoris muneribus, & officijs docendi, delectandi, permouendique reſpondent: quæque fons ingeniorum Homerus in tribus ſui poematis perſonis videtur expreſſiſſe: ubtile in Menelao; mediocre melle dulcius in Neſtore; grande, concitatum, & ſine intermiſſione in morem niuis perueniens Vlyſſi. Nam eloquens aliquando vel in oratione tota, vel in aliqua parte docendo fundit ore ſedatum quemdam amnem ac placidum; non quidem viriditate floribus, vmbra lætum, ſed alueo pleno doctrinæ, ſapientiaque ditiſſimum: quippe qui pro calculis margaritas exquiſitarum ſententiarum; pro arenis aurea dicta Philoſophorum, res nouas, inauditas hiſtorias vehit; quibus non minus animos auditorum locupletat, quā accolas Hebrus *Quinct.l.12. cap.10.* *Agell.l.7.cap.14.* *Hom.l.3. Odyſſ.*

Pl.l.33 cap.4. Thraciæ, Ganges Indiæ, Paduſq; noſter ſuis opibus quondam aureis arenis, fulgentibns lapillis pretioſiſque ditabat. Talis erat priſcis ſæculis Ariſtotelis locutio, quem M. *Plut. in Cicer.* Tullius dictitare ſolebat (quod & alicubi mandauit litte- *Cic.l 2. Acad. quæſt.* ris) profundere flumen aureum orationis. Talis poſterioribus temporibus eorum ſermo, qui ſunt ab auro cogonomen aſſecuti. 27 Deinde nonnumquam alueo medio cum pace fluit eiuſdem oratio tranquilliſſima delectando; cuius in elocutionis vnda perſpicuitate pellucida, verborum delectu nitida, lepores omnes dicendi, ſententiarum feſtiuiſſimarum arguciæ, veneres, & vrbanitates figuris illigatæ ſplendere viſuntur: cuius pronunciationis curſus ſine ſalebris aſperarum litterarum, ſine vocalium concurrentium hiatu, ſine vociferatione, quæ vel fauces dicentis, vel aures audientis lædat, ſed voce quam ſuauiſſima per omnes ſonos decurrente feliciſſimus eſt. Euphratem, quem commemoraui, virentibus vtrimque ſiluis inumbratum, & florentiſſima viriditate riparum amœniſſimum æmulatur. Paſcit aures, oblectat auditores, detinet attentos, & pendentes ab ore, iucunditate quadam inexplicabili, ita vt interdum cibi, potus, ſomni, nocturnæ quietis, negotiorum omnium obliuiſcantur: non ſecus atque ij, qui lintribus in amœniſſimo fluuio, vel otioſi ſecundum fluuium in vmbroſa ripa ſpatiantur. Poſtremo ſæpe redundat ac ſuperefflui verborum numero & granditate; rerum grauitate ac pondere; conglobatiſque amplificationibus exaggerata & incitata tamquam fluctibus oratio: præſertim cum inſolita volubilitate celeritateque linguæ, validioribus vibrata numeris, affectuum ardoribus æſtuans, firmiſſimorum laterum impetu contorta voluitur, ac rapitur: cum excitans mortuos ab inferis, loquentes res inanimatas inducens, lacrymis ipſa fletuque perfuſa, & aucta, lamentatione totam complet, & plangore concionem. Alterum Iſtrum, aut Rhodanum, aut Tigrim dices: vt enim illi torrentibus influentibus aucti, pontes & aggeres indi-

gnati

Digitized by Google

gnati diffluunt extra ripas, campos occupant finitimos, &
omnia ſecum raptant; ita hæc oratio iudices, auditores
copia & vbertate obruit; impetu ſternit, & perſuaſione
trahit quocumque libet. Hoc eſt flumen, quod fulmini
vel adæquatur, vel præſtat poteſtate: hoc eloquens palmã
præripit: hoc in ciuitatibus dominatur, & regnat. Habeat
ſibi ſuum riuulum, ſuam vndam perennem, ſuum amnem
placidum Seneca, qui torrentem repudiat: gaudeat cum *L. Sen. ep. 40.*
ſuis Stoicis tranquillitate dicendi: fruatur lenitate oratio-
nis ſubtilis characteris; ego, ſi tamen detur electio, vt Pli-
nius limatioris iudicij vir illam Vlyſſis plenam orationem *Pl. l. 1. ep. 20. ad*
niuibus hibernis parem, diuinam ac cæleſtem optat, ſic *Tacitum.*
malo grandem hanc, incitatam, & feruidam fluminis ſimi-
lem, quod mari non tributum naturæ lege debitum ſol-
uit, ſed bellum minitatur. Hanc vim & impetum, quem
Ariſtophanes & Eupolis admirantur in Pericle, M. Tul-
lius & Hieronymus in Demoſthene; Quinctilianus & ego
in Cicerone, qui habet, cum hoc nemo mortalium con-
tendet; hic cunctis hominibus antecellit; hunc, vt loquitur *Quinct. l. 12.*
Quinctilianus, vt Deum omnes intuebuntur. Præſertim ſi *cap. 10.*
Ciceronis imitatione, qui vim Demoſthenis, Platonis co- *Quinct. l. 10.*
piam, & iucunditatem Iſocratis expreſsit, huic æſtuanti *cap. 1.*
grandiloquentiæ flumini, tum amnem placidum ſuauilo-
quentiæ; tum diuitem ſapientiæ fluuium adiungat. O
ſummam virtutem eloquentiæ! o potentiam pæne cæle-
ſtem! Vtinam poſſem, ſi non faſtigium aſcendere, tam pro-
pe ſaltem abeſſe, vt in ſecundis, tertijſque numerarer. Cur
mihi, Adoleſcentes, ætate iſta, tam tenera, tamque flexibi-
li, qua uos eſtis, non fuit cognita præclara hæc eloquentiæ
ſpecies, atque manifeſta? Si tum eam aſpexiſſem, non ſom-
no, non labori, non ſumptui, non mihi ipſe pepercíſſem;
28 vt id conſequerer diligentia, quod poſtea grandior natu
ſecutus, me non aſſecutum confiteor, & indoleo. Vos igi-
tur à me præmonitos tanta laus, tantus ſplendor, tanta
gloria virorum eloquentium, quantam audiuiſtis, me qua-

Digitized by Google

ter perorante, non expergefaciat, commoueat, extimulet? Tanta dignitas, vis tam mirifica, tam magna poteſtas eloquentiæ in docendo, delectando, permouendis affectibus, flectendis animis, expugnãdis voluntatibus, fulmini par, flumini ſimilis, non excitet, impellat, & cogat ad eam facultatem ſiue comparandam, ſi caretis: ſiue perficiendam expoliendamque, ſi tenetis? Quæ res vrbana, quæ togatorum profeſsio, quæ facultas ingenii glorioſiores reddidit amatores cultoreſque ſui, quàm eloquentia? Voces, litteræ cognomina, ſtatuæ, triumphi, dominatus, ad eloquentium laudes prædicandas, gloriamque in omnem poſteritatem propagandam conſpiratione propemodum facta conſenſerunt. Atque vt Iridis cæleſtis arcus, quem eloquentiæ

Ar. ſect. 12. Probl. 3. Pl. l. 12. c. 24. L. 17. cap. 5. L. 24. cap. 13.

ſymbolum eſſe meminiſtis, in quamcumque arborem, aut plantam cornibus incubuerit, ei vim mirabilem quandam tribuit, vt diu ſuauiſsime redoleat: ſic eloquentia in quo Regina conſederit, eum ita nobilitat celebritate nominis, honeſtat opinione prudentiæ, atque odore perfundit exiſtimationis, vt aliis poſtea nonniſi famam, ingenium, & gloriam olere videatur. Quis præter eloquentes oratores, audiit vmquam ſe diſputante ſecundas acclamationes, plauſus fauſtos, approbationes manifeſtas tum ab admiratione, tum ab amore profectas? Quod ſi Themiſtocles

Plut. in Themiſt.

poſt deuictam, fugatámque Xerſis Perſarum Regis claſſem mille numero nauium, & Græciam ab imminente barbarorum ſeruitute liberatam conſilio ac fortitudine ſua, cum in Olympicis ludis ſpectator proceſsiſſet in ſtadium: & omnium Græcorum oculi, qui frequentiſsimi poſt tam inſignem victoriam ad eam celebritatem conuenerant, in eum, certaminibus neglectis, eſſent coniecti: multorum digiti, peregrinis atque aduenis victorem oſtẽdentium eſſent intenti: cunctæ denique ſpectatorum celebritatis ora, linguæ, menteſque conuerſæ: trophæis omnibus ac triumphis antepoſuit lætitiam illam: atque eum diem immortalitatis inſtar eſſe merito exiſtimauit, quo ce-

Digitized by Google

pit fructum ampliſſimum victoriæ ſuæ, tacitas laudes & gratulationes: præmiumque fortitudinis, gloriam illam in totius Græciæ theatro, reportauit: vos non magnificietis hanc dicendi profeſſionem, quæ vobis tribuere poteſt, non vt ſemel, ſed vt ſæpe, ac pene quotidie cum admiratione, ſecundisque clamoribus hilarati, & audiamini & videamini, tum vt verbo mutato vere dicatis

Gaudeo quod ſpectent oculi me mille loquentem. *Hor. l. 1. ep. ad Numicium.*

29 Quid Demoſthenem auocatum à diuturniore Philoſophiæ ſtudio, de ſchola Platonis eduxit, & ad amorem pertraxit eloquentiæ? Calliſtrati præſtantis oratoris gloria: ad quem concurſum fieri; quem ſermone omnium celebrari; quem à multitudine deduci videbat: proinde cupiditate eius audiendi ſtimulatus, ætate qua vos eſtis, pædagogi permiſſu ſemel audijt cum ſumma laude, plauſuque concionis perorantem: qua captus auditione, qua gloria incē-ſus adamare cœpit eam, qua ipſe poſtea Calliſtratum anteiuit, eloquentiam. Vos Demoſthenis adoleſcentis exēplo prouocati, non permittetis ab eadem gloriæ flamma veſtra pectora ſuccendi? Non ad amorem, ſtudium, exercitationem eloquentiæ, ſpe laudis immortalitatisque rapiemini? Nec vero putetis hanc gloriam ab applauſu profectam (quæ ſane ſplendida eſt, & à plurimis propter voluptatem expetita) breuem eſſe, punctoque temporis vna cum plauſibus, & acclamantium vocibus euaneſcere. Prohibent hoc ſubſidia litterarum, quæ ſunt altrices laudum, educatrices gloriæ, famæ nutrices, antiquitatis teſtes, memoriæ cuſtodes, & immortalitatis conſeruatrices; quarum beneficio pleni ſunt libri poetarum; plenæ laudationes oratorum; plena hiſtoricorum monumenta laudibus eloquentium. Quàm debent Homero Menelaus, Neſtor, & Vlyſſes? Quàm multa de Pericle, deque eius lepore ac fulminibus Ariſtophanes, Eupolis, Plato, Cicero, Valerius & Plutarchus? De Demoſthenis ac Ciceronis laudibus, quorum alterum vocem, alterum linguam eloquentiæ honoris

Plut. in Demoſt. *A. Gell. l. 3. c. 13.* *Quint. l. 10. cap. 7.*

noris cauſſa nomino, quis tacuit? Hyperidis vero, Demadis, Iſocratis, Aeſchinis & aliorum in Græcia florentiſſimorum; Antonii, Craſsi, Catuli, Cottæ, Cæſaris, Hortenſii, Pollionis, Latronis in latina lingua eloquentiſsimorum, aliorumque diſertiſsimorum oratorum, qui poſteriores ætates illuſtrarunt, gloriam & nomina ita perpetuitati cõmendarunt ſtyli acutiſsimi, atque elegantiſsimi M. Tullii, M. Senecæ, Quinctiliani, Plutarchi & Eunapii, vt iam minime verendum ſit, ne unquam eorum nominum obliuiſcatur vlla poſteritas. Vos hæc hominum immortalitas, tam ſolidis ſtabilita firmamentis, non aliquando tandem ad ea colenda ſtudia ſolito diligentius, inuitabit? Præſer- 30
tim cum accedant litterarum monumentis, honorificentiſsima cognomina viris eloquentibus attributa: quibus ornati non inuident Imperatoribus Africanis, Aſiaticis, Macedonicis, Achaicis, Magnis, Maximis illa ſua; quòd exiſtiment militaribus laudibus, dicendi gloriam adæquari. Quàm glorioſus Pericles, qui propter leporem illum toties laudatum ac pæne cæleſtem à Græcis eſt Olympius vocitatus? Quàm honeſtatus Theophraſtus, qui diu dictus Euphraſtus à benedicendo, tandem à diuinitate loquendi nomen inuenit? Quàm honorificum Dioni Bithyno Græcarum orationum ſcriptori, & Ioanni Archiepiſcopo Conſtantinopolitano fuit Chryſoſtomi cognomentum ab ore ſimilem auri profundente feliciter orationem? Quàm præclarum Petri Rauennatum Archiepiſcopi ductum ab aureo ſermone Chryſologi cognomen? Quàm ſplendidum ad laudem Ioanni Damaſceno ſanctiſsimo atque acutiſsimo Theologo, vt ab aureorum, id eſt doctorum & elegantium affluentia verborum Chryſorrhoas diceretur? Prætereo, quod antea ſignificaui propter eloquentiam Hortenſium à Cicerone Regem fori, M. Tullium à S. Hieronymo Regem hominum, Prohæreſium eloquentiæ Regem ab vrbe imperatrice nominatum. Sileo quod vobis credo cognitum atq; perſpectum, M. Tul-

lium

Cicer. l. de cl. orat.
M. Sen. præfationibus controuerſ.
Quinct. l. de cauſ. corruptæ eloq.
Plut. l. de decẽ orator.
Eunap. L. de vitis ſophiſtar.
Plut. in Pericle & in conſol. ad Apollon.
Cic. l. de orat.
Quinct. l. 10. cap. 1.
Plin. in Præfat.
Eunap. l. de uit. Sophiſt. initio.
Suidas & alij in Chryſ.
Cedrenus in Hiſtor.

hium apud poſteros Quinctiliani ſententia conſecutum, vt Cicero iam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. *Quinct. l. 10. cap. 1.* An vero deſideratis ſtatuas eloquentiæ gratia publice poſitas eloquentibus? Non eſt quod requiratis: damus. Mortuo Demoſtheni Senatus populuſque Athenienſis publico decreto ſtatuam æneam cum epigrammate, celeberrimo in loco ſtatuit; *Plut. in Demoſt.* non propter res bello proſpere geſtas, in quo turpiter abiecto clypeo profugit; non propter alia merita in Remp. ob quæ viuus aurea corona donatus fuit, quæ magnum illud iudiciale certamen inter ipſum & Aeſchinem excitauit: ſed propter eloquentiæ principatum, vt tituli verba declarant, quæ non niſi vim dicendi commendant. Iſocratis vero ſepulcro cur ſtatua fuit collocata, ſigno Sirenis appoſito, niſi vt eius ſuauiloquentiæ decus illud poni videretur? *Plut. l. de x. orat. in Iſocr.* Cui præterea tantus honos habitus eſt à Græcia, ſoli vt ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur? *Cic. l. 3. de orat.* Gorgiæ Leontino Rhetori diſertiſsimo, atque copioſiſsimo. Ciceronis autem Romanorum oratorum Principis effigiem è marmore, atque ex ære, quot Imperatores in ſuis larariis habere voluerunt? Quot nunc eius capita, & pectora cum capite; *Lamprid. in Alex. Seuero.* de parietinis Romanæ vrbis, ac ruinis effodiuntur? Vnde ſatis conſtat à veteribus certatum eſſe, in eo per ſtatuas à mortuis reuocando: vt qui ſpiritum ducere non poterat iugulatus, in ære ſaltem ac marmore repræſentatus viueret, & nullo vmquam tempore memoria tanti viri more-
31 retur. Neque verò prioribus illis dumtaxat ſæculis amicioribus eloquentiæ, quàm noſtra ætas, honore ſtatuæ ſunt eloquentes affecti: ſed etiam poſterioribus. Nam pluſquã quadringentis poſt Ciceronem annis, Prohæreſio Romæ tanta cum laude, quantam audiuiſtis, collocata eſt: & in aula maxima Patauinæ vrbis, celſo in loco ſtat non antiquiſsima ſtatua T. Liuij, ciui eloquentiſſimo ab amantiſſima patria conſtituta. Quamobrem quilibet veſtrum, Adoleſcentes, ſperare poteſt ſe paria decora atque orna-

menta conſecuturum eſſe, ſi parem induſtria & diligentia
comparauerit eloquentiam. An vero triumphos requiri-
tis eloquentibus decretos? M. idem Tullius, qui rediens
Plut. in Cicer. è Cilicia victor, & ob res fortiter, feliciterque geſtas ap-
pellatus Imperator ab exercitu, niſi in flammam belli ci-
Cic. l. 1. offic. uilis incidiſſet, armatus triumphaſſet: paucis ante annis
Plin. l. 7. c. 30. eloquentiæ beneficio togatus omnium primus triumpha-
Quinct. l. 2. cap. 16. uerat, cum ſupplicationes, qui maximus honor victoribus
Cic. orat. poſt redit. bello ducibus datur, in toga meritus; primus item omniũ
patriæ Pater, & creator appellatus eſt; & humeris Italiæ
Plut. in Cicer. reportatus ab exilio, in vrbem ciuium brachijs, triumphã-
ti ſimilis eſt illatus. Quin etiam Cæſaris Dictatoris hoſtis
quondam ipſius ſcripto teſtimonio, *lingua Lauream trium-*
Plin. l. 7. c. 30. *phorum omnium maiorem eſt adeptus, quanto plus eſt inge-*
nij Romani terminos in tantum promiſiſſe, quàm Imperij.
Sed de Ciceronis honoribus non dicam hoc loco plura,
quod non eius inſtitui laudationem in aliud tempus reſer-
uatam: ſed par eſt, vt ipſius eloquentiæ triumphus his ora- 32
tionibus adumbratus, curſim colligatur, atque ad animos
veſtros accendendos, Adoleſcentes, veſtris oculis eius
pompa, qua nulla vnquam eſt habita vel pulchrior, vel
glorioſior proponatur. Tot prælijs victrix eloquentia; to-
ties re geſta feliciter imperatrix appellata; tot illuſtribus
cognomentis honeſtata, quot audiſtis, in curru ſuggeſti
ſedet vbi ſæpius depugnauit; laurea gloriæ coronata; dex-
tra præfert non lauri ramum victoriæ ſignum; ſed motum
affectuum, effectorem victoriæ; ſiniſtra, non ſceptrũ ebur-
neum dominatus argumentum, ſed perſuaſionem domi-
natricem animorum: faciem pingit non pigmentum ru-
boris, ſed artis Rhetoricæ color naturam perficientis; non
amicta procedit veſte purpurea floribus, ſtellisque aureis
diſtincta; ſed elocutione ſplendenti, ſtylo magis, quàm acu
picta, mille figuris verborum, & ſententiarum exornata:
pro equis trahunt currum quattuor genera laudum, voce,
ſcriptura, verſu, proſa; vehunt triumphali via dignitatum,

&

& honorum; ad Capitolium immortalitatis nominis, & famæ. Qui comitantur euntem? Liberati ciues, rei defenſi, periculo capitis innocentes erepti, conſolatione recreati, beneficio quocumque affecti dicendo. Qui ſpectatores pompæ? Quicumque obſtupefacti ab eius ore pependerunt clamantes, non io triumphe, ſed pulchre, bene, recte, mirabiliter, atque diuinitus. Qui captiui duces ante currum? Quotquot oratione capti, victi, ac perſuaſi ſunt. Nec deeſt longiſſima pompa ferculorum quadrigas præcedens triumphantis, veri æmulatione triumphi. Nam in illo ferculis portabantur donatæ à Ciuitatibus aureæ coronæ; hic ſtatuæ, coronæ, tituli, aliaque ornamenta à ciuitatibus eloquentiæ decreta præcedunt; illic ſimulacra regionum, vrbium, oppidorumque captorum ferebantur; hic ſenſus, appetitus, iræ, reliquorumque affectuum, Memoriæ item, Mentis, Voluntatis imagines, quas illa viribus ſuis expugnauit, in ſcriptis orationibus dipictæ traducuntur: illic aurum, argentum, theſauri regum, & quidquid pretioſi de prouincijs deuictis auferri atque exportari potuit, præcedebat; hic opes, pecuniæ, diuitiæque iuſto dicendi labore comparatæ vehuntur. Qui denique Duces rerum geſtarum adminiſtri conſequuntur? Ingenium Iudicium, Memoria, Pronunciatio perelegans oratorum. Qui milites? Animi facultates omnes inferiores, & corporis, quæ dicenti oratori deſeruiunt. Quæ arma? Lingua, vox, manus, ſtylus, & cetera omnia ſcriptionis inſtrumenta, & locutionis. O triumphi ſplendorem cum Macedonico
33 Paulli Aemilii, aut cum Aſiatico Pompeij conferendum, quem dominatus, & regnum quoddam in alios homines, de quo iam dixi, comitatur! Hæc lux gloriæ non vobis aperiet oculos Adoleſcentes? non excitabit à ſomno famæ tuba, laudum clamor, voces acclamantium, ſtrepitusque plaudentium? non capiet animos veſtros hæc pompæ ſpecies? non ad ſimilis decoris cupiditatem inflammabit? Quod ſi C. Cæſar Gadibus in finibus Hiſpaniæ res Ale-

Plut. in Cæſare Suet. in Cæſ. cap. 7.

xandri Magni Regis in bello geſtas intuens in Herculis templo, pictasque in tabula perlegens oculis attentiſſime, punctus æmulatione, pertæſusque ignauiam ſuam illacrymatus eſt, quod qua ætate domuerat Alexander Orientem, nullum ipſe facinus memorabile geſsiſſet: Si Themiſtocles iuuenis adhuc, cum laudes Miltiadis Ducis, qui ad Marathonem barbaros ingenti ac nobili victoria ſuperauerat, audiret decantari; gloriæ cupiditate inflammatus ne ſomnum quidem capere poterat, quod, vt dicebat, ſe Miltiadis trophæis ſuſcitaretur è ſomno; cur vos, Adoleſcentes, tot virorum gloria, triumphi, dominatus, ſtatuæ, cognomina, laudes, applauſus ab eloquentia profecti, non excitant, accendunt, exagitant ad aliquam conficiendam vobis laudem eloquentiæ? Si vos deterret magnitudo rei, ſi ſpem infringit difficultas; ſi labor debilitat conatum; ſi denique retardat, primas obtinendi deſperatio; contra det vobis animos clariſsimus ſplendor gloriæ conſequentis; ſpem confirmet, animi difficultates omnes perrumpens magnitudo; conatus roboret præmium laboris ampliſsimum; & tandem ſuſtentet vos accedendi prope concepta ſpes, & probabilitas, exiſtimantes prima ſequentibus honeſtum quoque & glorioſum eſſe, in ſecundis tertijsque conſiſtere.

Cic. l. 4. Tuſc. quæſt. Plut. in Themiſt. & in Polit. & l. de prof. morum.

Cic. l. de orat.

Digitized by Google

DE NECESSITATE ELOQVENTIAE

In ciue Togato, & in Armato. Or. V.

1 GRatulor vobis gaudium veſtrum, vehemẽterque lætor, Præclariſſimi Rectores, Brixianique ciues ornatiſſimi, quòd qui proximis menſibus, cum peſtilentia per hanc vrbem palam fureret; contagione funeſtaret ciuium domos, & regionem omnem crebris agricolarum mortibus deformaret: tot funerum patriæ ſpectatores mæſti, curatoreſque fuiſtis: nunc Dei Opt. Max. primum beneficio; deinde prouidentia magiſtratus, qui ſanandæ Ciuitati præfuit; cælum ad ſalubritatem rediiſſe, conualuiſſe Ciuitatem, & regionem priſtina propemodum recuperata pulchritudine ac celebritate lætiſſimam videatis. Nolo renouare memoriam triſtiſſimi, luctuoſiſſimique temporis illius, cum Deo nobis propter peccata noſtra vehementius irato, nemo domi ſuæ, vel in vrbe, vel in ſuburbanis tutus eſſet à peſtilentiſſimo morbo, qui in Ciuitate, in oppidis, in agris non modo per plurimorum corpora ſerperet, ſed in multorum etiam nece baccharetur. Nolo commouere dolorem vulnera retractando, & quæ viſu triſtia, ſenſu moleſta, perpeſſu difficilia fuerunt, ea duriora, & acerbiora facere commemorando; vos ipſi præſentes, me tacente qui aberam, recordamini quot hominum millia, quàm celeriter, quàm miſerabiliter peſtis exſtinxerit; quàm multis veſtrum parentes, liberos, vxores, amicos à complexu violenter abſtraxerit; & quam denique ciuibus, agrorumque colonis extinctis, vniuerſæ prouinciæ vaſtitatem attulerit, vos eam omnes ingraueſcente ſæua lue peruidiſtis. At nunc illo metu periculoque liberati, non intra parietes domeſticos, non intra mœnia ſo-

lum, ſed in uillis etiam atque prædiis tanta fruimini ſanitate ac ſecuritate, quantam neſcio an quiſquam ueſtrum tam breui tempore ſe eſſe conſecuturum ſperauit. Recreati ſunt omnium animi, qui per illud tempus graui quodam timoris ictu conciderant, uis exitialis morbi confecta eſt; nullum funus ducitur, neque ſpectatur; nulla exauditur funebris lamentatio; ipſa mœnia urbis, tecta uillarum, agri, & oppida tot calamitatibus emerſa, ut pæne tūc lugere uiſa ſunt, ſic quodam modo nunc lætantur ac geſtiunt: & Deus qui ob delicta noſtra pœnas, graues quidem & acerbas, ſed tamen iuſtas expetiit, placatus iam & mitigatus hanc regionem totam æquiſſimis oculis uidetur reſpexiſſe, ſeque ad clementiam, & benignitatem conſuetam paternamque reuocaſſe. Quæ cum ita ſint, Brixienſes, uos omnes qui ſuperſtites tot comploratis funeribus; qui ſalui atque incolumes inter tot naufragos morte demerſos, uobis ac patriæ reſeruati eſtis: uos qui hac laborum actorum recordatione, quæ iucunda ſolet eſſe; hac præteritorum periculorum non ingrata commemoratione, quæ mihi nolenti excidit, non modicam cepiſtis uoluptatem, ut è uultus alacritate conijcio; tanti beneficii memores, quantum accepiſtis, eidem optimo parenti Deo, quoad uixeritis, gratias ingentes & habere, & agere debetis, ne beneficium male in ingratis collocatum, ueſtra culpa malefactum reputetur. Nos autem qui in hiſce ſedibus una uiuimus, ad quos ut morbi contagione non exigua pars calamitatis obrepſit, ita ex his bonis omnibus diuinisque muneribus magna lætitia redundauit, par eſt ut animoſius, atque ardentius ad noſtrum inſtitutum redeamus: & tot ſociorum in communi tempeſtate iacturam obliti, noſtro priſtino more docendi ueſtram iuuentutem, ac de uobis benemerendi, repetamus coniunctis omnium uiribus ea ſtudia, quæ communibus ærumnis impediti tēporique cedentes intermiſeramus, nec umquam deinceps fuerunt plane, ut erat in optatis, ac plene ad annorum præteri-

teritorum conſuetudinem,normamque reuocata.Quam-
2 obrem, ut anniuerſario ritu ſcholis noſtris initium oratio
daret,inſtituimus orationem : quæ quia continet argumẽ-
tum numquam ex hoc loco tractatũ,fugiet, opinor, noui-
tate rei ueſtram anniuerſariam ſatietatem; & quia diſpu-
tatu ra eſt de Eloquentiæ neceſſitate,niſi me ſpes concepta
fallit,utiliſsima erit Brixianis adoleſcentibus ad eius ſtudia
uel intermiſſa tantiſper,cupidius repetenda; uel deguſtata
numquam, auidius exſorbenda. Diſſeram igitur de elo-
quentia, cuius hoc anno ſum artificium & præcepta tra-
diturus;atque ita de hoc ſplendidiſsimo pacis ornamento,
firmiſsimoq. præſidio belli dicam, ut intelligatis eſſe utro-
que tempore,domi foriſque,tum ciui togato, tum armato
neceſſarium Quam diſputationem dignam hac perilluſtri
Ciuitate, cuius in luce ſuauiſsima ſpiritum duco lætiſsi-
mus; & accommodatam huic nobiliſsimo conſeſſui,quem
peræque togis atque enſibus decoratum ac diſtinctum
cerno, dum explico atque expedio; uos oro atque obte-
ſtor,ut oratoris ueſtrum amantioris, quàm boni uerba,be-
neuolis auribus,ac mentibus excipiatis;qui hac ſpe huma-
nitatis ueſtræ fretus, plus aliquanto complexus eſt animo,
ſine temeritatis ſuſpicione,quàm ætas & ingenium poſtu-
3 lare uideretur. Ita Natura magiſtra rerum, atque effectri-
ce comparatum eſt,ut res caducæ, mortales, & ex aliis cõ-
poſitæ corporibus,quibus conſtituuntur, & coagmentan-
tur cauſsis,iiſdem fere alantur,creſcant,conſeruentur.Sol
aſtrorum Princeps,cor mundi, oculus cæli, qui calore illo
cæleſti, ac ui ſui luminis præpotentis, è ſeminis tantulo
grano in concipientem terram proiecto fibras, ſurculum,
uitam educit arbuſculæ; idem luminum moderator, &
alter rerum miſtarum ex diſsimilibus & concretarum pa-
rens, eandem ſuo ipſius ſucco nutricans educat in arbo-
rem atque auget:idem in frondes, & flores,& fructus pro-
uocat arboris uim natiuam:idem denique fructibus dulce-
dinem,maturitatem,uimque tribuit generandi. Quibus
con-

conſtant elementis animantium corpora, pariter iiſdem
inter ſe permiſtis aluntur nutrimentis. Nec in artefactis
eſt diuerſa ratio: nam tabulæ pigmentis colorum pictæ,
cum propter vetuſtatem coloribus langueſcentibus ob-
ſoleſcunt, non niſi recentibus coloribus leuiter ac tenuiter
penicillo ductis perpoliuntur, vt renouatæ in integrum, at-
que in priſtinum nitorem reſtituantur. Quid ſcientia do-
ctrinarum? Eodem ſtudio, meditatione, ſedulitate com-
mentandi, acquiritur pariter & conſeruatur. De cœtibus
Ariſt. l. 8. polit. cap. 1. hominum intra vna mœnia iure ſociatis, quos Ciuitates
nominamus ſimiliter Philoſophandum eſt, Auditores. Hæ
Cic. in ſomn. Scip. cum rebus omnibus materiatis, & naſcuntur, & occidunt;
Lucian. in Charonte. conduntur, & euertuntur. Fidem faciunt eas tandem ali-
quando interire miſerabiliter, vrbes non paucæ, quæ quon-
dam altiſſimis mœnibus ſeptæ; caſtellis arcibusque muni-
tæ; publicis, priuatisque ædibus belle inædificatæ; frequen-
tia ciuium celebres; legibus, armis, opibus florentes multa
ſæcula ſteterunt; quarum iam non formam videmus, ſed
veſtigia; non corpora, ſed cadauera; non oſſa, ſed cineres
tantum aut ſepulcra cum admiratione ſimul, & commi-
ſeratione, ſenſuque doloris aſpicimus. Scio ciuitates pri-
ma Mundi naſcentis ætate, quod diuinis proditur monu-
Gen. 4. mentis litterarum, fuiſſe conditas à primi parentis om-
nium Adæ filiis ac nepotibus; qui diuini iuris atque hu-
mani non ignari fuerunt: opinor cum ſubſequentibus ſæ-
culis creuiſſet genus humanum, & primæ vrbes tot habi-
tatoribus eſſent anguſtæ, familias inde tamquam colonias
in nouas ciuitates à poſteris exemplo maiorum ædificatas;
eſſe deductas. Sed tamen non fallitur omnino M. Tullius; 4
Cic. orat. pro Sextio. tum Philoſophus præſtantiſſimus, tum oratorum Latino-
L. 2. de Nat. Deor. rum facile Princeps cum toties & dixit, & ſcripſit ciuita-
tes eloquentia fuiſſe conſtitutas: quod eas viri non modo
L. 1. de Inuent. ſapientes ac prudentes, conſilio & auctoritate, ſed etiam
L. 1. de orat. eloquentes oratione ſcilicet ac perſuaſione condidiſſent:
Quinct. l. 2. cap. 16. Arbitratur enim ille fuiſſe quodam tempus, quo tempore
fuſi

fuſi per agros homines, ac diſperſi beſtiarum more vagarentur; in tectis ſilueſtribus abditi pernoctarent; victu ferino ſibi vitam propagarent: ac neſcio vnde viros in dicendo præſtantes extitiſſe, qui barbaros illos propter inſolentiam primum reclamantes, deinde propter rationem atque orationem ſtudioſius audientes, de feris manſuetos, de duris mites, humanos de immanibus factos in vnum locum conuenire; res communem vtilitatem continentes in commune conferre, legitimas contrahere nuptias; certos inſpicere liberos; domicilia cōiungere, coniunctaque ſepire mœnibus, orationis perſuaſione coegerunt; iiſque iam melioribus redditis, & in vnum congregatis iura, leges, iudicia, moreſque præſcripſerunt. Et ſane tanti viri ſententia, vt nec in omnibus nationibus obtinet veritatem, quod multi mortales numquam ad ferinam vitam moresque deflexerint; nec in omnibus conditis ciuitatibus, quod multas auctoritas patria, & auita fundauerit: ita ſimilitudinem veri maximam continet, quod multæ nationes illorum hominum agreſtium feritate ſimiles hac ipſa ætate noſtra reperiantur. Quis hoc negare audeat, qui ad illos barbaros, qui vel intimam Africam ſub zona torrida incolunt, & non torrentur; vel ſub vtroque polo degunt inter perpetuas niues, ac pruinas, & non obrigeſcunt, mentem aduerterit? Qui trans Oceanum cum Hiſpanis, tum Caſtellanis, tum Luſitanis ad occidentem atque ad auſtralem plagam cogitatione nauigarit? Qui Braſiliam & Aethiopiam Luſitanici iuris, necnon immenſum illum terrarum tractum Caſtellæ Regibus à Chriſtophoro Columbo Ligure non tam celeritate columbina, quàm ingentis Aquilæ rapidiſſimò feliciſſimoque volatu inuentum, auri argẽtique feraciſſimum, quem iure optimo propter magnitudinem vel nouum, vel alterum orbem nomines, & exiſtimes; tamquam oculis, mente animoque luſtrauerit? Innumerabiles barbaræ gentes in vaſtiſſimis illis regionibus vtriuſque Regis imperio ſubiectis repertæ ſunt; quæ nudæ

Digitized by Google

corpotibus diu noctuque ſub aperto cælo ſpiritum ducũt, aut vix in tuguriis caſisque paſtoritijs, arborum ramis ac fronde contectis interdum ſeſe abdunt: ferino victu, rituque viuunt: non diuinæ religionis, non humani officii ratio colitur apud eos immanes homines: pro religione illis eſt impietas: pro diſciplina, effrenata licentia; pro doctrina, rerum omnium ac litterarum ignoratio; pro iure, vis; pro ratione, cæca & temeraria dominatrix animi cupiditas abvtens ad ſe explendam corporis viribus ſatellitibus perniciosiſſimis: pro iuſtitia denique rapina; tantumque habent, quantum manu, arcu, ſagittis telisque venenatis per cædẽ ac vulnera, aut eripere, aut retinere poſſunt. Et quod horrendum dictu eſt, atque auditu terribile, pro ludo atq; exercitatione, venationes inimicorum habent; humanam carnem in deliciis, cruorem in potu; dies feſtos humanis epulis, & ſi quas habent religiones, humanis hoſtiis altaria victimisque funeſtant; trucidatorumque in prælijs hoſtiũ cadaueribus, ac membris ſaginatorum captiuorum viſceribusque veſcuntur, explentur, ſaturantur; vt iam non aniles, aut puetiles fabulæ, ſed veræ narrationes eſſe videantur; quæ poetæ de Leſtrygonibus atque Anthropophagis prodiderunt. Hos tam truculentos homines ac feros Hiſpani ac Luſitani, maxime ſcilicet per ſacerdotes cum 5
aliorum ordinum, tum vero noſtræ profeſſionis, ab immani vita ferinisque moribus ſegregant; cognitione diuini humanique iuris imbuunt; humanitate perpoliunt; & ad manſuetudinem iuſtitiamque traducunt. Quibus rationibus inquies? Vi? minime vero, cum ea ſine poteſtate, ſine viribus, ſine armis, ab infirmis atque inermibus ſacerdotibus afferri non poſſit. Metu? nequaquam; barbari qui neminem timent, ac ne Deum quidem metuere didicerunt, ab ijs ſacerdotibus, à quibus ſibi nullam, nec iniuriam fieri, nec vim inferri, nec damnum dari, nec periculum creari poſſe vident, ſibi pertimeſcant? Auctoritate permouentur? Ne id quidem: cum enim auctoritas ab opinione ſapientiæ,

pientiæ, prudentiæ, virtutis, dignitatiſque naſcatur, nullam habere poſſunt auctoritatem apud eos, qui nihil præter arcus, ac tela nouerunt. Num conſilio, ac ratione? Videlicet his medicamentis aut ſanantur, aut mitigantur: ſed quo ſcypho, conſilium, ſapientiaque propinatur, ſi non aureo eloquentiæ poculo porrigatur? Quid prodeſt occulta ratio, ſi non eam efferat perſuaſio, & vicaria rationis oratio? Sacerdotum igitur Lingua lambuntur eorum vulnera, & ſanantur: hac ipſa lima deteritur morum aſperitas, & feritas abraditur immanitatis: voce barbaries inueterata de pectoribus animiſq; deletur: ſermone priuato, domeſticis in colloquijs, oratione publica in concionibus, catena perſuaſionis in vtroque molliuntur, manſueſiunt, & in religionem Chriſtianam, in Europæorũ ſocietatem, in oppida & ciuitates includuntur. Quod ſi noſtris pæne oculis id hoc tempore fieri videmus in Braſilia, dubitabimus idẽ priſcis ſæculis in alia quapiam barbaria fieri potuiſſe? Quare Cicero vere dixit, inter multas barbaras gentes eloquentia ciuitates eſſe conſtitutas. Huic magno viro ſubſcribunt optimi quique Latini poetæ, vetuſtiſſimos Græcorum æmulati, quorum dicta de hac re, non mendaciis aſperſa puto, ſed allegoriis: in quorũ uerſibus nõ tã fabulas arbitror deliteſcere, quam myſteria, Gregorii Nazianzeni Epiſcopi, qui ſapiẽtiæ, ſanctitatis & eloquentiæ laude ſuis æqualibus præſtitit, auctoritatem interpretationemque ſecutus. Quid enim ille inquit, apud poetas ſibi vult Mercurii lyra, fides Orphei, teſtudo Amphionis, niſi diſertorum, ac ſapientum virorum eloquentiam, qui oratione, ac perſuaſione tam multa quæ narrantur, poeticis numeris atque inuolucris fabularum inobſcurata, re ipſa præſtiterunt? Quo magiſtro (vt de Mercurio, atque Orpheo dicere prætermittam) didici, quod huius diſputationis eſt maxime proprium, Amphionis myſterium, qui quia gẽtes quaſdam moribus duras lapidum in morem, eloquentia molliuit; & oratione ſua locum in vnum, cui nomen eſt

S. Greg. Naz. in Carm. ad Nicob filium.

Thebæ,congregatas aſtrinxit legibus, & mœnibus cinxit, creator Thebanæ vrbis cum gloria prædicatur: quam rem in miraculum vſque certatim efferunt poetæ, ſchemate poetico admirantes in primis, quod ſaxa mouerit canendo,& in muros ire coegerit. Hinc ab Horatio.

Hor.in poetica

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda,
Ducere quò vellet.

Proper.l. 3. eleg.2.

certat elegantia Propertius;

Saxa Cytharonis Thebas agitata per artem
Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt.

Sil.Ital.l.2.

Nec his lepore cedit Silius, cum ait;

Argolicis quondam populis, mirabile dictu,
Exaudita chelys lapidem teſtudine felix
ducere,& in muris poſuiſſe volantia ſaxa.
Hæc Amphionio vallauit pectine Thebas,
Ac ſilice aggeribus per ſe candente vocatis
Iuſſit in immenſum cantatas ſurgere turres.

Poſitum ſit igitur, Brixienſes, Eloquentiam, quæ tantum
operæ,tantum auxilii,tantum laboris ad multarum ciuita-
tum conſtitutionem contulit, ad earumdem conſeruatio-
nem, præſidium, ornamentum eſſe pari ratione neceſſa-
riam,quod vt probatum eſt, ijſdem cauſſis res conſeruan-
tur integræ atque incolumes, quibus principio procrean-
tur. Quo loco,cum eloquentiam dico,non qualemcum- 7
que vim intelligo loquendi;non ſimplicem orationem ex-
planantem animi ſenſa,quæ nos diſtinguit à feris; non ſer-
monem illum ianitorem mentis, rationis interpretem,
nuncium voluntatis adeo neceſſarium humanæ vitæ, ut ſi
tolleres eum è ciuitate,ſolem alterum tolleres: ſed intelli-
go facultatem eloquendi, hoc eſt ornate copioſeque di-
cendi, quæ ſuauitate perfundit animos auditorum dele-
ctando,ui ac poteſtate perfringit voluntates perſuadendo;
qua homines non beſtijs tantum præſtant, ſed etiam aliis
hominibus antecellunt. Hæc prædico, clamo, contendo

Digitized by Google

ciues tum togatos, tum armatos, ciuitatis, ac Reip. tuendæ, atque in florenti ſtatu retinendæ gratia munitos eſſe atque inſtructos oportere. Nemo veſtrum ignorat, quod Ariſtoteles non exiſtimator ſolum acerrimus politiæ, ſed & optimus magiſter docuit; humanam vitam in duas partes totam eſſe diuiſam, in otium, & negotium: quæ diſtinctio in bene temperatis ciuitatibus eadem re, nomine pacis, & belli diuerſa, res omnes publicas continet. Nam pars altera forum, magiſtratus, iura, iudicia, leges, vectigalia, cenſus, ærarium, publicorum operum extructionem, totamque vrbanam adminiſtrationem domeſticæ conſeruatricem pacis amplectitur: altera militares curas, exercitus, arma, caſtra, claſſes, arces, imperia, laboremque vniuerſum bellicum periculorum depulſorem, & externæ pacis vel recuperatorem, vel conſeruatorem comprehendit. Neutra pars eſt bonis ciuibus, & amatoribus patriæ negligenda: quod ſine hac bipartita curarum varietate nulla ciuitas iacere potuit fundamenta libertatis, nulla propagare imperium, aut tueri dilatatum; nulla pacem domeſticam, aut externam conſeruare: qua poſita & accurate retenta Reſpublicæ multæ creuerunt, & Romana potiſſimum, de qua illud ſiue Poetriæ, ſiue Poetæ,

Ar.l. 7. polit.c. 14.15. L.8 c.3.5. Homer. apud Lucian. dial. de ſaltat.

Duo ſunt, quibus extulit ingens
Roma caput: Virtus belli, & Sapientia pacis.

Sulpitia apud Auſon.

Et merito vitio vertit Ariſtoteles Lacedæmoniis quod alteram tantum partem, bellicam; vrbana neglecta, temperator eius vrbis, ſcribendis legibus iaſtitutiſque ſpectaſſet, & ipſi mancis legibus & claudicantibus obtemperantes, in educatione liberum, alterius partis neglectione, & quaſi claudicatione peccarent. Exiſtunt ex hac duplici cura neceſſatio, duo ciuium genera, ſapientium, & fortium. Illos quidem quos forenſis & vrbana laus oblectat, magiſtratuumque gerendorum honeſta cupiditas ad virtutem impellit; è quorum numero iudices, arbitri, ſenatores, prætores, oratores, publicorum operum præfecti deliguntur, togatos

Ar.l 7. Polit. cap. 14.

Digitized by Google

gatos appello. Non quod per eam vocem excludam ab rerum publicarum adminiſtratione ciues eos non togatos, in quibus naturale iudicium,& rebus gerendis, hiſtorijſq; legendis parta prudentia, iuris ignorationem aliquam ſatis ſuperque compenſat. Sed perſpicuitatis gratia, & breuitatis ita loquor; præſertim cum videam & in hac veſtra, & in finitimis ciuitatibus, in quibus honeſtiſſima ſunt, & florentiſſima iuriſconſultorum collegia, maximam gubernationis partem mandari iuriſperitis, qui merito plus quã ciues non togati publica ciuitatis iura, leges, inſtituta noſſe putantur. Hos vero fortes ciues, quos bellicus labor periculaque delectanr; & in negotiis militaribus occupatos ad res fortiter gerendas gloriæ ſtimulus excitat; è quorum numero creantur centuriones, tribuni, duces, & Imperatores militum; armatos nominabo. Nec vero mihi Brixienſes, horum ſtudiorum, atque artium præclariſſimarũ contentio inſtituenda eſt, vt vtra ſit illuſtrior, atque optabilior, definiatur: quod & aliquando quæſitum eſt à magnis viris; & minime tamen videtur adhuc multis explicata deliberatio; cedat ne pacis otium, militari negotio; curia caſtris; armis toga; gladio lex: an contra cedant arma togæ, legibus tela, virtus iuri, ſapientiæ fortitudo. Nam mihi, vt verum fatear, talia videntur hæc ſtudia, vt neque militaris labor dignitate vinci poſſit, neque regendæ ciuitatis induſtria nobilitate ſuperari. Perampla ſunt in Rep. ſalutaria ciuitatibus, politiæ neceſſaria: ſumma eſt in vtroque honeſtas, ſumma dignitas, ſumma gloria; quàm equidem, ſi mihi per vos liceat, pari atque eadem in laude collocabo. Nam hæ duæ ſunt artes, togati ſapientis, & fortis armati, quæ nobilibus ciuibus pariter muniunt ac ſternunt rectam, ad gloriam, viam; quæ promouent ad honores; quæ locant ſui ſtudioſos in ampliſsimo gradu dignitatis; quæ denique par afferunt momentum ac præſidium, ad conſtituendam ciuitatis Reique publicæ ſalutem, quod ex vtriuſque functionibus intelligetis. Armati virtute pax &

Cic.l.1.offic.

ſalus

ſalus comparatur; togati prudentia partum otium conſeruatur: ab illo pericula belli depelluntur; ab hoc pacis ornamenta retinentur: ille aciem inſtruit; hic ciuitatem conſtituit: ille cauet ne ab externis hoſtibus vrbes capiantur; hic ne ciuitates domeſticis diſsidiis euertantur: ille ſcit ut hoſtium exercitus à mœnibus arceantur; hic vt copiæ litigatorum intra vrbem profligentur: ille denique in proferendis imperii finibus defatigatur, & ſudat; hic in tuendis iuribus noctes peruigilat, & laborat. Quod ſi vrbana induſtria, & leges ipſæ latere videntur in tutela, præſidioque bellicæ virtutis: & ſimul atque increpat ſuſpicio tumultus, illico trepidare; tamen nec ipſa feliciter ſatis arma tractãtur, niſi adſint illa, quæ plurimum à prudentia togatorum, iuriſconſultorumque ſapientia petuntur, conſilium, ordo, modus, pecuniæ, ſtipendia, commeatus; animi præterea ita ratione temperata magnitudo, vt ſicubi periculum occurrat, metus pariter abſit, & temeritas. Neque vero melius ciuitates mœnium, foſſarum, atque aggerum ſepimento clauduntur, & altitudine fluminum vallantur, & magnitudine propugnaculorum muniuntur à præfectis rerum bellicarum; quam inſtitutis, legibus, iudiciis ab vrbanarum rerum moderatoribus continentur: quoniam non tam cõiuncta domicilia, vallo, muris, turribusque circumdata ciuitates appellari puto, quam hominum conuenticula, & conſociationes legibus, iure, moribus, tamquam arctiſſimis incolumitatis vinculis colligatas. Ac ne vera laus alteri per me videatur eſſe detracta, hoc vnum addam, etſi ciuitates ſine legibus nullas ſtare videmus; leges ipſæ tamen inermes, nullis operibus, munitionibusque circumſeptæ, nudæ militum præſidiis, à viribus armatorum deſertæ, nullam vnquam ciuitatem, rem ve publicam, aut glorioſam admodum effecerunt, aut diuturnam. Itaque ſtatuamus, non minus excubias armatorum, quàm togatorum vigilias eſſe neceſſarias: ab illis fortitudinem; ab his prudentiam: illinc robur, hinc virtutem: ab armatis denique labores cum

Ariſt. 3. Polit. cap. 2.
Cic. orat. pro Sext.

animi inuicti excelſa quadam magnitudine: à togatis curas
cum animi conſtantis eximia ſapientia coniunctas in com- 9
munem vtilitatem conferri oportere. Iam vero, vt ad inſti-
tutam tractationem reuertatur oratio, Brixienſes, vehe-
menter lætor his duobus generibus ciuium, ita veſtram
vrbem eſſe refertam, vt cum illuſtribus Italiæ ciuitatibus,
florentibusque contendat. Gaudeo peperiſſe quondam
militum duces præſtantiſſimos, & bellica gloria circum-
fluentes, quos recenſerem, ſi apud alios dicerem, quàm
apud vos, qui domi ſingulis horis imagines eorum, cly-
peos, inſignia, titulos, trophæa poteſtis intueri, quæ vobis
illi poſteris fortitudinis, ac virtutis ſuæ præmia reliquerunt.
Gratulor item quod hoc tempore fortiſſimos viros,
rebusque geſtis perilluſtres habeat, qui virtute, Reipubli-
cæ Venetæ præſidium; ſplendore, patriæ ſuæ maximum
decus afferunt, & ornamentum. Cui propenſioni, ſtudioq;
fauet Natura terreſtrium omnium rerum parens; quæ di-
uino, vt arbitror, inſtinctu Brixienſe ſolum, ferri procrea-
uit feraciſſimum: vel vt quos ad arma tractanda propenſos
atque aptos paritura erat, ijs armorum, telorum, tormen-
torum bellicorum ferreorum materiam præpararet: vel
quaſi præſagiret fore, vt qui in eo ſolo naſcerentur, ex ar-
mis eſſent ingentem laudem gloriamque laturi. Sed quid
aliud tot ac tàm inſtructæ armorum officinæ tacite dicunt?
quid aliud tam multæ equitum turmæ, proximis diebus
recognitæ ac luſtratæ plane declarant, niſi Brixienſes de-
ditos eſſe diſciplinæ militari, & bellicæ gloriæ percupidos?
Edidit hæc eadem veſtra patria complures veſtra, patrum,
maiorumque memoria viros iuris conſultiſsimos, ſapien-
tia, conſilio, prudentia rerum gerendarum ornatiſsimos;
qui magiſtratibus honeſtiſsimis perfuncti ſunt; qui clariſ-
ſimis vrbibus Italiæ ius dixerunt; & ſuo quaſi complexu
multos etiam num fouet, qui pro virtute ac prudentia ſoli
regere ac gubernare reſp. poſſent ampliſsimas: quod non
obſcure ſignificant tam multæ uiriles togæ dignitatis in-
dices,

dices, iuris ſcientiæ teſtes, quas vno aſpectu video, cum in hunc ſplendidiſſimum conſeſſum, vultum oculoſque circumfero; tum conſpectus iſte veſter ætate caneſcente venerandus, auctoritatis pleniſſimus, indicium prudentiæ, ſapientiæ argumentum, digniſſimus imperio, qui me grauitate ſimul terret, & humanitate recreat intuentem. Verum hi tum ſapientes, tum fortes viri, mihi credite Brixienſes; numquam hoc opulentum gloriæ patrimonium vobis reliquiſſent, niſi ſociam eloquentiam togæ telum, telorum cotem, ciuitatis gubernatricem, militiæ moderatricem domi & foris habuiſſent: quæ ſic illos inſtruxit, ac muniuit; hos ita exacuit, atque armauit, vt in vtroque vitæ genere beati florenteſque res eas præclare gererent,

19 vnde familiæ ſplendor, & nobilitas veſtra defluxit. Ac primo loco de eloquentiæ neceſſitate in ciue togato dicentem audite; quæ bipartita eſt, priuata, & publica: priuata porro fere quotidiana eſt, in amicitijs, vel comparandis, vel retinendis, vel reconciliandis. Dicam hic rem nouam, atque inauditam adoleſcentibus; vobis viri doctiſſimi, multo antequàm ego naſcerer, cognitam & perſpectam: Nullum maius bonum (religionem, virtutem, ac legem excipio) nec magis aptum ad coniunctionem animorum inter ciues conſeruandam, ſtabiliendumque rerum publicarum ſtatum, eſſe à Deo tributum, & collocatum in ciuitatibus, quam Amicitiam. Hanc propterea miris laudibus efferunt; vnde licet eam appellare ſolem ciuitatis, vinculum animorum, catenam auream voluntatum, additamētum felicitatis humanæ, ſeditionum expultricem, domeſticæ pacis altricem, & perpetuitatis fundamentum. Huius gratia Deus idem parens omnium mortalium hominem procreauit non ſolitarium, ſed amantem coetus, ſocietatis amicum, propenſum ad contrahendas amicitias: quod ante Ariſtotelem Plato magiſter eius animaduertit, qui ex Ciceronis interpretatione, ſcripſit aliquando partem ortus noſtri ſibi patriam, partem parentes, & partem

Cic. l. de Amic. L. Sen. l. de Tranq. cap. 7.

Cic. l. de Amic.

Ar. l. 9. Eth. cap. 9.

Ar. l. 1. polit. cap 2.

Cic. l. de Amic.
Plato Ep. ad Architam
Cic. l. 1. offic.

amicos vindicare. Ab hac amicitia profectus amor cõpenſat, vbi non eſt cõmunio ſanguinis, & æquat propinquorũ coniunctionem: ſæpe etiam vincit conſanguineorum gratiam, fraternamque beneuolentiam: quo fit ut partim affinitatibus, & cognationibus, partim amicitiis ſine rixa, turba, factionibus animi ciuium inter ſe arctiſſime multos annos vinciantur. Sed quæ tandem (vt in ſuum locum tam alte repetita oratio deueniat) quæ tandem artifex amicitiæ? quæ conſeruatrix? quæ diſſolutæ conciliatrix? vna Brixienſes, eloquentia, parens nouæ, vita veteris, & extinctæ in integrum reſtitutio eſt. Hac primum amicitiæ conglutinantur: hac in congreſſionibus, ſalutationibus, beneficijs petendis, gratiis agendis, conuiuiis, gratulationibus in proſpera, conſolationibus in aduerſa fortuna iam inſtitutæ conſeruantur: hac denique diſciſſæ maledici alicuius lingua, reſarciuntur. Teſtis eſt Ariſtoteles ille, cuius ingenium quotidie magis poſteritas admiratur, amicitias colloquio conciliari. Sed quo? quali? quanto colloquio? Num declamatio aliqua ludimagiſtri benelonga eſt neceſſaria? num oratio continuata rhetoris cuiuſpiam arte compoſita, ſumma contentione eſt tibi pronuncianda, vt amicũ quempiã tibi pares? Minime vero. Satis eſt ſermo facilis, perſpicuus, bene moratus, ſine fuco, ſine ſimulatione ſine præſtigiis. Sed hic, dices, vbi eſt eloquentia? ſcilicet ex qualicumque collocutione, quibuſcumque coagmentata verbis amicitia comparatur. Cur non amicitiam contraxiſti tibi eorum omnium, quibuscum aliquid negotii trãſegiſti? cur agreſtiores in loquendo, aut tardiores, aut ſine ſale ac ſapore minus idoneos conciliandis amicitijs eſſe confiteris? cur quidam duri moribus, & aſperi, non ita facile ſermone quantumuis lepidi ac dulcis hominis ad amicitiam molliuntur? Ergo ſit in ſermone captantis amicitias lepos, vt loquitur Cicero, non vulgaris amicitiæ conglutinandæ magiſter: habeat ipſa collocutio vim quandam, ſiue ſuauitas illa ſit, ſiue perſuaſio, qua tamquam hamo, & eſca capiatur is, quem quæris, afficiatur tibi, atque in tuam amicitiam

Ar. l. 8. eth. c. 5.
Cic. l. 1. offic.
Cic. l. 1. offic.

citiam

citiam pertrahatur. Præſertim ſi, quem conſectaris, ſit
11 amantior ſolitudinis, & à congreſſu hominum alienior; ſi de tua fide dubitet; ſi te ſuſpectum, atque inuiſum habeat, ſi nonnihil ſit oſor mortalium, vt illud portentum Mundi Timon, quem ex hoc odio Μισάνθρωπον appellauerũt Athenæ. Facultatem igitur hanc bene, dulciter, & apte loquendi, quæ reclamantes quoque & renuentes amicitiæ beneuolentia caritateque deuinciat: hanc ſummam vim dicendi cum lepore, ac ſapore coniunctam, qua durities illa frangatur; ruſtica leniatur aſperitas, & immanitas ad humanitatem reuocetur: hanc inquam ore rotundo, clariore voce, viribus intentis vt omnes exaudiant voco, nomino, pronuncio amicitiarum parentem eloquentiam. At enim amicitiæ diuturna ceſſatione congreſſionis cum amicis, & mutui ſermonis intermiſſione reſtinguuntur: niſi, quæ primum eas accendit eloquentis oratio, colloquiis in tempore ſubinde per commemoratas occaſiones miniſtrandis, conſeruet accenſas. Qua in re non minus, quàm in inflammandis primum pectoribus amicorum, ſuum lumen, ac vires expromit eloquentia. Præterea conſeſſus, circulos, congreſſiones animi relaxandi, & amicitiæ fouẽdæ gratia vel inſtitutas, vel frequentatas; in quibus, dum illæ ſalibus aliorum, & ſuauitate condiuntur, quis æquo animo ferat amicum tardum ſimilem ſtatuæ mutum, & elinguem? Tranſeo mutuas ſalutationes, quas & officium boni ciuis in bonis moribus temperata ciuitate, & amicitiæ leges efflagitant: in quibus ciuem infantem, balbutientem, hæſitantem quis non ſtomachetur? Omitto dicere de beneficiis petendis, & gratiis agendis: nam illa qui neſcit propter ſermonis ieiunitatem petere, repulſam patitur; has vero qui officioſe neſcit agere propter orationis paupertatem, quem ſemel apertum habuit liberalitatis ac beneficentiæ fontem, ſibi claudit in poſterum. Conuiuia prætermittere,
12 nec poſſum, nec debeo: quæ cum moderata ſunt, & honeſta, largiora melioraque tribuunt amicitiæ, quàm corpori-

Cic. l. de Amic. & l. 4 Tuſc. quæſt.

Lucian. in Timone.

Ar. l. 8. Eth. cap. 5.

bus nutrimenta: proinde magis propter mutui ſermonis delectationem, & iucundiſsimum conuiuatum amicorum congreſſum, quàm ob epularum exquiſitarum ſuauitatem celebrantur. Inde iactatum eſt ab antiquis ſapientibus prouerbio, Conuiuium ſine ſermone nihil à præſepibus diſtare. Primum enim ex ijs, quæ in homine patent, ſolus prope ſermo diſtinguit hominem à beſtiis; unde, tametſi voces edunt affectuum indices & ſigna, mutæ tamen appellantur: quamobrem, vt per mutuam collocutionem homines à belluis differunt, rationi conſentaneum eſt vt per colloquia cœnæ hominum, à mutarum animantium veſcendi ritu diſcernantur. Deinde palati ex cibo potuque percepta voluptas cum pecudibus ad paſtum abiectis, eſt nobis communis atque eadem, niſi nobiliore atque honeſtiore delectatione aurium temperetur: quæ maxime ſcilicet à iucunditate colloquiorum proficiſcitur. Hinc eſt, quod pro ſymphoniacorũ concentibus, & muſicorũ vocibus, ſonis, inſtrumentis apud multarum gentium principes vſitatis, moderati homines in conuiuiis voluptatem aurium, atque ex eis animorum ineſſe voluerunt, aut per lectionem ſuper menſam, vt Pomponius Atticus, & Plinius ſenior, & monachi Cappadoces, quos omnes religioſi viri ſequuntur: aut per diſputationes eruditorum, ac diſertorum hominum, vt Macrinus Imperator Romanorum: aut per mutuum iucundarum, honeſtarumque rerum colloquium, vt Philoſophi, & qui eos imitantur bene morati ciues, ac uirtutis amantes; quorum non pauci, ut Plutarchus, & ex eo Macrobius, Maximus Tyrius, & apud Agellium M. Varro de diſputationibus, & acroamatis menſæ, conuiuioque idoneis præcepta multa tradiderunt. His igitur in menſis inter conuiuas præſertim urbanos, elegantes, lepore, ſalibus, & facetijs Chriſtiano dignis affluentes, tu conuiua ieiunus in loquendo, & expers omnino cuiuſdam accommodatæ conuiuiis, & prudentis eloquentiæ, quæ nec obtundat clamoribus aures aliorum, nec

Simpl. c. 75. in Epict. Enchir.

Ar. l. 1. polit. cap. 2.

Corn. Nep. in vita Pomp. Attici.

Plin. l. 3. ep. 5. & l. 9. ep. 36.

Caſsian. l. 4. cap. 17.

Capitol. in Macrino.

Plut. l. 1. Symp. q. 1. l. 7 q. 8. l. 8. q. 1.

Macrob. l. 1. Saturn. cap. 1.

Max. Tyr. ſerm. 12.

Agell. l. 13. cap. 11.

per-

pertinaciter ſuas defendat opiniones: ſed quæ permiſcens vtile dulci cum delectatione iuuet, & cum vtilitate delectet, tuum ſine tacita reprehenſione, atque irriſione locum *Hor. in Poetica.*
13 tueare? Gratulationes proſperis in rebus, & ad voluntatem voluptatemque fluentibus, non valde videntur dicẽdi vim requirere: propterea quod amici, quibus gratulamur, lætitia perfuſi magna geſtientes, omnia boni & æqui conſulunt, gratulantis aſpectu conatuque contenti. Sed cum reflante, vt vulgus loquitur, fortunæ vento iactantur: aut aduerſa tempeſtate, flatibusque infeſtis ad calamitoſæ, miſeræque vitæ ſcopulos adhæſerunt afflicti, vel corpore per morbos naufragi, vel iactura rei familiaris facta: vel amiſſa Principum gratia: vel liberis, vxore, caris orbati: vel denique libertate, patria, dignitate, fama ſpoliati, fomenta doloris, ſolatia luctus, leuamenta mæroris efflagitant ex amicorum alloquio: tum qui ſolari neſciens ærũnoſos amicos tam pio atque humano deeſt officio propter orationis & facultatis inopiam, ſi ſapit aliquid, is intelligit quàm in hoc munere conſolandi neceſſaria ſit, & opportuna conſolatoris eloquentia. Eſt quidem oratio dolentis animi medicina, quod veteres Græci ſapientes peruulgato ſenariolo docuerunt:

Λόγος γάρ ἐστι φάρμακον λύπης μόνος. *Adag. col. 810.*

non tamen qualiſcumque oratio, à quouis imperito conſolatoris perſonam aſſumente contexta vim tantam habet, vt graues, & inueteratas acerbiſſimi doloris, ac mæroris ægritudines minuere poſſit ac pellere. Vt enim medicamentum quantumuis natura ſalutare & efficax, non continuò vt è narthecio pharmacopœi depromitur vulnera omnia ſanare, morbos quoſcumque corporis remouere poteſt: ſed opus eſt medico ſcientiſſimo, ac peritiſſimo, qui pharmacum ipſum vel ſuauioribus leniat ſuccis, & mitiget: vel acrioribus irritet, atque exacuat: tum rationem habeat accuratam ætatis, naturæ, virium; ægrotantis conſideret cauſſas, proprietates diuturnitatemque morbi ingra-

ueſcentis; circumſpiciat anni tempeſtatem, aëris temperationem, creſcentem ſeneſcentemue Lunam; & ſi ſit opus, antequam porrigatur ægroto, pharmacum ipſum aut melle oblinat, aut auri bracteola tegat, aut etiam reſpuentem ægrotum, & nauſeantem præſtigiis fallat ad ſalutem: ita ſermo, non ſimul vt è pectore, atque ex ore cuiuſuis incondite atque inconſiderate funditur, & in ægri aures illabitur, efficitur conſolatio dolentis, alleuatio mæroris, & ægritudinis medicina: ſed opus eſt non tam copia verborum, quàm prudentia dicentis, qui tempori, viribus, ægritudini ſermonem accommodet; mæſtitiam vultus, lacrymantes oculos, flebilem uocem temperet; & pro rerum ſtatu conſolatoriam orationem omnem, uel ſuauitatem adhibens, uel uim, uel acrimoniam, alias hortando, reprehendendo alias, aliàs pro imperio dolentis lacrymas, fletumque uetando moderetur. At quis hæc omnia nouerit, præſtiterit, effecerit, niſi qui ſit prudenti præditus eloquentia? Vbi nam reconditiora rhetoricæ præcepta magis neceſſaria ſunt, quàm in mærore minuendo, leuando, & abſtergendo? Huc adhibendæ Rhetorum inſidiæ; huc artificioſæ inſinuationes; huc oratoriæ præſtigiæ. Nuſquã magis, quàm in mæroris grauiſſimi conſolatione, luctuque ſedando petendus eſt animus audientis artificio dicendi, uerſandusque omni ratione artis; et ſi fieri poſſet Demoſtheni ac Ciceroni uſitatis ueneficiis, ut ita dicam, excantandus. Non enim tam in medicamenti natura, quàm in temperamento medicamenti ex arte facto, ſalutaris uis ſanandi deliteſcit. Quod ſi clariſſimorum uirorum conſolationes, quas partim ſcriptas nouimus, partim in epiſtolis, orationibus, & libellis habemus, Græcorum Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſidonii, Plutarchi; Latinorum Ciceronis, Sulpitii, Senecæ, Hieronymi, Boethii, tãta cura, tam diligenti ſtylo, tot artis præceptionibus, tam multis eloquentiæ ſolidæ ornamentis elucubratas, excultas, expolitasque uidemus; quid putatis eos, vel feciſſe cum

S. Hier. ep. 3. ad Heliod.

lingua,

lingua, non calamo; uiua uoce, non graphio dolore ſauciis medebantur; uel exiſtimaſſe faciendum ab aliis qui conſolatoria ſermonum remedia dolentibus, mæſtis, luctuque uiolentis adhiberent? Si uiuerent inter nos atque à uobis interrogarentur, quanam re opus eſſet; præter humanam orationem, ad conſolandos mærore confectos, & in ſqualore luctuque iacentes; eandem opinor, quàm ego uobis inclamans ſuadeo, & qua re ipſa ſunt uſi, contenta uoce
14 reſponſuros, eloquentiam. Ceterum in amicitia redintegranda inter eos, qui quondam amici diu, poſtea exercent implacabilibus animis inimicitias (quod reſtabat de priuatis officiis pertractandum.) uis maior, & poteſtas eloquentiæ requiritur, quàm in ſuperioribus iam explicatis functionibus boni ciuis. Nam eas ſimultates ij plerumque ſolent habere, qui militarem artem aut exercent, aut profitentur: in quorum animis, neſcio qua generis humani calamitate, & inueterata conſuetudine figuntur altiſſimis illatæ contumeliæ radicibus: & inter quos maioribus iracundiæ flammis de honore contentiones exardeſcunt: ſiue quod falſis ſuſpicionibus contemptæ dignitatis, quæ uix euelli poſſunt, oriantur: ſiue maledicorum quorumdam, & maleuolorum hominum mendacijs, & perfidia concitentur, & paſcantur; qui quia ſunt egentiſſimi atque otioſiſſimi mortalium omnium, ſua putant intereſſe, magnamque ſpem concipiunt lucri, ſi uiri primarii in Ciuitate; qui ſunt amiciſſimi, mutuis odiis abalienati diſsideant inter ſe atque ex acerbitate animi, cupiditateque uindictæ, ad arma, necemque mutuam ipſis crudelitatis adminiſtris, & tamquam ſatellitibus comitati, ſtipatique concurrant. Additur ad duritiem augendam iſtorum, qui de honore digladiantur, illa duelli non lex, ſed nex; non mos, ſed mors; non conſuetudo, ſed animorum corporumque pernicies, quam priſci illi truculenti, moralisque philoſophiæ, ac ueri honoris penitus expertes Longobardi, cum in Italiam infuſa eſt illa barbaries, de repetendo iure ſuo, de recuperando

honore

honore, de ulciſcendis iniuriis, priuata auctoritate per ſingulare certamen introduxerunt. Quæ preiudicata opinio, cum iracundia odioque coniuncta, mirum eſt quàm difficilem reddat ei, qui pacificatoris partes ſuſcepit, gratię reconciliationem inter eos, qui ſeſe pręferunt inexorabiles. Hic uos, Brixienſes, arbitros conſtituo: qui difficultates has pęne inenodabiles non inter hominum paria modo, ſed etiam inter familias integras eſtis experti. Noſtis qua dicendi ui, uis obſtinati odii perrumpenda ſit, qua ferrea lingua, pectora ſaxea frangenda; quibus ingenii fluminibus illa incendia, quę in eorum animis inſanabilis ira conflauit, reſtinguenda ſint. Didiciſtis utrũ pacificatorem oporteat eſſe ieiunum, elinguem, & infantem in illorum congreſſu, atque oppugnatione; quos iracundia, & dolor, & furor facit in ſuo exiſtimato iure demonſtrando; in amplificandis acceptis iniuriis; in exaggeranda contumelię illatæ grauitate non impotentiſsimos modo, ſed & diſertiſsimos: an uero copioſum, expeditum, eloquentem. Definite uos quęſtionem hanc, & iudicate, Viri ſapientiſsimi, utrum ego Latine ac uere locutus ſim, an fallaciter & oratorie, cum in exorandis & in gratiam reuocandis eiuſmodi ciuibus diſsidentibus dixi uim ui, ferro ſaxum, fonte flammam eſſe uincendam: & in reſarciendis dilaceratis amicitiis potentiorum pronunciaui neceſſariam eloquentiam; & oratio mea gradum faciet ad eloquentię neceſsitatem multo maiorem in publicis muneribus declarandam. Nã 15
in his priuatis officiis, quę commemoraui, ciuis bonus non pugnare uidetur, ſed batuere; proludere, non certare; priuatim meditari, non deſcendere in aciem, pulueremque pręliorum. At in rerum publicarum campo theſaurum aperit eloquentiæ: reſerat armamentarium: haſtas lacertis uehementius adductis contorquet amentatas: in deliberationibus, in iudiciis, in legationibus, in laudationibus, in concionibus ſeſe effert audacius. Sunt in hac ueſtra Ciuitate, ut de aliis taceam ſui iuris, collegia Iuriſcõſultorum,

&

& Medicorum ornatiſſima, & florentiſſima, in quibus non modo perſpectæ ſcientiæ ciues, ſed etiam probatæ nobilitatis adſcribuntur: ſunt Tabellionum, aliorumque ordinum honeſtiſſimi cœtus: ſunt piorum virorum frequentiſſima ſodalitia: ſunt multi magiſtratus, qui pluribus ciuibus conſtant: eſt denique ſummum conſilium ciuitatis, in quo nobiliſſimi, ac prudentiſſimi quique tam togati, quàm gladio ſuccincti congregantur. In his omnibus ciuium conuentibus multa ſæpe, eaque grauia veniunt in deliberationem: atque anno proximo quoties de coercenda peſtilentia ne lues contagione latius ſerperet conſultaſtis? Quoties de rebus aliis publicis ad ciuitatis conſeruationem, & commoda ſpectantibus deliberaturi conuenitis? Scio permultos in illis conſidere, qui tantum eloquentia valent, quantum equidem opto liberos veſtros, diſcipulos meos valere: ſed optandum eſt quoque tales eſſe cunctos; vt nemo tamquam ineptus ad dicendum à collegis merito rideatur. Quàm enim turpe eſt, ciuem auctoritate æqualem ceterorum, nobilitate parem, imparem eſſe loquendi facultate, & animi ſenſibus explicandis? Quàm ridiculum, in conuentibus mutum ſemper, & elinguem, capitis, oculorumque nutu in collegarum ire ſententiam? Non is aculeum prouerbij Græcorũ κεφάλαιον ἄνευ γλώττης, hoc eſt caput ſine lingua vel ſentit, vel pertimeſcit? In deliberationibus contra quàm ſentias dicere, vt aliquid noui dixiſſe videare, perfidiæ eſt: opinionem collegæ, qui ante te dixit, carpere ac refellere, vt ingenioſior habearis, vanitatis eſt: nihil vmquam eorum probare quæ proponuntur ab aliis, ſed contendendi ſtudio contumaciter oppugnare, deprimere, perſtringere, pertinaciæ: quæ recte ſunt ab aliis diſputata, verboſius, & vſque ad aliorum nauſeam retractare, loquacitatis eſt: at propter orationis paupertatem verborumque inopiam ſemper capite annuere in ſententia dicenda, & verbo, Placet, omnia comprobare, quamquam non probanda videntur, eſt infantiæ cuiuſdam plane mi-

Adag. col. 426.

Z ſerandæ

ferandæ. Quis veſtrum cum ciuem talem in conſilio videt toto capite annuentem,& obmuteſcentem perpetuo,non metuit filiis ſuis ac nepotibus, ne quando ſe mortuo ſimiles hiſce capitibus elinguibus in eodem ſubſellio conſideant, & in ſenectute infantiſſimi inter diſertiſſimos intento digito monſtrentur ad ludibrium? Vſu præterea ve- 16
nit in conſilio nonnumquam,vt in conſultationem proponantur quædam ciuitati bonoque publico nocitura, vel ex ignoratione incommodorum,quæ pone ſequentur; vel ex animi prauitate proponentis, qui ſui,quàm boni communis eſt amantior:fit etiam,vt magna multorum approbatio atque applauſus,ſuaſionem tueatur, qui vel mouentur auctoritate ſuadentis & gratia; vel fraudem non deprehendunt,quæ in verbis delitеſcit. Quàm hoc loco ac tempore eſt neceſſarium, vt aſſurgat aliquis dicendi potens, qui retexat omnia; retegat inſidias, & veritate patefacta lancem conſultationis in alteram deprimat partem? Talis fuit

Cic. l. de Clar. orat. & Philip. 1.
Plut. in Pyrrho
Quinct. l. 2. cap. 16.
Io. Zon. T. 2. ann.
Val. Max. l. 8. cap 10.

Appius Claudius cæcus oculis,animo perſpicax, qui ſella delatus in Senatum iam ad pacem cum Pyrrho turpem, atque indignam populo Romano inclinatum Cyneæ diſertiſſimi legati ſuaſu; qui muneribus quoque nonnullos flexerat;ab ea facienda, grauitate dicendi reuocauit. Vidiſtis item quandoque vnius ciuis diſſuaſione conſilium totum deceptum in deteriorem partem ruere, & tamquã fluuium extra ripas diffluentem in ciuitatis labi perniciẽ: ciuemque alterum eloquentem exiſtere de repente patriæ peramantem, qui quaſi obiecto aggere labentis illius fluminis curſum inhibet, & vt alter Orpheus impetum eius

Hor. l. 1. od. 12.

meliora ſanioraque conſilia dicendo ſuggerens remoratur, & ſalutem patriæ ſuaſione pæne reſtituit. Fecit hoc ſtrenue,fecit M. Cato,cum in Senatu Romano de Catilinæ

Sal. in coniur. Catil.
Cic. orat. 4. in Catil.

coniuratione deliberante, C. Cæſaris mitem,diſſolutam, fraudulentamque de coniuratorum pœna ſententiam, Reip. pernicioſiſsimam refutauit,debilitauit,fregit: exiſtimans vt more maiorum de confeſsis ſupplicium extremũ

ſu-

ſumeretur: cui Senatus aſſenſus eſt vniuerſus mutata ſententia: conſulque Cicero Senatui parens improbiſsimis hominibus in cuſtodia iugulatis, Remp. ab interitu liberauit. Videtis hæc quotidie; verſantur ante oculos veſtros; luce meridiana ſolis clariora ſunt: & negabunt neſcioqui litterarum bonarum hoſtes non his temporibus noſtris, in ciuitatibus conſultationum gratia neceſſariam eloquen-
17 tiam? Iidem negaturi quoque ſunt in iudiciis eloquentiæ neceſsitatem; quod iam euanuerit illa Græcorum Romanorumque conſuetudo, qua cauſſas ab oratoribus accuſantibus & defendentibus ante agi, quàm iudicari patiebantur. At ego non video plane hunc morem eſſe deletum aut exterminatum ex omnibus Italiæ ciuitatibus: audio multis in vrbibus cauſidicos coram Prætore reum voce defendere; ſcio Venetiis Romanæ vrbis æmula ciuitate, hoc idem inſtitutum duarum præclariſsimarum Gentium retineri; vbi apud XL uiros, aliosque magiſtratus, ac iudices agitantur cauſſæ per oratores inter ſe acerrime contendētes, atque è loco ſuperiore dicentes, ex omnibus fere Veneti Imperii ciuitatibus eo profectos. Quid quod aliquot veſtrum, qui adeſtis, Venetiis florentem ætatem in cauſſis, reisque defendendis cum laude contriuerunt? An non vultis liberos quoque veſtros poſſe, in eadem ciuitate paterno exemplo calamitoſis ac miſeris opitulari? *Quid enim*, inquit apud Ciceronem L. Craſſus, *tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate*? (Cic. l. 1. de orat.) Præterea multi veſtrum illuc ſæpe ad ea tribunalia trahuntur ad aduerſariis & inuiti, & innocentes ad cauſſam dicendam. Vter melius cauſſam tuam acturus eſt, & innocentiam defenſurus, ignotus ne cauſidicus mercede conductus, frigidus in alienis calamitatibus ac periculis orator, qui ſpe lucri potius ducitur, quàm permouetur caritate ad tui defenſionem; an tu ipſe, cuius res agitur; tum vita, fortunæ, patria, dignitas & honor in iudicium

Digitized by Google

ac periculum adducitur? Quis ſanæ mentis eo loci periculique delatus contemneret eloquentiam, & vt ſe ipſum ſeruaret, atque ex illis anguſtiis eriperet, non exiſtimaret neceſſariam? Cui nam inde ſemel elapſo non gratiſsimum eſſet ſuorum filiorum ſtudium, quo ſibi pararent arma, & tela, quibus vel tegere ſe petitos, vel improbos cohibere poſſent, uel à ſuo iugulo ceruicibusque depellere? Si mihi vocanti eloquētiæ præſidia, tela & arma, nō habetis fidem 1
adoleſcenti, & rerum humanarum imperito; M. Tullio Ciceroni oratorum magiſtro, & experientiſsimo ſeni credite Brixienſes, qui L. Craſſum oratorem illius temporis
Cic. l. 1. de orat. facile principem introducit in dialogo de oratore ſic loquentem: (attendite quæſo verba, vim eorum expendite, memoriæque commendate diligenter) *Quid autem tàm neceſſarium:* non dixit vtile, commodum, opportunum, quod ſine magno detrimento rerum tuarum repudiare poſsis, ſed plane neceſſarium: *Quàm tenere ſemper arma:* non luſoria gladiatorum ornamenta, ſed quæ tegant, & noceant ſolida, & acuta; vim, inquam, & copiam, & perſuaſionem: propterea ſequitur: *Quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus?* Quo ex loco iam intelligitis, cur non multo ante nominarim togæ telum eloquentiam. Nam vt Natura tribuit ceteris animantibus arma, quædam ad tegendum, & ad nocendum alia; ita, inquit Philo clariſsimus Philoſophus de Schola
Philo l. de ſomn. orat. 4. nu. 19. Platonis, homini, quem ſolum inermem procreare fuiſſet iniquiſsimum, ſermonem, orationem, uim dicendi pro armis, telisque dedit tum ad tegendum in defenſione ſui, tum ad nocendum in accuſatione aduerſariorum, iniuriæ, periculique cauſſa propulſandi. Venio iam ad legationes quæ ad Pontifices, Reges, Reſp. alioſque principes viros 18
obeuntur, in quibus eloquentia nonnumquam vt aquila violenta ferens fulmina belli; ſæpe vt columba celerrima præferens oleam pacis; aliàs vt canorus cygnus rerum iucundarum cantu oblectans alas ſuas explicat per aëra re-

giarum

Digitized by Google

giarum aularum. Innumerabiles ſunt occaſiones quæ ora-
tores in ciuitatibus præſertim liberis ad Principes legant;
gratulationes, conſolationes, expoſtulationes, excuſatio-
nes: pax, bellum, induciæ, fœdera, munera, petitiones, gra-
tiarum actiones, ſalutationes, negotiorum difficilium ex-
plicationes. Hora me deficeret, ſi omnes inſtituerem per-
cenſere: ſupplete vos cogitatione, quas conſulto præter-
mitto: & eas præſertim (ne longius abeat oratio mea) quæ
vos cogunt non raro legere oratores, & Venetias mittere,
vt in ea mirabili ciuitate publica negotia patriæ, procu-
rent & expediant; vt ab illo ampliſſimo Senatu ius veſtrũ,
aut aliquod beneficium obtineant: vt Principibus Reip.
recens creatis gratulentur. Quod ſi eum, quem Oratorem
deſignatis, poſſe munus tueri ſuum ſine copia dicendi, ſine
ornamentis orationis, ſine vi perſuadendi, putant ij qui
nullam obierunt legationem, videant etiam atque etiam
ne nomen illi vacuum tribuant tantum oratoris: re autem
ipſa faciant aratorem. Is orator appelletur, qui ſit aut in-
fans, aut ieiunus in loquendo? Qui tantam vim non ha-
beat, aut copiam, vt poſſit ſemihoram perpetuare dicen-
do? Qui neſciat pro dignitate mandata exponere illorum
à quibus oratoris perſonam accepit? Nequeo, Brixienſes,
nequeo riſum è pectore erumpentem cohibere, cum reco-
gito legatos & oratores exiſtere, qui compoſitam oratiũ-
culam à ludimagiſtro memoriter ediſcant; à qua ſi verbo
vno diſcedunt, præclaros commouent riſus circumfuſæ
multitudinis. Miſeror eos quoque oratores, qui recitant
quidem orationem ingenio ſuo contextam, ſed nec dele-
ctum habent verborum bonorum, nec ſententiarum gra-
uitatem, nec ordinem perſpicuitatis patentem; nec pro-
18 nunciationis elegantiam: hos inquam miſeror, qui pro elo-
quentia, ferunt vmbram eloquentiæ. Nam vulnerant aures
religioſas ac teretes illorum Principum apud quos per-
orant, quæ non niſi doctis polite & ornate loquentium vo-
cibus parere conſueuerunt: lædunt animos virorum pru-
dentum

dentum circumſtantium, qui tacitis cogitationibus ea requirunt in oratore, quæ pro dignitate loci afferre debuiſſet: excitant cachinnos miniſtrorum, qui liberius externorum mores & vitia reprehendunt: & denique quod eſt grauius, quia Principi, atque aulæ cunctæ ingrata eſt, & legatio, & oratio, re infecta reuertuntur. Non erat eiuſmodi Cyneas Theſſalus Pyrrhi Epyrotarum Regis multis victoriis clari legatus; cuius eloquentia plures ciuitates adiunctas imperio ſuo gloriabatur, quàm ſuis armis & machinis expugnatas. Non talis Carneades cum aliis Romam miſſus ab Athenienſibus, quem propter eloquentiam vimque perſuadendi metuens Reip. Cato maior, curauit quamprimũ redditis à Senatu reſponſis in Græciam ex vrbe remitti. Quamobrem vt turpiſſimum nobili ciui eſt eo carere ornamento, quo ſpoliatus oratoris munus cogatur repudiare, vel ſuſceptam legationem honorificentius obire non poſſit: vt honeſtiſſimum, ijs ad quos legatus acceſſerit propter naturalem dicendi vim arte perfectam, eſſe admirationis (quæ negare non audetis) ita maxime neceſſariam fateamini oportet eloquentiam illis adoleſcentibus, qui cum ætate proceſſerint, non creari oratores propter infantiam ſibi turpe ducent; factos vero propter ieiunitatem nõ poſſe gerere legationem pro dignitate patriæ, longe turpiſſimum. Idem mihi vos ſpero conceſſuros in publicis laudationibus, in quibus oratio vela pandit amplificationum, 19
& ſæpe non tam fertur pectoris flatu, quàm ſecundis vehitur acclamationibus auditorum. Video morem eſſe vetuſtiſſimum illuſtres viros, & mortuos potiſſimum publice cultis, elaboratiſque orationibus laudandi. Demoſthenes Athenienſium iuſſu eos qui pro patria dimicantes in prælio ceciderant ad Cheroneam graui, ac luculenta oratione laudauit, antiquiores Thucydidem & Platonem imitatus. Apud Romanos idem vſus inualuit: & M. Tullius, qui multas laudationes mortuorum ab antiquis oratoribus ſcriptas, & dictas extare ac circumferri tradit, in ſenatu Ser.

Plut. in Pyrrho.

Orat. 3. nu. 15.

Plut. in Demoſt.
Plato in Menexemo.
Cic. l. de clar. or.
Idem Phil. 9.

Sul-

Sulpitium in legatione pro Rep. extinctum, pulcherrima laudatione, Demoſthenem in multis æmulatus, honeſtauit. Quantus vir ingenio, nobilitate, magnitudine animi C. Cæſar? Is Quæſtor in maiorum veſtigiis inſiſtens feminas quoque vita functas pro concione laudauit, Iuliam amitam C. Marii ſepties conſulis quondam vxorem: & Corneliam vxorem, Cinnæ conſulis filiam. Quem Octauius ſororis nepos, qui heres inſtitutus illi ſucceſſit in imperio Romanorum, imitatus duodecim annos natus auiã pro roſtris item veteri more, laudatione celebrauit. Cæſarem ipſum Dictatorem poſtea M. Antonius conſul: Tiberius Imperator filium: Claudium Imperatorem, Imperator adoleſcens Nero compoſita ab L. Seneca educatore funebri oratione: Virginium Rufum conſulem, conſul Cornelius Tacitus eloquẽs orator, & hiſtoriarum ſcriptor elegans, & accuratus laudauerunt. Nec Religio Chriſtiana ſpreuit hunc morem, nec putauit vel diuinæ legi repugnare, vel ſaluti. Nam è Græcis Chriſtianorum doctoribus S. Gregorius Nazianzenus doctiſsimus pariter & eloquentiſsimus vir, Athanaſii, & Baſilii doctiſsimorum item ſanctiſsimorumque Archiepiſcoporum ſcriptas reliquit laudationes: S. Gregorius Nyſſenus præter multorum clarorum ſanctitate virorum laudationes; non modo in Meletii Antiochenorum Archiepiſcopi, ſed & in Pulcheriæ, ac Placillæ regiarum feminarum funere perorauit. E Latinis S. Ambroſius funebrem Satyri fratris viri ſanctiſsimi non modo ſcriptam reliquit, ſed etiam duorum Imperatorum Valentiniani iunioris & Theodoſii ſenioris obitum orationibus decorauit. Qui omnes Græci, Latini, Chriſtiani, ſpectarunt illud vnum in hoc humanæ pietatis officio, vt commemoratis rebus præclare geſtis, & virtutibus mortuorum, qui ſuperſtites eſſent, & eorum laudes audirent, ac legerent, ad eorumdem imitationem ita accenderentur, vt eodem genere laudis ac celabritate in ſuo funere cohoneſtari mererentur. Nec poſteritas ab antiquorum

Suet. in Cæſ. cap. 6.
Plut. in Cæſ.
Quinct. l. 12. cap. 6.
Dio. l. 44 hiſt.
Plut. in M. Ant.
L. Sen. Conſol. ad Marc. c. 15.
Suet. in Ner. cap. 9.
Tacit. l. 13. annal.
Plin. l. 2. ep. 1. ad Vocon.

inſtituto deflexit. Teſtes exſto tam multas funebres orationes noſtro ſæculo dictas,& editas, etiam in laudem ſereniſsimorum Reip. Venetæ Ducum in vnum volumen collectas; quibus oratores boni noſtræ memoriæ ſunt eorum exſequias in ſupremi diei celebritate proſecuti. Qui primoribus labris hanc artem dicendi, quam tractamus attigerunt, intelligunt optime,quàm elaboratas ingenio, limatas arte,perpolitas diligentia, & omni ornatus varietate ſplendeſcentes oporteat eſſe laudationes à demonſtratiuo genere prodeuntes, quarum auctores ob eã cauſſam non tam oratores,quàm exornatores nominantur.In his iure, lege, præſcriptoque artis omnes exornationum margaritæ,floſculi, ac lepores illigantur: hæ ſententiarum gemmis,luminibus, ſtellisque collucent:ab his fucati candoris,& ruboris medicamenta minime repelluntur:eædem vt colorum pigmentis fucatæ non erubeſcunt;ita nec cincinnis ornatæ diſplicent; atque omnes veneres, feſtiuitates,aurium lenocinia, verborumque ſuo iure recipiunt ornamenta. Quæ omnia vt fieri poſsint,vndenam habetur? Ab eloquentia. Vt bene,ac pro dignitate fiant? vt ne putida ſint,frigida:inopportuna? Ab arte quæ regit,expolit, moderatur eloquentiam. Cum igitur hoc laudandorum clarorum virorum,ſiue viuorum,ſiue mortuorum prouincia Iuriſconſultis aliiſque togatis viris imponatur, qui doctrinarum, non armorum ſcientiam profitentur: cum occaſiones huius muneris fungendi non ſint raræ, ſed frequentes; cum ipſam functionem communis hominum ſenſus, & conſenſus exiſtimet illuſtrem, honorificam, & viro nobili digniſsimam: & quod caput eſt, ſine eloquentia & arte dicendi ſuſcipi non poſsit: quis veſtrum adeſt, Brixienſes,tam honoris oſor,ſplendoris inimicus, dignitatis aduerſarius, aut certe rerum ignarus, atque hoſpes in Mundo,vt negligat ac repudiet in ſuorum liberum educatione, atque eruditione tam nobilem laudandi facultatem eloquentiam, & eam artem qua facultas,natura rudis ex-

Digitized by Google

politur. manca ſuppletur, & inchoata perficitur? Hic metuens non nihil ſatietatem veſtram præterirem conciones populares, poſtremum caput huius ciuilis neceſſitatis, niſi res ea eſſet, per quam in ciuitate florere, dominari, regnare ſolet eloquentia. Quare vos ad attentionem continuandam reuocate: vires animi colligite ad ea quæ pauca reſtant, & à me curſim diſputanda. Nonnumquam hoſtes quidam concordiæ, & pacis euerſores in ciuitatibus exiſtunt, qui tumultus populi commouent, plebem ab optimatibus ſegregant, & quaſi turbines concitant ſeditiones aduerſus Principes, aut iam excitatas alunt, augentque lingua tamquam flabello quodam mobiles animos, ira, cupiditateue inflammatos ventilando. Facile enim, vt dixit ille

Sæuit animis ignobile vulgus, — *Virg. l. 1. Aen.*

& Euripi more agitatur, & tenuiſſima commouetur aura verborum: neque tam facile tæda concipit flammam, ſi flatum adhibeas, quàm vulgus hominum, cuiuſuis ſermonis ſpiritu, quouis ſibilo, ac rumore ad odium, iracundiam, furorem exardeſcit. Boni ciuis eſt eiuſmodi ſedare tempeſtates: flectere populum concitatum; perturbatam plebem mitigare. Grauis & plena dignitatis dicendi facultas id præſtat: non lupus, ſed populus capitur auribus, ac tenetur. *Plut. in Polit.* Quod non latuit ingenioſiſſimum poetam in illa concitationis popularis deſcriptione: in qua cum dixiſſet faces & ſaxa volitare, tela ſubminiſtrari ab ipſo populi furore, concluſit his pulcherrimis verſibus ſeditionem boni viri tum auctoritate, tum eloquentia ſedari.

Tum pietate grauem ac meritis ſi forte virum quem — *Virg. l. 1. æn.*
Conſpexere, ſilent, arrectisque auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Neque vero hanc prudentiſſimi poetæ narrationem, fictam fabulam quiſpiam putet: nam hæc ſæpe nimis acciderunt. Mitto Romam, quæ in illo felici dominandi curſu, ſenſit non ſemel popularibus ſeditionibus felicitatem ſuam interrumpi; vidit ſeditioſorum ciuium impulſu ac

Val. Max. l. 8. cap. 9. Liu. l. 2. ab vrbe cond. Plin. l. de viris illuſtr. cap. 18. Cicer. l. de cl. orat.

ſuaſu plebem à patribus ſeceſſiſſe, armatam in montem ſacrum, in Auentinum, in Ianiculum loca munita conuolaſſe; & non niſi virorum grauium M. Valerij, Agrippæ Lanati, L. Valerii, & M. Popilii concionibus mitigatam, & reconciliatam optimatibus in patrias ſedes remigraſſe. Prætereo nimis antiqua; quæ ſeditiones noſtra patrumque memoria tum in Italia, tum extra contigerunt, ſatis probant, quàm veræ ſint hiſtoriæ veterum, & quàm neceſſaria dicendi facultas ad eas tempeſtates populares tranquillitate mutandas. Etenim eloquentis lingua non ſolum eſt,

Plut. in Polit. Iac. 3.

vt Plutarchus docuit, & ante illum diuinitus edoctus S. Iacobus, inſtar gubernaculi naualis in ciuitate, quod eam regat, flectat, moderetur; ſed etiam inſtar anchoræ, quæ iacta, turbinum, procellæ, tempeſtatisque popularis tempore, nauim ciuitatis fluctuantem ſtabilit, à periculo naufragii ſeruat, & non permittit vt ſeditionum fluctibus obruatur. Eadem in ore ſeditioſi ciuis non modo calcar eſt, incitans atque exſtimulans populum tamquam indomitum, & intractatum equum ad ruinam; ſed etiam in poteſtate prudentis & amantis patriæ ciuis, eſt frenum validum, quo ruens in præceps retardatur atque cohibetur. Quamobrē date operam Brixienſes, vt ea præſidia dicendi teneatis per quæ, ſi quando neceſſitas exiſtat, ſedatio naſcatur indidem, vnde ſeditio ſolet exoriri: quod incendium fax linguæ turbulentæ conflauit orationis flamma; conflatum lingua ſapientis ac probi, vel turbine vehementiore verborum, vel certe copioſo flumine reſtinguat: atque ita vox voci; linguæ lingua; temeritati prudentia; prauitati probitas, & loquacitati reſiſtat eloquentia. Neque vero dicat aliquis non eſſe noſtra ætate forum, roſtra, campum Ro- 21
manorum, non eam conſuetudinem populum conuocandi; proinde fruſtra hæc omnia diſputata eſſe. Nam quis negare poteſt eſſe cœtus, conuenticula, fora, porticus, templa, vbi ſi non uniuerſus, certe magna ſolet pars populi conuenire? Quis inficiabitur bonum ciuem, ſi ſe in circulos multitudinis inſerat, ſi ſe det in conſeſſus, non ea poſſe

præ-

præſtare ex inferiori loco quæ diſſerui? In templis vero tametſi non liceat togatis non lectis in ordinem clericorum è ſuperiore loco concionari; licet tamen togatis ordinis Eccleſiaſtici, qui quantum poſſint ad plebem leniendam, ſedandam, in officio continendam quis ignorat? An vero mea hæc diſputatio eos à numero togatorum excludit, qui primas inter togatos tenent? ijs non neceſſaria exiſtimabitur eloquentia, qui maxime omnium mortaliũ, & egent, & vtuntur? Non iſtos Adoleſcentes inter clericos iam adſcriptos, qui me circumſtant? & alios qui eandem vitæ rationem, vel etiam religioſiorem ſuſcepturi ſunt, ad eloquentiam comparandam cum reliquis adoleſcentibus adhortabor? In magno errore verſarer, ſi hanc diſputationis partem prætermittendam exiſtimarem. Saluator humani generis Chriſtus in peruulganda noua lege de cælo in terras delata, diuinæ ſapientiæ ductu concionibus popularibus potiſſimum eſt vſus ipſe triennium. Atque vt ei nullam vim, facultatemque naturalem, quæ mortales admirabiles facit, denegare fas eſt, quem Deus Opt. Max. voluit eſſe muneribus omnibus quamornatiſſimum, numeriſque quam abſolutiſſimum; ſic eum perfectiſsima elo-
22 quentia præſtitiſſe fateamur oportet, quæ perſpicuitatem, copiam, vim, ſuauitatem, multitudinemque linguarum contineret. De huius facultatis perfectione mirabilia dictu atque auditu ſanctiſſimi Vates prænunciarunt. Nam Salomon labia eius liliis ſtillantibus myrrham primam ſimilia prædixit. Quantum in hoc oraculo myſterium! Lilia, quæ apud Homerum ſuauem ac floridam orationem ſignificant, hic quoque florentem ſuauitatem: & myrrha ſalubertima corporibus, & amara guſtatui, doctrinam Chriſti concionantis animis ſalutarem, ſenſibus aſperam præſignificat. Salomonis vero pater nonne præcinuit in eius labris gratiam eſſe diffuſam? quam interpretor ſuauiſsimam quandam dulcedinem ſapore] neſcioquo mirabili conditam auditores pertrahentem, multo præſtantiorem

S.Th.2.2.q. 176.ar.1.ad 3.

Cant.5.

Lucian. in Herc.Gallico.

Pſal.44. Theodor. Euthym. Eugub. Ianſ. & Genebr. in pſ. 44.

Cic.l. 3. de or. lepore illo, quem in Periclis Athenienſis labris Poeta qui-
Val. Max.l.8. cap.9. dam ſeſſitauiſſe ſcripſit. Quid Iſaias? *& percutiet terram*
Iſa.11. *virga oris ſui; & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet im-*
S.Hier. in cap. 11.Iſa. *pium*. Qua vaticinatione vim ac poteſtatem eius oratio-
nis ſatis clare præſignificauit, omnia permiſcentis. Vnde
colligas Saluatoris eloquentiam nullis fucatam Rheto-
rum coloribus fuiſſe in docendo vtilem; in delectando
ſuauem, in flectendo vehementem: qui propterea concur-
ſus ad ſe audiendum, non minores quàm Demoſthenes ac
Cicero faciebat; in media concione non approbationes
modò, & admirationes excitabat, ſed etiam acclamationi-
bus interpellabatur: ducebat quocumque opus erat, etiam
in ſolitudinem incultam, ab ore ſuo pendentem multitu-
dinem innumerabilem, quam auidiſsimam audiendi, cibi-
que neceſſarii oblitam oratione paſcebat. Iuſsit idem no-
ſtræ ſalutis Reſtitutor Euangelium à diſcipulis ſuis eadem
ratione concionando vulgari, quos eo Spiritu ſancto com-
plens, linguarum multitudine locupletatos, vi dicendi, &
tamquam fulminibus adornauit. Quanta Petri Principis
Act. 2. & 4. Apoſtolorum vis, qui primis concionibus Ieroſolymis tot
hominum millia, non tam loquendo, quàm fulgurando
perculit, accendit, proſtrauit? Quàm inſignis in Paulo vis
Act.14. & vbertas, qui Lyſtris ob eloquentiam alter eſt habitus
Mercurius, qui præſes ac Deus eloquentiæ ciuibus illius
vrbis colebatur? quem totius orbis terrarum oratorem
S.Chryſ. ſerm. in 12. Apoſt. diſertiſsimum appellat Ioannes Chryſoſtomus? cuius co-
S.Hier. Apol. adu. Ruff. & ep. ad Algaſ. q. 10. piam, & facultatem dicendi Hieronymus & Auguſtinus
optimi iudices eloquentiæ demirantur? Magiſtrum ac di-
ſcipulos imitati Paſtores Chriſtiani populi non modò in
S.Aug. l.4. de doctr. Chriſt. c. 6. & ſeqq. introducenda, ſed etiam in conſeruanda Religione adhi-
buerunt eloquentiam; non quod animorum mutationem,
& conuerſionem ad res diuinas, quæ prædicabantur, am-
plectendas, ab humana vi dicendi fieri putarent; ſed quod
eloquentiæ facultas ad eam rem, exemplo maiorum, &
prodeſſet, & iuuaret. Proinde tot habuimus eloquentiſſi-

mos

mos Epiſcopos, Gregorium Nazianzenum, Ioannē Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, Petrum Chryſologum, aliosque complures: quorum duo, Græcorum alter Chryſoſtomi, alter Latinorum Chryſologi ab aureo dicendi genere cognomen inuenerunt. Hinc Iulianus Imperator deſertor Chriſtianæ Religionis, & quoad potuit, veſanus ac furioſus euerſor, intelligens vtilem ac prope neceſſariam eſſe propagationi, conſeruationique noſtræ Religionis eloquētiam; cupidiſsimus delendi funditus ex hominum memoria Chriſtiani nominis, Rhetoribus Chriſtianis interdixit ne docerent: quo edicto clariſsimi atque optimi dicendi Magiſtri verę cultores Religionis, Prohæreſius Athenis, Victorinus, & Muſonius Romæ ſcholas artis oratoriæ clauſerunt: Ecebolius vt docere poſſet, transfugit ad caſtra Iuliani. Nec deſunt qui tradant ad cumulum ſceleris & impietatis, item edixiſſe, ne Chriſtiani adoleſcentes Rhetorum ſcholas adirent, eo conſilio, ne profanæ doctrinæ telis, atque eloquentiæ præſidiis inſtructi, poſtea falſitatem, quam ipſe ſectabatur, impugnarēt. Quadringenti prope ſunt anni, cum per quorumdam mutorū epiſcoporum & aliorum paſtorum Chriſtianæ plebis negligentiam, intermiſſa concionandi fructuoſiſsima conſuetudine; Dominicus ac Franciſcus duo fulmina belli cōtra Inferos; gemini ſplendores illorum temporum, ſodales atque alumnos ſuos Epiſcopis ac Paſtoribus animorum ſubſidio concionibus ſubmiſerunt: quos reliqui viri religioſi, qui poſtea prodierunt, imitatione laudabili ſunt ſecuti. Quin etiam Concilium Tridentinum paucis ante annis abſolutum, Epiſcoporum præcipuum eſſe munus concionandi declarauit; cuius ſtudium atque vſum ab Epiſcopis vicinis ætate noſtra ſumma cum Chriſtianorum vtilitate ac voluptate repeti ac reuocari videmus. Cum igitur ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora concionum popularium vſum manaſſe videatis, proprium Paſtorum munus, & vtiliſsimum Chriſtiano populo maxi-

Paul. oroſ. l. 7. cap. 30.
Amm. Marcell. l. 22. & 25.
S. Aug. l. 8. confeſſ. cap. 5.
S. Hier. in Chron.
S. Aug l. 8. cōf. cap. 5.
Eunap. in Prohær. Socr. l. 3. cap. 11.
Theodor. l. 3. Hiſt. cap. 8.
Conc. Trid. Seſſ. 5. cap. 2 & ſeſſ. 24. cap. 4.

meque neceſſarium: teneamus Chriſti ſummi Paſtoris exemplum: Apoſtolorum vſum: doctiſsimorum Epiſcoporum conſuetudinem; aduerſariorum iudicium; religioſorum virorum inſtituta, concilii Tridentini decreta; rationem denique conciones ſine eloquentia non poſſe haberi dictantem; & erit qui negare audeat viris eccleſiaſtici ordinis, qui plurimum ſunt futuri paſtores animorum, eloquentiam eſſe neceſſariam? Sed iam tandem ciuitate relicta, flectamus orationis curſum in caſtra militum ad alteram promiſsi partem exſoluēdam, quam nobiliſsima pars altera ciuitatis bellicæ gloriæ ſplendore capta cupide expectat, & iure flagitat. Nemo claſsis huius eloquentiam armato Duci neceſſariam eſſe negaturus eſt, quod ipſi teſtes eſſe queant & vſus, & neceſsitatis in bello. Si id verum non eſſet, cur præſtantiſsimi quique duces Græcorum, & Romanorum eloquētiæ ſtudium, exercitationemque domi tantopere coluiſſent; & poſtea foris in armis eiuſdem vſum tanto ſtudio in obſidionibus vrbium, in conſultationibus bellicis, in concionibus militum adhibuiſſent? Ternos tantum, ne longum faciam, ex vtraque natione profero viros fortiſsimos, & rebus geſtis clariſsimos, in quibus eloquendi facultas, cum arte militari certabat. In Græcia Philippus Macedonum Rex, cuius res fortiter ac præclare geſtas Alexander filius obiecta magnitudine ſui nominis inobſcurauit, non minus lingua valuit, quàm manu; pugnādique laudem, vt fide digni ſcriptores conteſtantur, æquauit eloquendo. Sed Alexander, cuius animi magnitudini terrarum orbis videbatur anguſtus, num ſub Ariſtotele ſummo non ſentiendi modo, ſed etiam dicendi magiſtro nihil profeciſſe putandus eſt? Abſit vt hoc opinere: nam profecit in eloquentia, & non uulgarem in modum profecit. Teſtes ſint vobis tam multæ conciones militares ab hiſtoricis proditæ monumentis, quibus uel languentes milites excitauit ad prælium; uel incitatos nimis, parere coegit; vel feſſos, defatigatos, & in patriam redire parantes in

24

Aelian. l. 4. de Var. hiſt. c. 19.

Q. Curtius & Arrianus paſſim.

caſtris,

caſtris, laboribuſque continuit. Teſtis ipſe, qui interrogatus aliquando, quo modo tam cito totius Orientis imperium cõparauiſſet, reſpondit Βουλῆ καὶ μύθοις καὶ τέχνῃ στρατηγικῆ *Plut.* quod eſt conſilio, & eloquentia, & arte militari. Quid Themiſtocles Athenienſis, memoriæ vi nobiliſſimus? Hunc Græci ceteris ducibus anteponũt in ſtruendis inſidiis, præripiendis hoſtium conſilijs, & idoneis pugnæ locis anteoccupandis. Citatur Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ naualis, vbi trecentis tantum nauibus anguſtias quaſdam fauceſque præcludens, claſſem Perſarum mille nauium deuicit, fugauit; Græciamque ſeruitute liberauit: ſed hic, Ciceronis teſtimonio, pari victoriis laude præſtitit eloquẽtiæ. Romanorum permultos recenſere poſſem, qui vim *Cic l. 1. offic. & l. de cl. orat. Plut. in Themiſt.*

25 vtramque tenuerũt, & in hoſtes exacuerunt; ſed tres item memoria repetẽdos propono vobis fama notiſſimos. Primum P. Scipionem Africanum Aemilianum; qui duos terrores Imperii Romani Numantiam in Hiſpania, Carthaginem in Africa deleuit; bellicamque gloriam eloquentiæ laude cumulatam reddidit illuſtriorem. Cui veſtrum inauditum eſt nomen Pompeii Magni ad omnia ſumma nati, qui tot triumphos egit, quot tum partes erant orbis terrarum? M. Tullius optimus eloquentiæ iudex orationem amplam in eo, ſummam in motu dignitatem, & magnum in voce ſplendorem cognoſcẽns, exiſtimat eum maximam dicendi gloriam habiturum fuiſſe, niſi maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. De C. Cæſare Dictatore quid attinet dicere? Græci ipſi Romanorum æmuli rebus bello geſtis eum Alexandro Magno coæquarunt: ſed eloquentia, præſertim militari, vel æquauit præſtantiſſimorum gloriam, vel exceſſit. Splendida in eo ratio dicendi minime veteratoria: verborum ornatus, & elegantia; vox, motus, forma generoſa; per aſſiduam exercitationem à prima adoleſcentia comparata. Facite vos è ſcriptis commentarijs de latinitate, facilitate, copia & elegantia coniecturam. Hanc ipſam militaris fortitudinis & eloquentiæ *Cic l. 1. offic. orat. pro Mur. Cic. l. de clar. orat. & orat pro Corn. Balbo. Plut. in Pomp. Auct. dial. de oratoribus. Cic. l. de cl or. Suet. in Caſ. cap. 55. Tac. l. 13. annal. Plut. in Cæſare. Quint. l. 10. cap 1.*

ſo-

ſocietatem ex neceſsitate ortam veteres Gallorum ſapiẽtes commento pulcherrimo ac prudentiſsimo adumbrarunt. Herculem bene armatum fingebant, trahentem poſt ſe captiuos innumerabiles homines aurea catena, quæ ab eius lingua perforata egrediens, in multas deinde propagata, pertinebat ad illorum aures vſque, qui trahebantur uinciendas. O præclarum inuentum, o fabulam ſapienter excogitatam! Lingua illa transfixa proculdubio refert eloquentiam, quæ catena perſuaſionis pertrahit auditorum multitudinem. Sed cur ab ore prodit Herculis armati? Nimirum, vt mea fert opinio, duo ſignificare voluerunt: primum quidem Herculem non fuiſſe futurum Herculem ſine vi dicendi; non ea facinora Poetarum omnium celebrata uerſibus editurum fuiſſe, roboris, manus, clauæ tantum beneficio: ſed etiam linguæ, uerborum, orationiſque præſidio: proinde armatus intelligat ſine facultate dicendi ſe nudum propemodum, inermemque futurum. Deinde uero, quemcumque armatum & ſcientia militari inſtructum, alterum Herculem glorioſum fore, ſi tela, ſi arma, ſi præſidia quæſiuerit eloquentię. Nam eloquens per ſe non eſt inermis: habet & arma ſua quibus populos domat, æque ut miles pugnat, præliatur. At miles pugnat ferro, hic uoce: ille gladiis, hic uerbis: ille manu, hic lingua: ille tormentis, hic argumentis: ille in acie, hic in concione decerrat. Nec minor uidetur in hoc eſſe uis eloquentis, quã militis, quod non corpora proſternit, ſed animos ſubigit; non euertit arces, ſed expugnat mentes; non dimicat armatus, ſed depugnat inermis: non denique certando uincit, ſed loquendo. Quod ſi cum fortitudine copuletur eloquentia, ſi lingua ſicam exacuat, tubæ uox opituletur, inflammet præliantes oratio, quid magis inuictum arbitrere? Verum quia non eſt hic locus de poteſtate linguæ diſſerendi, ſed de neceſsitate fortis eloquentiæ; quibus nam in rebus bellicis ſpeciatim hæc neceſsitas exiſtit, videamus. Primum in obſidionibus me innuiſſe memini. Nam arces,

Lucian. in Herc. Gallico.

castella,

caſtella,& vrbes natura ſituque munitæ;foſſis, munitionibusque manufactis circumſeptæ;præſidio militum, tormentis, machiniſque ad defenſionem confirmatæ; re frumentaria, commeatuque generis omnis refertæ,ſæpe ducum obſidentium,magnique exercitus artes, vim, & oppugnationem eludunt; & pulcherrimas occaſiones aliarum rerum gerendarum illis è manibus eripiunt. Ad deditionem traducendi ſunt obſeſſi. Qua via?quibus machinis?quo impulſu? Viri prudentes ac fortes eloquentiam idoneam machinam eſſe putauerunt. Peritiſſimorũ ſcientiæ militaris auctoritate fretus loquor,ne ridiculus videar, qui coram ſcientiſſimis bellicæ diſciplinæ dixerim arces munitiſſimas poſſe verbis, non armis expugnari. Pyrrhi Regis in prælijs fortiſſimi, qui Romanis in Italia bellum gerens terrori fuit, iudicium de Cynea, cum de legationibus agerem audiſtis. Cur illi plures expugnatas vrbes, quàm machinis ſuis tribuebat? Nonne quia per eius eloquentiam ciues ad deditionem cuſtodeſque coegerat? Quia nutantes ac vacillantes in fide Romanorum Cyneæ perſuaſione orationis ad partes Regis adduxerat? Quid Timotheus Cononis F. Athenienſium Dux in primis clarus,& nobilis? Hic opinione omnium in expugnandis vrbibus æquatus eſt Demetrio Macedoniæ Regi quẽ Expugnatorem ex eo nuncupauit antiquitas; quod eloquentia ille,ac perſuaſione dicendo perfeciſſet, quod obſidione & machinis oppugnando Demetrius. Non ergo fabula,non ſomnium,non deliratio eſt,arces expugnari dicendo. Pugnare,dicet aliquis, argenteis haſtis, quàm ferreis vtilius eſt, & quàm verbis: Philippi Regis item Macedoniæ dictum vulgatum veterum monumentis, vulgatur etiam ad vſum: *Nullam arcem quantumuis munitam non expugnari poſſe; modo ad eam onuſtum auro iumentum introduci poſſit.* Non nego:vera oratio eſt; à prudentia militari profecta. Verum vt acciperent aurum obſeſſi, quàm ſæpe fuit neceſſaria ſumma vis dicendi? Quid vero facies cum au-

orat.4.nu. 21.

Cic.orat.3.in Verr.l 1.ad Att.ep.12.
Val Max.l.7. cap. 2.
orat.4 nu. 21.

rum defecerit? Non tum veteris verbis & oratione? Num ignoras effuſione ſacculos, arcas, theſauros pecuniarum exinaniri? æraria quoque Principum vacua fieri? Quid cum pecuniæ non fuerint ad manum? cum ab hoſtibus fuerint interceptæ? meam rationem inibis: admouebis machinas eloquentiæ, cuius fons nullo ſiccatur æſtu, numquam exareſcit eloquendo: cuius officina, verborum nomiſmata linguæ tamquam typi monetalis percuſſu formata procudit, & effundit continenter. Quamobrem ijdē Gallorum ſapientes, quos modo commemoraui, catenam auream, non ferream trahentem homines ex Herculis lingua pendere finxerunt, opinor vt intelligeremus optimi Ducis orationem poteſtate cum auro, nummiſque aureis adæquari. Mille deinde res in conſultationibus caſtrenſibus, cum agitur de ratione belli gerendi, ſingulis horis emergunt, in quibus opus eſt eloquentia, ne ſumma rerum atque imperij in diſcrimen adducatur, neue præclara rei bene gerendæ opportunitas, quæ ſe dat eo tempore, prætervolet. Præſertim cum tota rei bellicæ adminiſtratio non pendet ab vnius Imperatoris nutu, ſed complurium vel conſiliariorum, vel ducum fœderatorum exquirenda eſt & ſequenda ſententia; qui ſe magiſtros peritiſſimos rerum militarium, exercitatiſſimosque in prælus belliſque profitentur: cum de grauiſſimis periculoſiſſimiſque rebus diſputatur: ſit ne hoſtis adiuſtum prælium explicatis collatisque ſignis prouocandus; an oblata pugna, quæ ſecum belli finem ferat, maxima vel victoria, vel clade, recuſanda: cum caſtra caſtris vicina ſunt: & ardent vtrimque militum animi deſiderio certandi ſic; vt intra vallum vix queāt contineri. Scientiam rei militaris magnam in hoc rerum ſtatu requiri, fateor: prudentia imperatoria mirabili opus eſſe, non nego: neceſſariam experientiam ſingularem eſſe vobiſcum affirmo, Brixienſes: verum hæc omnia præſtantiſſima virorum armatorum ornamenta, ſine perſuadendi facultate parum valere clamo. Rationes veras, ſolidas, viriles

Orat. 2. nu. 15. 16. 17.

27

riles

tiles in deliberationibus ſtatuere ac decernere, quid ſpe-
ctetur fore ſalutarius, concedo non grauate; ſed addo, ſine
ui copiaque dicendi, languidas eſſe, frigidas, eneruatas: non
apparet, mihi credite, vis argumentorum, deliteſcit, emo-
ritur; niſi proferantur vehementi ſpiritu quodam oratio-
nis, à quo robur, vitam, animumque recipere videantur. Si
enim repudianda eſt pugna, vel ob iniquitatem loci, vel
propter copioſiorem hoſtium equitatum; & eam plerique
audaces temere in conſilio flagitant, qua dicendi vi, Deus
immortalis, eſt reſiſtendum? cum ex ea, ſi tam iniquo lo-
co ac tempore ineatur, honoris iactura, copiarum ſtrages,
& amiſsio totius imperii timeatur. Replicate vos memo-
riam præteritorum bellorum, ac temporum, quæ in his
regionibus geſta ſunt, & comperietis prælia, quæ cladem
attulerunt exercitibus eſſe commiſſa, quod nemo eſſet qui
obſiſteret eloquentia male decernenti. Neque vero tan-
tum euitantur clades eloquentiæ virtute, ſed etiam victo-
28 riæ reportantur tum, cum aliquis conſiliarius præliandum
eſſe, ceteris ex inani turpique metu refragantibus, perſua-
det, vbi nulla ratione periculi cauſſa ſubeſt prælij refu-
giendi: multiſque victorijs illuſtribus, & triumphis caruiſ-
ſemus, niſi fortis quorumdam in eiuſmodi conſultationi-
bus & conſtans eloquentia peruiciſſet. Atque vt vnam vi-
ctoriam de multis commemorem (cuius recordatio cum
omnibus Chriſtianis iucundiſsima eſt, quos ingenti metu
liberauit, tum vero vobis, ciues Brixienſes, qui tot numero
tamque fortiter ad eam comparandam decertaſtis manu
ferroque iuuiſtis) caruiſſemus illa propter magnitudinem
memorabili, quam ſeptimo ab hinc anno de immaniſsimo
Turcarum Tyranno in oſtio Corinthij ſinus nauali pugna
retulimus: cum audacia atque animis inflata, furore in-
flammata, contento curſu, ducibus crudeliſsimis Chriſtia-
næ religionis deſertoribus ad Italiam depopulandam, &
Chriſtianorum genus delendum illa claſsis, & multitudi-
ne triremium, & ferocia barbarorum, & uſu uincendi for-

Digitized by Google

midoloſiſsima rapiebatur. Nam cum eius impetus ad Echinadas conſtitiſſet, putaſſetque ſuis è faucibus atque ore auidiſsimo noſtram claſſem nauigiorum numero minorem eripi non poſſe; nobis aura diuini numinis afflante, tempeſtate maris obſequente, uentis obſecūdantibus, eam Ducum noſtrorum incredibilis uirtus, militum Chriſtianorum robur, & uis tormentorum retardauit, fregit, deuicit: & intra paucas horas CLXXV triremibus in poteſtatem redactis, reliquas incendit, fugauit atque depreſsit. Cum enim Meſſanæ deliberaretur à Ducibus noſtris, claſſiumque fœderatarum præfectis, quid agendum eſſet; ſi nauigantibus in Græciam claſsis hoſtilis occurreret; etſi multis è re Chriſtiana uidebatur fore, ut certamine abſtineretur; uicit tamen eorum ducum ſententia, qui decertandum eſſe prælio contendebant, ne magnæ fieret amiſſio uictoriæ, quæ tanta fuit, ut ab Italiæ ceruicibus iugum depulerit ſeruitutis. Cuius glorioſiſsimæ uictoriæ uir præclariſsimus Franciſcus Duodus Præfectus urbis, qui me audit humaniſsime, pars magna fuit: cui tum Præfecto quadriremium ſummi ipſi fœderatorum Principum Duces eam acceptam retulerunt, quod hic initium confligendi fecit, & uincendi. De cuius & urbana prudentia, & fortitudine nauali, quia ipſo præſente timidius dicerem, reticebo; quod & ipſe pudore afficeretur ex ſua laude; & me ſimilis ratio pudoris à præſentis laudatione retardat: & ad poſtremū caput neceſsitatis eloquentiæ militaris transferam diſputationem. In qua ueſtra cum bona uenia, mea confidentius exultabit oratio, quod audacius quoque ca- 29
ſtrorum gubernatrix eloquentia tum ante prælium, tum in ipſo prælio, inflatis ore pleno tibijs exercitum in omnem partem flectit, & uel abducens à temeritate, cupiditateq; pugnæ milites nimis audaces, uel ſegnes ac timidos incitans ad certamen, moderatur. Cur enim ſolemne Romanorum Ducibus fuit, antequam prælium iniretur, ut conuocatis ad principia militibus armatis, per turmas, & mani-

Nic. Contaren. hiſt. hu.us belli.

manipulos diſpoſitis, prælatis uexillis, & iuxta illa ſtantibus centurionibus, in tribunali è ceſpite extructo concionem haberent, eoſque ad pugnandum alacriter, fortiterque adhortarentur? Cur eam conſuetudinem non nihil intermiſſam Trajanus Imperator, & ob id à Plinio laudatus, in militarem diſciplinam reuocauit? Cur Franciſcus primus Galliæ Rex bellis exercitatiſſimus numquam commiſit prælium, quin ante perorauerit? Maxime ſcilicet didicerant ſæpe mucronibus acumen, aciem gladijs, neruos corporibus, animis vitam ab hac præliorum moderatrice oratione vel dari, vel reſtitui: quod ipſi milites à concione ſignificabant, cum haſtis ſcuta ferientes, clamore dextraque elata, dimicandi cupiditatem, ardoremque declarabant. Et quiſquam miretur, quod ipſe paullo ante in curſu dicendi, telorum cotem appellarim eloquentiam? quod orationes omnes militares neſcio quis ex omnibus Græcorum, Latinorumque monumentis diligentiſſime collectas in vnum volumen, militaris diſciplinæ ſtudioſis inſpiciendas obiecerit? Ac ne videar niſi ex coniectura probare, quæ dico, rogo vos vt benignis auribus excipiatis rem geſtam, in qua neceſſitas eloquentiæ manifeſte apparuit, & eius vis pariter enituit mirabiliter in caſtris C. Cæſaris tũ Proconſulis, qui milites exanimatos metu, iamque de fuga cogitantes, retinuit, recreauit, victores fecit in Gallia. Nam cum nunciatum eſſet exercitui Germanos, qui Duce Arioviſto militabant ingenti corporum magnitudine, virtute incredibili, atque exercitatione in armis, truci vultu, atque ipſa oculorum acie horribiles eſſe; cunctum exercitum magnus ſubito timor occupauit. Alij petebant vt voluntate Cæſaris diſcedere liceret; alij in tabernaculis abditi ſuam calamitatem querebantur; aut cum familiaribus commune periculum miſerabantur: totis caſtris teſtamẽta obſignabantur: nonnulli renunciabant Cæſari, cum caſtra moueri, aut ſigna ferri iuſſiſſet, audientes dicto milites non fore. Sed ecce ubi in hac magna deſperatione ac trepidatione

Luc. l. 5. de bello ciu.

Plin in Panegyr. Traiani.

C. Cæſ. l. 1. de bello Gallico. Iul. front. l. 1. ſtrat cap. 11. l. 4. cap. 5.

pidatione omnium;concio conuocatur:.habetur à Cæſare oratio,tempori,rebus,& affectibus accommodata:tanta fit animorum commutatio,vt omnes metu depulſo, collectis animi,corporiſque viribus Cæſarem faciant eo bello, primaque pugna victorem. O admirabilem vim orationis;o victricem præliorum eloquentiam! quis non eam armatis per neceſſariam fateatur?Sed nimis antiqua ſunt hæc; rem multis inauditam fortaſſe dicam, Auditores, ſed recẽtem; 30
ſed admirabiliorem , quæ non ante mille annos , ſed auorum noſtrorum memoria,non in longinqua terrarum ora, ſed in Italia,cis Alpes,in agro Mediolanenſi contigit, ante illam acerrimam pugnam Heluetiorum,quæ ad oppidum Melignanum cum Franciſco Gallorum Rege commiſſa fuit , & ſumma contentione pugnata . Cognoſcetis inde profecto neceſſitatem eloquentiæ inter armatas ferociſſimorum militum copias, quam veſtris adoleſcentibus perſuadere contendo. Sexaginta circiter ſunt anni , cum Heluetiorum copiæ permultæ ſtipendijs in aliquot menſes adnumeratis Mediolanum conductæ,quæ forent vrbi pręſidio contra Franciſci Regis impetum eam vrbem capere parantis,ad mœnia caſtra locauerant: quo aduentante repentino timore occupati defenſionem vrbis deſerere cœperunt : tum etiam magnis pollicitationibus Regis permoti, violata militari fide , ad eum perſugere cogitabant. Hæc cum Cardinalis Sedunenſis animaduertiſſet vir bellicoſus,non minus quàm ingenioſus,qui ad eos educendos de patriis ſedibus auctor fuerat , & Dux , conuocata concione,primum metum vehementer incuſando, deinde ſacramenti militaris religionem inijciendo ; tum virtutis ac fortitudinis recordatione ſic animos eorum affecit , flexit, permouit , vt ſumma alacritas & cupiditas ineundi prælij in ſingulorum pectoribus naſceretur . Itaque continuo mouere acies ; hoſtem audacter inuadere , viribus imparibus illo ipſo die iam ad occaſum inclinato præliari non dubitarunt, & ad mortem quaſi ruere voluntariam . Et

Paulus Iouius in Hiſt. & alij.

quam-

quamquam Rex equitatu ſeptus erat, & tormentis bellicis
abunde munitus, quibus illi rebus carebant, & pedeſtribus
copijs ſuperior, tamen biduum pæne decertarunt, nec niſi
ſanguinolenta victoria ſuperari potuerunt, & victi tamquã
victores centuriatim erectis paſſisque vexillis abierunt.
Quis hoc loco negare audeat non tantum buccinarum
cantum, ſonitum cornuum, ſtrepitumque tympanorum ad
animandos milites, quantum Cardinalis Imperatoris elo-
quentis vocem valuiſſe? Dicere parraueram de Cn. Pom- *Iul. front. l. 4.*
peio, qui milites ſuos facta ſeditione; pecuniæ, quam in *ſtrat. cap. 5.*
triumphum collegerat, inſidiantes, graui oratione pro cõ-
cione caſtigatos ad officium reduxit: de Fabio Max. Cun-
ctatore, qui clamores militum inopportuno tempore pu-
gnam ac temere flagitantium imperatoria voce compe-
ſcuit: de Alexandro Magno, qui Macedones laboribus
fractos, vulneribus debilitatos, ætate grauatos, & reditum *Q. Curt. l. 6.*
in patriam ob eas cauſſas tumultuoſe potius extorquen-
tes, quàm petentes, concione habita, ſub armis in alias ex-
peditiones ſe alacriter ſequi coegit: ſed hæc omnia longi-
31 tudinem fugiens prætermitto; monens illud vnum, tum
ſummam eloquentiæ neceſsitatem videri, cum in media
dimicatione, maioreque diſcrimine ſalutis, vel propter la-
boris diuturnitatem, vel propter confluentium hoſtium
recentem impreſsionem ardor militum deferueſcit. Hic,
quid eos rurſus accendit, ſi non inflammat magnanimi
ducis oratio? Quid cum trepidantes loco cedunt: refu-
giunt hoſtium aſpectum, ſeſe ad caſtra nullo certo ordine
recipiunt abiectis armis, & exercitui cuncto perturbatio-
nem inferunt? Sola vox Imperatoris à fuga turpi reuocat:
inclinatam aciem reſtituit; in acie retinet formidantes;
hæc dicendi vis in confertiſsimas hoſtium cateruas eos
immittit, interfectorum cadaueribus, & riuis Sanguinis cir
cumuallatas, ad maculam illam dedecoris è fuga ſuſceptã,
hoſtium cruore delendam; Eloquentia denique Impera-
toris in eius generis militibus ſola cupiditatem vindictæ

ſolet

ſolet ingenerare tam ingentem, vt nec tela, nec enſes, nec faces, nec ferreas pilas è tormentis exploſas igne, fulminibus pares, extimeſcant. En igitur, Brixienſes, eloquentiæ neceſsitas in bello: quà ſi careant ductores militum, pugnatur ſæpè calamitoſiſsimè; vires & opes hoſtium vehementer augentur. pulcherrimæ victoriæ de manibus elabuntur: ſi eadem non minus quàm telis inſtructi proficiſcantur ad bellum feliciter dimicant, vincunt, triumphāt. Similiter qui prudentiæ laudem in ciuitate venantur, ſi hanc eloquentiam comitem habuerint virtute duce, lauream adminiſtratæ bene Reip. adipiſcentur. At hic aliquis veſtrum, Brixienſes, oratione mea iam terram tenente, contuitus adoleſcentiam meam fortaſſe mirabitur nō mediocriter, quod ignotus ac peregrinus tam grandia, tamque magnifica iuueniliter de eloquentiæ neceſsitate iactauerim, & coram prudentiſsimis fortiſsimiſque viris, de bellicis rebus ipſe non miles, ſed clericus religioſus diſſeruerim, vt quondam Epheſi Phormio Peripateticus coram Annibale Carthaginenſium Duce callidiſsimo ab eo iure reprehenſus: iuuentutem Brixienſem artis Rhetoricæ præceptionibus erudiendam me vobis ipſe receperim; nec modo liberis veſtris, ſed etiam vobis conſilia & præcepta dederim confidenter: & cum admiratione ſecum tacitus hæc omnia reputans accuſat confidentiam meam; vel certe moderatorum meorum requirit in me ſcholæ Rhetoricæ præficiendo prudentiam. Quis eſt hic, inquit, qui tantum ſibi aſſumit, tam tenuibus opibus ſuſtentatus? Num vt alter Ariſtoteles, qui ſiue Xenocratis, ſiue Iſocratis æmulatione prouocatus adoleſcentes in quæſtione propoſita, non ad Philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rhetorum in vtramque partem, vt ornatius & copioſius dici poſſet, exercebat, hic iuuenis noſtros liberos ad eloquentiam ſuis documentis informabit? Num vt alter Cicero, qui muto foro, clauſa curia, iudicijs intermiſſis ob euerſam Reip. libertatem, quaſi ludum aperuit in Tu-

Cic. l. 2. de orat. *Plut. in comparat. Annib. & Scip.*

Cic. l. 1. Tuſc. qq. & l. de orat. Diog. laer. l. 5. initio. Quinctil. l. 3. cap. 1.

32

Cic. l. 9. ep. 16. 18. ad famil.

Digitized by Google

Tuſculano, vbi Panſam, Hircium, Dolabellam viros non rudes, ſed exercitatos; quos diſcipulos & grandes prætextatos vocabat, quà præcipiendo, quà declamando, quà audiendo quotidie fere poliebat, & limatius inſtituebat ad dicendum: hic iuuenis ſperat ſe quoque Brixienſes ætate maturos, & vſu diſertos auditores habiturum? Num denique vt alter Liuius, qui vbertate lactea dicendi manans, à finibus vſque terrarum vltimarum Gaditanos ciues commotos eloquentiæ fama Romam pertraxit ad ſe viſendum & audiendum: ita hic ciues Brixienſes ex omnibus angulis vrbis excitos hodiernæ declamationis rumuſculo perducet in ſuam ſcholam ad ſe audiendum orationis præcepta tradentem? Perſenſi, Brixienſes optimi, ſuſurrum tacitarum cogitationum iſtius, ab admiratione magis, quàm ab iniquo animo prolapſum: reprehenſionem tametſi modeſtam, quod ad me non pertineat, minime pertimeſco. Non illa pupugit oratorem, à quo natiuus pudor neſcio quis ingenuo ſimilis; & modeſtiæ, ſi non illius à virtute perfectæ; ſaltem alius à natura profectæ ſpecies aliqua, cũ eruditionis nonnullius ſignificatione coniuncta, in decurſu totius orationis oſtenſa, repulit omnem vel minimam arrogantiæ ſuſpicionem. Non enim is ſum, Auditores, vel inſtitutione domeſtica puerili, vel profeſſione religioſæ vitæ, qui mihi conſcius ingenii mei, quod ſentio quàm ſit exiguum; conſcius dicendi facultatis, quam in me video non eſſe notabilem; conſcius doctrinæ, quam per ætatem fateor eſſe mediocrem; conſcius denique ætatis, quam plane ingloriam eſſe perſpicio, tantum mihi arrogem, vt prçter adoleſcentulos, quempiam vel opinione ſapientiæ & eloquentiæ ad me audiendum excitare, vel iam perductũ me poſſe exiſtimem erudire, quo magiſtro potius ipſe poſſem erudiri. Qui me rumor in hanc veſtram nobiliſſimam vrbem venientem præcucurrit? Quæ litteræ commendatitiæ Principum, mihi ſunt gratiam primariorum ciuium aucupatæ? Quod ingenii ſpecimen vmquam in

M Sen. l. 1. contr. in Præfat.
Quinct. l. 12. cap. 11.
Suet. l. de cl. Rhetor.

Pl. l. 2. ep. 3 ad Nepotem.
S. Hier. ep. 103. ad Paulin.

hac ciuitate dedi, quod ad me audiendum concurſus facere poſſet? Nam rem bellicam attigi coactus ab argumento quod tractabam, eloquentiam armato militiæ per neceſſariam videri. Inſanus atque amens eſſem, non modo arrogans, ſi mihi tantum tribuerem, quantum illius tacitæ cogitationes affingebant. Fuit hoc, fuit diſertiſſimorum ſodalium meorum, qui decem his annis in hoc Gymnaſio atque munere cum tam illuſtri laude doctrinæ mihi præiuerunt. Quibus vt omnia illa maiora, quæ in me deſiderantur concedo, felicitatem ingenij, doctrinam exquiſitam, elegantem dicendi copiam; ita promouendorum diſcipulorum in diſcendo curam, regendæ ſcholæ diligentiam, aſſiduitatemque docendi non concedo. Mihi vnum hoc arrogo; mihi hoc præripio, ſine nota ſuperbiæ, vt reor, acerrimum quoddam ſtudium reſpondendi Moderatoriſi meorum, qui me huic muneri præpoſitum eſſe voluerunt, ſpei; Rhetorum ſodalium item meorum, qui laudati mihi ceſſere locum, gloriæ; religioſæ meæ ſocietatis, à qua in hac quaſi iuuentute magna paſſim exſpectari ſolent, opinioni: veſtrum omnium humaniſſimorum hominum, quibus ego meam induſtriam probare cupio, quique nonnihil à me taciti flagitatis, exſpectationi; denique huius diei celebritati, qui mihi lętiſſimus illuxit; meque vehementer ad benemerendum de veſtris liberis incitauit. Potero aliquid, Auditores, hac ætatis viriditate, his viribus integris, hoc ardore animi, quo me inflammatum ſentio; tametſi cetera tenuiora videantur. Græcorum memoriæ proditum eſt, vixiſſe Domitiano imperante iuuenem quēdam ignarum bonarum artium, & lingua rudem æque ac rei familiaris copiis locupletem, qui picas, philomelas, pſittacos, aliasque aues lingua molliore præditas, impenſa magna, labore aſſiduo, ſtudioſiſſime erudiebat; eaſque vocem humanam imitari docebat, hominum more fari, verba ſententiaſque integras proferre, tum quoad poterat ipſe, & quoad poterant illæ capere, vt ſapientiæ participes 33

Philoſtr. l. 6. de vita Apollon. cap. 15.

cipes

eſpes fierent ſtultiſſima contentione laborabat. Aſtrologi natum hunc oriente Cycno dicerent, quod propenſionem docendarum auium illud aſtrum dare definiant Scio iure caſtigatum ab Apollonio Tyaneo, qui tum ſapientiſſimus à multis habebatur, quod operam perderet, & monitum ex eo labore nullam accedere humano generi vtilitatem: atque eius perſuaſione tandem ad rationem vitæ longe meliorem eſſe conuerſum. At fauet huius adoleſcentis factum conſilijs meis: cui Brixiæ non deerunt natu minores adoleſcentes, quos tamquam canoras auiculas, ex arte fari neſcios, & linguæ teneritate ac mollitudine, hoc eſt naturæ facilitate, atque ingenij felicitate perinſignes, quales Brixienſe cælum procreare conſueuit, ipſe nec doctiſſimus, nec diſertiſsimus poſſim inſtituere. Fungar & ipſe cum Iſocrate fugam ſuam à cauſsis agendis excuſante, & cum Horatio Poetas informante,

Manil. l. 5. Aſtron.

Vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi,

Plut. l. de x. orat. in Iſocr. Hor. in Poet.

quando ipſe ſcopuloſis è Ligurum cotibus prodiens, linguas veſtrorum liberum ferreas non duritia, ſed nobilitate ferrei ſoli, perpoliam & exacuam. Faciam item quod ſpectatores in Hippodromo ſolent, qui generoſos eques certatim laxatis habenis, cruribusque quam explicatiſsimis currentes, non ſtimulis, non virgulis, ne qua corporibus fiat iniuria, ne qua lex violetur; ſed nutibus, plauſu, voce, clamoribus ad curſum vel perpetuandum, vel augendum cohortantur: ita liberos ego veſtros in hoc curriculo diſcendi poſitos, currentes, quia cupidiſsimi palmæ præripiendæ; celeres, quia ingenioſiſsimi; generoſos, quia nobiliſsimo genere prognati ſunt; intactis à verbere corporibus, ne magnanimitas minuatur, neue retardetur alacritas, cohortationibus acribus, & aſsiduis, propoſitisque honoris præmiis, atque interdum diſtributis ad æmulationem Ciceronis prouocabo, quem fontem vbertatis & copiæ, leporem ipſum loquendi, Romanam luſciniam, & ipſiuſ-

S. Greg. Naz. in Laud. Baſilij, & Carm. ad Nicob filiū. Caſsiod l. 1. Var ep. 13. S. Hier. ep. 8. ad Demetriad.

met eloquentiæ uocem nominandum puto. Denique vobis teſtibus, quo plus ponderis ex auctoritate atque approbatione veſtra, cohortatio mea videatur habitura, liberos iſtos veſtros ex hoc loco peramanter excitare incipiam. Faciam vt Imperatores acie inſtructa facere ſolitos

Cic. Philip. 4. dixeram: quamquam paratiſsimos milites ad prælíandum

S. Hier. ep. 8. ad Demetriad. videant, vt eos tamen adhortentur: ſic ego vos, Adoleſcentes optimi, ardentes deſiderio, ſpe erectos, quod hic concurſus veſter indicat, tam validis rationibus, quas audiſtis, non modo commotos, ſed etiam concuſſos ad eloquentiã comparandam adhortabor. Gaudeo vos, vt liberos ingenuos decet, imitatores eſſe parentum in iuris ſtudio, cuius 4 laude ſunt multis nationibus feliciores: lætor uos ſequi patres, maioresque ueſtros cupiditate bellici ſplendoris, qui ex induſtria militari ſibi gloriam, inſignia familiæ, patriæ decus, vobis liberis ac poſteris nobilitatem pepererunt: neque modo capio lætitiam ex iſtis veſtris ſtudiis, uerum etiã ea pleniſsimo ore commendo: ſed uos curate pro uiribus, etiam in eloquentiæ cultu, quam noluerunt ab illis ſtudiis, eſſe diſiunctam, ut eos imitemini. Facite, per ueſtram nobilitatem, uos obteſtor Adoleſcentes, ne ijs ornamentis eloquentiæ, ſine quibus illæ artes cum laude cumulata non poſſunt exerceri, careatis: & conatus ueſtros in earum uſu ſine facultate dicendi ad nihilum recediſſe doleatis. Cauete ne id uobis committendum putetis, ut cum ceteris diſciplinis effloreſcatis, unius eloquentiæ ſolidum fructum aſpernemini. Non uitupero pugnas umbratiles intra domeſticos parietes, uerarum imitationes: non reprehendo corporis exercitationes in palæſtra, ſimulacra præliorum, ut aliquando cum dignitate poſsitis ex umbra in ſolem, è tectis in puluerem, è gymnaſiis in agmen, præliumque deſcendere: ſed iudicate uos pro ueſtri ingenii ſolertia, num æquum ſit, & rationi conſentaneum iaculando, luctando, equitando, gladiis obtuſis dimicando corpus exercere, militares labores omnes in pace atque otio deguſtare, quo ſi-

tis

tis; paratiores cum erunt arma uere capeſſenda? dicendi uero facultatem, cuius lumine remoto illa omnia obſcurantur; cuius ui langueſcente debilitantur, intactam reliquiſſe? Manus, lacertos, pectus, neruos omnes, artusq; corporis exercitatio corroborabit; lingua ſola de induſtria ſine cultu deſeretur? Id quo corpora ſternuntur magnifacietis, quo uincuntur animi, continentur in officio milites, pugnæ redintegrantur, uictoriæ comparantur, contemnetis? Quid cunctamini Adoleſcentes? Quæ nam uos inimica progreſſibus veſtris difficultas obiecta retardat? De ingenio quiſpiam dubitat, aut de natura queritur? Neſcit is eam vobis eſſe non poſſe nouercam, quæ mater eſt amantiſſima; quæque huic veſtro natali ſolo, cæloque Brixiano dedit vim procreatricem ingeniorum admirabilem. Num ætatem accommodatiorem quæritis? At ſi id facitis, non leuem iniuriam infligitis ætati veſtræ floreſcenti: eratis paullo ante pueri; ſenectus inſtat à tergo; nunc ætas adoleſcit. Itaque nolite iſtam veſtram vireſcentem ætatem indolis optimæ ſtirpe firmatam, interitus turbine ſine fructibus eloquentiæ, & ſine dicendi gloria concidere: nolite permittere iſtam annorum viriditatem ſine inſigni laurea ſtudiis eloquentiæ parta, ſenectutis vitio ſenſim exareſcere. Num forte opportunitatem temporis exſpectatis? At hoc nullum poteſt eſſe magis opportunum, quod vos iam reuocatos in vrbem è villis, & agris, tum eorum amœnitate, deliciisque recreatos ad ſtudia reguſtanda perhumaniter inuitat. Non ſunt bona procraſtinanda: quoniam raro ſecunda eueniunt, quæ ſine conſilio differuntur. An denique vos Magiſtri deficiunt? Verum in hac ciuitate non deſunt, vt numquam defuerunt Rhetores diſertiſſimi: nō deſunt noſtri, ſi minus eruditi, certe, vt iam de me dixi, non negligentes Præceptores, qui vos eodem habituri ſunt loco, quo eos, qui nobiſcum viuunt; & veſtris commodis ita ſeruient, vt numquam vos in noſtram diſciplinam veniſſe pæniteat. Nam cum veſtræ vtilitatis cauſſa ſcholas haſce

 hu-

Digitized by Google

humanitatis ; & eloquentiæ patefecerimus, turpe putamus, vt uel nullá uos è noſtris laboribus ornamenta referatis; vel nos conceptam de noſtra mediocritate ſpem veſtram, exſpectationemque fallamus. Quamobrem concurrite, frequentate, conterite has humaniorum litterarum, & eloquentiæ ſedes, Ingenioſiſſimi Adoleſcentuli, iſta præſtantis indolis bonitate, iſto ætatis flore; hac opportunitate temporis; his magiſtris de vobis benemerendi cupidiſſimis, qui præter cetera, perfectam Oratoris formã vobis explicabunt. Vrgete, vrgete conatus noſtros veſtris deſideriis: hanc uobis gratificandi uoluntatem ſua ſponte currentem ſedulitate, ſtudio, diligentia, ſtimulate: denique tentate utrum propenſiores ſimus ad collocandam operam noſtram in uobis inſtituendis; quàm uos ad noſtram induſtriam pro modeſtia ueſtra requirendam parati. Nam ſi tenuitatem noſtram, ingenii veſtri præſtantia compenſabit; ſi laborem alacritas ſubleuabit; ſi diligentia exacuet induſtriam; vigilias aſſiduitas quotidiana ſuperabit: ſi iacta ſparſaque bonarum artium & litterarum ſemina ſtudio fouebitis; & noſtram operam tamquam diligentium agricolarum cultum in ueſtris ingenijs elaborantem adiuuabitis, ex illis quaſi fertiliſſimis ex agris fruges vbertimas, & eloquentiæ, & honoris, & lætitiæ demetetis.

DE

DE STYLO OPTIMO DICENDI MAGISTRO.

Oratio Prior. Oratio V I.

1 SVauitas hæc tanta verni temporis, ex inopinato propemodum exorta; diuturnioremque ſolito, & aſperiorem niuibus atque aquilonibus hiemem ſubſecuta, Brixienſes, quo tempore Natura rerum, tot lætitiis hilarata, geſtire partibus omnibus, ac ridere uidetur uniuerſa; tum ſenſus hominum mira omnium oblectamentorum uarietate, ac uoluptate perfundit: me quoque, ſemiſomnem ne, an obtorpentē frigore? neſcio quo gaudio titillans, ſenſuumque delectatione permulcens, excitat ad dicendum aliquid amœnius ac lætius quod uos cariſſimos diſcipulos meos, non minus quàm uer ipſum cum utilitate delectet. Quem enim mærore oppreſſum licet, hæc amœniſſimæ telluris depicta uiriditas; hæc ſumma ſegetum uberrimarum ſpes in agris; ſalubris hæc Fauonii genitalis aura; tanta luxuries arborum, quæ tepefactæ frondeſcunt ac florent; hi longiores clariore ſole dies: hæc denique auium alacritas, qua perfuſæ non canoræ modo, ſed etiam raucæ guttur, & uocem laxant in cantum, poſt tam horridam, ac perfrigidam tempeſtatem non lætificet? Cuius quantumuis ſtupidi ſenſus, hæc auium dulcedo, cæli ſerenitas, tepor aeris, florum odor, colorum uarietas, & repentina totius Naturæ gaudentis hilaritas non oblectet? Quæ ueris ſuauiſsima iucunditas animos ueſtros, Adoleſcentes, quos hiberna ſtudiorum contentione feſſos, multorum iam à ſtudio ceſſatione dierum, quibus morientis, ac reuiuiſcentis Chriſti Liberatoris noſtri commemorationem anniuerſariam religioſo cultu, memoriaque celebrauimus; feriatos ac recreatos video; gaudio dilatans, uos

rcor

reor addiſcendi res nouas cupidiores; uos deguſtandi, ac deuorandi, quæ diſſeram, auidiores, ad me diſſerentem audiendum perducet auribus præparatis. Equidem indicabo uobis, & porrigam penicillum, quo ueſtras orationes floſculorum omnium uarietate, figurarumque pingatis; & cum hoc ipſo florentiſsimo uere, in pratorum uiriditate diſtinguenda coloribus, ornandaque certetis. Dicam enim
de optimo dicendi Magiſtro, multis ueſtrum adhuc inco- 1
gnito fortaſſe, ſed ueteribus omnibus bonis Rhetoribus, & Oratoribus tum cognito, tum uſitato calamo; quem M. Tullius, priſcorum morem intuens, qui ceratis in tabellis, quas pugillares dicebant, ſcribere conſueuerunt, ſtylum uocat: hoc eſt de frequentis, & accuratæ ſcriptionis utilitate diſſeram ad eloquentiam comparandam ſub ſtyli nomine; quem merito idem oratorum Princeps tum opificem, artificem, effectorem; tum nobilioribus uocabulis, magiſtrum, ac perfectorem dicendi uocat: & ſi Plinio fides habenda eſt, orationis emendatorem aſperrimum. Cuius mucrone perſcrutante, ac perfodiente uenas ingenii, deliteſcens copiæ fons aperitur, & ore aperto in largum amnem, flumenque prouocatur eloquentiæ. Nec uero ſine
ſumma mentis ſagacitate Zeno Stoicorum Philoſopho- 2
rum ductor palmæ dilatatæ manus ſimilem eſſe dicebat eloquentiam: quippe qui, ut arbitror, inter manum & linguam, (quæ quia primarium eſt orationis inſtrumentum, pro eloquentia ſæpe à bonis auctoribus uſurpatur) magnam neſcio quam coniunctionem deprehenderat à Natura magiſtra humani corporis inſtitutam, qua manus ut famula, & uicaria linguæ, ſermonis & eloquentię gratia liberaliter eidem linguæ deſeruiret. Primum enim, ut uir eruditiſsimus, ac ſanctiſſimus Gregorius Nyſſę Antiſtes obſeruauit, in pulcherrima noſtri corporis fabrica, manus in linguę ſubſidium atque auxilium data eſt homini, quę reliquis animantibus eſt à Naturę Parente denegata. Nam cum illę ad paſtum abiectę, lingua plurimũ capiant ſecent,

frangant,

S. Hier. ep. 140. ad Principiam.

Cic. l. 1. de orat. l. de cl. orat. l. de orat.

Pl. l. 7. epiſt. 17 ad Non. Celerem.

Cic l. 2. de fin. l. de orat. Quinct. l. 2. cap. 20.

S. Greg. N. l. de opif. cap.

frangant, fruges, gramen, alioſque cibos ſuos crudos, duros, & aſperos; lingua item illis tributa eſt dura frangendis cibis apta, fingendis humanis vocibus minus idonea: ſed homini diuinus Artifex manum robuſtam ac firmam dedit, quæ cibos duriores confringeret, molliret, coqueret; vt linguæ teneritas, ac mollitudo fingendis verbis, formãdis ſonis articulateque flectendis vocibus neceſſaria, ciborum duritie, aut aſperitate ne læſa violaretur. Deinde cum quis vſu linguæ priuatus eſt, vel quia vagit adhuc in faſcijs atque cunis infans; vel quia mutus belluarum ſimilis eſt editus in lucem; vel quia morbo ferroue miſerabiliter elinguis factus obmutuit: quæ pars corporis dolens eius vicem, conatur magis, ac tentat linguæ ſilentium, imbecillitatem abſentiamque ſupplere, quàm manus? Hinc illa de puerorum nutibus Lucretius. *Lucr. l. 5.*

Ipſa videtur
Protrahere ad geſtum pueros infantia lingua,
Cum facit vt digito, quæ ſint præſentia monſtrent.

Quid? In ipſis recte, atque expedite loquentibus, nonne manus linguam dicentem ſemper fere tamquam ancillæ Dominam motu geſtuque comitantur, & verborum copiam pęne ſua ſponte perſequuntur? Et quamquam in orando merito reprehenduntur à Rhetoribus, argutiæ manus & digitorũ in Hortenſio notatæ; articulus ad numerum cadens; ſiniſtræ nimius vſus; indecora atque inconcinna iactatio manuum ruſticarum, & indoctarum, quæ vel putide verba exprimant, vel ſublatæ caput excedant; vel nimia celeritate motus abigere muſcas videantur: actio tamen illa trunca & debilis friget, quam aptus, concinnus, & conueniens rebus manuum vſus geſtuſque defecerit. Nam cum ceteræ partes corporis loquentem adiuuant; hæ cum decora loquentis agitatione prudenter adhibitæ propemodum ipſæ loquuntur. Minantur enim, & ſupplicant, & mirantur: poſcunt, vocant, dimittunt; aiunt & negant: copiam, numerum, tempus oſtendunt; locos & perſonas

Cic. l. 3. de orat. & l. de orat. Agell. l. 1 c 5. Cornif. l. 3. Rhet. ad Herenn. Quinct. l. 1. ca. 11. & l. 11. c. 3.

Dd de-

demonſtrant: iram, amorem, gaudium, dubitationem, verecundiam, & alias perturbationes ſignificant: vt quemadmodum lingua Rationis manus à quibuſdam exiſtimata eſt; quod intra buccas oris tibiam, lyram, organumque pulſet mirabilem ſonum orationis eliciens; ita manus corporis lingua cenſeatur; & in tanta per omnes Gentes, ac Nationes linguæ diuerſitate, communis omnium hominum ſermo videatur. Sed inſigniter vicariæ linguæ manus 3
eſſe cernitur in ſcriptione. Quomodo enim vocem & orationem ad abſentes maximo locorum ſpatio diſtantes lingua traſmitteret, niſi manus illi ſcribendis epiſtolis vicarium afferret auxilium? Qua ratione, quæ ipſa pronunciauit aliquando, multis poſt annis obliuioſi recordarentur, niſi manus eadem, ſcripturæ ſubſidio, per codicillos, aduerſaria, commentarios, infirmæ, caducæ memoriæ, fragilique conſuleret? Quì denique poſteros alloqueretur longiſſimo temporum, & ſæculorum interuallo naſcituros, niſi linguæ vice perfuncta manus, ferrei ſtyli ſcriptione, ſonos ipſius, voces ac verba in marmor, atque æs inciſa multorum annorum poſteritati, ſempiternæque propemodũ memoriæ poſterorum, oculiſque mandaret? At, quod maxime uobis mirabile videbitur, Adoleſcentes, in emendanda, polienda, ornanda & augenda oratione, copia & eloquentia, manus linguæ famulatur, cum arrepto ſtylo ſcribit, corrigit, locupletat ea, quæ lingua pronunciatura eſt, antequam publice in hominum conuentibus eloquatur. Aegyptiorum ſapientes qui, vt ex me ſæpe audiuiſtis, rerum figuris atque imaginibus, pro litteris & ſcriptura, res mortalibus explicabant; cum perfectam innuerent eloquentiam, linguam aperta manu prælatam effingebant. Intelligebant humana lingua, quæ ſermonis præcipuum eſſe diximus inſtrumentum, orationem indicari: ſciebant manum multarum artium eſſe miniſtram; proinde tum exiſtimabant orationem fore perfectam, cum linguæ perpoliendæ artificioſa manus acceſſiſſet. Verum quænam

Theodor. ſerm. 3. de Prouid.

Plato in Phædro.

Max. Tyr. ſerm. 38.

Pier. Val. l. 33. Hieroglyph.

Cic. l. 2. de Nat. Deorum.

ars

ars manus linguam expolire poteſt,niſi ſcriptio?Non enim manu traduntur præcepta Rhetoricæ,ſed uoce:non manu leguntur veterum orationes ad imitationem, ſed oculis: non manu declamationum exercitationes fiunt, ſed pronunciatione. Quam igitur artem ſermonis, & eloquentiæ perficiendæ manus linguæ ſubminiſtret, niſi ſcriptionem,ſæpe calamum atque ſtylum orationis effectorem ac perfectorem vſurpans? O præclarum Aegyptiorum ac plenum veritatis inuentum! Quod exercitatiſſimus orator,tum in dicendo, tum in ſcribendo M. Tullius calculo ſuo comprobans,& declarans,effatum illud protulit, Ammonio, Dodonæo, Delphico, & quouis alio verius oraculo, non chartis inſcribendum, ſed marmori; non libellis credendum, ſed æneis monumentis; non obliuioſorum hominum mentibus, ſed æternæ alicui memoriæ commendandum: *Nullam rem tam ad dicendum proficere, quàm ſcriptionem:* &,*Caput eſſe dicendi ſcribere quampluri-* Cic. l. de cl. orat. Cic. l. 1. de orat.
4 *mum.* Et ſane clariſſimi quique nobiliſſimique oratores Quinct. l. 10. cap. 3. omnium nationum,& ſæculorum,quanticumque fuerunt, ſtudio ſcribendi ſunt conſecuti, vt ſumma gloria florerent: ſtylus ad tantam dignitatem eos ſuſtulit, vt inter homines Reges haberentur: ſtylus verborum copiam affatim impertijt; ornamenta generis omnis tribuit: ſtylus gloriæ ſplendorem accendit;famæ tubam inflauit: ſtylus denique omnibus eos æqualibus antepoſuit, & memoriam eorum, per orationes elegantiſſime, politiſſimeque ſcriptas, æternitati propemodum conſecrauit. Demoſtheni nemo palmam eloquentiæ Græcæ vel eripuit, vel in dubium reuocauit: qui,teſtimonio Ciceronis prudentiſſimi æſtimatoris eloquentiæ, Princeps oratorum eſt à doctis iudicatus; quemque ipſe,quamquam eius æmulus gloriæ, longe omnibus Atticis anteferens, ijs qui nituntur ad ſummam dicendi laudem,tamquam exemplar imitandum, exprimendumque proponit. Hunc Quinctilianus Rhetor nobiliſſimus ſummum, ac principem oratorum, pæne legem Cic. l. de cl. orat. l. de orat. l. de opt. gen. or. Quinct. l. 10. c. 1. l. 12. c. 10.

orandi; hunc in primis legendum, vel ediſcendum potius eſſe pronunciat, & tantum non præponit Ciceroni. Hunc Philippus Macedonum Rex dicendi peritus, ac bonus iudex eloquentiæ, quo cum manifeſtas, atque implacabiles exercebat inimicitias, tantum Iſocrati ſuauiſſimo floſculorum ſectatori præſtare dictitabat; quantum athletæ fortis miles, ac pugnax bellator antecellit. Huius commemorato nomine, maximæ perfectionem eloquentiæ putas animo audientis oboriri Valerius Maximus ſcribens ad Tiberium Imperatorem. Eidem Plutarchus, quem ſui Græci ſequuntur, in Ciceronis quoque collatione, primas tribuit eloquentiæ. Quid Hieronymus vir acerrimus in iudicando? Demoſtheni principatum omnium daret; niſi exiſtimaret illi fuiſſe à M. Tullio præreptum, ne ſolus eſſet Princeps oratorum. Quæro nunc ex vobis, Adoleſcentes, à quonam putetis eum in tam celſo gradu dignitatis, & eloquentiæ faſtigio fuiſſe collocatum? Ab ingenio? Magnum quidem & velox vt Iuuenalis loquitur in eo viguit, & eluxit; cum natura comparatum ſit, vt inſignis eloquentia, non niſi grande conſequatur ingenium: ſed prudentiſſimorum quorumque ſcriptorum conſenſu vires ingenii ſuperauit induſtria, Num à naturæ bonitate, quæ facile ſtudio mediocri diligentiæ hominis obſequeretur? Minime vero: quod eam in geſtu, voce, lingua repugnantem conatibus ſuis eſſet expertus, & aliquandiu ſenſiſſet contumacem. Ab vrbanitate? Scilicet qui ſeuerior eſt habitus, ab ijs ipſis, qui laudibus in cælum ſuſtulerunt, facetijs ac ridiculis in arcem eloquentiæ potuiſſet aſcendere. Vis & ardor hanc illi laudem confecerunt? Id equidem veriſsimum arbitror: at vnde vis aucta? quibus cotibus exacuta? quibus malleolis ac tædis ardor in tantam flammam, & incendium erupit? Non tam præceptis Rhetorum, quæ minime contempſit; quàm domeſtica meditatione dicendi: quæ ſane maxima fuit, atque incredibilis in illo, tum ad quædam naturæ vitia corrigenda; tum ad emendatam naturam ornamentis

Plut. l. x. orat. in Demoſthene.
Val. Max. l. 8. cap. 7.
Plut. in cōpar.
S. Hier. ep. 2. ad Nepotian.
Iuuen. ſat. 10.
Quinct. l. 10. cap. 1.
Plut. in Demoſt.
S. Hier. ep. 8. ad Demetriad.
Quinct. l. 6. c. 3.

mentis cultuque poliendam. Sed in hac obſtinata medita-
tione primum obtinuit locum vſus, exercitatioque ſcri-
bendi; ſtylum emendatorem deprauati ſermonis; cenſo-
rem vitiorum naturalis elocutionis; opificem vbertatis,
exornatorem orationis; perfectorem eloquentiæ; magi-
ſtrumque ſcientiſsimum dicendi; cum primum eius vim
intellexit, arripuit auidiſsime, tum ad eloquentiam, cuius
amore captus erat, comparandam, augendam, exornan-
dam omnibus ingenii corporiſque viribus adhibuit, nec
vnquam in uita, nec in ipſa morte depoſuit. Quorſum *Plut. in De-*
ſpectabat illa bimeſtris, aut trimeſtris in domus penetra- *moſth.*
libus incluſio, parte capiti abraſa, ne in publicum exire co-
geretur? Quorſum frequens ille ſeceſſus, cũ in locum ſub- *Lucian. in En-*
terraneum ſe recondebat, ex quo nulla vox exaudiri, nihil *com. Demoſth.*
perſpici poſſet, ne mentem aliud agere vagantes oculi *Quinſt. l. 10. cap. 3.*
compellerent? Quorſum illæ tam lõgæ, tamque accuratæ *Luc l. cit.*
vigiliæ, in quibus grauiter dolebat, ſi quando opificum an- *Cic. l. 4. Tuſc.*
telucana victus eſſet induſtria? Ad ſcribendum hæc omnia *S. Hier. Apol. 1. adu. Ruffi.*
referebantur à Demoſthene, qui diligentiſsime præcaue-
bat, ne ab eo ſcriptionis ſtudio, quod adeo neceſſarium
exiſtimabat, interpellatus vel domeſticorum interuentu,
vel amicorum ſalutationibus, vel interuentorum nugis,
ſtylo depoſito reuocaretur. Teſtantur eumdem aſsiduum
ſtyli uſum ſcommata in illum iactata, tum à Chalco, qui *Plut. in De-*
vigilias eius lucubrationesque criminando momordit: *moſt. & in Po- lit.*
tum à Pythea, qui eiuſdem enthymemata dicebat olere lu- *Ael. l. 7. Var.*
cernam. Teſtatur illa vulgata poſterorum uox à Hiero- *hiſt. cap. 7.*
nymo viro ſanctiſsimo, ſcriptionis ſtudioſiſsimo, Demoſt- *Luc in Enc.*
henis amiciſsimo relata, *Plus eum olei, quàm vini conſum-* *Demoſt.* *Liban. in De-*
pſiſſe: quod & aquam bibere, & multum de nocte lucu- *moſt.*
brando vigilare conſueuiſſet. Quid enim in mediæ noctis *S. Hier. Apol.*
ſilentio; quid in antelucanis vigilijs; in intimo clauſoque *1. adu. Ruff.*
conclaui; in ſubterraneæ cauernæ ſeceſſu, luminis, olei, lu-
cernæ vſus, niſi ad ſcribendum, & ſtylum in tabella cerata,
quà delendo, quà mutando, quà ſupplendo vltro citroque

du-

ducendum? An ignorabat vir ingenioſus lychni lumine paruum eſſe illi opus, qui ſecum ipſe meditans commentaretur ſine ſtylo, cum melius & attentius in tenebris clauſiſque oculis cogitemus, ediſcamus, contemplemur? Teſtatur & idem ſtudium aquæ potus quotidianus illi non ſemel à dicacibus oratoribus, & aduerſarijs per contumeliam obiectus. Non enim abſtinebat à uino, vt mea fert opinio, quod illud natura reſpueret, ut quidā falſo putauerunt, cum ipſe vinum alicubi ſe bibere glorietur: nō quod frigida potanda vocem ſperaret, effici poſſe clariorem; cum hanc ſententiam videam paucis eſſe probatam; ſed conſulto ſibi temperabat à vino, quod gelidæ vſum ingenio prodeſſe acuendo; vini potum, Attici præſertim, quod ſolet eſſe generoſum, obeſſe arbitraretur. Pernouerat Demoſthenis in hac re conſilium Demades orator optimus, eius æqualis, atque æmulus, qui iocans in eum aliquando dixit. Alios oratores ad aquam dicere; Demoſthenem vero ſcribere quoque ad aquam: quo ioco, tum Demoſthenis temperantiam (à Quinctiliano quoque laudatam in ſcribendo) commendauit; qui non ebrius, non temulentus, non vino calidus, vt quondam Homerus, Aeſchylus, & Ennius; ſed ſobrius, ſiccus, & ſanus mente ſcribebat; quam cum ingenio caligo neſcioque, ab ebriorum ac vinolentorum ſtomacho pleno vini, fumante, denſique vapores excitati turbant, offundunt, & obſcurant: tum manifeſto declarauit eum ad ſcriptionis ſtudium, vſum aquæ retuliſſe. Teſtantur denique ſtudium acerrimum ſcribendi, ſtylique exercitationem numquam intermiſſam, cum illa procemia δημηγορικὰ parata ad omnem vſum, quæ ad noſtras vſque manus peruenerunt: tum vero potiſſimum eius orationes ad hæc quoque tempora per tot ſæcula delapſæ; quæ minime ad nos perueniſſent, niſi fuiſſent ad illam ingenii Demoſthenici lucernam elucubratæ diligentiſſime; ſummaque cura ſcriptæ, cenſorij ſtyli ſæpiſſime acumen ſubijſſent. Quantus in copia ſplendor? in verbis delectus?

Quinct. l. 10. cap. 6.
Demoſth. in 2. Philipp.
Plut. in Demoſth.
Luc. in enc. Dem.
Liban. in Demoſth.
Demoſth. orat. de ement. legat.
Lucian. in Encom. Demoſth.
Quinct. l. 10. cap. 3.
Plut. l. 1. conuiu. quæſt. 5.
Hor. l. 1. ep. ad Mæc.

Digitized by Google

delectus? in translationibus verecundia? in figuris varietas? in ſententiis ornatus? in argumentis robur? in locutione numerus? in toto corpore vis, ardor, & impetus? Quas ob virtutes Leoſthenes huius vnius *orationem viuam* dici poſſe prędicabat. An hæc tam accurata diſpoſitio rerum, ſtructura verborum, compoſitio ſchematum ſine artifice ſtylo fieri potuit? Poſſunt quidem à naturę bonitate, ſine multa arte, curaue ſua ſponte quędam ornata prodire, ac fluere; ſed orationem ſtructam, nexam, numeroſam, qualis eſt illa Demoſthenis, nulla eſt ubertas ingenii, nulla uis, nulla felicitas, quæ parere queat ac fundere ſine ſtylo. Vbi ſingula verba ſunt aptiſſime collocanda, vt in pauimento teſſellato, in emblemate vermiculato, in opere muſiuo lapilli diſpares, varii, diſcolores: vbi vitandus cõcurſus aſperarum litterarum; fugiendus uocalium inter ſe coeuntium hiatus; quærendi pedes, enumerandę ſyllabę, metiendę periodi; neceſſarius eſt calami mucro tantorum operum effector ac Magiſter: quem manus moueat, ducat mens, dirigat oculus, ſenſusque omnes ac vires animi comitentur. Teſtis eſt mihi Cicero in lectione Demoſthenis apprime verſatus, ſtyli ducendi, tractandique peritiſſimus; qui planiſſime aſſerit Demoſthenis fulmina non tam vibrare poſſe, niſi numeris contorta ferrentur. Hic igitur idem ſtylus non modo tam inſignem, ac mirabilem exhibuit Demoſthenem, ſed etiam ceteris oratoribus antepoſuit.

Lucian. in Encom. Demoſth.

Cic. l. de orat.

6 Vixerat florens Athenis ętate ſuperiore diſciplina pereruditus Anaxagorę, Pericles ille, cuius fulgura, tonitrua, fulmina in concionibus viſa & audita metuerunt Athenę: cuius leporem in ore ſeſsitantem admirabantur; cuius aculeos in animis auditorum relictos ſentiebant; quem denique poetę hiſtoricique omnes certatim laudibus celebrarunt. Hic ſine dubio tum naturę felicitate, tum auditorum beneuolentia, & gratia vicit Demoſthenem in dicendo: ſed quia nullę eius extant orationes, ſuſpicari poſſumus, & conijcere, totam ipſius laudem in actionis

Orat. 3. nu. 4.

Quinct. l. 10. cap. 1.

Cic. l. de cl. orat. *Quinct. l. 12. cap. 10.* *Lucian. in Encom. Demoſth.* *Plut. in Pericle.*

actionis ui, pronunciationiſque uenuſtate fuiſſe; qua ceſſante, laus & approbatio deficeret; qua euaneſcente cum voce, gloria quoque deflóreſceret: cum nihil ſolidi poſt actionem remaneret, quod admirationem apud poſteros mereretur. Quo factum eſt, ut per aliorum ſcripta prædicationem Periclis, eius eloquentię famam, & opinionem habeamus: at Demoſthenis rem ipſam ſolidam, eloquentię ſpirantis corpus oculis intueamur in orationibus; uim, affectus, ingenium, ornamenta, copiam, unde facimus de actione, ac reliquis virtutibus coniecturam. Quid ergo Pericli tam ingenioſo, & auditoribus metuendo pariter & gratioſo Demoſthenem naturę bonitate inferiorem antetulit, ut ſolus inter Grecos oratores ſit adeptus, & retinuerit principatum? Stylus dicendi magiſter. Floruerunt eodem ferme tempore, quo Demoſthenes regnabat Athenis eloquentia, decem oratores eloquentiſsimi, quorum uitam, ac uirtutes Plutarchus eſt accurate ſtylo diligenterque complexus: floruerunt item Demades, & Phocion, decem illis fortaſſe pręſtantiores: quorum priorem naturali fretum ingenio fuiſſe inuictum, & Demoſtheni pręſtitiſſe fatebantur omnes, propterea quod Demades curam, lucubrationem, & longum Demoſthenis apparatum ex tempore referret imparatus, & ęquaret: Theophraſtusque interrogatus, quid ſibi de utroque uideretur, reſpondiſſe fertur; Demoſthenem ſibi uideri dignum Athenis, Demadem uero ſupra Athenas. Poſterior autem Phocion maiorem uim habuit in dicendo, quàm Demoſthenes, pluresque ſententias paucioribus complectebatur uerbis: cumque Demoſthenes ipſe, cum ille aſſurgeret ad dicendum contra ſe; uel honoris gratia, uel timoris, dicere conſueuerat amicis, dictorum ſuorum aſſurgere ſecurim. Sed quid eſt, quo poſteritas omnis tanta conſpiratione ſententiarum, Demadi, Phocioni, decem illis, ac ceteris omnibus oratoribus Gręciæ præſtare ſemper eſt arbitrata Demoſthenem? Scriptio, Brixienſes, & ſtylus perfector orationis.

Plut. l. x. orat.

Plut. in Demoſt.

Nam illi naturæ bonitate, magnitudine ingenij, naturali flumine confiſi ſcriptionem ſiue ante orationem, ſiue poſtea neglexerunt; Demoſthenes vero ſtylum ſemper habuit in manu, cuius acumine tranſmiſit ingenij ſui ſimulacrum in orationibus depictum poſteritati, laudesque deſcriptas. fuit eodem tempore, magna in exiſtimatione, non tam orator, quàm Rhetor Iſocrates; quem à foro curia, iudicijs, vt ipſe de ſe fatetur, vocis exilitas, vitioſa quædam timiditas, & nimius pudor profectus à natura retraxit, atque in domeſtica Gymnaſiorum vmbra detinuit: in qua vice cotis, quæ minime ſecans acuit gladios, ſe iuuenes oratores facere, cum ipſe non eſſet, dictitabat. Hic viuus Socratis, & Platonis teſtimonio laudatus ampliſſimo mortuus inter eloquentiſſimos viros numeratus eſt: pluribus æneis ſtatuis decoratus: eius ſepulcro, præter alia multa ornamenta, Siren ænea ſeptem cubitorum impoſita, cui par loquendi ſuauitate fuiſſe declarabatur: à M. Tullio pater eloquentiæ dicitur, & ſæpe cum ſummis oratoribus æquatur; vbi cum ſubtilitate Lyſiæ, ſonitu Aeſchinis, Hyperidis acumine, Platonis copia, ui Demoſthenis, Iſocratis quoque ſuauitas commemoratur. Vnde nam affulſit Iſocrati, & apud Athenienſes, & apud poſteros in Græcia, Italia, Europa tanta gloria, tanta laus ab eloquentia, tantus ſplendor, vt eius memoria numquam interitura videatur? A ſtylo dicendi magiſtro: quo ſcriptore vſus eſt, ad centeſimum vſque fere annum; quo cenſore, & correctore decem, minimum impendit annos in elaborando, perpoliendoque panegyrico. Sed iam è Græcia delapſa in Latium
7 oratio mea Romam ingrediatur alacrior; vbi non minore quàm Athenis exercitatus ſtylus cum laude decucurrit. Hic M Tullium fecit, quantus eſt: hoc eodem Hortenſiũ, & alios omnes oratores qui erant, fuerant, & poſtea ſunt ſecuti, Cicero idem eſt admiratione ſuorum temporum, & ſolidiore perpetuitate nominis antegreſſus. Oratorum ætatis ſuæ Princeps habebatur, & erat Hortēſius, M. Tul-

Quinct. l. 2. cap. 17.
Cic l. de cl. or.
Quinct. l. 12. cap. 10.
Iſocr. in Panath.
Cic. l. 2 de orat.
Pl. l. 6. ep. 29. ad Quadratum.
Plato in Phædro.
Cic. l. de orat.
Plut. l. x. orat. in Iſocr.
Cic. l. 3. de or.
Quinct. l. 10. cap. 4.
Plut. in Iſocrate.
Lucian. in Macrob.

Ee lio

lio ſuperior ætate, nobilitate, dignitate, cum is venit in theatrum ingeniorum; & laudabili quadam æmulatione, gloriæque cupiditate contendere cœpit eloquentia cum eo, quo cum glorioſius illi erat certare dicendo, quàm aduerſarium omnino non habere. Sed Hortenſius cum ſibi Regnum adeptus eloquentiæ videretur poſt conſulatum, ſiue quòd neminem videret ex conſularibus ſecum eſſe comparandum; ſiue quod negligeret eos, qui conſules non fuiſſent; ſiue quod actione, voce, memoria, naturali copia valeret, & diceret, quàm ſcriberet melius, ac felicius: ſummum illud ſtudium remiſit, quo fuerat incenſus à puero; quo tempore tametſi quæ ſecum commentatus eſſe, propter memoriæ felicitatem, verbis eiſdem ea ſine ſcripto reddebat, quibus cogitauiſſet, tamen ſcribebat diligenter. Itaque quantum de cura, meditatione, ſcribendique diligentia remiſit, tantum de ſua commendatione, gloriaque detraxit. At Cicero ſtudio flagrans, in poſterum proſpiciens, nominis immortalitatem appetens, non deſiſtebat, cum omni exercitationis genere, vt ipſe loquitur, tum maxime ſtylo naturæ bonum augere, quantumcumque erat: non modo ſcriptione ſe præmuniens antequam cauſſas ageret, ſed etiam actas cauſſas diligentiore ſtylo, curaque litteris mandans; aut coarctans effuſas in anguſtiorem gyrum, vt cornelianam, quàm quattriduo peroratam duabus orationibus perſtrinxit, aut dilatans anguſtas & breues in ampliores libros; vt ſecundam actionem in C. Verrem, quàm vno die dictam, quinque libris diuiſam edidit in lucem: atque hoc mucrone, ac telo ſibi viam aperuit ad eam gloriam, quam eſt poſtea conſecutus; vt Hortenſio de Regno fori depulſo, ſolus ipſe dicendo dominaretur; & eò perueniret excellentiæ, vt nomen Ciceronis iam non hominis alicuius, ſed eloquentiæ ipſius habeatur. Cur enim orationes Ciceronis pæne omnes, Hortenſii vero nullæ omnino ad nos peruenerunt? An quia melius dicebat Hortenſius, quam ſcribebat? eſt quidem iſtud verum: ſed

Cic. l. de cl. or. & l. de orat.
Val. Max. l. 8. cap. 10.
Plin. l. 1. ep. 20. ad Tacit.
Aſcon. Ped. in orat. 3. in Verr.
Quinct. l. 10. cap. 1.

quæro

quæro, cur non æque bene ſcriberet, ac dicebat, tanto vir *Quinct.l.11. cap.3.*
ingenio, tantaque memoria præditus? Non aliud reſpon-
deri poteſt, niſi quia fretus ingenio; memoriæ indulgens,
præſenti plauſu contentus ſtylum neglexit: Cicero contra
fruens admiratione præſenti; futuræ gloriæ proſpiciens;
ſolidiorem, ſtabilioremque laudem ordiens, arreptum ſe-
mel ſtylum, numquam niſi morte depoſuit. Hanc ſtyli
ſummam vtilitatem perſpectam habebant omnes boni
dicendi magiſtri; qui quà laudando, quà præcipiendo, quà
hortando, quà vtendo, diſcipulis ſuis commendabant. Ac
Cicero quidem præter ea quæ diximus, ac dicemus, obſer-
uauit antiquioribus ſæculis cauſſas prius fuiſſe ſcriptas, at-
que de ſcripto, quàm memoriter peroratas: & in eũ vſum
à Protagora communes locos; à Gorgia laudationes, &
vituperationes; ab Antiphonte ſimilia quædam fuiſſe con- *Cic. l. de cl. or.*
ſcripta. Laudat alio loco C. Piſonem generum ſuum, qui
tantos progreſſus efficiebat, vt euolare, non excurrere vi-
deretur. Vnde nam hæc tanta facilitas pariter, ac felicitas?
A ſtylo. Nullum illi vacabat tempus vmquam, aut à forenſi
dictione; aut à commentatione domeſtica, aut à ſcriben-
do, aut à cogitando. Quid Plinius iunior, qui in Panegy-
rico Traiani laudatiſſimo manifeſto declarauit, quantum
valeret eloquentia? Cornelium Fuſcum amicum, id poſtu- *Plin l.7. ep. 9. ad Corn. Fuſc.*
lantem docet, qua ratione partim vertendo è Græco, par-
tim interſcribendo, reſcribendo, deſcribendo in eloquen-
tia proficiat. Quid Quinctilianus nemini Rhetorum (Ci- *Quinct. l. 10. c.1. & ſeqq.*
ceronem ſemper excipio) ſecundus? Copioſe docet ad
parandam copiam, facultatemque ex tempore dicendi
7 ſtylum afferre longe plurimum vtilitatis. Rhetoras alios
prætermitto; quod vos, Adoleſcentes, optare video ſpe-
ciatim magis has vtilitates ſtyli, fructusque pernoſſe. Non
eſtis contenti iam commemorata vtilitate; quod prouehat
ad ſummam gloriam; quod nomen noſtrum litterarum
monumentis proferat in quandam temporis æternitatem.
Ampla ſunt hæc, & illuſtria præmia perexigui laboris, di-

cet quiſpiam, ſed ualde ab hac ætate noſtra, ſtudiiſque remota: cupimus eas utilitates intelligere, quas hoc tempore, hac ætate, in his Gymnaſiis nobis pariet ſtyli uſus, & accurata tractatio. Scilicet æquiſſima poſtulatis: renouate igitur attantionem ueſtram ad ea quæ dicam; & primã utilitatem ex collatione ſcriptionis, cum cogitatione percipite. Nam ut optime M. Tullius diſſerit, ſi ſubitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facile uincit: hanc ipſam profecto aſſidua ac diligens ſcriptio ſuperabit. Porro cogitationem ſermoni præmittendam eſſe, & longiori potiſſimum orationi, non modo pręcepta Rhetorum; ſed etiam ratio ipſa perſuadet hominem Rationis compotem, præmeditatum, & cogitato loqui oportere. Quam ob cauſſam prudenter Pericles tametſi copioſus, exercitatus, & ingenioſus, & poſtea Demoſthenes; inuitati, prouocatique ad dicendum ex tempore, libere ſe id facturos negarunt, illud addentes pro ratione, quod neque parati eſſent neque meditati. Quorum prudentiam admiratus Plutarchus de liberum educatione præcipiens, uetat adoleſcentulos, ante uirilem ætatem imparatos, atque ex improuiſo dicere; tum ne nimis loquaces pro eloquentibus fiant: tum ne male, peruerſe, & inquinate diceꝛe conſueſcant. Quinctilianus item iiſdem bonis magiſtris eruditus, ubi pręcipit de facultate dicendi ex tempore comparanda, ſuadet ut numquam ita ex improuiſo dicatur, quin aliquid temporis, ad ea, quæ dicentur ſumatur diſpicienda: grauiterque reprehendit declamatores quoſdam peruerſæ ambitionis. qui propoſita controuerſia protinus dicere volunt, & quod eſt in primis ſcenicum, ac futile, verbum petunt, quo declamationem incipiant. Quod ſi cogitatio commentatioque nobis tribuit vt apte, compoſite, prudenterque dicamus; quid factura eſt ſcriptio? in qua videlicet loci omnes, artis, ingenij, prudentiæ, qui deliteſcunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirentibus nobis, omnique acie mentis contemplantibus ſeſe oſtendunt, & occur-

Cic. l. 1. de or.

Plut. l. de educ. Idem in Demoſth.

Quinct. l. 10. cap. 7.

occurrunt: omneſque ſententiæ, verbaque omnia, quæ ſunt cuiuſque generis maximè illuſtria ſub acumen ſtyli ſubeunt, ac ſuccedunt. Hic quoque non ingenium modo ſuas effundit, atque adhibet vires; ſed etiam memoria de theſauro ſuo promit affluenter quidquid ad rem propoſitam ſtyloque ſubiectam facit: vis æſtimandi, iudicio acerrimo, tamquam aurificis ſtatera perpendit verborum proprietatem, latinitatem, ſonum, ſuauitatem: ſententiarumque pondus, grauitatem, decorum: oculus denique aurium in hoc munere vicarius, & à lingua, pectore, ſpiritu menſuram mutuatus; verba, membra, comprehenſioneſque dimetiens ita diſtinguit interuallis, atque interpunctionibus, vt nulla animæ difficultate pronuncientur. Prodeſt igitur ſtylus animo ſtudioſo dicendi, cuius cogitationem ad bene dicendum excitat & exacuit, cuius memoriæ rebus conſeruandis ſuggerendiſque deſeruit: cuius ingeniũ adiuuat in concipienda, pariendaque oratione. Curſim expedio primum caput de cogitatione, vos ad Quinctilianum relegans; qui cogitationem à ſcriptione vires accipere pluribus docet: hortaturque eos, qui vim bene cogitandi concupiſcunt, ad bene dicendum plane neceſſariam, quæ nec ſubito, nec cito paratur; vt multo ſtylo formam quandam efficiant, quæ eos cogitantes quoque conſequatur. Vt enim exercitata cogitatio manum mouet, ſtylum regit, ſcriptionem format; ita viciſſim exercitatus ſtylus mutuum rependens beneficium, cogitationem vel exſuſcitat dormientem, vel exacuit obtuſam, vel diſſipatam atque informem colligit, ordinat, & conformat. Memoriæ

Quinct. l. 10. cap. 6.

10 porro ſtylus, quàm bene ſuccurrit? Equidem ſcio Thamũ Ægypti Regem apud Platonem arbitrari litterarũ vſum obeſſe memoriæ: quod rerum ſcriptarum ſecuritas diligentiam in perdiſcendo, conſeruandoque remittat: quam ſententiam Druidibus Gallorum ſapientibus placuiſſe; C. Cæſari, L. Senecæ, Quinctiliano video non plane diſpliciuiſſe: Verum quis negare poteſt ſine temeritate iudicij, litteras

Plato in Phædro & in Timæo.
C. Cæſ. l. 6. de bello Gallico.
L. Sen. ep. 88.
Quinct. l. 10. cap. 6. & l. 12. cap. 2.

Max. Tyr. ſer. 38. litteras in ſubſidium imbecillioris, ac perituræ memoriæ ſingulorum hominum fuiſſe repertas? Scriptione quemque moneri, excitari, ſæpe deduci in recordationem earum rerum, quas multis ante annis edidicerat? Ipſe Thamus, qui negauerat vtilitatem ſcriptionis, paullo poſt conuictus rei veritate retexuit negationem ſuam. Non enim mortales omnes tantæ, tamque mirabilis ſunt memoriæ, vt vel Themiſtocli poſſint æquari, cuius memoriæ quidquid audiebat, inſidebat adeo, numquam vt inde poſſet effluere: quique Simonidi pollicenti artem memoriæ, ſe obliuionis artem malle dicebat: vel Clementi VI. Pont. Max. qui & obliuionem ipſe cupiebat, quod meminiſſet etiam quæ nollet, & quæ vellet, obliuiſci non poſſet; vel Porcio Latroni, qui declamationes ſuas omnes quaſcumque dixerat, ita tenebat, vt ſibi codices ſupetuacaneos feciſſet. At quibus memoriam Natura communem largita eſt, non ſingularem; vulgatem, non inſignem; quàm magna commoda ſtylus affert ſua ſcriptione? Primum enim quidam eius naturæ memoriam habent, vt niſi ſcribant, quæ dicturi ſunt, vix ea ſe memoria comprehendere ac retinere poſſe videantur: dum ea chartis inſcribunt, eadem interea in libro memoriæ, illo ipſo calamo ſibi videntur inſcribere: dum memoriter eadem reddunt, è libello ipſo colligere oculis, ac recitare ſe putant; adeo quemque locum pagellæ, numerum paginarum, verſumque meminerunt. Quorum è numero Porcius, quem commemoraui, præclaræ memoriæ declamator, fuit: qui edidicerat illa cum ſcripſerat, & cum ſcriberet, ſe in animo ſcribere aiebat. Deinde ſi, quæ multis ante annis diximus: prouidus diligenſque ſtylus, in libellos puros ſuo tempore retulerit; ea, cum eſt opus, tamquam depoſita, vel præſentibus neceſſitatibus, vel alio in loco, ac tempore profutura repetimus. Hoc feciſſe Demoſthenem vidimus, qui prooemia ſcripſerat: hoc Ciceronem, qui commentarios quoſdam habebat in promptu non ſine cura conſcriptos in omnem vſum. Quoties

Plato in Phædro.
Beſſar. l. adu. Calumn. Plat. cap. 1.
Cic. l. 2. de orat.
Val. Max. l. 8. cap. 7.
Quinct. l. 11. cap. 2.
Franc. Petr. l. 2. rerum memorab.
M. Sen. l. 1. contr. in Præfat.
M. Sen. l. 1. Controu. Præfat.
Quinct. l. 10. cap. 7.

M. Tul-

M. Tullius de conſulatu ſuo verba facturus, ne, quæ dicere neceſſario cogebatur, iiſdem verbis eadem diceret, priores orationes codicibus commendatas relegebat? Hinc toties decantatam coniurationem Catilinæ: quam præterire ſilentio non poſſet, vel quod cum cauſſa, quæ tractabatur, plane connexa eſſet, vt in oratione pro domo, & de Aruſpicum reſponſis; vel quod ad eam deprehendendã iuuiſſent, qui defendebantur, vt Sextius: videas alijs verbis, nouo modo, non ante vſitatis figuris narratam, & expreſſam: vnde intelligere potes ab eo dicturo poſteriorem orationem, dum ſcribendo parabatur, priores omnes inſpectas diligenter: vt ſi non rerum, quæ retractari erat neceſſe, verborum certe varietate, nouitate ſchematum, differentia tractationis ſimilitudinem fugiens, vinceret auditorum ſatietatem. Poſtremo quid conducat ſtylus ad memoriam, dicant oratores illi, qui incredibili memoriæ felicitate ſubnixi, ſua commentata & ſcripta, ſuorumque aduerſariorum omnia dicta, nullo referente, poſſunt meminiſſe, cum iiſdem, quibus ſcripſerint, & cogitauerint verbis, reddere: qualis è Græcis Metrodorus Sceptius & Eriphylus Rhodius, e latinis Q. Hortenſius fuiſſe memoratur. Dicat & Porcius Latro, qui codices ut audiſtis uſui nulli fuiſſe ſibi gloriabatur. Cur ſcribitis, quæ dicturi eſtis, ſi ſcriptio vobis neque utilis eſt, neque neceſſaria? Cur libellis, & chartis credidiſtis, quæ dixiſtis? ſi commentarij, codices, aduerſaria, ſi omnia memoriæ ſubſidia ſunt vobis ſuperuacua, cur ea quæritis? cur paratis? cur non flammis iampridem tradidiſtis? eſt ne uobis utilis ſtylus? huius argumenti cornua fugere non poteſtis: aut etiam, aut non, uos oportet reſpondere. Si aſſeritis, in id ipſum uos induitis, quod timetis, qui memoriæ bonitate elati uideri uultis ſcriptione non egere: ſi negatis, ueſtro uos mendacio conuinco, qui ſtylo uti conſueuiſtis; non uſuri ſi ſcriptionem cenſeretis inutilem. Ergo uos argumentationis aculeus utrinque pupugit, & uelitis, nolitis, cum ſtylum ante, & poſt dictionem

Plut. in Cic.

Quinct. l. 11. cap. 1.

Cic. l. 2. de orat. & l. de cl. orat.

Quinct. l. 10. cap. 6.

exer-

exerceatis, fateamini oportet uobis eſſe perutilem, nunquam calamum tractaturi, niſi memoriæ ueſtræ mirabili, recordationique prodeſſet. Sed iam egrediamur ex hoc 11
diſputationis dialecticæ quaſi dumeto, quod ueſtras quoque aures ſpinoſiore argumentationis genere pungebat; & à memoria gradum faciamus ad ingenium: illud inquã ingenium, quod eſt eloquentiæ caput, fons, & origo; cuius gratia Cicero ſæpe ingenii nomine ſignat eloquentiam. Huic igitur ingenio, quod ego dicendi facultatem in animo inhærentem puto, multus, & fidelis ſtylus, copiam, facilitatem, habitumque tribuit, quo prompte expedite, atque ex tempore dicat; quem propterea facultatem ex temporalem Quinctilianus eſt auſus uocitare. Vt enim qui ſarculo terram fodit, & uerſat, oblimatam præſertim; reddit fecundam, & aptam frugibus copioſioribus gignendis; uel ſi altius imprimatur, & excauet, uenas aquæ reperit, ac puteos iuges, perennesque fontes aperit: ita qui ſcribens attente ſtylo fodicat ingenium, & naturæ uim latentem perſcrutatur, addita præſertim lectione aliqua bonorum, & diſertorum auctorum; uberem facit mentem ſententiis, fertilem linguam uerbis: tum ex ingenio copiam & ubertatem, atque ab ore profluentiam, quaſi uenis apertis educit fluuio ſimilem à fonte decurrentem. Vtinam, Adoleſcentes, utinam quæ uos auditis ex me, cum uobis eram par ætate, ſemel à meis ipſe præceptoribus audiuiſſem, nullis profecto nec laboribus, nec uigiliis peperciſſem: arripuiſſem hunc ſtylum tanti operis effectorem, inuentorem copiæ, fontis indagatorem; perſcrutatus eſſem diligentiſſime uenas ingenii mei quamquam tenuis: compenſaſſem induſtria, diligentiaque tenuitatem; nec illum ante depoſuiſſem, quàm promptam hanc & copioſam mihi dicendi facultatem comparaſſem. Eſſem forte conſecutus id, quod me fugiens, & longo interuallo præuolans non inficior me eſſe ſecutum. Flueret nunc oratio mea, ſi non ut Euphrates aures ueſtras ornamentorum amœnitate læti-

Quinct. l. 10. cap. 7.

ficans;

Digitized by Google

ficans: ſi non vt Nilus fecunditate rerum ac verborum veſtra conſerens ingenia; ſi non vt Indus doctrinarum gemmis, & auro ſapientiæ memoriam veſtram locupletans; vt riuulus certe copioſior auribus mentibusque veſtris nec inutilis, nec iniucundus. Sed ſtyli maior vis eſt in ipſa oratione, quæ fetus eſt ingenij, linguæ opus, oris partus, voce ſub ſenſum aurium, ſcriptura ſub oculos cadens; quam calamus attingit, verſat, fingit conformat, tum detrahendo, tum adijciendo, tum mutando mille formis ac figuris. *Quinct. l. 10. cap. 4.*

12 Falcem, ſcalpellum, limam in detrahendo diceres. Adoleſcens bonæ quidem indolis, ſed inexercitatus prorumpere ſcribendo, vt & loquendo, ſolet in magnam rerum ſiluam copiamque verborum: ſiue impetu ardentis animi, quo hæc noſtra ætas & fertur, & æſtuat; ſiue luxuria quadam ſolertis ingenii, ſi non laudanda, certe toleranda, quam M. Tullius & alii dicendi Magiſtri malunt in adoleſcente, quã ieiunam ſiccitatem; cum in eo cupiunt, vt ſe efferat fecunditas. *Cic. l. 2. de or. Quinct. l. 2. cap. 4.* Tum quia redundantia illa iuuenilis eſt minime fallax argumentum fertilitatis; quemadmodum in agris multæ ſua ſponte naſcentes herbæ, quamquam agreſtes & aſperæ, fecunditatem opimi ſoli certo demonſtrant: tum quia, tametſi vitium eſt vtrumque; & profuſa luxuries; & ſicca ieiunitas; tamen peius eſt illud, quod ex inopia, quàm quod ex copia venit; cum facile ſit remedium vbertatis, reſecando quod ſuperſit: ſterilitas nullo labore vincatur, addendo, quod deſit. Hæc igitur vbertas dicendi iuuenilis iudicio cenſorio paullatim reſtringenda eſt, & ſtylo depaſcenda, vt ad auream mediocritatem eloquentiæ veræ ac germanæ reducatur; cui nihil addi poſſit, vt Ciceroni, nihil detrahi liceat, vt Demoſtheni: quæ ſic ita copioſa, vt ſuperuacanea copia non luxuriet; ita moderata vt infantia non laboret: denique tamquam fluuius, nec redundantia turgidus diffluens extra ripas; nec ſiccitate extenuatus alueum non explens, à mente decurrat. *Quinct. l. 10. cap. 1.* Atque vt in frugiferis agrorum campis agricolarum diligentia vere primo,

viriditatem ſegetum herbeſcentem nimis, vel immiſſo pe-
core depaſcit, vel falce demetit, vt plures, & grandiores
ſpicas effundant: vt prouidi vinitores vitem erratico lapſu
diffuſam, ac ſerpentem nimis putant, ferroq; coercent, ac de-
nudant foliis: vt amputatis ſurculis, ramulis, foliiſque ſu-
peruacaneis, & altius ſeſe efferat, & plures racemos pariat,
& vua citius maturata dulceſcat: ita plane fieri oportet ab
adoleſcente, in oratione, in qua ſit aliquid quod ampute-
tur. Sumat eloquentiæ candidatus pro falce ſtylum: & ab
oratione primo impetu per calamum effuſa, vel inanium 12
ſententiarum, aut amplificationum ſurculos recidat; vel
inſulſarum periodorum ramulos amputet: vel importuna-
rum repetitionum clauiculas ſecet: vel folia ſuperuacua
verborũ ſynonimorũ aut minus propriorũ auferat. Duris,
ſordidis, longe petitis translationibus falcem eandem
tranſuerſam reſecandis adhibeat: quod audacius facturus
eſt, ſi putationem hanc cenſoriam aggrediatur illo calore
Quintil. l. 10. cap. 4. primo reſtincto, quo res noſtras, vt recentes partus magis 13
amamus. An vero deeſt vobis exemplum optimorum
Cic. l. de cl. or. magiſtrorum? Quid Cicero in Aſiatica peregrinatione?
Quod calamo ſæpe ipſe fecerat ſcribendo, Moloni præ-
ſtantiſſimo ſcriptori, tum in notandis, animaduertendiſ-
que vitiis prudẽtiſſimo permiſit vt faceret. Qui dedit ope-
ram vt eum redundantem nimis, & ſupereffluentem iuue-
nili quadam dicendi impunitate, & licentia reprimeret, &
quaſi extra ripas diffluentem coerceret. Atque hac detra-
ctione, figuræ verborũ quandoq; mirabiles exiſtunt, ſine
Cic. l. 2. de diuin. vllius additione rei. Quẽadmodũ.n. ipſæ ſtatuæ detractio-
ne efficiuntur è marmore; cum Artifex modo hinc, modo
illinc fragmẽta ſcalpello ex arte tractato detrahẽs, vt Ho-
merus noſter ait, *Viuos ducit de marmore vultus*:
Virg. l. 6. Aen. ita ex oratione naturaliter calamo fuſa, cum idem ſtylus
arte ductus recondita, manuque religioſe tractatus acceſ-
ſerit, & tamquam ſcalpellum reſecans, quidquid eſt ſuper-
uacuum, vitioſumque detraxerit; mirum eſt quam pulchrũ

ad

ad ſpeciem Mentis ſimulacrum effingatur. Neque vero dicat quiſpiam ab optima natura feracis ingenii fundi orationem impetu primo, quæ nulla ſtyli correctione, nulla egeat detractione ſeu rerum, ſeu verborum. Etenim pernego quidquam eſſe ſimul factum, & perfectum vel manu, vel ore, vel ingenio mortalium: & in vobis Adoleſcentes auctore Quinctiliano, nec exigi, nec ſperari poteſt oratio perfecta. Lyſippus à quo ſolo fictore propter excellentiam artis in moribus referendis, fingi voluit Alexander, & ſi ſtatuas perfectiſſime, res ad viuum repræſentantes ducebat ex ære; tamen cum forma lutea, in quam æs calore liquefactum infuſum fuerat ſpoliabantur, eis neceſſario limam adhibebat; quòd ex argilla prodirent imperfectæ, rudes, impolitæ. Tu tuam orationem ſimul vt exit ab ingenio quamquam optimo, duces optimam, & lima non egere arbitratus, limam repudiabis? Tollenda ſaltem eſt aſperitas aliqua, quæ perfectum nitorem apparere non ſinit. Aeri, marmori, cryſtallo lima naturalem aſperitatem tollendo, detergendo, poliendoque leuitatem tribuit, & nitorem, adeo ut ſplendida facta more ſpeculorum imagines reddant, & in vſum ſpeculorum aſſumantur: Tu tuæ orationi ſtyli limam non adhibeas ad vitia naturæ tollenda, vt perfecte nitere poſſit atque ſplendeſcere? Quia etiam ſæpe accidit, vt limando tantum, & tergendo diligenter ornamenta, quædam appareant, & figuræ mirabiles. Equidem vidi columnas è marmore nigerrimo Lydij perſimili, quas à monte rudes aduectas nihili feciſſes: non color apparebat, non nitor, non ſpecies vlla, quæ laudabiles faceret, aut viſendas. Sed vbi ſcalpellum primum, deinde lima, tum pumex, & alia multa ſunt ad detrahendum, abſtergendum, poliendumque idonea, ſæpe vltro citroque ſurſum deorſumque ducta atque reducta, nitor ſubito tantus eluxit, vt tamquam ſpecula imagines acciperent redderentque perfectas. Apparebant aureæ maculæ, virgulæ virides, vndantes venæ purpureæ, ac luteæ, niuei lineamen-

Cic.l.5.ep.12. ad fam.
Pl.l.7.cap.37.
Plut.orat.2.de virt.A.ex.
Hor.l.2.ep.ad Aug.

ta candoris, quæ mira varietate inter ſe permiſta nomen vulgare miſti marmoris illis imponunt. Vidi ſimiliter in oratione naturaliter ab ingenioſo adoleſcente raptim edita, vbi lima ſtyli næuos, aſperitatem, vitia quædam abraſerat, ornamenta verborum apparuiſſe pulcherrima; tamquam ex abdito figuras extitiſſe perinſignes: quas emendationis integritas; ſenſorum perſpicuitas; elegantiæ nitor; numerorum leniter, placideque fluentium ſuauitas; & totius elocutionis gratiſſimus non tam oculis, quàm auribus ſplendor profectus ab eadem lima comitabatur. Sed 14
quid ego diutius immoror in detractione vitiorum? per hanc non ſemper ornamenta de tenebris emergunt in lucem, in oratione præſertim non ingenioſiſſimi ſcriptoris: tunc apparent, tunc eminent, tunc viſuntur, cum apponuntur, formantur, affiguntur per additionem: cum ſtylus tamquam calamiſter, penicillus & acus in oratione ornanda verſatus diu, multumque laborauerit. Nec accerſita longe, nec vi tracta videri cuipiam debet hæc translatio, qua ſtylum appello calamiſtrum. Docui non ita pridem diſcipulos meos permiſſu Magiſtri Ciceronis, componendæ venuſtius, atque ornandæ feſtiuius orationi, poſſe quandoque calamiſtros adhiberi; nimirum vbi locum habitura eſt elaborata concinnitas. Cum enim grauiores affectus commouentur; cum ab inferis excitantur mortui, cum res mutæ loquuntur; cum odium, inuidia, dolor, commiſeratio, lacrymæ prouocantur, plane calamiſter eſſe debet, ac ſolet otioſus. Vt enim nobilem, & grauem moribus, atque ætate matronam dedecet ornatus nimius: eaque cachinnis ab imo pectore ductis irrideretur ab omnibus, ſi calefacto calamiſtro ſibi capillum inureret, ſi conformaret in cincinnos, ſi oblineret vnguento: quæ ornamenta virgini adoleſcentulæ maritum expetenti; vel ſponſæ viri conceſſu ad conuiuium procedenti non eſſent indecora: ſic feſtiua concinnitudo remouenda eſt ab oratione graui, commota, & ad commiſerationem comparata; locum habere poteſt in

Cic. l. de orat.

Quinct. dial. de orator.

epidictico genere, quod ab ornamentorum copia largiore dictum eſt exornationis : in quo laudandis & hominibus, & rebus, omnes accerſuntur veneres, omnes illigantur lepores, omnes feſtiuitates collocantur. Itaque vbicumque adhibentur cincinni figurarum, quæ verbis ſiue ſimplicibus, ſiue iunctis, & collocatis effinguntur; vbi paria paribus relata, ſimiliter concluſa, eademque pacto cadentias & immutatione litteræ quaſi quæſitæ venuſtates; verborum iterationes, & contentiones, quæ compti capilli, & cincinnorum nomine comprehenduntur: ibi ſtylus laudis, & admirationis cupiditate calefactus officium accipit calamiſtri. Cum vero penicilli vice perfungitur, omnia fiunt clariora.
15 Noſtis opinor penicillum inſtrumentum eſſe potiſſimum depingendi; quo pictor imagines in tabula iam primis lineamentis aut nigris, aut candidis deſcriptas, & rudes adhuc atque adumbratas tantum, format, ac perficit; colores varios è pyxidibus eductos arte magiſtra permiſcens ac diſpertiens, vniuerſam tabulam colorat, viſendam facit varietate, pulchritudine colorum; vera ſimilitudine rerũ; affectibus, moribusque imaginum humanarum, & denique reddit perpetuitate quadam temporum, ſæculorumque digniſſimam. Quid ſtyli noſtri penicillus? num illa omnia præſtat in ſcriptione, quæ pictorum in tabulis colorandis penicillus? ita ſane. Quam tabulam depingit? Orationem, quam vel cogitatio rudem ac primis lineis adumbratam exhibet: vel curſim ipſe calamus inchoatam, atque impolitam deſcribit, recognoſcendum poſtea diligentius, & tum luminibus illuſtrandam, tum coloribus imbuendam. Quas in orationis tabula figuras exprimit? illas, quæ *Cic. l. de orat.* ſchemata dicuntur à Græcis; quod verbum tributum primum iis ornamentis quæ concinna verborum collocatione fiunt, ab his poſtea in ſententiarum quoque lumina tranſlatum eſt: quo in poſtremo genere M. Antonius, & Demoſthenes præſtiterunt. Quibus pigmentis, & coloribus? Verborum, & ſententiarum, quo *Cic. l. de cl. or.*

duplici

duplici rerum genere ſermo omnis, & oratio coagmentatur. Atque hæc omnia tribus è fideliis depromuntur: primum è memoria, cum omnia quæcumque ad rem propoſitam, & ſubiectam ſcriptioni declarandam, fulciendam, ornandam idonea iudicantur; quæ quondam legerat audierat, didicerat, & in eius myrotheciis, atque arculis collocauerat ſcriptor diligens, immiſſo tinctoque ſtylo, in orationem inde transfundit. Deinde ex ingenii pyxide; quæ per eam occaſionem ſcribendi, rerum nouarum, ſententiarumque neſcio vnde erutarum inuentione ſæpe completur; quæ per ſtyli fiſtulam in orationem illabuntur. Poſtremo de vaſe pectoris, è quo calami ductu transfert in orationem duo genera affectuum, quæ bene tractata faciūt admirabilem orationem, eloquentiam, & oratorem: quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturam,
Cic. l. de orat. & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum; come, iucundum, & paratum ad beneuolētiam conciliandam; alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant; quo perturbantur animi, & concitantur; vehemens, incenſum, quo cauſſæ eripiuntur, & in quo vno regnat oratio. Picturæ peritiſſimi artifices non è primis, ſed è poſtremis
Plin. l. 35. c. 10. lineis laudem quærunt; quam inde ſibi Parrhaſius ſine controuerſia ſummam, ceteris pictoribus poſt ſe relictis longo interuallo, confecit. *Nam corpora pingere, & media rerum, eſt quidem magni operis, ſed in quo multi gloriam tulerint; extrema corporum facere, & deſinentis picturæ modum includere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur.* Quod plane verum habet in ſcribendo: nam vtcumque inuenire, quæ dicas: & prima calamo ponere lineamenta, nō eſt difficile; ſed operoſum eſt, & difficillimum, & laude digniſſimum; quod facit accuratus ſtylus; imperfecta perficere; colorare adumbrata; lineis extremis expolire rudia; denique arte ſupplere, quæ mancæ & inchoatæ naturaliter à prima cogitatione fuſæ orationi deeſſe videantur. O picturam mirabilem ſcriptionis! o vim magnam oratorii penicilli

Qui

Digitized by Google

Qui non minus artificium ſuum demonſtrat, & pæne dixerim ingenium, ſi officium acus in oratione dicatur exercere. Nam acus, docta & artifici manu Phrygionis opificis tractata (quod Mediolani paſſim videtur cum admiratione peregrinorum, & conuenarum) quas figuras in pretioſa tela, ſiue argentea, ſiue bombycina cuiuſcumque coloris non effingit ex auro, argento, margaritis? flores, frondes, ramos, fructus, arbores, aues, belluas, homines; & cuiusque modi venationes, prælia, regiones; & in animantibus mores, & affectus depingit adeo feliciter, vt iam hæc ars cum pictura; phrygiones, cum pictoribus; acus cum penicillo; pretioſa fila, cum coloribus; margaritæ, cum pigmentis; figuræ cum figuris certare videantur. Sed oratio calamo diligentis oratoris elaborata vincit has telas acu pictas; ſtylus acum; hæc ſchemata, figuras illas; noſtræ gemmæ lectiſſimorum verborum, illorum Indicas margaritas; materies hæc ſuperat illud opus; hoc opus, illam materiã: & uincit arte; quòd illa tela quantumuis pretioſa materia diues, quantumuis arte laborata, tantum in oculos incurrit; oratio ſtylo depicta cum in oculos ſcripta litteris, tum in aures dicta uocibus illabitur: uincit delectatione; quod illa oculos; hæc oculos, aures, animumque delectat: vincit diuturnitate, quod illa uetuſtate paucis poſt annis perit, uſuq; conſumitur; hæc uero ad innumerabiles annos, ac multa ſæcula durat; & recens in eadem nouitate perſeuerans, per poſterorum manus, memoriam, & ora translata, uerſata, iactata, nulla nec tractatione, nec uſu, nec temporum longitudine conſeneſcit. Quod ſi mauultis, Auditores, ſtylum hunc noſtrum dicere ſimilem illi acui ferreæ duriſſimæ, ac firmiſsimæ, qua uaſa cryſtallina cælantur admirabilem in modum, non repugno. Quærite uos, quibus plus eſt temporis & otii, magnæ ſimilitudinis rationes: dicite quo modo ſingulis ſingula reſpondeant: ibi ſtylus ferreus; hic calamus ſcriptoris: ibi rota torni; hic mentis agitatio: manus ibi cælatoris; manus hic compoſitoris: cryſtallus rudis

ibi elaboratur ; oratio naturalis hic cælatur:ibi ſtyli mucro
puluere adamantis inſtruitur ; hic acumen calami præce-
ptis artis adornatur : illinc denique prodeunt uaſa figuris
affabre cælata, hinc orationes ornamentis artificioſe figu-
ratę. Dicite uos,inquam,iſthæc:ego,cui per tempus in hac
ſubtilitate acus,immorari non licet, ad tertium ac poſtre-
mum ſtyli munus propero, quod eſſe dixeram Mutatio-
nem. Nam ubi uitia naturæ detraxerit è ſcriptione ; præ-
clara lumina ornamentorum addit: ubi hæc adiecerit,quę-
dam commutat, meliora faciens poliendo, illuſtrando, 17
acuendo:quo in munere cotem,linguam,circinum,per me
licet appellare magiſtrum hunc mutum orationis. Quid
facit coticula ferro?quid gladiis?quid mucronibus? Non
illa quidem abradit æruginem,quam ignis,incus, malleus,
lima deterſit:ſed acuit retuſum, atque obtuſum gladium;
reddit aciem,dat acumen.Stylus cotem imitatus in offici-
na dicendi, argumentorum tela iam in fornacula cogita-
tionis ab ingenio fabricatore decocta, & in incude conſi-
derationis,iudicii malleo contuſa, lima diligentiæ perpo-
lita, tandem exacuit dicendi forma in melius permutata;
uel per interrogationem efferens ardentius, quæ frigidius
antea ſine interrogatione dicebantur ; uel grandioribus
uerbis,magisque ſignificantibus adornans, ut quaſi amen-
tata impetu maiore ferantur ; uel numero uehementiore
muniens, ut tamquam fulmina illa Periclis, Demoſthenis,
& Ciceronis in aduerſarios intorta vibrentur. Nam quod
ſecundo loco linguam nominari permiſerim, non id exci-
dit imprudenti:dico iterum confidentius ſtylum linguam
eſſe in ſcriptione, linguam mutam in ſcribendo, linguam
uiuam in poliendo. Atque illud quidem in ueſtra cogita-
tione relinquo, qui optime noſtis calamum, dum ſcribit,
tacite loqui; ut lingua clamoſe ſcribit,dum loquitur, ſic ut
liceat uobis definire, linguam quidem calamum eſſe lo-
quentem;calamum vero, linguam eſſe tacite clamantem:
ſpiritu illam, hanc atramento uti: illam ſcribere vocibus;
hunc

Digitized by Google

hunc litteris clamare:illam auribus locutione:hunc oculis ſcriptione:utrunque menti certatim deſeruire. Sed quo modo lingua uiua dicendus ſit in poliendo ſtylus, uolo ex me nunc audiatis, Adoleſcentes,& admiratione capiamini. Produnt ij, qui naturam animantium diligentius indagarunt, pari catulum urſæ candidum quidem, *Pl.l.8.c.36. Aelian.l.2.de*
18 ſed tamquam informem carnem, muribus paullo maiorem, ſine oculis, ſine pilo, unguibus tantum prominentibus, ut intelligas eo argumento rapax animal fore. Parens hunc informem,inchoatum, deformemque partum in lucem editum inſtinctu naturæ diligens, & perficere cupiens aſsiduiſsime lambendo figurat,& lingua ſupplet,quæ aluus auara denegauerat. Virgilium item Poetarum Latinorum facile principem tradunt dicere ſolitum; ſe urſæ more parere uerſus conſueuiſſe: recentes partus ſuos rudi facie, atque imperfecta eſſe: tum eiuſdem beſtiæ ritu,quos informes edidiſſet fetus, conformare,ac fingere lambendo. Non illud nunc expendo,quatenus ea uera ſunt, quæ de ingenio ſuo dixit uir ingenioſiſſimus; qui quia modeſtiſsimus erat, de ſe rebuſque ſuis, & demiſſe ſentiebat, & humiliter loquebatur; quia uero accuratiſsimus,non erat ulla mediocritate cõtentus. Illud perpendo, miror, & commendo, feræ huius ritu, lingua uſum, in ſuorum uerſuũ poematumque expolitione fuiſſe: mihi, vobiſque exemplo præluxiſſe: tacite docuiſſe,ſe non aliam ad ſua lambenda carmina linguam adhibuiſſe, niſi ſtylum. Hoc tranſuerſo, modo huic verbo,modo illi ſignum atrum illinebat,& in inducti locum conſonantius, ſplendidius,ſignificantiuſque ſubſtituebat: modo verſum integrum delebat,& numeroſiorem reponebat. Hoc poeta ſummus urſa præſtantior; quod illa nihil de ſuo, fetui lambendo confert:mulcet tantum extrinſecus, & blanditur lingua,vim natiuam fouet,& prouocat, quæ deliteſcẽs in membris, ea perducit ad perfectam ſuæ naturæ formã;

Animal.c.19. Ouid.l.15. Metam. Plut l.de Amore prolis.

Agell.l.17. cap.10.

& magnitudinem: poeta vero ſtylo uel addens aliquid, uel inducens minus bona, reſtituenſque meliora de theſauris ingenii ſuum opus & augebat, & ſpecioſiore figura conformabat. Quod & Franciſcum Petrarcham in Etruſca noſtri æui poeſi Principem, imitatione Virgilii factitaſſe perſuaſiſſimum eſt multis, qui codicillos eius manu ſcriptos paſſim interlitos, lituris notatos, multis in locis correctos, mutatosque viderunt. Quod Poetæ fecerunt in ſuis fetibus; Demoſthenem, Ciceronem, ceterosque viros eloquentiſſimos in ſuis ingenii partubus feciſſe, quis dubitet? Et uos, Adoleſcentes, non eandem conſuetudinem exemplo tantorum uirorum, quaſi legem uobis imponetis; ut ſcriptiones ueſtras recentes ingenii partus uiua propemodum ſtyli lingua conformetis, & lambendo poliatis? Quod ſanequam facilius præſtabitis, me auctore, ſi calamum veſtrum circinum quemdam eſſe puteris, & eum more Mathematicorum in ſcribendo tractetis. Etenim circinus Geometrarum potiſsimum eſt inſtrumentum ſtylis geminis compoſitum ad angulos acutos inter ſe iunctis, circulis in plano recte faciendis plane neceſſarium: quorum alter ſtylorum ſtabilis figitur in centro circuli faciendi; mobilis alter ducitur in gyrum, & conficit orbem plane perfectũ. Neque hunc vnum habet vſum: eo ſcribimus, delemus, metimur, perforamus, & omnia facimus, quæcumque ſtylus ſimplex in erudito puluere Mathematicorum ſolet efficere. Quod ſtylus noſter ſcribat, indicat, intellexiſtis: quod idem & orationi rotundandæ, & membris, comprehenſionibusque verborum metiendis, unde oritur numerus oratorius, deſeruiat, eſt modo peruidendum. Multa ſunt & mira, quæ Cicero de numero oratorio docet, ac prædicat: hic inter ea numeratur; quæ clamores, & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: hoc uehementius argumentorum tela contorquentur: hoc tamquam unguento delibuta oratio ſuauiſsime fluit, aureſque permulcet:

Cic. l. 1. de or. l. de orat.

huius laude clariſsimus euaſit Iſocrates, qui primus numerum oratorium ad perfectiſsimam quandam ſuauitatem arte perduxit. At hic unde pendet? quibus ex rebus efficitur? Partim ſcilicet è longarum breuiumque ſyllabarum artificioſa permiſtione, ſingulorumque uerborum ſuauitate: partim ex apta concinnaque collocatione, ſtructuraque coniunctorum; quæ neque aſpera ſit, neque hiulca: partim ex æqualitate menſuraque membrorum: partim ex rotunda quadam eorumdem omnium comprehenſione, quæ conficiat orbem, ut nec ſit breuior, quàm aures exſpectet; nec longior, quàm uires atque anima patiatur. Denique pendet ex quadam ſympathia rerum omnium, in qua primis ultima, poſtremis prima, mediis utraque, ſingula ſingulis, & uniuerſis omnia conſentiant. Quis autem tot rerum, ac tantarum Artifex? Stylum inquit eſſe M. Tullius, cum docet, collocationem conformationemque uerborum in ſcribendo perfici, non poetico, ſed quodam oratorio numero ac modo: neque quemquam ea conſecuturum, etiã ſi uehementiſsime ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, niſi diu multumque ſcriptitarit. Stylus igitur quaſi circinus non geometricus, ſed oratorius membra periodorum menſura æquali metitur: uerba ſyllabatim, longitudinem breuitatemque ſyllabarum expendens collocat: dactylum, creticum, dichoræum aliosque pedes oratorios ex arte permiſcet: hic uerborum orbes conficit; conuerſiones numeroſis clauſulis abſoluit, circumſcriptiones binis terniſue membris ſimiliter cadentibus, deſinentibusque rotundat: & denique hic idem ea præſtat omnia, quæ numeris circuitus uerborum illigant, numeroſamque faciunt uniuerſam orationem. Neque uero, propterea quod in chartis hunc numerum, ornatum, lumina, figuras imprimat ſtylus, metuere debetis, Adoleſcentes, ne non tantus hic eius labor è chartis in orationem uoce prolatam transferatur. Euelit hunc timorem Craſſus apud Ciceronem, cuius illa ſunt uerba memoriæ quamdiligentiſsime commendan- *Cic.l. de cl. or.* *Cic.l.1.de or.* *Cic l.1.de or.*

da; Qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hãc affert facultatem, vt etiam ſubito ſi dicat, tamen illa quæ dicantur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur; atque etiam ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid, cum ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur. Aptiſſima ſimilitudine res declaratur, qua Plutarchus adoleſcentes à dicendo ex improuiſo deterrens, hortatur vt cogitate loquantur; & quam ego non inuitam, refero libens ad ſcriptionem. Qui diu compedibus vinctus in aliquo ergaſtulo fuerit, cum è cuſtodia ſolutus educitur; non modo tardius ingreditur ac lentius, ſed etiam eo fere modo veſtigia ponit, explicat crura claudicans diu, quo claudicabat & vacillabat, cum ligneas compedes ferreaſue trahebat: quod & in equis cernitur, qui vincti compedibus vitioſum ſuccuſſum dedocentur à domitoribus, & pedetentim, ſedatoque niſu, molliter & æquabiliter explicatis cruribus ire docentur, vt gradarii fiant. Eodem fere pacto Mens & lingua, quaſi duo pedes orationis, ſtyli vinculo diu conſtrictæ, atque edoctæ ſcriptionis legibus, compoſite ac numeroſe loqui: tametſi ſtylus deponatur, liberaſque relinquat, retinent illam formam ac legem; illum modum tenoremque dicendi. Quod ſi non placet quod de Plutarcho ſumpſimus, quod de equis adiecimus; audite non minus idoneam explicandi rationem à Craſſo traditam; qui orationem nauigiolo, ſtylum remis, remigio, ſcriptionem; habitum curſui ſimilem putat. Vt enim, inquit concitato nauigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa nauis motum, & curſum ſuum intermiſſo impetu, pulſuque remorum; ſic in oratione perpetua cum ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine, & ui concitata. Verum maiorem quandam difficultatem obijcere mihi neſcio quis videtur, qui eſto, 21 inquit, vera eſſe omnia quæcumque de ſtylo prædicaſti: do magiſtrum eſſe oratorum, artificem eloquentiæ, compoſitorem elegantis orationis: at non omnes eſſe poſſumus

Plut. l. de educ.

Cic. l. 1. de or.

oratores:

oratores: tibi tuum habe ſtylum, quid concupiſcis mihi non eſt hic labor ſubeundus, cui firmitas laterum abeſt: non illi, quem deſerit vox, quem fallit memoria: non alij quem timiditas deterret; quem naturalis verborum ieiunitas & infantia retardat; quem denique cura rei familiaris, parentes, alia vitæ profeſſio reuocant à publice perorãdo. Miror, ne quid aſperius dicam, te, qui hæc cogitatione tractas, tam cito oblitum eorum, quæ publice in hoc noſtro templo diſputaui, cum nonnulla concionis approbatione, de neceſſitate eloquentiæ, non in concionibus modo, ſed etiam in legationibus, in deliberationibus, in iudiciis, in amicorum conſolationibus, congreſſibus, pacificationibus: quaſi vero, qui nec publice concionatur è ſuperiore loco, nec ante iudices in contentionem venit, eloquens eſſe non debeat. Nolo quæ tunc dixi, faſtidioſe repetere: vos ad eam mentem, ac memoriam reuocate. Sed præter ea tunc diſputata luculente, multa ſunt in humana vita, & in nobili uiuendi ratione, quibus, ſi non vox erudita, numeroſa, & elegans; calamus certe doctus, cultus, exercitatus eſt plane neceſſarius. An epiſtolarum ſcriptio non eſt cuique nobili ciui, & ingenuo viro pernecessaria? non eadem fuit (accurata tamen & egregia) multis veterum, & recentium glorioſiſſima? num Cicero minorem habet laudem ab epiſtolis, quàm ab orationibus? Plinio iuniori minorem gloriam attulerunt epiſtolæ, quàm Panegyricus Traiano Imperatori dictus? Qua re laudabilis L. Seneca? cõſcriptis epiſtolis. Qua S. Hieronymus, qui quia magnam vitæ partem in cœnobijs latuit incluſus, in bibliothecis abditus, in codicibus demerſus, ſtylo incumbens, in hominum lucem dicendo non venit? Ingentem laudem ſcriptis epiſtolis, eſt tum ab ætate ſua, tum à poſteritate conſecutus. Omitto cum Sidonio Apollinari veteres omnes Sanctos Patres Græcos, & Latinos, qui ſimili genere ſcribendarum litterarum, & Chriſtianis vniuerſis profuerunt, & ſibi ſplendorem maximum pepe-

runt.

ſerunt. Aetate noſtra Paulli Manutij ſtylus in epiſtolis non multorum oratorum, quorum circumferuntur orationes, gloriam adæquauit. Quid de vtilitate dicam, quam multis attulit facilitas, & ſcientia ſcribendarum litterarum? In Principum, Rerumpub. ac Regum arcana, conſilia, gratiam ducit hæc uia; tum inde prouehit ad opes, & honores. Quantus Aurelius Caſſiodorus extitit ab epiſtolis, qui tot Regibus Gothorum & Italiæ Theodorico, Athalarico, Amalasuenthæ, & Theodahado fuit à ſecretis, & conſiliis? Quid Aeneam Siluium Piccolhomineum, Petrum Bembum, Iacobum Sadoletum & alios, quos purpura fulgentes Roma vidit & Italia, ſummos ad honores euexit, niſi ſtylus eruditus epiſtolarum? Qui præter epiſtolas, in rerum illuſtrium diſputationibus edendis eſt apprime neceſſarius & laudatus. Eſſent vmquam in tanto pretio dialogi Platonis; libri morales Ariſtotelis; philoſophicæ quæſtiones M. Tullii, L. Senecæ, & Plutarchi opuſcula, Plinii ſenioris hiſtoria naturalis; Cypriani, Lactantii, Auguſtini, Baſilii; & Gregorii Nazianzeni opera ſine ſtylo culto, & accurato? Theophraſtus ſane non magnus orator fuit, qui in Areopagitarum conſpectu

Agell. l. 8. c. 8. Ael. l. 8. Var. hiſt. cap. 2.

conticuit aliquando; ſuam illam dulciſſimam eloquentiam non uoce prompſit, ſed libris ſcriptis: calamus, vt equidem opinor, illi potius quàm lingua nomen à diuinitate ductũ impoſuit. Culpa graui non carerem, ſi prætermitterem 22 Hiſtoriam, in qua ſtylus regnat: quo tamquam ſceptro demiſſo, aut infracto, deficit hiſtorici laus. De Saluſtio Thucydidi compoſito & æquato uere dicitur,

Quin. l. 10. c. 1. Martial. l. 14. epigr. 169.

Criſpus Romana primus in Hiſtoria.

Quinct. l. 10. cap. 3. Cic. l. de cl. or. Suet. in Caeſ. cap. 55. Quin. l. 10. c. 1 Plut. in Caeſare Tacit. l. 13. an.

Non potuit ſine aſſiduo ſtylo tam elaborata fuiſſe illa ſcriptio; cuius auctor plus cura, quàm ingenij facilitate videtur præſtitiſſe. C. Cæſaris Dictatoris commentarij, qui extant, confirmant illi laudem Eloquentiæ, quam hiſtorici omnes eidem impertiunt, nullæ orationes, vt intelligas, plus eidem ad immortalilatem nominis hiſtoricum ſtylum, quã

ora-

oratorium profuiſſe. Quid de T. Liuio dices? Neque- quā errabis, opinor, ſi eos omnes ciues exiſtimes Romam acceſſiſſe ab eius eloquentiæ lacteo fonte, qui non à lingua, ſed à ſtylo per hiſtoriam ad vltimos terrarum fines emanauerat. Thucydides rerum geſtarum pronunciator ſincerus & grandis: qui de rebus bellicis canit quodam modo bellicum; & omnes poſt Herodotum Hiſtoriæ parentē artificio vincit: toties à M. Tullio cum admiratione laudatus; toties à Demoſthene in illa patientia corporis animique deſcriptus, cui debet, niſi hiſtorico ſtylo laudes, & granditatem ſuam? Nam in orando valuiſſe parum, colligimus ex eo manifeſte, quod orationes eius in hiſtoria more hiſtoricorum inſutæ, Ciceroni reliquas eius virtutes admiranti, minime ſcilicet approbantur. Xenophon deniq. cuius ore quaſi Muſas locutas ferunt; cuius oratio, vt ſermo Neſtoris, dulcior melle defluebat, quo ſtylo tantam ſuauitatem, & ex ea nominis celebritatem ſibi apud poſteros comparauit? Stylo videlicet potiſſimum exercitato ſcribendis hiſtorijs. Quamobrem, Adoleſcentes, auidiſſime

23 arripite, ſuauiſſimeq. oſculamini Quinctiliani, ac Plinij monitum, qui vobis ſunt auctores, vt numquam ſtylum deponatis: ſed exemplo Ciceronis modo dialogos, modo quæſtiones philoſophicas, alias hiſtoriam, alias verſus componatis: qua varietate, tum ſatietas ingenii, quod è ſimilitudine rerum laſſitudinem ſentit, minuatur; tum in quocumq. ſcriptionis genere facilitas aliqua gignatur, ijs profutura, qui ad ſummam eloquentiam, quæ in contentionibus, concionibusq. dominatur, numquam ſperant ſe poſſe peruenire. Quoniam uero M. Tullii ſententiam uerisſimam eſſe cognoſtis, ſtylum optimum eſſe magiſtrum orationis, naturæ bonæ perfectorem, effectorem eloquentiæ: proinde laudis opificem & gloriæ, famæ, claritatis, immortalitatis, magni celebriſque nominis architectum; tempus admonet me, vt quæ vitanda vobis, quæque ſequenda ſunt, quo labor hic ſcribendi fructuoſior euadat, uos quo-

orat.3. nu. 15.

Cic.l.3.de or.
l.de orat.
l.de cl.orat.
l.de opt.gen.or.
Lucian. dial. adu. collect. libr.

Cic.l.de orat.
Quinct.l. 10. cap.1.

Quinct.l. 10. cap.5.
Pl.l.7.ep. 9. ad Corn.Fuſcum.

que commoneam. Sed illud idem tempus, quod tacito lapſu præcipitans, uel in dicendo me deſeruit, ac fefellit; uel longius quàm uolebam, prouexit orationem meam; me item commonefacit, ut inclinato iam in ueſperam die, remos inhibeam, aut attollam, & extra portum tamquam in ſtatione ſubſiſtam: tum quæ dicenda reſtant utilitatis pleniſsima, uel renouatis oratoris uiribus, uel recreatis auditorum animis, attentioneque recenti digniſsima, in alium diem, cum fauces, uox, latera dicentis ex hoc labore ſeſe quiete refecerint, & aures ueſtræ defeſſæ conquieuerint, reſeruentur.

Digitized by Google

DE STYLO OPTIMO DICENDI MAGISTRO,

Oratio Poſterior. Oratio VII.

SPes incredibilis, quam mihi inſolita veſtrũ omnium alacritas, & ardor ad ſcriptitandum, his proximis diebus poſt celebratas ſtyli laudes inieciſtis; Adoleſcentes; me quoque nonnihil pendentem animi, dubitantemque facile adduxit, vt citius quàm ſtatueram, ſublatis anchoris diſputationis nudius quinctuſdecimus inſtitutæ, rurſus in altum è ſtatione, magis beneuolentiæ veſtræ Fauonio datis velis, quàm remigio mearum virium impellerem orationem. Quid enim magis Doctorum ingenuorum, aut excitat ingenium, aut induſtriam acuit, aut animum accendit, ad nouas ſcholæ iuuandæ rationes excogitandas; ad curas extraordinarias, & inuſitatos labores pro eadem ſuſcipiendos ac perferendos, quàm diſcipulorum ad diſcendum propenſa voluntas; vt quantum ille ad eorum vtilitatem, commodumque cogitat, dicit, agit: tantum illi conatibus eius atque ſtudijs ſua diligentia ſtudioque reſpondeant? Laudo veſtrum iſtum animum; conatus probo; commendo ſedulitatem; vobis in tam fructuoſo labore, ſtudii perſeuerantiam exopto, mihi iucundiſſimam, gratiſſimam parentibus, vobis ipſis ſaluberrimam; quam ſi retinueritis, non dubito fore, quin aliquando magnum in eloquentia nomen ſitis habituri. Tu Deus Opt. Max. cuius nutu mortalium omnium fragilis hæc vita regitur, cuius ſapientia lubrica, & incerta voluntas temperatur; quam bonam mentem hiſce adoleſcentibus immiſiſti diuinitus, conſtantia & firmitate corrobora: mihi vero, quem cupiditate iuuandæ Brixianæ iuuentutis, inflammaſti, vires ſubminiſtra; tum afflictum inualetudine cor-

corporis animum, porrecta tua præpotenti manu ſuſtenta ſic, vt in benemerendo de meis diſcipulis, eorum aſſiduitati, mea nō concedat induſtria. Iam vero, Brixienſes, ad mutuam inter nos beneuolentiam; erga me veſtram, & viciſſim erga vos meam; quam mutua beneficia conſuetudoque docendi, diſcendique conciliauit; atque ad curam regendæ ſcholæ pertinere puto, vos præmoneri voce mea, tum de periculis impendentibus, quæ præcauenda ſunt, in exercitatione ſcribendi: tum de ijs quæ præſtanda ſunt à vobis in tractatione ſtyli, vt fructum è labore maximo maximum colligatis. Sum equidem vobis adoleſcentulis per ætatem nauta peritior nauigandi; paullo diutius quàm vos 2
vixi, ſcripſi, dixi; magiſtris optimis vſus ſum aliquot viuis, pluribus mortuis, qui non vocibus, ſed libris interdum accuratius, quàm viui docent: obſeruatione mea didici quoque paucula quædam non ita pridem: quibus præſidijs duos ſcribentium errores deprehendi, tamquam geminos ſcopulos, vobis quàm cautiſſima velificatione fugiendos. Intento digito vobis eos indico: qui quia ſub vndis deliteſcunt, periculoſiores ſunt ad naufragium: hoc eſt, recti ſpecie & per ſimulationem induſtriæ iuuenes incautos, inconſideratoſque decipiunt. Alterum moroſitatem, præcipitem ſcribendi celeritatem alterum voco. Nonnullos vel ſummæ cuiuſdam perfectionis nimius amor, vel natura religioſior in rebus omnibus adeo moroſos facit, ac lentos in ſcribendo, nulla vt expolitione contenti, moleſtiſſimam ſibi atque aliis tarditatem incurrant. Alios contra, ſiue cupiditas multa ſcribendi; ſiue odium limæ, laboriſque fuga, ſatis eſſe ratos quod ſcripſerint, & nihil melius quærentes, in vitioſam feſtinationem impellit. Hæc duo pericula Scyllam, & Charybdim ſcilicet arbitrere. Nam illi dum properationem plenis velis fugiunt infeſtam, ad moroſitatem miſerabiliter adhæreſcunt: hi vero dum moroſitatem feſtinante remigio vitant permoleſtam, ad celeritatem turpiter alliduntur. Prudenter M. Tullius (vt de priore loquar

peri-

periculo priore loco) prudenter, inquam, & iure Cicero *Cic.l.de cl. or.*
notat Caluum oratorem hoc vitio contaminatum, atque coarguit; qui cum litteris eſſet eruditus; & accuratum, atque exquiſitum dicendi genus afferret: quamquam id ſciēter, eleganterque tractaret; nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans, metuensque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis, & attente audientibus erat illuſtris, à multitudine autem & à foro, cui nata eloquentia eſt, deuorabatur. Quo Calue tua tam religioſa diligentia ſpectabat? non cogitaſti ſcribendo te in concionibus popularibus, non doctiſsimorum & attentiſsimorum hominum, ſed auribus indocti, atque oſcitantis populi ſeruire oportere? non memineras prouerbii vulgaris; id quod lima nimis extenuatur, aliquando tandem infringi? numquam inaudieras imperitiſsimos illos medicos haberi, qui dum putreſcentes, ac mortuas corporis partes nimis ad viuum reſecant; integras, valentes, ac viuas vulnerant, excruciant, excarnificant? Quamobrem prudenter item Quinctilianus monet, vt ſcribentis lima poliat, non *Quinct.l.* 10. exterat: habeat emendatio finem: docet eos peccare, qui *cap. 3.4.* ad omnia ſcripta, tamquam ad vitioſa redeunt; & quaſi nihil ſit rectum, quod eſt primum; melius exiſtimant, quidquid eſt aliud: inſanos denique eſſe, qui integra ſecant, & quærunt melius dicere, quàm poſsint. Itaque moroſi iſti
3 intelligant cum in omnibus rebus, tum vero potiſsimum in ſcribendo, videndum eſſe, *Quatenus*; etſi enim eſt ſuus *Cic.l.de orat.* cuique modus, tamen, vt ſummus dicendi magiſter & orator definiit, magis offendit nimium, quàm parum: in quo Apelles quoque eos peccare dicebat, *qui non ſentirēt, quid eſſet ſatis*. Sed quid ego Ciceronem, aut Apellem proferam auctorem tam ſolidæ, veræque doctrinæ? Veterum ſapientum ſemper fuit illa celebrata uox, Μηδὲν ἄγαν, *Ne* *Ar.l.2. Rhet.* *quid nimis*; philoſophorum omnium approbata conſenſu; *cap. 16.* *Auſ in Ludo.* Poetarum illuſtrata verſibus; ſanctorum Patrum commē- *7 ſap.*

Plut. in conui- data teſtimoniis; ſiue illa fuerit inuentum Pythagoræ, ſiue
uio. Solonis, ſiue Biantis, ſiue alius è priſcis illis, nobiliſsimiſque
Diog laer.l. 8. in Pythag. ſeptem Græciæ ſapientibus. Ne quid igitur nimis in ſcri-
S.Hier.ep.8. bendo, limando, lambendo; tolle aliquando manum de
ad Demetr. tabula, tolle de charta ſtylum; tolle calamum de litura. An
Pl.l.7.c.32. *Gal.l. de cogn.* ignoras ab Apelle vitio datum Protogeni præſtantiſsimo
& cur. an. pictori, quod manum de tabula tollere neſciret? Cum
morb.cap.3. enim Protogenis opus immenſi laboris, & curæ, ſupra mo-
Pl.l.35.cap.10 dum anxie miraretur Apelles, dixit omnia cum illo ſibi
paria eſſe, aut illi meliora, ſed vno ſe præſtare, *quod manum*
ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere
ſæpe nimiam diligentiam: quam & Aſinio Pollioni claro
Quin.l.10.c.1. in primis oratori non parum obfuiſſe Quinctilianus affir-
mat. Protogeni palmam in pictura Pollioni ſummam in
eloquentia laudem nimia illa diligentia præripuit: tu mo-
roſe ſcriptor, cui nihil placet, nihil arridet, nihil eſt ſatis;
qui de ſingulis uerbis in conſilium venis; qui ſcripta tua
torques, dum corrigere putas: non eandem iacturam ho-
noris, & amiſsionem laudis pertimeſces? Paucas, mihi cre-
de, in toto vitæ tuæ curſu litteras exarabis: pauciores ſcri-
bes conciones; pauciſsima denique edes opera, ſi moroſi-
Plut l.de glor. tatem imiteris Iſocratis, à quo Panegyricum quindecim
Athen. & l.de totos annos; vel qui parciſsime loquuntur, decem elabora-
x.orat.in Iſoc. *Quin.l.10.c 4.* tum dicunt; ſi tarditatem Cinnæ in Smyrna componenda
ſequare, qui nouem integros annos, in ea ſcribenda, per-
poliendaque conſumpſit. Nec uero cum hæc dico, moro-
ſos deterrens atque auocans ab intoleranda tarditate, te 4
in alteram voraginem præcipites volo, celeritatem nimiã,
proficere cupienti non ferendam. Etenim ſi ea naſcitur à
Cic.l.de cl.or. fuga laboris, manifeſta eſt negligentia; quæ de Regno elo-
quentiæ, diu glorioſe dominantem, turpiter deturbauit
Hortenſium: ſi prouenit ab amore naturali proprii fetus;
qui, quia tibi pulcher, bellus, ac feſtiuus videtur, quamquã
Ar.l.9.eth.c 7. eſt deformis, inuenuſtus ac frigidus; reſpuit, atque abijcit
limam; errore mentis à philautiæ cæcitate profecto labo-
raſ: ſi

tas: ſi denique quidquid primo impetu fundit ingenium, optime habere putas; melius effici poſſe negas: ſecundas curas, vt ſuperuacaneas, ſuperbe contemnis; intolerabili inflatus arrogantia, tibi omnes ad perfectionem aditus videris intercludere. Quænam inertia, quæ pigritia, quæ ignauia te cœpit, vt tantopere ſtylum exhorreas; & accurationem extimeſcas? Quæ præſtigiæ tibi oculos occupauerunt, vt tam cito tua tibi placeant omnia? vt ſimul editum calamo, perfectum exiſtimes fetum ingenii tui? vt tibi ſit religio, ſcripta relegere, retractare, perpolire? Verere ac metue falſam, & cum aculeo facetam irriſionem illi ſimillem, qua mali pictoris feſtinationem Apelles increpauit. Oſtendens enim ille pictori ſummo tabulam pictam feſtinanter, *Hanc*, inquit, *imaginem modo pinxi: Non eſt*, reſpondit Apelles, *quod referas; video properato depictam; miror vero quod non plures eiuſcemodi depinxeris*. O reſponſum acutiſſimum, & accommodatiſſimum iis, quorum calami, non ſcribunt, non exarant, non pingunt, ſed ad priſtinam recurrentes naturam volucrum, conſuetudinemque pennarum, volare videntur. Quid tu moræ neſcius in ſcribendo (ſi tamen ades) quid tu cunctationis impotens alteri Apelli, tuas orationes & epiſtolas pari tabulæ illi celeritati, parique incuria ſcriptas inſpicienti reſponderes? Non ſic Zeuxis pictor & ipſe primæ claſſis, præcipitis illius plane diſſimilis: qui moderatam eius in pingendo tarditatem iniuſte, atque imprudenter accuſantibus: *Fateor*, inquit, *me longo tempore pingere: ſed in longum quoque tempus proſpiciens æternitati depingo*. Quàm vellem, Adoleſcentes, vt hunc imitaremini ſcribendo! quàm opto, vos in orationibus, epiſtolis, carminibusque pangendis, vt huius exemplo proſpiciatis in poſterum; & immortalitatem nomini, ſtylo perpetuam laudem poſteritatis, operibusque veſtris æternitatem quandam expetentes; cura, ſtudio, diligentia faciatis, vt eam illa conſequantur! An ignoratis

Plut. l. de educ.

Plut. l. de mul. amic.

ita

Ar.l.4. de gener.animal. cap.4. ita natura comparatum eſſe, nihil vt magnum fiat citò?
pulcherrimo cuique operi difficultatem eſſe præpoſitam? 5
Quin.l.10.c.3. naſcendi quoque hanc legem eſſe præſcriptam, vt anima-
lia quò ſunt maiora, parentum viſceribus eò diutius con-
tineantur? abortus, qui ſunt partus immaturi, diu viuere
nequaquam poſſe? Fugit ne vos elephantē decem annis, ſi
Ar.l.5. hiſt.al. cap.14. vulgo credimus; biennio, ſi Naturæ ſcribæ, atque interpre-
ti fidem habeamus Ariſtoteli, aluo materna contineri, fo-
l.4 de gener. al.cap.4. ueri, perfici, vt integer, abſolutus, atque exſpectationi grã-
Plin.l.8.c.10. ditate reſpondens pariatur? fugit ne canem multos qui-
dem paucis à conceptu diebus, ſed clauſis oculis propemo-
dum cæcos edere catulos? Vtrum igitur expedit vobis ad
memoriam nominis ſempiternam veſtras orationes par-
uas, rudes, impolitas quamcitiſſime conſcriptas; an ma-
gnas, cultas & longiore tempore eſſe perfectas? Cito ſcri-
Quin.l.10.c.3. bendo non fit vt bene ſcribamus (quod viri ſapientes do-
cuerunt) ſed bene ſcribendo fit, vt cito ſcribamus. Vtrum
optabilius putes parientibus ingeniis, partus eſſe tempe-
ſtiua maturitate paullo tardiores; an acerbos, immaturos-
que abortus celeriter editos, interituros eſſe propediem?
Vtrum denique præſtabilius ad gloriam exiſtimetis, vnum
elephantum, belluam omnium terreſtrium maximam,
perfectam membris ſuis, turribus in bello prælijsque fe-
rendis idoneam vos ſerius edere in lucem; an cæcorum ca-
tulorum magnum numerum eodem quo conceperitis die,
vel menſe peperiſſe? Demoſthenes, Salluſtius, Virgilius, &
eorum in ſcribendo pares; tum Iſocrates, ac Cinna maxi-
me omnium (quamquam vterque intolerabilis moroſi-
tatis) Elephantos paucos, quàm multos catulos malue-
Quin.l.10.c.3. runt. Quare ſtylus veſter, Adoloſcentes, dum diligens eſt
non ſit moroſus, ſed tardus: ſcripta ſæpe reuocet ad iudi-
cium; non omnia probet cæcus, & amens amore ſui: retra-
ctet ſuſpectam facilitatem: fiat ſuorum operum Ariſtar-
chus, & Cenſor; ea quæ male tornata compererit, vt Ho-
Hor. in Poet. ratius loquitur, incudi procudenda, poliendaque reddat.

Denique

Digitized by Google

Denique memorabilem illam adhortationem ad Poetas, quos offendebat limæ labor, & mora, quondam ab eodem habitam, uobis quoque dictam putatote

Carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit; atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

6 Nauiculario, cum primum nauigaturus eſt, traditur quidem nautica illa tabula, ſeu charta pergamena, in qua uentorum regiones, maria, promontoria, littora, portus, euripi, freta, ſcopuli, ſyrtes, uada, uoragines, & alia maris pericula nauigantibus fugienda deſcribuntur: at uero præcepta bene tutoque nauigandi nulla in eiuſmodi tabellis apponuntur: à peritis hæc ore dantur, per manus quaſi traduntur à ſenioribus nauiculatoribus, nauiumque magiſtris: vſu denique inter tempeſtates ac pericula diſcuntur à nautis adoleſcentibus, cum circumflantur uentis, & fluctibus agitantur. Equidem propono uobis, qui nunc è portu ſoluitis, ante oculos ad ſcribendum, pro tabula nautica, meam hanc qualemcumque orationem, in qua ſunt hactenus nonnulla pericula, eaque potiſsima, demonſtrata, ſummo conatu remigum declinanda. Sed in uobis erudiendis nauiculariorum induſtriam ſuperare cupio: dabo uobis præterea bene, utiliterque ſcribendi præceptiones, tum antequam ſtylum prehendatis; tum in ipſa ſtyli tractatione; tum denique poſt ipſam ſcriptionem. Imprudens nauigationem init, & temere dat vela uentis is, qui non ante quàm egrediatur è portu nautica cibaria, ſalſamenta, recoctum panem, & reliquum nauigationi comparauerit, & in nauim immiſerit neceſſarium commeatum. Imperitus ſcribendi artifex eſt, qui calamum optimo non imbuerit atramento. Sed quidnam eſt hic commeatus? quidnam hoc atramētum? Num forte ſcientiam doctrinatum per allegoriam ſignificas, qua niſi ſit animus inſtructus fruſtra ſtylus per chartam ducitur, aut certe traducitur inſipienter? Tecum ſentio, qui hæc obiicis, ſapientiam commeatum eſſe, quam quidam

etſi

Digitized by Google

etſi coemptam habent; non tamen in cellam nauticam importarunt; per atramentum ſcientiam rerum & Rhetoricæ artem intelligo, quibus niſi ſtylus affatim tinctus fuerit, atque imbutus, in ſcribendo fruſtra laboratur, uel certe ſcribitur inſcienter. Lectione igitur bonorum au- 7
ctorum cum de ſcribendo cogitas, teque ad ſcribendum ſuccingis atque adornas, uel alendus eſt animus, uel certe eſt excitandus: ut inde doctrinæ liquor, ac uerborum copia per ſtylum tamquam atramentum defluat in codicillos, & in ipſam ſiue ſolutæ orationis, ſiue carminum ſcriptionem inſtilletur. Quod documentum adoleſcentibus potiſsimũ eſt neceſſarium; qui non omnia quæ dicenda ſunt, è pyxide ingenii per inuentionem propriam, uel ex ærario memoriæ per recordationem depromere poſſunt, quod non omnia didicerunt: ſed eorum mentis uacuitas laboribus aliorum, ac doctrinis in eorum utilitatem, & uſum; poſterorum memoriæ proditis, uel implenda, uel iuuanda eſt. Quod ſi uiris doctis atque exercitatis; ſæpe ſcribendi uis deficit; exhauritur inuentio; memoria exinanitur, niſi aliunde, quo reficiantur, benigne largeque ſubminiſtretur: quid fiet adoleſcentibus, quibus nondum per ætatem licuit, neque animum ſcientia complere doctrinarum, neque ſtylum exercere diu ſcriptitando? Niſi oleum inſtilles continenter, extinguitur lucerna: non exinanietur ingenium adoleſcentis, ſi lectionis ſubtrahas illi nutrimentum? Adamate præceptum hoc, Adoleſcentes, ſalutare uobis, & iucundum: arripite conſuetudinem hanc optimam prælegendi aliquid ſcriptioni: retinete mordicus morem hunc animi præparandi; ſtylique optimo præſtantis auctoris atramento tingendi: ut animus præcultus, ac præparatus ſe dedat ad ſcribendum. Atque hoc documentum nolo mihi debeatis, ſed Annæo Senecæ uiro doctiſsimo, qui infelici Neronis ſæuiſsimi Imperatoris
L. Sen ep. 84. magiſterio non tam commemorabilis fuit, quàm miſerabilis: cuius uerba, tametſi deflexerint ab elegantia, nitore, latini-

latinitateque pura Ciceronis, digna propter utilitatem ſententiæ ueſtra memoria diuturna, referre par eſt. *Alit, inquit, lectio ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contriſtabit, & vires exhauriet; de ſtylo dico: alter ſoluet, ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt; & alterum altero temperandum; vt quidquid lectione collectum eſt ſtylus redigat in corpus.* Hactenus Philoſophus eximius Rhetoris filius, & ipſe dicendi magiſter bonus, qui paucis & vtilitates lectionis attingit, & periculum ſine lectione continuatæ ſcriptionis indicat; & ſaluberrimum temperamentum, quaſi contrariorum medicamentorum conficit, de duobus nartheciis lectionem atque ſcriptionem promens, eaſque permiſcens: qui denique poſthæc vos hortatur, Adoleſcentes, vt dum legitis, quò ſit lectio fructuoſior, Apes imitemini; Quid illæ faciunt? Per
prata vagantes idoneos ad mel faciendum flores carpunt: *Macrob. l. 1. Satur. cap. 1.*
8 ſuccum varium è floribus ducunt; eumque in vnius ſapo- *L. Sen. ep. 84.*
ris liquorem natiuo calore coquunt, ſpirituque permiſcēt. Quos flores peruadetis vos, luſtrantes bibliothecarum prata, niſi lectiſſimos quoſque auctores, ſapientia & eloquentia florentiſſimos? Non omnes euoluere, perlegere, quicumque latine cum aliqua laude ſcripſerunt vobis licet: tum quia non ſinguli ſunt ad imitandum, ad docendum, ad locupletandum animum plane perfecti: tum quia vos non eum poteſtis habere delectum optimorum, qui neceſſarius eſt in tanta multitudine librorum, vbertate rerum, copia verborum, ingeniorumque luxurie; in qua cum tritico veræ ſolidæque doctrinæ, & eloquentiæ, ſua ſponte lolium infelix tum falſitatis, tum loquacitatis innaſcens inter ſegetes admiſcetur. Cribro iudicij eſt opus acerrimi ad ſecernendum; quod, non adoleſcentis culpa, ſed ætatis, nondum in adoleſcentia maturuit; vſu rerum, & exercitatione legendi matureſcit: quantum procedimus annis, & aſſiduitate ſtudendi; tantis iudicandi vis augetur incre-

mentis. Quid quod Adoleſcentium mentes rerum nouitate decipiuntur? Omnia noua placent, quibus omnia fere ſunt inaudita, & incognita; & quia nondum cum melioribus comparata, videntur quoque mirabilia. Cui non videatur vitrum pretioſiſſimum, vt barbaris illis vertente ſæculo proximo in occidente repertis, ſi cryſtallina viderit numquam? Quis non cryſtallum hiemis rigentis opus maxime duxerit admirabile, qui non illud accurate cum adamante contulerit? Non erat adoleſcens Virgilius, ſed ætate, iudicioque maturus, cum è luto, vitroque Poetæ vetuſtioris gemmas & aurum colligebat. Non nego quoſdam extare, quos cum vtilitate fructuque legeretis: ſed hoc tempore notationem cenſoriam, ac iudicium auctorum, quod Quinctilianus diligentiſſime fecit, non opportunum cenſeo. Bonorum pæne ſolus, atque optimorum ſummus, ac primus in hac palæſtra M. Tullius eſſe vobis debet, in omni ferme genere ſcriptionis, epiſtolarum, orationum, ſcholarum, quæſtionum, librorum vere latinus, atque emẽdatus; æque clarus, ac nitidus; dulcis pariter ac vehemens; elegans ſimul & copioſus: vel certe ſi quis alius præter Ciceronem volutandus eſt, ac legendus diligenter, is tantũmodo verſetur manibus, verſetur in oculis per memorabile Quinctiliani iam ſæpe cum laude commemorati præceptum gemmis inſculpendum; *qui fuerit Ciceroni ſimillimus*. Atque vt eædem Apes non prius deſerunt florem, quam inde viſcum, tenacemque liquorem abraſerint, cæleſtem item rorem ſuxerint omnem, ad ceram, mel, fauosque fingendos; ita vos quæcumque digna ſunt notatu preſcriptis ex auctoribus colligitote; memores illius moniti; ſapientiſſimorum virorum conſenſione quidem editi, ſed à Plinio minore vulgati, *Multum legendum eſſe, non multa.* Paret horum conſilijs adoleſcens ille ſtudioſiſſimus, qui quæ legit oculis apud auctores probatiſſimos, non curſim legit, ſed pedetentim: non inconſiderate præteruolat, ſed attentiſſime, lentiſſimeque obſeruat: non ſorbet animo,

[Margin notes: Quin. l. 10. c. 1. — Quin. l. 2. c. 5. — Pl. l. 7. ep. 9. ad Corn. fuſc.]

ſed

ſed fugit: mandit conſideratione, non oculis deuorat & ingenio: non populari trutina, ſed accuratiſſimo iudicio tamquam aurificis ſtatera perpendit, & examinat omnia; tum ſingulis rebus libratis, menſuram adhibet, regulam, ac perpendiculum rhetoricorum præceptorum, normamque iudicii naturalis acerrimam, quibus deprehendat quã recte, quàm ex arte ſe habeant, ne fallatur. Multum legit, non multa; qui potiſſimum obſeruat ea, quæ ſplendent, eminent, afficiunt voluptate; qui de multis ſecernit meliora; ſeponit optima: qui nouitatem ſententiarum, granditatem rerum in inuentione; catenam ordinis, & rerum collocatarum gradationem in diſpoſitione; in elocutione tum verba, tum figuras animaduertit. In verbis ſingulis notat proprietatem ac nitorem; in coniunctis ſtructuram, & numerum per omnes orationis partes, vt ſanguinem in membra diffuſum: in translationibus ſplendorem, ac ſuauitatem: ducantur ne rebus ex illuſtribus, an obſcuris; quã facile decurrant in alienam ſedem translatæ voces, vine tractæ, an inuitatæ precario. Diſtinguit in ſchematibus verborum figuras, ab ornamentis ſententiarum; atq; hæc pluris æſtimat, quæ Demoſtheni dederunt eloquentiæ coronam. In orationibus plus obſeruat epilogos, quàm procœmia, quod in illis grauiores affectus, tela victoriæ dominentur.

10 Multum item legit, non multa, qui prudenter intelligens ſe vno coniectu oculorum omnia haurire non poſſe; neque oratoris, quem legit, optimi ſpiritum illum, quo viuit oratio, exſorbere animo; atque vt ita dicam imbibere ingenio phraſim, modumque dicendi, colores, mores atque affectus induere; labore, quamquam maximo, deſcribit vel totam orationem, vel partem pulcherrimam orationis, exemplo veterum oratorum. An non meminiſtis Demoſthenis? Hic conſequendæ cupidiſsimus eloquentiæ perfectæ manu ſua deſcripſit, quem? quemnam? Atticam illam luſciniam Thucydidem. Quoties? ſemel, aut iterum? parum dicis. Quater? Quinquies? nondum di- *Lucian. dial. adu. collect. librorum.*

uinaſti;dicam ego,quod à fide dignis auctoribus proditum eſt,quodque uix exiſtimaſſes veriſimile; numquam audita, vel vſitata diligentia, nullius æquando labore, Thucydidem totum,quantus eſt,octies:latine loquor,ac proprie; deſcripſit octies,inquam,manu ſua Thucydidem, vt Atticum dicendi ſtylum exſorberet, hauriret, ac ſuum faceret in dicendo. Prò mirabilis diligentia! quàm poteſt amor eloquentiæ! quàm laborat,cum in rem concupitam incubuerit induſtria! Vos Adoleſcentes tantus hic Demoſthenis conatus, tantaque cupiditas imbibendi ſtyli Thucydidij, vos inquam ad ſimilem in lectione M. Tullii laborem moderatius ſaltem, ſuſcipiendum non exemplo tam eloquentis viri permoueat? Sed vt ad inſtitutam diſputationem reuertatur oratio, Multum quoque legit non multa,qui Quinctiliani, Pliniique ſuaſu præſtantiſsimos auctores legendo interpretatur è Græco in Latinum:addo equi- 11

Quinct. l. 10. c. 5.
Pl. l. 7. ep. 9. ad Corn. Fuſc.

dem, & è Latino in vernaculum ſermonem, & ex hoc uiciſsim in Latinum. Primum enim uertentem, ac transferentem auctores,ea notatu digna non poſſunt fugere,quæ forte legentem fefelliſſent. Velit,nolit interpres non tractare modo,ſed & retractare; non aſpicere tantum, ſed & circumſpicere,atque introſpicere cogitur ſæpius quæ conuertit, ſiue vt fidus ac religioſus interpres verbum verbo reddens annumeret lectori ſingula,non appendat:ſiue lege ſolutus interpretis,oratorio modo liberior, ſententias tantum in ſingulis verborum comprehenſionibus integras, inuiolatasque retineat. Deinde quot aliæ vtilitates ex eadem accurata legendi ratione tamquam è fonte dimanat? Paratur proprietas,ſplendorque verborum, cum ea quæris verba diligenter, quæ uerbis auctoris, quem interpretaris, apte reſpondeant: paratur copia figurarum, quod in conuertendo,ſi figurata interpretatio,ut par eſt, cum auctoris figurata locutione conſentiat; multas ac uarias figuras excogitandi, fingendique neceſsitas urget: paratur denique ex eorum imitatione, quos uerſas ac uertis, facilitas inue-

Hor. in Poetic.
Cic. l. de opt. gen. or.
S. Hier. epiſt. 101. ad Pammach.

niendi,

riendi, formandique ſimilia. Neque vero hæc ad ſcribendum præparatio per interpretationem è linguis eruditis peregrinis, ſine magnorum virorum exemplo præcipitur. Nam L. Craſſus de cuius eloquentia tam multa paſſim M. Tullius ſcripſit; ſummorum oratorum Græcas orationes, parandæ copiæ gratia ſe, tum explicare, tum latine reddere, tum ex eis quædam imitari conſueuiſſe fatetur. Et Cicero ipſe non modo id commendauit, ſed effecit, cum Timæum Platonis, Oeconomicum Xenophontis, Demoſthenis, & Aeſchinis contrarias inter ſe orationes Romanis latinas dedit. Poſtremo multum legit, non multa, qui quæ *Cic. l. 1. de or.* *Plut. in Cicer.* *Cic. l. de opt. gen. orat.* *Quin. l. 10. c. 5* *Sidon. l. 2. ep. 9*

12 probat, atque obſeruat inter legendum, non excerpit tantum & calamo in aduerſaria refert; ſed etiam Memoriæ commendat: neque in cella memoriæ tantum collocat, ſed vt monet & loquitur L. Seneca perſcienter, curat vt eant in Ingenium. Volo vos hic, Adoleſcentes, attentiores, quàm fuiſtis: non enim ſcio, an aliud tanti momenti ad bene ſcribendum adhuc in tota oratione tractauerim. Expendite, quæſo vos, mecum quid incommodi ſequatur, ſi potius commentariis, & memoriæ, quàm ingenio lectiſſima quæque decerpta de bonis auctoribus obſeruatio concredat. Qui vel apud codicem, vel apud memoriam deponit aliquid ex auctore bono depromptum notatione legendo; quia bonæ fidei, ſtylo depoſitum repetenti reddit fideliter eodem omnino, quo primum acceperat, modo; verbis iiſdē conneſtitū, ſententiis iiſdē imbutum; quo ubi calamus integrum, vt eſt, in charta pari fidelitate deſcripſerit, quis auctoris peritus, unde fuit excerptum, non continuo videt bonum alienum eſſe non tuum? non illud ornamentum eſſe factum, ſed aliunde translatum? ſtylum tuum non imitatum eſſe, ſed furatum? Atque vt C. Verres quondam non tam Siciliæ Prætor, quàm Prædator, ex omnibus argenteis pretioſis ſigillatiſque vaſis, quæ integra nō poterat auferre; cruſtas, emblemata, ſigilla reuellebat inde, ac detrahebat; ita compoſitor hic orationis è codicibus ad *L. Sen. ep. 84.* *Cic orat. 6. in Ver.*

memoria, quia memoriæ alienam orationem integram mandare, ac pro ſua venditare ſe poſſe diffidit; pulcherrimas quaſque figuras, florentiſſima quæque ornamenta refigit ex alienis orationibus: tum ea tota quanta ſunt, declamationi ſuæ, cum eius deformi corpore membra parum cohærentia, turpiter atque imprudenter affigit. At eius, qui lectione pauit ingenium diſſimilis eſt ratio. Nã hic agitatione mentis confundens, cura decoquens, iudicio diſpertiens ea quæ notauerat, facit vt cum ſtylus ea digeſſerit in codicillum, non aliena eſſe, ſed propria cenſeantur. Mutatus eſt ordo rerum, aut ſeries ipſa verborum, ſententiæ, ſi ſunt eędem, verbis aliis conueſtitæ, uerborum figuris aliis ornatæ viſuntur: verbis & ſchematis verborum, ſi ſine vlla mutatione retenta ſunt, aliæ res, aliæ ſententiæ veſtiũtur: nihil in alienum locum irruiſſe: nihil vi ductum alienã ſedem occupaſſe; rogata omnia tamquam in locum aptum ac ſuum deueniſſe putantur; vt vere ſtylus non fur argumentorum, emblematum, aut ſignorum, ſed verus ac ſincerus colorũ, & ſchematũ imitator eſſe videatur. Accõmo- 13
date L. Seneca in hac re, ſimile humano ſtomacho facit ingeniũ. Etenim ille quoſcũq; cibos ſiue crudos & integros, ſiue coctos, manſos, molitoſq; dẽtibus: ſiue olera fuerint, ſemina, fructus: ſiue caro piſcium, auium, terreſtriũ animantium ſinu complexus fouet, miſcet, caloreq; natiuo concoquit, & in vnum liquorem lacteum commutat; qui tranſmiſſus ad iecur, in eo purpuraſcit, factuſq; ſanguis in cordis receptaculum deriuatus recoquitur, extenuatur, ac perficitur; indeq; per multiplices venarum, arteriarumq; ramos ad omnes partes corporis, & membra diffuſus ad alendum, augendumq; corpus diſtribuitur. Quàm diſtat ſanguis à cibo? quàm mirabiliter in vnum ſuccum omnia coierunt? Quis, quantumuis acutiſſimis oculis in ſanguine purpureo fructus à carne ſeparet; & lactucam à turdo diſtinguat? vnus color, idem ſapor, in vno corporis nutrimento. Bonum ſimiliter ingenium, quæ per lectionem

M. Sen. l. 10. controu. 5.

L. Sen. ep. 84.

nem

nem hauſit, ex optimis auctoribus, tametſi multa, varia, diſſimilia, recondit intus, ſolertia commiſcet, commentatione concoquit, artificio commutat in vnum ſuccum propemodum, & ſanguinem: abſcondit quod accepit; ſuum facit, quod abſcondit, & vnum oſtendit, quod efficit. Hunc liquorem ſibi ſemper ſimilem, calamo pro atramento ſuppeditat: in quo nec phraſes à Salluſtio decerptas: nec periodos à C. Cæſare depromptas; nec figuras à M. Tullio deſcriptas ad verbum, recognoſcas. Stylus hic qui tam bono imbuitur atramento, non metuit, ne fiat repetundarum reus; non veretur, ne peculatus accuſetur; non timet, ne furtum vllum deprehendatur, quia ſuum fecit iure, totum id quod aliunde videtur abſtuliſſe. Si qua ſimilitudo apparet in oratione ſcripta, quæ referat auctorem quem legiſti, non ea repræſentatio rei eſt, ſed imitatio: non eſt imago ſpeculi, quæ eſt eadem; ſed filij, qui cum ſit alius, viuus patrem non exprimit ad viuum, ſed adumbrat. Verum Memoria quaſi quædam cella penaria eſt; è cuius abacis, capſis, armariis cum promuntur cibaria, quæ in eis aſſeruabantur, integra plane, & nihil immutata redduntur; tum ſi conuiuis apponuntur in oratione, vel ſcripta, vel dicta, facillime ſtylus oratoris domeſtico furto conuincitur reus, & furti condemnatur. Sed per veſtram hu-
14 manitatem Adoleſcentes, permittite, vt rem hanc adeo fructuoſam vobis, nobiliore quadam, & clariore ſimilitudine declarem. In quauis bene conſtituta Rep. & in florentiſſima potiſſimum Venetorum, ſub cuius imperio viuitis, duæ ſolent eſſe, vel cellæ, vel officinæ, magna inter ſe diſſimilitudine perſimiles, aut certe ſimilitudine diuerſæ, in quas aurum, argentum, acerui nummorum, & vis pecuniarum quammaxima ſolet inferri. Quarum altera Ærarium publicum eſt, in quo quæcumq; in eo deponuntur pretioſa, ſiue ſint gemmæ, ſiue margaritæ, ſiue cryſtallina vaſa mirabiliter cælata, ſiue aurum, & argentum factum, infectum, informe, ſignatum, omnia ſumma fide,

in-

Digitized by Google

intacta, integra diligenter aſſeruantur. Si contingat quædam efferri, vel ad pompam, & oſtentationem; vel vt Regi, Reginæ'ue alicui, magnificentia dantis, & accipientis dignum aliquod munus donetur, quæ efferuntur vaſa, nihil mutata prorſus extrahuntur; cælata vt erant, cum cruſtis, emblematis, ſignis, vel prominentibus, vel affixis, ſuis margaritis diſtincta, ſuiſq; gemmis illuminata clariſſimis. Si pecuniæ promuntur, vel in militem, vel in claſſem, vel in pontium, templorum, xyſtorum, caſtellorum, naualium, aliorumq. publicorum operum ædificationem; eiuſdem notæ formæque promuntur, qua fuerant illatę quondam, & in ſaccis ab eo tempore conſeruatę. Talis, Adoleſcentes, in homine mihi videtur eſſe memoria, quę merito paſſim à Cicerone primum, tum ab aliis bonis Rhetoribus theſaurus rerum omnium nominatur. Quo melior eſt vel natura, vel arte, eo diligentior eſt in depoſitis, creditiſq. rebus, verbis, ſententijs integre conſeruandis; eo fidelior in iiſdem neq. corruptis, neq. violatis, neq. variatis reddendis, aut ſtylo, aut linguę, ſiue ad oſtentationem, ſiue ad neceſſarium vſum repoſcenti. Quo fit, vt illa oratio, quæ tota eſt è memoriæ theſauro ſuppeditatis rebus & uerbis coagmentata, ſit quidem diues & locuples; ſed non eiuſdem formæ, non eiuſdem rationis, non ſibi ſimilis, non denique ſtylo eodem, atque eodem atramento ſcripta uideatur. In ea margaritæ verborum, gemmæ ſententiarum, emblemata ſchematum cum admiratione cernuntur; ſed quia integra ſunt è memoria in chartam delapſa; & quondam ex aliis orationibus detracta fuerant in memoriæ loculis armarijsque collocata; nemo eſt lector illarum orationum, unde præclara illa ornamenta ad verbũ, & ſyllabatim refixa fuerant, qui nõ ea recognoſcat aliena, atque inde intelligat quàm nauiter compoſitor hic orationis, nondum peritiſſimus furunculus, aliorum orationes compilarit. Altera officina nobiliſſimæ vrbis eſt nummaria, quæ aurum, argentum, & æs omne ſignat in pecuniam;

Cic. l. 2. de or. *Id. in partit.* *Cornif. l. 3. rhet.* *Quint. l. 11. c. 2.* *Cic. l. 5. de fin.*

Non

Non minus eſt ærario diues proceſſu temporis: ſed valde diſſimilis. In hanc quidquid importatur auri, argenti, æris, ſiue facti, ſiue infecti, ſiue ſignati, ſiue informis, igne confunditur, conflatur, permiſcetur. Nomiſmata cuiuſcumque generis, notæ, formæ, Regis, aut Reip. perdunt notam & effigiem ſuam. Omnia fiunt vnum: & quod eſt admirabilius, ſi metalla confuſa & permiſta inferantur, hic artifices tanti operis, tū ignis vi, tū aquæ cuiuſdā quaſi venenatæ, quam fortem vocant, tum argenti viui ope, ſingula ſeparant artificio mirabili, vt aurum purum putum, ab argento ſeiungatur, hoc item expurgatum ab ære diſſocietur. Denique ſub monetali typo Venetorum nouam formam Leonis S. Marcum Euangeliſtam referentis accipiūt omnes nummi, qui ex ea prodeunt officina: totum id quod illatum fuerat, eodem mallei percuſſu ſignatum: eadem impreſſum effigie refunditur, ſic vt minime agnoſcas, qui fuerant antea, nummos vel Turcarum lunatos, vel Gallorum florentes liliis, vel cruciatos Luſitanorum, vel Caſtellanorum regales, vel aliorum Principum ſcutatos atque coronatos. Simile dixerim huic officinæ bonum ingenium hominis, quod & confuſa diſtinguit, & compoſita ſeparat, & ſeparata componit. Quorum primum munus, Ariſtoteles, qui multitudini imperitæ diſtinguendi ſcientiam adimit, videtur ſapienti concedere, qui verum à falſo diſtinguit, materiam à forma, ſubiectum ab adiacentibus; à conſequentibus antegreſſa; bonum à prauo; mores ab affectibus; vrbanitatem à conuicio; maledictum, & aculeos, ab ſalibus, & facetijs; hyperbolem à mendacio: in verbis autem diſcernit Latinum, à barbaro; natiuum, à peregrino; proprium, à tranſlato; ſoloeciſmum, ab emendatione; tropos, à figuris, ſchemata ſententiarum, à verborum ornatu; numerum oratorium, à poetico; narrationem, ab amplificatione: loquacitatē & inanē verborū profluentiā, ab eleganti copia dicendi germanaque, & ſuis inſtructa præſidiis eloquentia. Deinde quæcūque ſumit per auditionē, præſertim

Ariſt. 10. eth. cap. 1.
Gal. l. de cogn. & cur. an. morb. cap. 2.

& lectionem à magiſtris, & libris, tamquam in fornace co-gitationis, commentationiſque calore, quantumuis varia, & diſſimilia, conflat, coquit, permiſcet, & facit ſua; vel furum imitatione, qui vaſa argentea ſublata furtim, & aurum inuentum, illico conflant, ne recognoſcantur à dominis; vel more ſtomachi, qui varios diuerſoſque cibos in vnum conuertit ſanguinis purpurei ſuccum; tum in vnum conflata, & à noxiis, uitioſis, ſuperuacuis expurgata typo ſuo format, ac figurat quaſi noua nomiſmata, ſic vt quæcumque poſtea dicuntur, ſiue ſcribuntur, tum ab ore, tum à calamo defluant vno modo; atque vnius tenoris, eiuſdem linguæ motu dicta; eiuſdem ſtyli ductu ſcripta videantur. Conſiderate Ciceronis ingenium, quod ſolum populus Rom. par imperio ſuo cognoſcere potuit; diſtinguite, ſi poteſtis, in eius orationibus & libris varietatem ſtyli. Quàm multa ille legerat; Deus bone! Quàm multa de Græcis, Latinisque bonis auctoribus deprompſerat? Quot orationes, Lælii, Catonis, Gracchorum, Craſſi, Antonii volutauerat? Non id negat. Sed quia cum apud memoriam multa depoſuerat, tum vero plura in ingenium intruſerat, propriaque commentando fecerat, repetita fluebant à calamo eiuſdem plane figuræ. Sed dicet aliquis, Quid? Num 16 exercitationem memoriæ contemnis, tu qui memoriam adeo deprimis & affligis, ingenium vero laudas, & extollis? Si contemnis; cur nobis es moleſtus, & tam ſæpe, atque acriter nos vrges, verbis, minis, ardore quodam animi, & contentione vocis, vt Ciceronis orationes, librum eiuſdem de oratore perfecto, & ſelectas odas Horatii memoriæ quamdiligentiſſime commendemus? Si non contemnis, cur iſta oratione tam infenſus memoriæ, tamque infeſtus pro ingenio decertans ingenium anteponis? Bona verba quæſo, Iuuenes; ſedatis agamus animis; uiam ſapientum ueſtigiis conſignatam, & meis pedibus tero: non deflecto de curriculo maiorum in docendo: non deuius aberro. Quemadmodum in bene temperatis ciuitatibus, & ærarium,

rium, & officinam nummariam requirebam; in homine ſummam memoriæ capaciſſimæ ac fideliſſimæ vim, & acutiſsimi ſolertiſſimique ingenii facultatem æque deſidero: neutram ſperno, negligo neutram: abſit à me tantum ſcelus; vt quæ duo ſummus opifex hominis Deus animi ornamenta, diſcendi præſidia, doctrina receptacula, eloquendi ſubſidia, gloriæ atque immortalitatis inſtrumenta donauit nobis liberalitate diuina; ſolus inter tot ſapientes ipſe homuncio repudiem. Vtramque in me, & in vobis cariſſimis diſcipulis meis opto, concupiſco quamoptimam, & quamcultiſſimam florere; ſed pluris bonum ingenium, quàm memoriam facio: tum quia proprium eſt illud hominis bonum atque ornamentum non commune cum belluis, vt memoria; tum quia vtilius eſt ingenium ſine magna memoria; quàm memoria ſine magno ingenio, quod aduerſaria, codicilli, commentarii ſubſidio ſunt imbecillitati memoriæ, non ingenii. Quamobrem non veto mandari res & verba memoriæ, ſed opto quamplurima memoriter comprehendi; tum addo optabilius eſſe, & vtilius fore vobis, vt maiorem rerum, & verborum ſupellectilem in ingenio, quam in memoria collocetis. Denique, quemadmodum in ciuitatibus ex ærario continenter aurum, & argentum transfertur in officinam monetalem, vt cudatur in pecuniam, & Reip. ſigno figuretur; quid prohibet è memoriæ plenæ confertæque theſauris aliquid ſubinde in ingenium deportari, quod ingenij propria forma ſignetur? Itaque cellam vtramque complete, refercite, locupletate bonorum auctorum lectione, doctorumque virorum auditione; tum ſuaſore me, cum exhauſtum ingenium animaduertetis, facite vt illi, quæ deſunt, memoria de ſuis bonis diuitijſque ſuppeditet.

17 Nimis multis præculti iam & præparati eſtis ad ſcribendum: æquum eſt ut quæ præcepta ſint in ſcribendo ſeruanda doceamini. Quorum primũ ſit illud celeberrimũ Cæſaris Auguſti monitũ Σπεῦδε βραδέως *feſtina lente*, quod ſemper habebat in ore; tum cupiatum *Sue. in Aug. cap. 25. Agel. l. 10. cap. 11.*

Macr. l. 6. Sat cap. 8. *Adag. col. 433*

Ducibus, Præfectiſque Prouinciarum ſæpe commendabat. Et quoniam non ſemel ſcribendi laborem, nauigationis genus quoddam eſſe dixi periculorum pleniſsimæ, vobis indico pro ſigno cæleſti monſtrante polum; pro aſtro duce nauigationis, non maiorem aut minorem vrſam; quibus nautæ ueteres utebãtur, & noſtri; non urſam lambentem fetus ſuos, quam Virgilius imitatione laudabiliter ſequebatur: ſed delphinum anchoræ implicitum à Tito Veſpaſiano Imperatore; quo ſigno dictum Auguſti pulcherrimum comprobauit. Deſideratis fortaſſe nauticam illam pyxidem, in qua ſalutari ueneno magnetis acus infecta, recto ſtabilique inſidens ferreo ſtylo, quoquouerſus mouetur, polum arctonque alteram inquirens, ut quieſcat? Sumite partem alteram nomiſmatis eius, quod idem Auguſtus excudi ſignarique iuſsit, in qua nobiliore fortaſſe modo, quàm Titus, illud idem præceptum expreſsit, cum fulmen, & terminum inſculpſit, tacite monens utrumque utroque moderandum eſſe, ac temperandum. Stylus ueſter, Adoleſcentes, in ſcribendo, neque ſit terminus, neque fulmen. Si terminus in charta ſtabilis, atque immobilis inhæreat illa moroſitate, quam priore loco reprehendi; per ſpeciem accuratæ tarditatis, nihil efficiet, &, ut prouerbio dicitur,

Agell. l. 17. cap. 10.

Pier. Val. l. 45 Hieroglyph.

Lau. Torrent. in Suet. Aug. cap. 25.

Adag. col. 193.

Incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Peſsime de ingenio ſuo merentur, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem; qui quia nihil illis eſt ſatis, omnia mutare; dicere aliter omnia, quàm occurrit, uolunt: & interea dum manum iactant, uultum diſtorquent, trabes enumerant, mordent ungues, pluteum cædunt; ſtylus otioſus hæret, atque ut terminus atramento infixus cõquieſcit. Tarditas iſta uos ad mærorem inſanabilem, ex hoc in deſperationem impellet. Contigiſſet id plane Iulio Secundo nobili pariter atque ingenioſo adoleſcenti; niſi Iulij Flori prudentia ſuccurriſſet. Triduum integrum Adoleſcens labore ſummo materiæ ad ſcribendum deſtinatæ

Quin. l. 10. c. 3.

quæ-

quæſiuerat exordium, nec inuenerat; cum illum Florus patruus offendit triſtem, reſupinum, tectumque ſcholæ reſpectantem, ac pæne deſperantem: cauſſaque doloris cognita, *Numquid*, inquit arridens, *tu melius dicere uis quàm potes?* Vobis idem putate dictum cum hæc vitioſa mora nihil agentes detinet, & dum otium refugitis, tunc maxime nolentes otiamini; ſcribite quidquid in calamum venit in ea difficultate, ſuo tempore recognoſcendum ac poliendum, ne deſperatio vos occupet: recurrite ad lectionem, qua ſiccum, aridum ac ieiunum ingenium reficiatur: & denique intelligite, non eſſe promptum definire, vtri grauius peccent, ii ne quibus omnia ſua placeant, an quibus nihil. Si contra ſtylus idem vel multa ſcribendi cupiditate, vel laboris, & limæ fuga ſtimulatus, tamquam fulmen per codicillos feratur, & incredibili celeritate percurrat; aut vno die bene longam orationem componens, aut ſexcentos verſus vna hora ſtans pede in vno profundens; in alterum extremum vitium priori contrarium, & æque fugiendum prolabetur. Moderetur igitur termini ſtabilitas velocitatem fulminis: incitet fulminis celeritas termini tarditatem; atque ita hæc duo miſceantur inter ſe, prudenterque temperentur, vt ſtylus in ſcribendo tardum fulmen, & celer terminus eſſe videatur; atque ex Auguſti ſententia in hoc quoque labore ſcribendi ſtudioſus eloquentiæ lauda-
18 biliter lente feſtinet. Alterum documentum inter ſcribendum eſt, ut ſtylus libentius, ac frequentius in ingenii vaſculo, quàm memoriæ tingatur. Non actum ago: nouum id eſt quod dicam. Complendum ingenium lectione bonorum auctorum tum dixeram eſſe diligentius, quàm memoriam; nunc ex ingenij fonte potius, quàm è memoriæ piſcina ſcriptionem eſſe deriuandam doceo. Non paratur eloquentiæ laus ab eo, qui non confecerit ſibi ſtylum proprium, tenore quodam dicendi ſui per omnia ſimili fluentem, qui de memoria manare non poteſt; ſolet autem ab ingenio bene exercitato labore nullo decurrere. Quam

ob

Fräc.Petr.l.1. epiſt.7. ad Th. Meſſan.

ob cauſſam, opinor; Franciſcus Petrarcha, quem honoris gratia Pindarum Etruſcorum noſtratium poetarum voco, diſſentiens à L. Seneca in ratione ſcribendi, non vt ille

Ar.l.5.de hiſt. an.cap.19. Pl.l.6.cap.17. l.11.c.22.23. Ouid.l.15.met. Clem. Alex. l. 2.pedag.c.10. Tertull.l.de pall.cap.3.

Apem, ſed Bombycem nos imitari ſuadebat. Eſt Bombyx ex Erucarum genere vermiculus corpore tenerrimus, è ſemine genitus Papilionis, ab India, non multis ab hinc ſæculis aduectus; qui mori foliis bene paſtus atque auctus in arbores apud Seras (quos hac ætate viri docti Sinas nominant) atque in aliis calidioribus regionibus, apud nos vero ſub tectis in defractos ex arboribus ramulos aſcendit: ibique araneorum more, per os euomens ex aluo diſtenta paſtu, & quaſi nendo filum ducens tenuiſſimum, ac firmiſſimum aurei coloris, artificioſiſſime pauculis diebus ſibi texit, & conſtruit, ædiculamne, an ſepulcrum? an nidum? ouo forma ſimilem, & magnitudine quoque parem, ubi paſcuntur vberius. Opere perfecto ſe in hoc molli, pretioſo, volubilique nido inuoluit, atque includit; vbi uel moritur, ut inde poſt aliquot menſes alis inſtructus in papilionem mutatus, rediuiuus egrediatur, Phœnicis æmulus, imago futuræ mortalium anaſtaſis, è doctorum ſanctiſſimorum Baſilii, Ambroſii, Theodoretique conſenſu: vel ſi non moritur, in eodem cubili ſomno conſopitur, vt ſeminibus grauidatus euolet inde fecundior. Aquæ tepore nidus ille retexitur, ac retorquetur tela, filumque facile colligitur integrũ; tum omni colorum genere inficitur, ac tingitur; ex eoque tela bombycina texitur, multis ac miris formis, primum in veſtem luxũque feminarũ; deinde in Regum uſum; tũ in ornamentum altariũ, templorũ, & facientium res diuinas ſacerdotum: denique copia fecit, ut iam non deliciis & ornatui, ſed mortalium fere omnium ueſtitui neceſſario deſeruiat. Illud ad rem noſtram mirabile notandum eſt, quod etſi foliis alitur mori uermiculus hic ingenioſus, ita tamen illud uile nutrimentum conficit, coquit, & in unum commutat ſuccum, ut cum humano ſtomacho in ſanguine creando contendat: tum filum illud efficit è ſucco ſuo nuſquam

S.Baſil.hom. 8.Hex. S.Ambr.l.5. Hex cap.23. Theodor.ſer. 4.Prouid.

Iuuen.ſat.6. S.Hier.ep.7. ad Latam.

quam

quam diſsimile, nihil ut appareat alimenti. Quis enim quamquam linceus, in eo ſaporem foliorum, quis odorem, coloremue diſtinguat? Denique ſua doctus arte, ſua per eruditus induſtria totum opus inchoat, & abſoluit. Verum Apis, vt Petrarcha cenſebat, non faciendi mellis ſcientiam habet, ſed colligendi: quidquid in floribus, ac frondibus reperit, in alueario coaceruat: non illud deuorat, non coquit,
19 non immutat. Itaque cupiebat ſcriptores uerſuum ac poematum (quod idem ego de omni ſcriptionis genere definiendum arbitror) non Apes eſſe ſed Bombyces: opera facta eſſe, non collecta uolebat: optabat ut ex ingenio ſaperent, & loquerentur ſuo, non ex alieno: cum quo prudentiſsime ſenciente ſane quidem ipſe conſentio, & ſi nō uerbis, re ipſa certe ſententiaque conſpiro. Qui enim è memoriæ cella promit omnia quæ ſcribit cruda, ſolida, integra, non ab ingenio decocta, & in unum deducta filum, nō telam unius rationis texere poteſt: ſed centonem conſuit à Petrarcha damnatum ex multis, uariiſque fruſtis, ac fragmentis compactum hinc inde reſectis, de quo dici poſsit illud Horatij non diſsimile uitium reprehendentis.

Purpureus late qui ſplendeat vnus, & alter *Hor. in Poet.*
Aſſuitur pannus.

Floruit quidem aliquādo Proba Falconia nobiliſsima Poetria Chriſtiana, quæ uel exercendæ memoriæ gratia, uel ingenii per nouam inuentionem patefaciendi compoſuit Homerocentones, & Virgiliocentones, hoc eſt poemata ex integris, ac dimidiatis illorum ſummorum Poetarum *Auſon. Præfat.* uerſibus coagmentata. Concinnauit & Auſonius elegan- *edyllij 13.* tiſsimus ætatis ſuæ Poeta centonem nuptialem è carminibus Virgilianis, Imperatoris Valentiniani, qui iubere poterat rogatu (quod genus eſt potentiſſimum imperandi) opus, ut auctor profitetur, non laboris, non curæ, non ingenii, ſed memoriæ, quod ridere magis, quàm laudare poſſis. Laudabilis tamen conatus, non ad exercitationem memoriæ tantum, ſed etiam ad aliquod ingenii ſpecimen exhiben-

ſcribendum? At orator qui famam quærit eloquentiæ, Cicerocentonem pro oratione ſine magna uituperatione conſcribat? Telam Bombycis ritu ſibi texat, uerſicolorem, ſi placet; & ſi lubet, Damaſcenam floribus, frondibus, figurisque depictam, ſed uno filo, eodem pectine, radio, licijsq; contextam. Verum apibus reddamus laudes ſuas, quando Seneca, quem ſecutus eſt Macrobius, nobis eas propoſuit imitandas. Non collectitium opus eſt fauus, ſed ſummo artificio confictus: fictrices uere illæ ſunt, atque artifices admirabiles, ubi uarios ſuccos, lacrymas ac liquores, non modo dulces, ſed etiam pingues, ac tenaces collegerint. Longum facerem ſi totam earum euoluerem artem in fauis confingēdis: illud ſit ad rem noſtram ſatis ab apibus quoque rorem hauſtum à floribus atque herbis concoqui, condiri; & ut loquitur Seneca, earum ſpiritu quaſi fermento quodam, multa in mel unum coaleſcere colore pulcherrimum, ſapore dulciſsimum, & medicina ſaluberrimum. Cur enim optimi quique ſcriptores ſermonem eorū, quos laudatos cupiunt, fauo mellive ſimilem dicunt, niſi quia putant, eam orationem, quæ facta fuerit apum imitatione, perfectam? Hinc Salomon cæleſti ſponſæ, Neſtori Homerus, Eupolis Pericli, Xenophonti Cicero, M. Tullio Symmachus orationem uel mellis ſimilem tribuit, uel melle dulciorem. Quis in melle fauoque uiolam, roſam, liliumq; diſtinguit? Nemo ſane. Quod ſi obijcias à Poeta dictum;

Redolentq; thymo fragrantia mella;

hoc auide arripio ad meum ſenſum explicandum. Optandū eſt, ut etiamſi apparuerit unde ſumptum eſt, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumptum eſt, appareat: nolo phraſes integras, & amplificationes, & figuras Ciceronis eminere, ſed imitationem in oratione tua ſplendeſcere; nolo ut rerum & uerborum flores uideantur, ſed ut florum odor ſentiatur, ita ut qui legit & audit tuam orationem, intelligat te non opum Tullianarum furem eſſe, ſed imitatorem Tullianū. Vnum quid ſit, quod ſcribitur, & dicitur, concentui

L. Sen. ep. 84. Macr. l. 1. Saturn. cap. 1.

Orat. 2. nu. 26.

Cant. 4. Hom. l. 1. Ilia. Val. Max. l. 8. cap. 9. Cic. l. de orat. Symm. ep. 1. ad Aus.

Virg. l. 1. Aen.

muſico

muſico ſimillimum. Non vides quàm multorum vocibus 20 chorus conſtet, quàm variis, quàm diuerſis? Illic acuta vox eſt, & grauis, & media; & inter has aliæ per varios gradus interiectæ: viris accedunt pueri; tibiis miſcentur tubæ; cornibus teſtudines interponuntur: organa vocibus aſſociantur: vnus tamen ex omnibus ſonus redditur: ſingulorum illic latent voces; omnium apparent. Quis non admiretur eam orationem huius chori ſimilem, in qua Salluſtij violæ, hyacinthi Terentii, Cæſaris roſæ, lilia Titi Liuij, Cicerones flores omnes, ita ſint illigati, atque intexti, vt ſinguli deliteſcant, & generatim ſuauitas, quæ inde afflatur, odorque omnium ſentiatur? Stylus exercitatus, & ab ingenio magis quàm à memoria imbutus has admirationes habet. Itaque Brixienſes Adoleſcentes eloquentiæ ſtudioſiſſimi, magno animo in lectione librorum, in auditione magiſtrorum, in agitatione mentis, in orationum ſcriptione bombycem, & apes imitamini: quæ ſenſibus deuoratis, in cellam memoriæ primum immittite; deinde in ingenii ſtomachum transferte; hic coquantur, hic digerantur in vnũ ſuccum, ſanguinem, filum; tum ſtylo tamquam acu ducite ex ingenio continenter more bombycis hoc dicendi filũ; inficite purpureo ſanguinis colore; tingite flauo mellis, & pro tela chartam Phrygionum more elaborate, ac pingite verbis, membris, periodis: adiungite ſerico filo propriæ & emendatæ locutionis, ex auro, & argento, tenuiſſima fila deducta verborum translatorum: inſuite gemmas eorum ſchematum, quæ in ſententiis ſplendent; inſerite margaritas eorum ornamentorum, quæ multis verbis conformantur: imprimite eodem ſtylo, filoque flores, & figuras omnes, quas Rhetores obſeruarunt: & tunc, mihi credite, nullum Attrebatenſe belluatum periſtroma; nullum tapetum Alexandrinum conchyliatum; nullum Attalicum aulæum ex auro ſericoque contextum atque ſpecioſe figuratum: nulla denique Mediolanenſis argentea, bombycinaque tela verſicolor acupicta poterit cum hac charta, varietate fi-

guratum, pulchritudine colorum, & ornamentorum præ-
tio, copia, ſplendore comparati. Quam laudem ampliſſi-
mam proculdubio conſequemini, ſi poſt ſcriptionem quo-
que Rhetorum ſapientum præcepta ſeruetis. Retractatio 21
neceſſaria eſt, & eorum, quæ ſcripſeris recognitio: proinde
non vos pigeat, quæ calamo effuderitis, è codicillis litura-
riis in puras chartas referre, vt in cenſorio iudicio, mentis
oculus tamquam in tabula vel totam, vel magnam partem
habeat orationis ſub aſpectum. Quod vbi feceritis, per-
mittite, ſi licet, dies aliquot fluere: dabit hæc intermiſſio
Quin.l.10.c.3. duo commoda. Primum enim cogitatio mentis in eo ar-
gumento feſſa conquieſcit, reficitur, & de integro vires re-
cipit, quas in ſcribendi laborem acrius, ardentiusque con-
L.Sen.ep.59. uertat. Cælatoris oculi ſentiunt etiam in iucundiſſimis
gemmis inſculpendis laſſitudinem: non æque defatigatio-
nem ſentiet ingenium in oratione cælanda? Vt igitur in
iaculando brachia reducimus, quo vehementius iacule-
mur, vt in quocumque certamine, reparatis quiete viribus
maiorem impetum ſumimus; ita & in ſcribendo. Ceſſatio-
ne nonnulla recreatus animus, qui diuturna fractus con-
tentione languebat, ad ſtylum repetendum, tractandum-
que priſtino more, fortior redit, & alacrior. Si tamen inte-
rim feret flatus, danda ſunt vela: ſequendus affectus, in quo
ſæpe multo plus calor, quàm diligentia valet: laxandus im-
petus animi; ne ſenſus optimi, qui nonnumquam calefa-
cto per commentationem animo feliciter irrumpunt in
calamum: eodem remiſſo ac frigeſcente per ceſſationem à
ſcribendo, retrorſum relabantur & pereant. Alterum com
modum intermiſſionis ad cenſuram pertinet. Amor enim
Ar.l.9.eth.c.7. ille, quo parentes omnes liberos ſuos, & inter hos ſcripto-
res, ingenii partus immoderate ſæpe, atque intemperanter
Pl.l.7.ep.9.ad Corn.Fuſc. diligunt, & potiſſimum recentes fetus depereunt: quo tuis
ſcriptionibus ipſe blandiris; quo vitiis eius conniues, quo
tibi, quamquam deformes, arrident & placent, refrigeſcit.
Hic vbi deferbuit, quàm, Deus bone, libereſt oculus mẽ-

tis

tis ab errore? quàm bene res omnes diſpicit, iudicat, emẽdat? Tunc ſecurus in manus opus ſcriptum ſumit; recognoſcit, circumſpicit, inquirit in illud quamdiligentiſſime, non vt benignus parens, ſed vt ſeuerus iudex. Corripe tunc ſtylum emendatorem aſperrimum: duc per membranam cenſorium correctoris huius mucronem libera & audaci manu: dele, adde, muta, vt priore docuimus oratione: fortiter improba reprobanda: locupleta probata: clariorem da lucem bonis: & perſuade tibi plus profuturam lituris tranſuerſiſque lineis recognitionem hanc cenſoriam, ſeuerumque iudicium orationi tuæ, quàm blandiens ſibi, prima ſcriptio profuerat. Hæc poſtrema manus, vt perficit, ita co-
22 ronat opus. Poſtremum, Adoleſcentes, à vobis ſcribendi requiro ſedulitatem, & aſſiduam ſtyli tractationem efflagito; ſi gradum aliquem in eloquentia, ſi ſcribendi recte facilitatem, quam habitum dicimus, comparare vobis concupiſcitis. Etenim vt lana quædam colores non induit ac perbibit, niſi ſæpius ijs immergatur, & ijſdem infecta recoquatur; ita noſtrum ingenium, propter rei difficultatem, recte accurateque ſcribendi facultatem non ſuſcipit, niſi crebro, & aſſidue, ſcriptitãdi exercitatione tamquam pigmento quodam imbuatur. Veniat vobis in mentem Niciæ Pictoris illuſtris à Praxitele ſumme laudatis cuius maxima laus fuit in lumine & vmbris cuſtodiendis, atque in curando vt è tabulis picturæ maxime eminerent. Hic quibus gradibus ad tantam pingendi gloriam peruenit, niſi diligentia? Non hic neſciebat manum de tabula tollere, quod Apelles reprehenderat in Protogene, ſed aſſiduitate tanta poliebat, tanta perficiebat attentione, vt de famulis ſæpe quæreret num lauiſſet, ac prandiſſet: vos in veſtra profeſſione ſcriptitandi, in qua non magiſtri eſtis adhuc, ſed diſcipuli; non facultatem, vt ille, comparaſtis, ſed quæritis, diligentia & aſſiduitate Niciam non æquabitis? Sed quò ſtudium, & aſſiduitatem mirabilem Archimedis prætereo? Quod affixum tabulæ ſeruorum manus abſtraherent, &

Plin. l. 35. c. 11

Plut. l. An ſeni ſit ger. Reſp.

 ſpolia-

Plin.l.2.c.17. ſpoliarent vt lauaret: quod intentus pulueri ſtylum ducens
Plut. in Marcello. ſit à Romano milite per errorem interfectus, notiora ſunt,
L. An Seni Reſp. ſit &c. quàm vt vobis referenda videantur. Sed quàm mirabile
illud eſt ad rem noſtram, Adoleſcentes, quod dum in bal-
Val. Max. l.8. cap.7. neo lauabatur, ne tum eſſet otioſus, ne quidquam de com-
mentandi aſſiduitate remitteret, in peruncto corpore (at-
tendite, queſo vos, Auditores, & obſtupeſcite ſedulitatem)
in delibuto corpore, inquam, digito pro ſtylo vtens figu-
ras circulis, ac lineis ductis hinc inde deſcribebat? Vos tan-
ti Architecti, in arte noſtræ non abſimili, ſtudio diligentia-
que prouocati, excitati, ſtimulati quotidianum ſaltem pen-
ſum à magiſtris veſtris aſsignatum vobis, ſcribendo non
explebitis? Videtis poſitum eſſe in inſtituto moreque ſcho-
larum noſtrarum, vt quotidie ſcriptitando aliquid ſtylum
exerceatis. Si enim quamplurimum, vt Magiſtri dicendi 23
Cic.l.1.de or. poſtulant, ac præcipiunt, eſt ſcribendum; quì poterit id fie-
ri, niſi quotidie aliquid ſcripto mandetur? Deinde nonne
ſtylus, vt ceteræ omnes artes, de ſua facultate comparata,
Pl.l.35.c.10. per ceſſationem, otiumque deperdit? Apelli Pictorum om-
nium facile principi, moroſitatemque Protogenis vitio-
ſam fugienti conſuetudo perpetua fuit, numquam tam oc-
cupatum diem agendi, vt non lineam ducendo, artem quã
profitebatur perfectamque cupiebat, exerceret; quod &
ab eo venit in prouerbium: uos, Adoleſcentes, in oratoria
ſcriptione, quæ tanto nobilior eſt pictura, quantum inge-
nium manui præſtat, litteræ lineis, ſenſa pigmentis, verba
coloribus, oratio viua, mutis mortuiſque figuris; diem vllũ
ſine multis calami ductibus præterire patiemini? Tantum
Apelles in arte ſua diligentiæ ponens, nominis immortali-
tatem ſibi pigmentis & penicillo comparauit: uos ab eo
veſtram induſtriam, ſtudium, gloriæ cupiditatem in arte
præſtantiore ſuperari permittetis? Titus Imperator Ve-
Suet. in Tito. cap.8. ſpaſiani F. qui propter imperatorias virtutes eximias orbis
Sex. Aur. in Tito. Amor dictus eſt; quemque mors acerba nimis intra bien-
Auſon. in Tito nium Mundo eripiens, humano generi magnum bonum
inui-

inuidit, cum ſine actione vlla beneficentiæ dies aliquando
ad veſperam inclinaſſet, memorabilem illam ſententiam
non modo Principum omnium, ſed etiam cunctorum
mortalium imitatione digniſſimam proferens, ad ſuos cõ-
uerſus, *o Amici*, inquit, *diem perdidi*. Nulla ille tenebatur
lege quotidie liberalitatis expromendæ: tanta tamen in il-
lam virtutem propenſione ferebatur, vt quo die nulli be-
neficium contuliſſet; quo die non benemerendo lumen
benignitatis amicis prætuliſſet: illum ſibi non illuxiſſe diem
arbitraretur: vos ſcholæ Rhetoricæ iuſſu parentum addi-
cti; cuius diſciplina quotidianam ſcriptionem à diſcipulis
expoſcit; vos veſtra ſponte noſtri Gymnaſii legibus adſtri-
cti, quæ ſine quotidiana ſtyli exercitatione comparari elo-
quentiam nequaquam poſſe definiũt; eum diem, quo ſcri-
ptionis penſum non reddideritis magiſtro, non exiſtima-
bitis plane perdidiſſe? Quod ſi Ciceroni iuueni iam & ado- *Cic.l. de cl.or.*
leſcentiam egreſſo, nullus dies vacuus erat ab exercitatio-
nibus oratoriis: ſi quotidie meditabatur declamitans, vel
latine, vel græce, quid in ſtylo, quid in ſcriptione feciſſe pu-
tetis? Si idem cauſſas actas quamdiligentiſſime ſcribebat,
& dabat in lucem, vt videmus in tribus orationum volu-
minibus, quid exiſtimatis facere conſueuiſſe, cum cauſſas
eſſet acturus? Sed ſcio quid poſſit obijci: noui locum in quo
24 ſe iactant negligentes: teneo diuerticulum, quo ſe deſidio-
ſi tuentur: ad omnem reprehenſionem, ſcribendi labor tã-
quam murus quidam opponitur. Video ſane magnum
eſſe, & quem proinde fugimus pleriq; quod Craſſus apud
Ciceronem, & cognouerat, & confitetur: addo magnum *Cic.l.1.de or.*
eſſe, ac pæne intolerandum præſertim in initijs, adoleſcen-
tulis inexercitatis, parum ingenioſis, minus ſtudioſis, &
potiſſimum deſidioſis nulla ratione tolerabilem. Sed ad cũ
laborem & ſubeundum, & ſuperandum incitet vos & in-
flammet tum eloquentiæ, tum gloriæ fructus, quo compen-
ſatur, ampliſſimus. Quæ cupiditas honoris, tam multos mi-
lites in confertas hoſtium armatorum crudeliumque tur-

mas

mas immittit: quæ nuda propemodum corpora infeſtis Barbarorum telis, haſtarum, gladiorumque mucronibus, & bombardarum pilis ferreis exponit; vos in conclaui ſedentes, & ſcriptitantes, quotidie non aliquantulo ſpatio temporis detinebit? An vero vos latet, quod toties à me, toties ab aliis magiſtris veſtris audiuiſtis, Difficilia eſſe quæ pulchra? nihil à mortalibus laudabile, ſine labore herculeo comparari? Non meminiſtis ſapietum Græcorum dictum aureis litteris, in adamante, ſtylo immortali ſcribendum, Παθήματα Μαθήματα, hoc eſt *perpeſſiones eſſe diſciplinas*: & nullam artem doctrinamúe poſſe ſine ſudore, ac dolore aliquo poſſideri? Quamobrem, Adoleſcentes, ſi dulcedinem ac ſuauitatem orationis melle dulcioris optatis; vt apes aſſiduus in ſole labor exercet; ita vos ſedulos in vmbra, laborioſa ſcribendi cura quotidie contineat: ſi gloriam ex oratione culta pictaque, & operibus ſericis pulchriore pretioſioreque concupiſcitis, induſtrji Bombycis aſſiduitatem diligentiamque commentando, texendoque vel vincite, vel æquate. Quod vt conſequamini vobis equidem exopto lucernam, exopto ſtylum. Lucernam quidem, non illam Ariſtophanis Grammatici, aut Cleanthis Philoſophi virorum in commentando, ſtudendoque diligentiſſimorum in 25 prouerbium vſque, quod alia ſit noſtra profeſſio; ſed Demoſthenis oratoris, quem tamquam alteram poli vrſam, alteram nauigationis ducem; alterum eloquentiæ ſolem vobis intuendum ac ſequendum duco. Neque huius illam intelligo materiatam ſiue fictilem, ſiue æneam, ad quam ſubterraneo ſpecu abditus ſuas orationes lucubrabat; & qua Pytheas, & Chalcus laudabilem oratoris diligentiam inimice criminabantur. Non enim ita ſum amens, vt ille qui fictilem lychnum Epicteti ſtoici Philoſophi trecentis denarijs emerat, arbitratus ſe ſimilem Epicteti ſtatim fore, ſapientiamque eius hauſturum è lucerna; ſi ad eam noctu lucubrando vigilaſſet. Deſidero vobis lucernam illam ab concretione materiæ ſeparatam ingenii Demoſthenici;

Plato in Hipp. maiore.
Plut. l. de educ. lib.
Adag. col. 444.
Herodot. l. 1.
Varro l. 1. de lingua lat.
Plut. in Demoſth.
Lucian. dial. adu. Collect. libr.

quam vere orationes eius & enthymemata ſine offenſione narium redolebant: in quam lectione Thucydidis, & aliorum doctorum, & eloquentium ſcriptorum oleum doctrinæ, & copiæ; rerum, & verborum continenter infundebat: ad quam denique cura & emendatione diligentiſsima cõſcribebat, euigilabat, & lucubrabatur elegantiſsimas illas orationes, quæ nobis admirationem, illi gloriam immortalem pepererunt. Sed quoniam hanc lucernam ego deſiderare quidem poſſum vobis, & à Deo precari, vobiſque ipſi optare poteſtis, ſi non habetis, ſed non obtinere: vtinã ſaltem ſtylum eiuſdem, non ferreum, aut eburneum, aut ligneum, ſed illum viuum quæreretis, Adoleſcentes, quo ſcribebat, emendabat, poliebat orationes. Hunc vobis non modo concupiſco; ſed quia poteſtis impetrare, atque habere, ſi uelitis, hortor, ſuadeo vos, atque obteſtor per veſtrã nobilitatem, per cupiditatem honoris, qua flagratis, per eloquentiæ nonnullum deſiderium, quo titillari veſtros animos intelligo, vt omni conatu ſtudioque comparetis. Stylum viuum appello diligentiam illam Demoſthenis incredibilem, impetum illum animi ad eloquentiam incitatiſsimum illam aſsiduitatem ſcriptitandi nulli ante ipſum auditam; illud denique ſtudium quod vigiliis, labore, ſeceſſu, ſedulitate; quod deſiderio laudis & gloriæ; quod eloquẽtiæ perfectæ ſumma cupiditate continebatur. Hunc ſtylum ſi vos quoque prehenderitis, Adoleſcentes, eodem, quo ille, ſtudio & alacritate, ſi pari exercueritis aſsiduitate, non dubito fore, vt Demoſthenem quoque in ſtructura verborum, oratorij numeri felicitate, locutionis elegantia, copia ſchematum, argumentorum ui, ſplendore orationis cum eloquentiæ ſumma laude referatis.

DE

Digitized by Google

DE EXERCITATIONE DICENDI

Oratio Prior. Or. VIII.

Auſ. in ludo ſept. ſapient.

Μελέτη τὸ πᾶν Periandri eſt Corinthij
Meditationem eſſe totum qui putat.

AVſonius Imperatoris Gratiani magiſterio, 1
verſibusq; elegantiſsimis nobilitatus, Brixienſes, ſerium ludum ſeptem primariorum Græciæ ſapientum inſtituens, tamquam conuiuium ſtructor ingenioſus apparans, & inſtruens; non corporis, ſed animi palato; delicatiſsimis & exquiſitiſsimis epulis, à ſingulis conuiuis in cõmune collatis lautiſsimum; accepit à Periandro Corinthio ſymbolum vtiliſsimum, quod audiſtis, *Meditationem eſſe totum*, ſiue vt ab aliis effertur Μελέτη πάντα δύναται, *poteſt omnia Meditatio*. Scio & à Diogene crebris vſurpatum fuiſſe ſermonibus, vt viri docti prodiderunt: ſed aliorum auctoritate facile adducor vt Auſonio credã; effatum hoc mirabile, ac prope oraculum, ab antiquiore, ſapientioreque Periandro excogitatum, & poſteris traditum, quò naturã ad ſumma languentem, & dormitantem, exercitatione ſuſcitarent; tum ſibi in quaque arte ac diſciplina, per aſsiduã meditationem, perfectionem compararent. Vtinam, Adoleſcentes, quàm vera eſt præſtantiſsimi Philoſophi ſententia, tam vobis eſſet perſuaſum eſſe veram: vtinam hodierna die mentibus veſtris inſideret, ac pertinaciter inhæreſceret hæc opinio; In vſu, atque exercitatione poſita omnia; nec ſine hoc præſidio faſtigium eloquentiæ poſſe ſuperari: næ uos exercitationem dicendi, corpore & animo diligentius, quàm auribus, & memoria præcepta Rhetoricæ complecteremini. Dicam equidem exercitationem in 2
om-

Clem. Alex. l. 5. ſtromat.

Diog. laer. l. 6. in Diog.

Digitized by Google

omnibus artibus, & in eloquentia potiſſimum eſſe neceſſariam: enumerabo meditationis & declamationis in primis utilitates; oſtendam non à rhetoribus modo præceptam, ſed etiam omnibus bonis oratoribus in vſu quotidiano fuiſſe: ſed quid proderit vobis hæc diſputatio mea; quid mihi ſingularis attẽtio veſtra, niſi perſuaſione diſcedatis hinc adeo conuicti, vt ſtatim atque perorauero, linguam & ingenium ad vſum, me duce atque adiutore, declamitando conuertatis? Generis veſtri nobilitas, quæ tacitis vocibus vos ad res honeſtas identidem cohortatur; liberalis educatio, quæ domeſticis clamoribus ſæpe vos ad familiæ ſplendorem bonis artibus augendum incitauit; mores ingenui, quos non omnibus ornamentis nobili viro dignis decorare, turpiſſimum ducitur; acquirendæ cupiditas eloquentiæ, quæ vos in hoc Gymnaſium non repugnantes introduxit, atque in hac ſcholarum diſciplina libentiſſimos detinet, prolixe mihi pollicentur fore, vt hæc oratio mea veſtris intenta commodis, & rationum onuſta momentis, non modo non prǫteruolet aures, quas erectas video, ſed etiam in veſtris animis perſuaſione conquieſcat. Præſertim cum ſana mens, & lumine rationis illuſtrata clariſſimo, qualis eſt omnium veſtrum, in rebus euidentibus & omni luce clarioribus aſſenſum ſuſtinere; tum argumentis exquiſitis, & grauiſſimorum Philoſophorum auctoritate firmatis, quæ referam, diſſentire atque obſiſtere, non ſine pertinaciæ crimine poſſe videatur. Non ego ſum, Adoleſcentes, qui de meo ſenſu doceam, nullam neque artem, neque facultatem, neque doctrinam poſſe comparari, niſi ad habilem, aptamque illi doctrinæ perdiſcendæ naturam; niſi ad præceptionum diſciplinam, inſtitutionemue magiſtrorũ, exercitatio quædam accommodata naturæ, conformataque præceptis, & aſſiduus vſus acceſſerit. Illi duo Philoſophorum parentes, familiarum ductores, oculi gemini ſapientiæ, Philoſophiæ ſplendores ampliſſimi Plato, & Ariſtoteles aſſentientes Periandro, facem primam lumenque

Plato in Phædro.

3 *Ar. apud laer. l. 5. in Ariſt.*

Plut.l. de educ. *Philo.l. de Ioſeph.l. de Pœn. & præm.* ſplendidiſſimum ſuis, ac vobis in hac vera doctrina prætulerunt, cum ad eruditionem tria opus eſſe, Naturam, Inſtitutionem, atque exercitationem tradiderunt. Quod commune ſummorum Philoſophorum decretum, per eorum libros, ac diſcipulos delapſum ad poſteros, non modo Philoſophorum omnium peruaſit ingenia, ſed etiam in animis Theologorum inſedit: inter quos S. Ambroſius, vir cũ *S. Ambr.l. 1. de offic.c. 10.* ſacra doctrina perinſignis, tum vero Philoſophicis dogmatibus affluenter imbutus, aliquando commotus eorum indignitate, qui id negare ſunt auſi, vehementer exclamauit. *Quomodo ſine exercitio doctrina, aut ſine vſu profectus? omnis enim res proprijs ac domeſticis exercitijs augetur.* Videtis quàm plane, quàm dilucide, quàm proprijs verbis exercitationi non modo tribuat adeptionem doctrinarum, ſed etiam progreſſionem earum, & incrementa concedat. *Pl.l.7.cap. 56.* Quis vmquam fictor, quámquam Chorœbo Athenienſi vaſorum inuentore fictilium ingenioſior, trullas, vrnas, fidelias ad formam ex argilla finxit, qui non diu multumque à puero circumducenda, tenuandaque humo in figulina fuerit exercitatus? Quoties ab inexercitati manibus *Hor. in Poetica.* cum amphora inſtitui cœpta eſſet ex creta, currente rota, vel exijt vrceus; vel non obediente luto, vas aliud excidit aluo tumida, fractis manubriis, obtortoque collo? Quid in pictura quæ quondam inter liberales eſt artes numerata? *Pl.l.35.c 10. 11.* *Ael.l.2. var. hiſt.cap.3.* Non Apelles, Parrhaſius, Protogenes, Zeuxis Timanthes, atq; alii pictores primæ claſſis ad tanta aſcẽdiſſent & ſciẽtiam, & gloriam, vt mirante Natura vel equos & aues pictura deciperent; vel affectus animorum coloribus exprimerent; vel lineas ſubtilitate fugientes aciem oculorum ſecarent; vel imperfectas tabulas in maiore, quàm perfectas admiratione relinquerent; vel denique vt eorum opera non nummis, ſed talentis æſtimata certatim emerentur; niſi fuiſſent adoleſcentes eam artem ante pigmentis terẽdis, coloribus temperandis, adumbrandis figuris, ducendoque penicillo meditati? Quid in arte nobiliſſima militari? *T. Liu.l. 26.* ficto certamine ligneis gladijs ad veras pugnas exercitatos

milites

Digitized by Google

milites in otio fuiſſe legimus à Scipione. Quò noſtra ætate Gymnaſia digladiandi ſpectant, vbi futuri aliquando milites diſcunt retuſis armis dimicare? Quò ludicra compoſitis vtrimque peditum turmis certamina? Quo caſtellorum è ligno ſimulatorum oppugnationes, & defenſiones? Quò curſus, & agitationes equorum? Quò præliorum equeſtrium ſimulacra luſorijs haſtis inſtituta? Quò nauales in lacubus atque ſtagnis ad veratum ſimilitudinem pugnæ? Quò denique venatio ferarum immanium; telorum iaculorumque manu; ſagittarum arcu, plumbearum glandium ſcloppo, ad ſignum deſtinatum iactus & exploſio? Militaris diſciplinæ periti magiſtri, copiarumque Duces ſcientiſſimi rerum bellicarum exiſtimant ad vera prælia meditationem armorum, & dimicationis eſſe neceſſariam. Quid? Ad ferinum Gladiatorum ludum; quorum miſerrima conditio tempore Romanorum vſque eo proceſſerat, vt non fortiter, & animoſe ferrum recipere; non iugulo errantem victoris aduerſarij gladium attemperare: non ad voluntatem voluptatemque populi ſpectantis proiicere animas: vt contrahere collum, ſubducere ceruicem, opponere manum, populum obſecrare vt viuere liceret, dedecori ſibi ducerent; præmittebatur quoque in palæſtris meditatio, vt mori diſcerent in theatro. Nam ſub Laniſta magiſtro tirones Samnites, Thraces, Andabatæ, Retiarii, Myrmillones & alij barbari magis moribus, quàm nomine docebantur, accipiebant dictata, quotidie commentabantur, atque vt loquitur Suetonius, rudibus batuebant in vmbra, vt paratiores aptioreſque in Arenæ puluere, atque ſole ferreis ornamentis crudeliter decertarent, ſeque mutuis ictibus vulneribuſque conciderent. Volucres ipſæ, feræ, beſtiæ rationis expertes, Naturæ inſtinctu eruditæ, non negligunt exercitationem eorum munerum, quibus ſunt in tota uita functuræ. Nam & aues pullos ſuos tum è nido uolare, tum canere; & Leones catulos ſuos venari minores, debilioreſq; feras; & cerui partus editos ad prerupta ductos,

Cic. l. 2. Tuſc. quæſt. orat. pro ſextio. pro Milone.

L. Sen. ep. 30. & l. de Tranquill. cap. 11.

Cic. l. 3. de or.

Macr. l. 1. Satur. cap. 15.

Suet. in Calig. cap. 54.

Quin. l. 2. c. 6.

Digitized by Google

Pl.l.8.c.32. ſaltuque demonſtrato fugam meditari docent, & exercent curſu. Quod ſi uiri ſapientes in omnibus artibus, ut acqui- 4
rantur; ſi in corporis facultatibus, ut ad uſum perfectum educantur, non homines modo, ſed etiam belluæ meditationem utilem, ac neceſſariam putant, quid dicemus in arte noſtra facultateque dicendi? Repugnabimus Rhetoribus, & ijs omnibus, quicũq; bene dicendi præcepta reliquerunt, quorum omnium idem ſentientium videtur eſſe facta cõſpiratio? Nam Corſinicius, qui tam accurate quattuor libris præcepta Rhetoricæ omnia complexus eſt, ut
Cornif.l.1. Rhet. eius opus multis ſæculis Ciceronis ſit habitum, principio monet, Artem ſine aſsiduitate dicendi non multum iuuare: tum rationem præceptionis accommodari ad exercita-
Quin.l.1. Proœm. & l.2.cap. 17. tionem oportere. Quinctilianus autem qui Rhetoricam uiginti totos annos primum adoleſcentibus enucleauit; deinde libris duodecim minutatim perſecuit, ut naturam eius penitus introſpiceremus, paucis ingentem meditationis vim expreſſit, cum ait, *Potentiſsimũ dicendi genus exercitationem eſſe dicendi*. Quid Plutarchus amœniſsimi ingenij Philoſophus, & iuuentutis educator egregius? Quã meditationem in rebus omnibus expetit, in eloquentia paranda non requirat? De Cicerone magiſtro Rhetorũ omnium, & quod maius eſt, oratorum eloquentiſsimo, atque
Cic.l.1.de or. exercitatiſsimo quid attinet dicere? Quàm graue eſt illud
Cic.l.1.offic. pronunciatum ad Q. fratrem? *Vſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat?* Quàm experientis hominis ſunt illa uerba ad M. filium? *Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine vſu, & exercitatione conſequi poſſunt*. Si pondere tantum auctoritatis pugnandum eſſet in hac ingeniorum concertatione; plures ſane Rhetores proferrem; plura Ciceronis congererem teſtimonia: ſed quia rationum tela plus feriunt animos ac perſuadent, ad rationes cenſeo ueniendum: ubi quid per exercitationem, ac
meditationem in hac tota diſputatione intelligam, nobis 5

accurate

Digitized by Google

accurate declarauero. Duas video rationes exercitationis ac vias, quas eloquentiſſimi viri, tum in primis Q. Hortenſius, & M. Tullius ſuis paſsibus decucurrerũt. Altera publica eſt, altera priuata: ſeria illa, atque forenſis; ludicra hæc, atque domeſtica: complectitur illa cauſſarum, & controuerſiarum verarum actiones, in iudicijs, in concionibus, in conſiliis: hæc vmbratilis ſimulatarum cauſſarum tractationes in ſcholis continet, à quibus Cicerone mortuo, ſcholaſticæ nomen inuenit. Dicatur illa, vno proprioque verbo, publica dictio: nominetur hæc recenti vocabulo Ciceronis ætate, vt aliqui opinantur nouato cum re ipſa, Declamatio. Suos vtraque parit exercitatio fructus; etſi hæc illis, aliis altera magis placet; quod item vtraque ſua quædam incõmoda cum commodis putetur habere permiſta. Vera cauſſarum tractatio maximam illam tribuit vtilitatem Oratori, quod expeditius, ac melius eum docet, atque inſtruit, rebus ipſis ſeriis, grauitate loci, magnitudine periculi, metu dedecoris, euentus exſpectatione prope magiſtris. Quàm facile, quàm bene, quàm cito militarem artem, ſcientiamque bellandi milites in bello, atque acie didicerunt, qui neceſsitate quadam tuendæ vitæ ſeruandique honoris, inter mucrones, haſtas, & bombardas in agmine prælioque conſtituti pugnare ſunt coacti? Iure laudatur à M. Tullio Cn. Pompeii celeritas, ac felicitas in addiſcenda bellica diſciplina, *quod eius adoleſcentia non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs, & victorijs*, hoc eſt dimicationibus, & pugnis eſſet ad ſcientiam rei militaris inſtituta. Quàm celeriter nauigandi ſcientiam adipiſcuntur, qui nõ in piſcinis, ſtagnis, tutis tranquilliſque portubus: ſed in alto, latentes inter ſcopulos, ac ſyrtes, in ipſis periculis, cum antennæ gemunt, rudentes ſibilant, malus concutitur, iactatur nauis vẽtis, ac fluctibus, & nautarum tum rigent manus, tum vultus exalbeſcunt; non tam dictata, præceptaque accipiunt à magiſtro nauis, quàm procellarum, tempeſtatum, ac periculorum erudiuntur magiſterio? Quamobrem

Cic. l. de cl. or.

Cic. l. de cl. or. *M. Sen. l. 1. contr. in præfat.* *Quin. l. 2. c. 10*

Cic. orat. pro lege Manil.

vt

Ar.l.2.eth.c.1 vt fabricando fabri efficimur, quod vulgari prouerbio vere dicitur, ita concionando concionatores, loquendo diſertis perorando euadimus Oratores; quemadmodum Demoſthenis legimus eueniſſe: qui ſeptimumdecimum agens annum tutores ſuos, ſiue fortunarum ſuarum auerſores, ſiue perfidos adminiſtratores in ius vocatos accuſauit, iudicio vicit, patrimonij partem recuperauit: eoque proſpero euentu ſumpſit animos, & forenſis gloriæ deguſtato fructu, ſummæ laudis factus appetentior, cauſſas quoque publicas agere eſt aggreſſus, non alio propemodum vſu præparatus, nō alia præmeditatus exercitatione, niſi hac priuatæ cauſſæ victoria. Sed hæc publicæ dictionis vtilitas duobus non leuibus incommodis imminuitur. Primum enim non omnibus tempus, locus, occaſio ſeſe exercendi veris in controuerſiis datur; adoleſcentibus præſertim, quales vos eſtis, qui vel non audent nulla plane meditatione parati venire in publicos conuentus hominum ad dicendum; vel ſi qui naturæ audacioris aliqua ratione domi meditati prodirent in iudicum, ſenatorumque conſeſſum, aut populi concionem, propter ætatem à publice dicendo prohiberentur. An non iure optimo vos Adoleſcentes clericos concionari parantes ad populum, Epiſcopus veſter à Templi ſuggeſto retraheret; voſque reliquos, Prætor à dicenda in publico conſilio Ciuitatis ſententia repelleret? Deinde pleniſsima periculi res eſt ſi inexercitatus aſſurgas ad dicendum: vbi ſi te inſolentia loci conturbat; ſi te vix inuenias; metus exanimet; deſerat ingenium; ſi memoria fidem fallat, ſi denique non exſpectationi reſpondeas, error in publico futurus eſt manifeſtior, lapſuſque deformior. Obijciuntur etiam exercitationi declamitandi quædam, ob quæ Montanus Votienus vir non indiſertus, declamationes refugiebat, quod inutiles eſſe, nec ſine damno fieri poſſe arbitraretur. Nam primum rebatur male aſſueſcere declamatorē; quia declamationem parans, atque adornans, ſcribit non vt vincat, ſed vt placeat: cupit ſe approbare, non cauſſam: proin-

Plut. in Demoſth.

6 (right margin, beside "alia præmeditatus exercitatione")

7 (right margin, beside "exercitationi declamitandi")

M. Sen. l. 9. contr. Præfat.

de lenocinia omnia, floſculos, pigmenta, feſtiuitateſq; conquirit: argumentorum firmamenta, quia moleſta ſunt, & minimum floris habent, & aduerſario uero caret, intractata relinquit; neceſſaria denique deſerit, ſpecioſa ſectatur. Deinde quia tutus in gymnaſio ſibi uidetur & fortis, quòd ſine contentione, ſine aduerſario, quem timeat dicit domeſticis tantum auditoribus, & condiſcipulis aſſuetus, qui probant, arrident, laudant; cùm primum uenit in publicũ, & excipit auribus fremitum circumſonantis turbæ, non eoſdem uultus familiares: non ſolitas aſſenſiones uidet; cũ aliud cælum, tecta, parietes, concionem circumſpicit; uerũ aduerſarium ad reſpondendum, & obijciendum paratum, atque erectum, grauiſsimorum iudicum ſeueros uultus, ab unius dicturi uultu pendentes intuetur, incredibilem in modum extimeſcit. Atque ut ex umbroſo, tenebricoſoque loco prodeuntes, claræ lucis fulgor obcæcat; ita declamatores iſtos à ſcholis in iudicum conſeſſum, à palæſtra in templi theatrum tranſeuntes omnia tamquam noua, & inuſitata perturbant. Affertur in huiuſce rei confirmationem Porcij Latronis celeberrimi declamatoris exemplũ, quicum in Hiſpania pro Ruſtico Porcio reo propinquo ſuo dicere uellet in foro, confuſus eſt adeo ut inceperit à ſolœciſmo; nec ante confirmari potuerit tectum, ac parietes deſiderans, quàm impetrarit, ut iudicium in baſilicam è foro transferretur: ita illi cælum nouum fuit, ut omnis eius eloquentia parietibus, & ſcholæ tecto contineri uideretur. *Orat. 1. nu. 1.*

Non hæc tanti ſunt, Adoleſcentes, ut declamandi exercitatio non ſummo ſtudio ſit nobis amplectenda. Male aſſueſcit, qui ſine Duce, ſine Rectore laxis habenis in hoc ſtadio, uel naturæ, uel uoluntatis impetu inſtinctus excurrit: qui ſine Magiſtro, atque emendatore, cuius præceptis atque auctoritate corrigatur, pro arbitratu, ac uoluptate declamat. Quem ſi prudentem, ac doctum nactus ſit, calamiſtrum & cincinnos minime cauſſæ neceſſarios, deponet; aucupium delectationis negliget; fucati medicamenta ruboris,

Digitized by Google

boris, & candoris repudiabit; argumentorum tela conquiret & exacuet: tum, ſi fuerit opus, non in Cyclopum, ſed in Rhetorum officina fulmina fabricabitur; nec tantum ut placeat componet orationem, ſed etiam ut moueat, flectat, perſuadeat. Nam quod de metu dicebatur, quo declamatores in publico perturbantur, eſt plane ridiculum. Quis negat aliquos eſſe naturæ timidioris? An non magis is exalbeſcet, tum cum non è ſchola, ſed è conclaui domeſtico rudis omnino prodibit in forum? Nemo repente fit ſummus Orator: pedetentim eundum eſt; per gradus ad faſtigium aſcenditur: lembo primum in lacu tranquillo, pacatoque nauigandum eſt, deinde naui roſtrata in turbulēto mari: de ſchola in forum recta ratio gradum faciendum dictat. Fateor non in piſcina Gubernatorem æſtimari poſſe: ſed tu quoque fatearis & concedas oportet, è piſcina ſumi de futuro Gubernatore coniecturam. Porcius unus declamator in foro ſemel confuſus, ac perturbatus inſolentia loci, ceteros omnes à declamationis aſsiduitate ſtudioque deterreat? An non Theophraſtum, quem à diuinitate lo- 8
*nu.*24. quendi nomen adeptum Cicero prodit, Areopagitarum
*Ael.l.8. Var. hiſt.cap.*12. conſpectus grauiſsimus, auctoritasque perterritum obmuteſcere coegit? Quid Demoſtheni contigit antequam uitia naturæ correxiſſet? Cum ſtrepitum populi, ſibilos, infeſtosque clamores ferre non auderet, deſperatione pæne
Plut. in Demoſth. uictus in Piræum ſe abdidit, ac forum deſeruiſſet: niſi Thraſius Eunomus continuandum inchoatum gloriæ curſum æmulatione Periclis, cui ſimilis in dicendo uideretur, adoleſcenti perſuaſiſſet; & Satyrus hiſtrio uitioſæ naturæ feciſſet medicinam. An non idem aliquando iam grandis
*Agell.l.8.c.*8. natu, regia Philippi Macedonum Regis maieſtate præſtrictus, tantus orator quantum ex mea proxima oratione cognoſtis, in eius conſpectu factus elinguis, mutusque conticuit? Itaque ſtatuo rationem utramque exercitationis optimam eſſe uitiis, quæ obijciuntur, declinatis; atque ut priorem uobis adoleſcentibus minus tutam, ualde difficilem,

atque

atque ætati veſtræ præcluſam video, proinde minime quęrendam in adoleſcentia: ſic poſteriorem viam planam, facilem, & apertam vobis ſuadeo tamquam vtiliſſimam; quippe quæ, teſtimonio Quinctiliani, pleriſque videtur ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficere: nec ipſe longe abit ab hac ſententia, qui declamationes exiſtimat, ſi modo ſint ad veritatem accommodatæ, & orationibus ſimiles, non tantum dum profectus adoleſcit vtiliſſimas, quod inuentionem, & diſpoſitionem pariter exerceant; ſed etiā perfectis oratoribus, & in foro clariſſimis. Quamobrem cum explicatis duobus exercitationis generibus poſitum ſit, iſti ætati veſtræ declamationem ſolam conuenire poſſe, producamus iam argumentorum firmamenta, quibus vtilitas exercitationis huiuſce facilioris comprobetur. In prima conſtituatur acie, quam ſemper vel maximam grauiſſimamque omnium argumentationum: vel certe de maximis, ac firmiſſimis rationibus exiſtimaui. Quæ primas obtinet in Oratore, atque in dicēdo vna dominatur Actio, eam conformat atque inſtruit ſapienter parata, prudenterque moderata declamatio. Vulgata eſt apud vos, viri, Adoleſcentesque optimi, Demoſthenis experientiſſimi hominis huiuſce rei; de qua diſſerimus, acutiſſima prudentiſſimaque de Actionis vi, ac dignitate reſponſio: quæ tamquā oraculum quoddam aut Delphicum, aut Dodonæum, recepta eſt à poſteris, ſumma omnium conſenſione probata, multorum celebrata laudibus, & complurium ſtylis cōmendata litterarum monumentis. Hic enim interrogatus quid eſſet in dicendo primum, *Actionem*; quid ſecundum, idem; & idem tertium reſpondit; nec finem Actionis, & pronunciationis commendandæ feciſſet, niſi ille, qui rogabat, quærere ab eo deſijſſet: vt eam videri poſſit non præcipuam in dicendo, ſed vt Libanius exiſtimat, ſolam iudicaſſe. Neque vero vir tantus, tamque prudens, in eo reſponſo vobis per amplificationem oratorio locutus videatur. Nam quid vel in Oratore dicente, vel in oratione

Quin. l. 2. c. 10.

Quin. l. 10. c. 5.

9

Cic l. 3 de or. l. de cl. orat. l. de orat. Val. Max. l. 8. cap. 10. Quin. l. 11. c. 3. S. Aug. ep. 56. ad Dioſc.

Liban. in Demoſth.

Cic.l.de cl.or. l.de orat. Quin.l.11.c.3. Pl.l.2.ep.3.ad Nepot. Hier.ep.103. ad Paulin.& l.2.in ep.ad Gal.cap 4.

ipſa dum pronunciatur: vel in vniuerſa eloquentia maiorem vim ac poteſtatem habet? Quæ res ex oratoriis magis penetrat in animos, eosque fingit, format, ac flectit, quàm Actio? Cadit in eam, & quadrat aptiſſime, quod Plinius minor, à S. Hieronymo mirifice comprobatus, dici conſueuiſſe refert à vulgo per prouerbium de viua voce, (quæ pars maxima eſt actionis) cum lectione collata: liceat mihi dicere mutato verbo: *Magis afficit actio viua; ſedent altius in animo, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit.* Affectus omnes, vt languent, & frigeſcunt, niſi voce, uultu, totius prope habitu corporis inardeſcant; ita languentes ac frigidi ſuſcitantur, accenduntur, atq; è charta tamquam è ſepulcro, mortui totius actionis flamma reuiuiſcunt. Documento ſunt vel ſcenici actores, qui fictis in rebus pronunciatione lacrymas, iram, ſolicitudinem ſpectatoribus afferunt; & optimis poetarum tantum adijciunt gratiæ, vt nos magis illa eadem in ſcenis audita, quã in libris lecta delectent; & viliſſimis etiam fabulis quibuſdam impetrent aures, attentionem, applauſum; vt quibus nullus eſt in bibliothecis locus, approbatio ſumma fiat in theatris. Itaque iure aliquo vim actionis Areopagitæ metuerunt: cauſſas agentis oratoris ignem concipere noluerunt; qui iudicaturi cauſſas cum toti non poſſent actioni aditum intercludere, partem eam ab oculis amouerunt, quæ ſub aſpectum venit; & orationem capite pedibusque fœde mutilatam Athenienſium lege, voceque præconis procemium & epilogum prohibentibus, tum noctu, tum in tenebris audiebant, ne Oratoris actione mouerentur oculi; neue per oculos illapſa uis actionis irrumperet in arcem animi, & eum ad nutum dicentis, ac voluntatem inflecteret. Quàm firma eſt probatio, quàm valide retinet vires ſuas, cum iuuatur aſſeueratione dicentis? Quàm valent, & eminent reliquæ partes eloquentiæ, cum illa ualet, & ardet? Memoriæ theſaurus capite abditus aperitur, & tamquam ditiſſimus fluuius effunditur: Elocutionis tela mirabili

orat.3.num.1. 17.& 18. Lucian. dial. de ſectis. idẽ pro Domo

bili contexta ſtyli artificio, ſimiliter vt columbæ collum, ut
cæleſtis arcus, ut iris gemma ſplendeſcit: Diſpoſitio pru-
dentiam; Inuentio denique ingenium oſtentat Oratoris.
Quamobrem exclamare merito poſſum, Actionem Ora-
tionis animam eſſe, cauſſarum ſpiritum, uitam oratoris,
perſuaſionis telum; non modo linguæ, ſed etiam corporis
ſermonem; membrorum omnium uocem, & clamorem;
atque ipſius eloquentiæ prope dixerim eloquentiam. Quot
10 præterea diſerti uiri deformitate agendi putati ſunt infan-
tes? quotum reliquæ dicēdi partes ac uirtutes, quamquam
pulcherrimæ atque ornatiſſimæ, ſine actionis lumine, qua-
ſi tabulæ pictæ in tenebris, ac nocte poſitæ delituerunt.
Vnus ſit uobis ſatis in exemplum Iſocrates elegantiſſimus
uerbis; feſtiuiſſimus concinnitate, locupletiſſimus ornamē-
tis; perfector numeri oratorii, pleniſſimus ſuauitatis: cuius
ſchola uiuentis à flore Græcæ iuuentutis celebratione
quotidiana uelut officina eloquentiæ frequentabatur; cu-
ius mortui ſepulcrum ſtatuis, alijſque ornamentis decora-
tum eſt. Is quod actione caruiſſet, & quaſi rudibus in Gym
naſio ſemper eluſiſſet, numquam eſſet in acie ferroq; uer-
ſatus, inter Rhetores quidem primarios numeratus eſt,
inter oratores uero fori Reges; iudiciorum dominos, ciui-
tatum moderatores, Rerum publicarum arbitros nullum
obtinuit locum. Quid quod contra, infantes, quos omitto *Cic. l. de orat.*
recenſere breuitati ſtudens, actionis dignitate ſæpe fructū *Quin. l. 11. c. 3.*
eloquentiæ retulerunt? Quid quod boni oratores, eiuſdem
præſidio atque ope uel in optimos, atque ſummos euaſe-
runt? Demadem inter Græcos Demoſthenis æmulum, *orat. 6. num. 6.*
naturæ bonitate, quod alias me dixiſſe memini, ſuperiorē,
intelligimus multum in dicēdo. agendoque ualuiſſe; quod
præſenti gloria contentus, orationes relinquere poſteritati
neglexerit. Inter Latinos Hortenſius diu princeps orato- *Cic. l. de cl. or.*
rum habitus, aliquandiu Ciceronis æqualis exiſtimatus; ad *Quin l. 11. c. 3.*
extremum eloquentiæ regno pulſus, quoad uixit à Cice-
rone ſecundus, tantum motu, geſtu, pronunciationeque

artificioſa valuit, vt Æſopus Roſciuſque comœdiarum
Val. Max. l. 8. cap. 10. actores nobiliſſimi ad eum audiendum accederent in fo-
ro dicentem cauſſa diſcendi; motumque eius, ac geſtus di-
ligentiſsime notatos obſeruarent, quos in ſcena fabulas
agendo referrent. Et ſane cum eius orationes editæ intra
famam eſſent ętate Quinctiliani, nec ad noſtram deuene-
rint; appatet manifeſto placuiſſe aliquid eo dicente, quod
legentes non inueniebant. Quid hoc erat, Adoleſcentes,
quod in ſcriptis orationibus deeſſe cernebatur? Quid, I
quod famam illam opinionemque ſummæ qua florebat
viuus, eloquentiæ minuebat? Vis actionis, & pronuncia-
tionis uita, quibus agendo ſe ipſum ſuperabat; oculos, &
aures pariter auditorum explebat, ſatiabatque dicendo.
Poſtremo Demoſthenem oratorum principē fecit Actio, II
Quin. l. 11. c. 3. quam propterea ipſe tanti æſtimabat, tribuens illi primas,
ſecundas, & tertias, cui tam diligenter apud Andronicum
hypoctitem ſtudebat. Non alium huiuſce rei teſtem pro-
feram, niſi diſertiſsimum Oratorem Aeſchinem Demoſt-
henis non æmulum, ſed aduerſarium acerrimum, quo cum
exercuerat implacabiles inimicitias, & in iudicio de capi-
te, famaque contenderat. Hic igitur in eodem iudicio ui-
Cic. l 3. de or. Val. Max. l. 8. cap. 10. ctus eloquentia, fulminibuſque Demoſthenis tactus, ac
proſtratus, propter ignominiā iudicij ceſsit Athenis, Rho-
Pl. l. 7. cap. 30. dumque nauigauit: ubi rogatus à Rhodiis legit orationem
Quinct. l. 11. cap. 3. illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſt-
Pl. l. 2 ep. 3. ad Nepot. henem dixerat; qua perlecta petitum eſt ab eo poſtridie, ut
legeret illam etiam, quæ erat contra à Demoſthene pro
Plut. in Demoſth. Cteſiphonte edita; quam cum ſuauiſsima, & maxima uoce
S. Hier. ep. 103. ad Paulinum. legiſſet, admirantibus omnibus, atque laudantibus, *Quan-
to* inquit ſuſpirans, *magis admiraremini ſi ipſam beſtiam
audiuiſſetis?* Inimice ſane, atque iniurioſe nimis beſtiæ no-
mine Demoſthenem notauit; ſed tamen eo contumelioſo
loquendi modo declarauit manifeſte, tametſi maxima ipſe
ui, qua pollebat, ac dignitate orationem inimici recitaſſet,
longe melius ab auctore, qui pepererat, maioreque ardore

animi,

animi, & totius corporis contentione ſenio fuiſſe pronun-
ciatam. Sed quò ſpectat hæc tam luculenta, copioſaque
pronunciationis laudatio? Nimirum vt intelligatis, Bri-
xienſes, quàm neceſſaria ſit ad eloquentiam adipiſcendã
quàmque vtilis declamitandi exercitatio, quæ rem tanti
momenti, quanti eſt Actio, conformat, expolit, & emen-
12 dat. Primum enim Declamatio futurum Oratorem elo-
quentiæ ſtudioſum cum clariſſimo, fideliſſimoque ſpeculo
componit, in quo ſe ipſe contueri poſſit, ac circumſpicere
totum, vitiaque illa cognoſcere, quæ perfectæ Actioni, &
eloquentiæ inimica, ſunt ab animo & corpore dicentis, à
voce, vultu, geſtuque declamatoris penitus exterminanda.
Notum cupio vobis hic eſſe pulcherrimum Galeni, non *Gal. l. de cogn.*
tam corporum medici, quàm animorum, in re morali præ- *& cur. an.*
ceptum; qui cum animaduertiſſet id, quod eſt veriſſimum, *morbis cap. 2.*
neminem noſtrum in lucem edi perfectum, vitia nonnulla *3. & ſeq.*
ſingulis hominibus ex deprauatione naturæ, corruptaque
conſuetudine adhæreſcere, morbos animi, ac morum non
poſſe ſanari, niſi prius quàm paretur medicina, cognoſcan-
tur; cognitionem prætereà noſtrorum morborum difficil- *Ar. l. 2. magn.*
limam eſſe; tum quia quiſque ſuiipſius amore cæcatur; tum *moral. cap. 18.*
quia ſæpe vitia ſub virtutum imagine deliteſcunt: ſuadet
adhiberi ſpeculum optimum ad nos ipſos, uitiaque noſtra
deprehendenda; fidum ac ſincerum Monitorem; docetq;
multis quo modo tum inueniri poſſit, tum vero compara-
ri. Quæ doctrina morum cadit in rem noſtram aptiſſi-
me. Nam Oratorem perfectum, & eloquentem ſine labe
vlla, ſine vllo næuo, numeris omnibus abſolutum Natura
facit neminem: aſperſæ ſunt in ſingulis mortalibus, etiam
bene loquentibus naturaliter maculæ, quæ dicendi perfe-
ctionem infuſcant: quas inops à virtute, nudus ab arte, &
imparatus ab exercitatione quis agnoſcat, diſtinguat, &
condemnet? Quædam vitia ſunt, vel ab improba natura
nouerca, vel à deprauata conſuetudine, quæ dicentẽ amor
ſui quandoque nec cernere, nec emendare ſinit. Quoties

vſu

vſuuenit cuipiam oratori vocem ſuam ſibi dulcem ac ſuauem videri, cum ab auditoribus omnibus iniucunda ſentiretur & aſpera; canoram, atque ſplendidam; cum aures ceterorum abſonam, & ſubraucam iudicarent, ac reſpuerent? Illi quoque Rhetores, è Caria, Lycia, Phrygiaque ſeu potius corui, qui canticum neſcio quod ſuboſcurum, atque irridendum in epilogis, ætate Ciceronis effutiebant, Atticas Luſcinias ſe eſſe, ſurdi ſuis abſurdis vocibus arbitrabantur. Sunt alia vitia nonniſi peritiſſimis artis noſtræ magiſtris cognita & manifeſta; vel quod infucata colore, pigmentiſque virtutis, virtutum ſimillima videātur; vel quod propter tenuitatem, communium ingeniorum aciem effugiant. Non enim obtuſorum, ac rudium eſt hominum, neque in affectibus, neque in moribus, neque in artibus, exigua peccata, leues maculas; minimam aliquam labeculam obſeruare, ac diſtinguere notando. Quis non Rhetoricæ, quam profiteor, eruditus arte procemium vel commune, vel longe petitum, vel non erutum è cauſſæ viſceribus animaduerterit? Verbum illud minus verecunde translatum, vi tractum in alienum locum, non in ſuam ſedem ſponte veniſſe: fracto numero delumbatam illam periodum non conficere ſuum orbem, lincεus Rhetor tantum intelliget, qui rem attentiſſime inſpiciat, & regula noſtræ artis metiatur. Nonnulla denique ſunt vitia, quæ tametſi maxime velit eloquentiæ ſtudioſus videre, obſeruareque in ſeipſo, tamen minime poſsit. Monet optimus magiſter Tullius ne quid in vultu perorantis ineptum inſit, ac vultuoſum: ſed quis mortalium in uultum ſuum oculos inijcere poteſt ſine extrinſecus accerſito præſidio? Vidi equidem oratorem neſcio quem nec de facie, nec de nomine vobis notum, quem propterea nominari à me non eſt neceſſe; qui naſum rugis aſperum huc atque illuc mouens, os ſæpe diſtorquens in alteram genarum, alterum ſupercilium ad capillum vſque attollebat, altero ad oculum depreſſo; clauſiſque oculis magnam orationis partem dicebat,

Cic. l. de orat.
Quint. l. 11. c. 3.
Gal. l. de cogn. & cur. an. morb. cap. 2.
Cic. l. de orat.

dicebat, vt non orare, ſed ſomniare videretur. Quid re-
medij Brixienſes ad hæc vitia cognoſcenda, maculas eluē-
13 das, monſtroſaſque figuras euitandas? Quod ſignificaui,
necdum declaraui. Speculum opponatur oratori perpoli-
tum, atque illuminatum antequam veniat in publicum:
non quidem æneum, aut argenteum, aut cryſtallinum,
quale Demoſthenes in cauerna incluſus ſeſe exercens in-
tuebatur, quod non improbo; ſed aliud longe melius, &
referendarum imaginum multo potentius. Nam hoc vul-
gare ſpeculum, quamquam artificio ſummo fictum, dili-
genter expolitum, atque in bono lumine collocatum, obie
ctum vultui, totique corpori declamantis, non alias refert
formas, niſi rerum earum quæ ſub oculorum iudicium ve-
niunt, quaſque coloribus Natura depinxit: at quod paraui
vobis, quod vobis utendum ſuadeo ſpeculum, reddit quo-
que ſimulacra rerum earum, quæ per aurium ſenſum in
animum illabuntur. Colligit & refert, non modo geſtum
omnem motumque corporis, membrorum ſingulorum,
oculorum coniectum, frontis hilaritatem, & oris nutum;
ſed etiam voces, verba, ſonos, numerum, ſpiritum, vociſq;
flexiones, ſonorum varietates, animæ interpunctiones, &
interualla reſpirationum: & ſi quod in his duobus rerum
generibus, quibus actio integra continetur, peccatum eſt,
ſi quis error, ſi qua labes, ſi qua deformitas; ſi quid denique
non ad artis normam, non ad perpendiculum decori, non
ad menſuram prudentiæ, clariſsime oſtendit oculis, auri-
bus, animoque declamantis. Prò Deus immortalis! quàm
14 mirabile ſpeculum! Intelligere auetis, opinor, quis illud
habeat; unde poſsit emi; quanti valeat ſpeculum in quo
virtus tanta, tam inſolita, tamque inaudita reſideat. Nolite
quæſo mirari, Brixienſes, aut reprehendere rei nouitatem,
inſolentiamque tranſlationis, prius quàm comprobauero,
quæ dixero. Fidelis, ac veridicus Monitor, ſpeculum eſt:
Monitor verax & accuratus uice ſpeculi uitia omnia de-
clamatoris, ipſi repræſentat expreſſa. Qua ratione niteris?
unde

vnde id probas? quem magiſtrum ſequeris? An vero ignotum eſt ſpeculum cryſtallinum ſummorum Philoſophorum Socratis, Platonis, Senecæ, Plutarchi monitu, vel inflammatis ira, uel vino feruidis, vel alia perturbatione animi vultum inuertente deformanteque affectis obijci oportere, vt ſuæ ipſorum inſaniæ, ac fœditatis moneantur? An nouum eſt idem ſpeculum à L. Seneca conſiliatium appellari? An inauditum ab Ariſtotele, & Galeno ſuaderi nobis, vt ad vitia cognoſcẽda morum noſtrorum, opera utamur amici monitoris? Quid quod Iſidorus Peluſiota vir ſanctiſsimus, atque inter Græcos Doctores epiſtolarum ſcriptor nobiliſsimus, planiſsime monitori ſpeculi nomen attribuit, quod illum vitioſi atque improbi fugiunt uera monentem, ut cryſtallina ſpecula vultu deformes auerſantur? Quod ſi ſpeculum, quia Monitoris officio fungitur, & conſiliatii, licuit his omnibus conſiliarium, & admonitorem appellare: mihi non liceat Monitorem ſincerum atque integrum, qui declamanti vitia, lapſus, errata ſua peramanter inſtar ſpeculi monendo repræſentat, ſpeculum nominare? Speculum itaque dicam eſſe Monitorem, non mutum, atque inanimum, ut illud erat, ad quod Demoſthenes ſe ſuosque geſtus componebat; ſed uiuum, ac ſpirans. Atque ut planius loquar, quemadmodum ſpeculum cryſtallinum eſt monitor quidem, ſed tacitus, elinguis, inanimatus; ita contra Monitor, eſt ſpeculũ viuens, eloquens, animatum; quod non tantum oſtendit uitia, ſed etiam peccanti emendationem hortando perſuadet. Monitor igitur declamãti, ſpeculi mirabiliter munus explens, eſt dicendi Magiſter, qui ſæpe adoleſcentem audit, dirigit, inſtruit: monitor amicus aliquis integer, fidus, ac peritus, qui eumdem uolentem obſeruat, & corrigit non inuitum: monitor eſt totius Gymnaſii cœtus; monitores omnes condiſcipuli; qui ſi non uerbo monent, quòd alienum id putent ab ætate ſua; tamen ipſe declamator, ut Plinius animaduerterat, admonetur tacite, cum quid quiſq. ſentiat, perſpicit ex uultu oculis,

Orat. 1. nu. 23.

L. Sen. l. 1. nat. qq. c. vlt.

Ar. l. 2. magn mor. cap. 18.

Gal. l. de cogn. & cur. an. morb cap. 3.

S. Iſid. Pelus. l. 1. ep. 382.

Pl. l. 5. ep. 3. ad Ariſton.

oculis, nutu, manu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis no-
15 tis iudicium ab humanitate diſcernunt. O mirabile, fidumque ſpeculum: cuius vtilitas non cælauit Plinium, qui tam ſæpe, tam libenter, tam auide recitabat in amicorum prudentiumque virorum conuentibus, vt admoneretur: cupiens non laudari dum recitaret, ſed dum poſtea legeretur: quam ob cauſſam panegyricum Traiano dictum, antequam ederet, vt qualimatisſimus, emendatiſſimusq; veniret in hominum lucem, triduo per partes in amicorum conuenticulo, non per codicillos, nec per libellos, ſed memoriter declamando repetiuit. Idem non populum imperitum aduocare ſolebat, ſed certos electoſque cenſores: quorum iudicium aurium religioſarum, ac teretum eſſet ſuperbiſſimum; oculorumque coniectus ad diſcernendum acerrimus: quibus crederet: & à quibus verum quaſi ex conſilij ſententia decretum audiret. Denique nullum genus emendationis omittens, poſt ſcriptionem ſtylo recognoſcebat; poſt recognitionem, ſecum ipſe retractabat quæ ſcripſerat; deinde duobus vel tribus legebat; & poſt hanc cenſuram, alijs tradebat, quorum notas cum vno, vel altero penſitabat: nouiſſime pluribus recitabat, vt per eam rationem, quam ipſe acerrimam emendationem arbitrabatur, operibus extrema manus accederet. O virum accuratiſſimum: cuius diligentiam imitatione digniſſimam vellem Adoleſcentes, vos in ſcriptionibus veſtris imitari: cuius è ſtudio atque aſsiduitate declamandi, reor vos habituros mihi fidẽ vtilitates declamationis prædicanti. Quas vt ſpeciatim cognoſcatis, iubeo vos animaduertere, quando ſpeculi mentio facta eſt, eius vſum eſſe præcipuum ad poliendum, & ornandum; quòd eius opera maculę in vultu deprehenſæ mulieris primum eluantur: deinde ſi qua deſunt ornamenta, formæ augendæ gratia, cincinnorum, gẽmarum, & pigmentorum ornatus apponatur. Reuocate
16 præterea memoriam ad ea, quæ vos à Cicerone docui: totam actionem, quæ rerum in dicendo poſitur, in duas diui-

Plin. l. 3. ep. 18. ad Curium. L. 7. ep. 17. ad Nonium.

Pl l. 9. ep. 13. ad Scaurum. L. 9. ep. 11. ad Arrian.

Pl. l. 7. ep. 17. ad Nonium.

Cornif. l. 3. rhet. ad Herenn. Cic. l. de

di partes, Pronunciationem, & Geſtum; quarum illa linguæ pulſum, vocis ſonos, aeris reſpirationem cõplectitur; hæc vero vultus, corporis, atque vtriuſque partium omnium motu geſtuque continetur. His conſtitutis inueſtigemus iam nunc diligenter, quàm bene exercitatio dicendi & declamandi ratio, domeſtica potiſsimum, vtramque actionis partem & limet, & exornet. Corrigit primum linguæ, verba voceſque ſuo tactu conformantis vitium, ſi quod inhæret, ex illis tribus ſummi Philoſophi Ariſtotelis obſeruatione notatis; quæ omnia refert in imbecillitatem tamquam in radicem; ſiue lingua balbutiat, ſiue hæſiter, ſiue aliquid contra loquentis voluntatem prætermittat. Et vnde ſumemus probationes huius mirabilis poteſtatis, niſi ab exercitatione Demoſthenis, qui quantum dicendi gloria floruit, tantum emendatæ naturæ ſingularibus exemplis abundauit? Balbus erat in adoleſcentia vitio naturæ magnus Orator, ita vt primam litteram eius artis, cui ſtuderet, dicere non poſſet. Sed quid illi tribuit potiſsimum è multis ad id remedijs adhibitis, vt paullo poſt eo nemo planius locutus putaretur? Declamatio. Fatentur hoc omnes, qui meditatione atque exercitatione conſecutum fuiſſe tradunt, vt Rho planiſsime diceret, atq; alterũ Demoſthenem edidiſſe mater, alterum exercitatio reddidiſſe videretur. Neque ij diſſentiunt, qui lapillis in os coniectis id obtinuiſſe contendunt, cum Quinctilianus aſſerat calculos ore volutare conſueuiſſe tum, cum domi remotis arbitris declamabat. Idem anguſtijs ſpiritus & animæ interclusione laborabat vſque eo, vt decem drachmarum millia profuderit in mercedem Neoptolemi hiſtrionis, à quo tamquam à medico & magiſtro, iuſtas comprehenſiones verborum vno ſpiritu pronunciare doceretur. At quæ medicina, præ ceteris, vitium hoc ei tam moleſtum dilatato pectore ſanauit adeo, vt poſtea binas vocis contentiones ac remiſsiones vna verborum continuatione proferret? Declamatio. Non difficultatis huius tollendæ gratia atque

Orat. Quinct. l. 11. cap. 3.

Ar. ſect. 11. probl. 30.

Orat. 2. nu. 37

Quinc l. 11. c. 3.

Plut. l. de x. or. in Demoſth.

vt ſpiritus eſſet quam longiſsimus, verſus multos, compre- *orat. 2. nu. 39.*
henſis ore ſcrupulis, ſumma voce, non conſiſtens in loco, ſed inambulans, & quod eſt laborioſiſsimum, nec ad linguæ vitium depellendum neceſſarium aſcenſu ingrediens arduo recitabat. Cicero quoque cui adoleſcenti ſumma gracilitas, & infirmitas corporis inerat, qui habitus non procul abeſſe putatur à periculo vitæ, ſi labor accedat, & laterum magna contentio; cum primum in forum proceſſit, ſine remiſsione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebat omnia. Quod medicamentum prauam hanc, vitioſamque conſuetudinem abſtergēs, *Cic. l. de cl. or.* & lateribus vires, & bonum habitum corpori, & modera- *Plut. in Cicer.* tionem vocis attulit oratori? Declamatio. Nam medicorū, amicorumque conſilio dicendi laborem tantiſper intermittens profectus eſt in Græciam, atque Aſiam; luſtrauit omnes celebres doctrinarum ſedes; ibique ſub oratoribus ſummis ſe ſe exercuit aſsiduiſsime biennio toto Latinis, Græcisque declamationibus: quibus eſt conſecutus, vt illa contentio vocis immoderata recideret, & quaſi deferueret incenſa nimis, & ardens oratio; Romamque non exercitatior modo, ſed prope mutatus, & longe ualentior corpore
17 reuerteretur. Neque ſolum lima eſt declamatio, quæ prauitates abradit à pronunciatione, ſed etiam cos admirabilis, quæ linguam, & uocem ſpoliatam uitiis exacuit, illuſtrat, ac perficit. De uoce tantum dicam, ne ſim longus; cuius bonitatem, quæ in ſuauitate, magnitudine, ſplendore, mollitudine, firmitate poſita eſt, in noſtra poteſtate non eſſe: *Cornif. l. 3. ad Heren.* cum abeſt, optandam à Natura: cum adeſt, tractationem, *Cic. l. 3. de or.* uſum, moderationem in nobis eſſe: uirtutes enumeratas *l de orat.* pæne omnes conſeruari, augeri, perfici exercitatione, ut *l. 1. offic.* eorum uerbis utar, declamationis Rhetores omnes una *Quin. l. 11. c. 3.* uoce definiunt. Quid Demoſthenes, tam ſæpe propter diligentiam actionis perficiendæ uobis allatus in exemplum ſpectabat, cum in crepidine maris inambulans declamitabat ad fremitum undarum, ac fluctuum, qui tempore tem- *orat. 2. nu. 38.*

peſtatis ad cautes, ſaxa, ſcopulos illidebantur, niſi ut firmitudine, aucta magnitudineque confirmata uocis, in foro ſibilos, aduerſus clamores, ſtrepitumque inſani populi contentione ac uociferatione peruinceret? Vocis item, quæ mollitudine commutabilis, tenera, flexibilis arbitrio loquentis fingi poteſt ac debet; quæque ut intenta chorda ad quemque linguæ tactum reſpondet, & ita ſonat, ut ab animi motu pulſa eſt, moderatio, magnam obtinet partem laudis in pronunciando: quæ laus inter uirtutes oratorias mihi ſemper maxima uiſa eſt, cum orator ſic eam uariat, ac mutat pro ratione partium orationis, & rerũ & affectuum, ut intendens, remittens, flectens omnes ſonorum gradus perſequatur. Quid utilius mutatione crebra poteſt excogitari, ſiue dicentem, ſiue auditores, ſiue orationem conſideres? An uero nouum atque inſolitum eſt, ita pernicioſſimam eſſe dicenti uocis effuſam ſine intermiſsione contẽtionem, qua læduntur fauces, uulneratur arteria, uox ipſa labefactata defatigatur, & deficit oratorem; ut commutationem utiliſsimam, qua fit ut omnibus uocis inſtrumentis recreatis, uocem integram per omnes ſonorum gradus orator habeat in ſua poteſtate? Deinde nihil Auditoribus accidere poteſt, uel auditu ſuauius, uel ad uoluptatem aptius, quàm uarietas uocis, ſonorumque uiciſsitudo, quibus & aurium ſenſus mulceatur; & ſatietas illa, quæ naſcitur è ſimilitudine, uincatur. Poſtremo decorum ipſum, ars, prudentia uarietatem in oratione depoſcunt: aliam uocem principia requirunt, in quibus clamare agreſte quiddam eſt, uociferari faucibus pernicioſum; aliam epilogi flammis affectuum ardentes, in quibus frigere uocem, ac languere ridiculum: aliam res graues ac mæſtæ poſtulant; aliam res leues, ac riſu dignæ: perturbationes denique ſuam expetũt uarietatem uocis; miſericordia flebilem, iracundia contentam, atrocem inuidia deſiderant. Quam ob cauſſam cum admiratione uulgata eſt diligentia C. Gracchi, qui ſeruum cum eburneola fiſtula peritum hominem ſtare occulte iubebat

Cic. l. 3. de or.
Quin l. 1. c. 10.
Agell. l. 1. c. 11

iubebat à tergo cum concionaretur, vt inflaret eum ſonũ
celeriter, quo dicentem aut remiſſum excitaret, aut à con-
tentione reuocaret. Sed hanc ſcientiam vocis moderan-
dæ, & commutandæ pro varietate rerum, affectuum, par-
tiumque orationis, tam neceſſariam, vtilem, ſalutarem, iu-
cundam oratoris faucibus, & auribus auditorum, quæ fiſtu
la, qui Rhetor, quæ ars, quæ præceptio vobis tribuat, niſi
declamatio? Relinquite igitur, vt monebat L. Craſſus ora- *Cic. l. 3. de or.*
tor, domi fiſtulam; præcepta ne contemnite; magiſtrum
audite libenter admonentem; ſed in primis exercitationẽ
exoptate; & concupiſcite, vt vobis ſchola ſit ſuggeſtum,
19 magiſter vſus, & declamatio diſciplina. Quod idem fere
dicendum eſt de geſtu, quem declamatio itidem emendat,
& perficit. Quod ſum modo dicturus, Adoleſcentes, à de-
clamatione perfectum in Demoſthenis emendando cor-
poris geſtu vitioſo, mirabile erit vobis pariter & inauditũ.
Habebat ille naturæ culpa motum neſcio quem deformẽ *Suid. in De-*
alterius humeri, voluntati repugnãtis ſimilem opinor eius, *moſt.* *Liban. in De-*
quem in aliquibus vidi, qui ad ſingula fere verba vel attol- *moſt.*
lebant humeros, vel iactabant. Intellexerat populo, qui *Plut. l. x. orat.*
notauerat, diſplicere prauitatem illam; proinde tollere ſta- *in Demoſth.*
tuit; & ad hoc è lacunari cauernæ illius, vt reor, quæ lucu-
brationum officina, declamationis ſchola, teſtis omnium
exercitationum, & arcanorum conſcia ſolebat eſſe, ſiue
gladium, ſiue haſtam appenſam demiſit, quæ ſibi declamã-
ti peccantem humerum, cum indecore mouebatur, & in
ferrum incurrebat, mucrone pungeret, ac feriret. Quo ſeu
metu vulneris; ſeu neceſſitate ſibi iniecta continendi hu-
meri, conſecutus eſt à ſe ipſo, vt ne in poſterum eum geſtũ
faceret, qui multitudini videretur indecorus. Verum hac
20 emendatione non contentus, perfectionem Actionis im-
primere cupiebat, in oculis, qui tum intẽſione, tum remiſ-
ſione, tum coniectu, tum hilaritate animorum indices in
ore dominantur: in vultu, qui gubernatus oculis eſt animi
latentis imago, & ſecundum vocem plurimũ valet: in toto

corpore,

corpore,cuius geſtus eſt ſermo quidam tacitus eloquentis, quo vulgus,imperiti,barbari, maxime commouentur. At videte quam rationem inijt,is qui monitoris ſpeculum nō habebat ad manum,non condiſcipulorū cœtum, non fidelem amicum,ut uobis præſto ſunt in recitando. Speculum ingens in ſuo ſpecu ſtatuit,quo coram quaſi magiſtro ſolus ipſe ſe intuens,in declamando circumſpiciebat, obſeruabat,componebat agentem. Itaq; ſummus artifex dicendi, qui copiam rerum ac verborum à Platone philoſophorum antiſtite hauſerat,ab Eubulide Dialectico rationē differendi didicerat; ab Iſæo Rhetore atq; oratore clariſſimo benedicendi præcepta deuorauerat; congruentē rebus,affectibus, moribus, ac decoro geſtum & actionem cauſſas meditando,eſt à ſpeculo mutuatus. Quare quod ingenioſiſſimus Philoſophorum Ariſtoteles vere de arte tradidit,eam ſupplere quæ Naturæ defuerint, idem mihi videor in eloquentiæ diſciplina tribuere poſſe meditationi dicēdi;quod non id Ars præſtare queat,niſi per hanc exercitationē,quæ dicitur Declamatio.Cuius vis ac poteſtas nō vocis,uultus, corporis expolitione tātum,ornatuq; terminatur:nō unius Actionis emendatione,moderationeq; contenta, in rebus corporatis conquieſcit:altius aſcendit;gradum facit ad animum,ad ingenium,ad memoriam;attingit lima ſua,cōformationeque partes omnes eloquentiæ. Sed quæ tanta poteſt exiſtere celeritas linguæ; tanta volubilitas orationis; tanta vis paucis multa dicendi, quæ tam anguſto ſpatio mihi præſcripti temporis, ad veſperam iam præcipitantis, atq; elabentis è mea poteſtate;quæ mihi tractanda reſtant, non explicare,ſed conſtipare;non augere,ſed coarctare,nō ornare,ſed enumerare poſſit eloquendo? Diem aliū,hanc ſcholam, eumdem oratorē humanitas omniū veſtrū inuitatu meo coloneſtatura eſt: quo die reliquos declamationis utiliſſimæ dulciſſimos fructus deguſtaturi colligetis. Interim peruellem, Adoleſcentes,ut quem calorē deſiderij ca- 21 peſſendæ Rhetoricæ;quam flammam cupiditatis Actionis

per-

Plut. in Demoſth.
Quin.l.11.c.3.
Apul. Apol. 1.
Ar.l.7. polit. cap.17.

perficiendæ, quem ignem amoris aduerſus eloquentiæ formam, ac pulchritudinẽ, ex tot meis priuatis, & publicis adhortationibus concepiſtis; ad exercitationem dicendi, ſine qua illa non poteſt obtineri, pari, & vero etiam maiore ſi fieri poteſt, ardore conuerteretis. Roſcius hiſtrio nobiliſſimus, qui propter artis ſuæ præſtãtiã & uenuſtatẽ aſſecutus erat, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur: quo ſpectante geſtũ agere in ſcena eſſe uidebatur hominis impudentis: ille, inquam, diſcipulus nõnumquam Hortẽſii, & magiſter Ciceronis, qui, ut propter probitatem indignus, ita propter artem ſolus ſcena dignus iudicatus eſt, quotidiano recitandi atq; agendi uſu, quãuis exercitatiſſimus eſſet, tamẽ numquã niſi geſtus, & actionẽ accurate meditatus ſe dabat in publicum, quod Hiſtorici tamquã rem admiratione dignam litteris prodiderunt: & quiſquã exiſtimabit ſine geſtus, & uocis exercitatione poſſe quemquã, & potiſſimũ adoleſcentẽ, pro dignitate uel in Iudicũ cõſeſsibus agere cauſſas: uel in publicis conuẽtibus ciuiũ è loco ſuperiore conciones atq; orationes habere? Si brachia, lacertos, pectus, omneſq; corporis neruos iaculandi, equitandi, dimicandiq; exercitatione ad militarẽ ſciẽtiã inſtituitis: ſi manus & digitos ad bene celeriterq; ſcribẽdũ; ſi pedes & crura ſimiliter ad numeroſe ſaltandum, multa meditatione præparatis: ſi uocẽ artificioſis modulis ad muſicam exercetis: tam eritis imperiti rerum, ut oratoriã facultatem & eloquentiam, quã non habetis à Natura perfectã, ſine magna exercitatione corporis, & linguæ; geſtus & uocis; laterũ, & pectoris ante præmiſſa, in publico, ſine deformitate, ſine irriſione, ſine periculo promendam arbitremini?

Cic. l. 1. & 2. de orat.

Val. Max. l. 8. cap. 7.

22 Nolite, quæſo uos, permittere, ut auiculæ ſtudio meditãdi ueſtram diligentiam ſuperare uideantur. Luſciniæ, quarum in paruo corpore, paruuliſq; faucibus habitat tã pertinax ſpiritus, tanta uocis ſuauitas, tã perfecta muſicæ ſciẽtia; cum ſunt iuniores, uerſus quos imitentur accipiũt à ſeniore; tamquam diſcipulæ reddunt intentione magna, quæ

Pl. l. 10. c. 29. & 42.

acce-

acceperunt à magiſtris reprehenſionem à docente nō refugiunt, & deniq; tantum aſsidue meditātur: uos animātes rationis compotes, qui nō modo locuturi eſtis, ut homines; ſed etiam peroraturi, ut eloquētes, exercitationē pectoris, uſum linguæ, uocisq; tractationē ſub dicendi magiſtro ueſtrum amantiſsimo, tam ſalutarem, ac neceſſariam refugietis? Conuertite mentis aciem, & oculos ingenii conijcite continenter in Demoſthenem, & Ciceronem: alterū Athenarum, Atticę, Græciæ lumen: alterum Romæ, Latij, & Italiæ ſplēdorem: imitamini utrumq; diſertiſsimum oratorē; tum illum orationis Græcæ magiſtrum: tum hunc Latinæ perfectorem eloquentię: ſumite exemplum exercitationis, ab his geminis exemplaribus ingenii, copiæ, diligentiæ: qui ambo benedicendi cupiditate ardentes, iam natu grandes, aliquandiu in foro, iudiciiſque uerſati; in ætate uirili, geſtus elegantes, actionemq; concinnam ac decoram, ſub actoribus fabularum magiſtris, meditando didicerunt. Vos, Adoleſcentes, uos faciliores eſtis, quàm ſenes ad diſcendū: ueſtrum ingenium cuiuſcumq; habitus eſt capacius, quā ſenile: ueſtra ætas eſt ad ſimilitudinem molliſsimæ ceræ flexibilior, quàm uirilis, in omnem formam: ueſtra denique uox tenera, & mollis pro fingentis arbitrio flectitur in omnem ſonum: & iſtam naturæ bonitatem, iſtam ætatis facilitatē, iſtam uocis, linguæ, membrorumque omnium teneritatē, ac mollitudinem, non ad exercitationem dicendi, quæ formari, fingique poſsit ad omnem uenuſtatem, & decorum, frequenti declamatione transferetis? Poſtremo, ſi qua negligentia, ſi qua deſidia, ſi qui languor uobis minus aduertentibus inhæret, qui nec membris corporis, nec animi ſenſibus uti permittit, ad exercitationis labores ſubeundos: excitate, tollite, depellite tantum morbum, perniciem, atque peſtem: & facite, ut in eorum locum diligentia, celeritas, & induſtria ſuccedentes, tamquam arbores: bonæ uerno tempore, creſcant, uireant, & floreſcant.

Lucian. in Demoſt.
Plut. in Cicer.

DE

DE EXERCITATIONE DICENDI,

Oratio Poſterior. Oratio IX.

1 SI quantum in voce geſtuque corporis emē-
dando perficiendoque poteſt exercitatio
dicendi; tantum in affectibus immoderatis
animi cohibendis temperandisque vale-
ret, Auditores: næ declamandi labor in
animo ſanando, perquam bene atque vtiliter collocatus à
vobis putaretur: ſed cum multo plus emolumenti pertur-
bationibus moderandis animo, quàm corpori, voce geſtu-
que corrigendo videatur afferre; nemo prudens dubitare
poteſt, ex hoc capite tanto eſſe vtiliorem vſum declami-
tandi, quanto eſt animus corpore ipſo præſtantior, quan-
toque ſæpenumero ſunt animi morbi, quàm corporis, ora-
tori moleſtiores. Audiuiſtis nudius decimus, me dicente,
quem fructum è declamationum crebritate lingua, vox,
ſpiritus, ac pronunciatio decerpat; intellexíſtis quam vti-
litatem indidem frons, oculi, vultus, reliqui corporis ge-
ſtus, actioque tota primas in eloquentia tenens exorbeat;
accipite iamnunc, Adoleſcentes, vt meam liberem fidem,
& quam ſum exorſus telam diſputationis, eam voce atque
oratione pertexam; quid commodi, quid emolumenti tũ
animo, tum ingenio, tum memoriæ deſignati oratoris pa-
riat eadem frequens, atque accurata declamatio. Qua in
diſputatione tanto vos conuenit ſolito attentiores ad au-
diendum eſſe; cupidiores res nouas addiſcendi; tantoq; ar-
dentiores ad amplectenda ſalutaria de exercitatione dicē-
di præcepta, quæ tradentur; quanto res ipſa tractanda vo-
bis commodior atque vtilior eſt futura. Duo ſunt affectus,
2 qui tamquam validiſſimi hoſtes oratorum animum, & pe-
ctus interdum aggrediuntur in dicendo, debilitant, & con-

Digitized by Google

cutiunt; tum ex animo labefactato fractoque, in vultum notabili mutatione coloris erumpunt, & interiorem morbum, vulnusque faciunt manifeſtum; Timor, & Pudor; quorum ille grauior, vehementior, infeſtior, os pallore ſuffundit: hic mitior, debilior, ac ſimulatior vultum rubore depingit. Qui ambo ſi conſpiratione quaſi facta, in vnum eundemque hominem coiuerint, non ſolum eum in dicendo perturbant, ſed etiam in perpetuum à dicendo deterrent. Vixit Athenis; quæ vt doctrinarum inuentrices, ita diu ſedes ſunt exiſtimatæ ſapientiæ, nobiliſſimus ſcriptor orationum Iſocrates, qui ſuauiſſimo numeroſiſſimoque ſtylo, multorum eloquentiſſimorum oratorum linguas elegantia copiaque ſuperauit. Vixit inter Latinos Q.

Q. Cic. ep. de Petit. conſul.

Cicero M. Tullij frater, qui quantum in dicendo fuiſſet valiturus, ſi prodire in publicum auſus fuiſſet, ad M. fratrē de petitione conſulatus epiſtola, magni partus ingenij, ſubtiliter, atque ornate conſcripta teſtatur. At quid nam aliud tantos viros, tam ingenioſos, tamque habiles ad eloquentiam, vt calamus vtriuſque declarat; carere foro, iudicia refugere, curiam horrere coegit; atque à ſumma laude, quam conſequi potuiſſent, ſi pro ſtylo linguam adhibuiſſent ad dicendum, retardauit, ac retraxit; niſi, quemadmodum loquitur M. Tullius, huius quidem frater amantiſſimus; illius vero lector ſtudioſiſſimus, atque accuratiſſimus imitator; pudor ingenuus, & timiditas?

Cic. l. 2. de or. Iſocr. in Panath. Pl. l. 6. ep. 29. ad Quadrat.

3 Atque vt de hac priore loco dicere inſtituam: magna ſane res eſt, & metuenda maxime, Brixienſes, homunculum, ingenij ſui viribus nixum, in concionem aſcendere, continuataque oratione diu, grauibus de rebus dicere, multis audientibus, tacentibus, notantibus; tum viris ingenioſis atque eruditis; tum obtuſis atque indoctis: quibus vtriſque placere difficillimum eſt, diſplicere facillimum; illis quidem, quia vitia vident & errata dicentis; eaque ſecernere à bonis, recteq; dictis ſciunt: his vero, quia bona vel cognoſcere neſciunt, vel à vitioſis, prauisq; diſtinguere. Quo fit, vt non paucos,

ſiue

ſiue naturalis imbecillitas animi; ſiue conſcientia tenuitatis ingenij: ſiue magnitudo periculi mente concepta; ſiue actio ipſa magnis difficultatibus circumſepta, pectoribus eorum ingentem metum incutiens; per eum deterritos, uel penitus auocat à dicendo; uel in medio curſu retinet ac retardat; uel certe decurſo propemodum ſpatio, metam eloquentiæ non ſinit attingere. Nihil mirum eſt, quod homunciones; naturali timiditate languentes in concionem prodire non audeant; prudentum uirorum conſpectum refugiant: os aperire, ſoluere linguam, effari aliquid reformident: ſed illud admirationem habet, quod quibuſdam viris etiam conſtantiſſimis ex metu quandoque vidimus, atque audiuimus accidiſſe. Quis crederet, niſi grauiſſimi Philoſophi obſeruaſſent, ac proderent: niſi multi noſtrum in ſe, atque in aliis eſſent experti: quibuſdam in conſpectu populi dicturis ex metu ſudorem erumpere, non aliter quàm defatigatis, & æſtuantibus ſolet: aliis tremere genua: quorumdam dentes collidi, titubare liuguam, labra concurrere? Memoriam item formido confundit: uerborum ac rerum ordinem, ſeriemque commutat; de facultate dicendi multum detrahit, copiam extenuat atque inopem facit; & quod grauiſſimum eſt incommodorum, clauſa quandoque memoria, præpedita lingua, uoceque intercepta, ſilentium ac taciturnitatem violenter indicit. Nam in dicendi principijs ex metu commoueri grauiter, exalbeſcere, tota mẽte atque omnibus artubus contremiſcere, frangi, debilitari, exanimari ſummos atque eloquentiſſimos oratores eſt adeo vulgatum atque vſitatum, vt diſertiſſimi, atque exercitatiſſimi viri L. Craſſus, & M. Tullius id libere, atque ingenue fateantur. Nolo cauſſas huius timoris, Adoleſcentes, inquirere ac pertractare diligentiſsime: ne longius quàm par ſit, ab inſtituto curriculo deflectam: quòd multæ ſunt, & graues, & propter grauitatem prolixam eſſent explicationem habituræ. Leuiter attingam eas, quæ ſæpius metum in oratores immittunt: ad quas arcendas atque auertendas

L. Sen. ep. 11. Pl. l. 7. c. 24. Caſsiod. l. 5. Var. ep. 22.

Cic. orat. pro Deiot. & l. 1. de orat.

Digitized by Google

vos eſſe oportet armatos, inſtructos, præmunitos. Primo permagnum inijcit metum oratori bono cogitatio illa, 4 uenire ſe dicendo, in iudicium grauiſsimum non ingenii ſolum, ſed etiam officij, prudentiæ, uirtutis, à quibus peccando deſciſcere turpiſsimum ducimus. Cum dicit, uidet in ſe omnium ora conuerſa, coniectos oculos, aures intentas cogitationesque defixas auditorum, qui geſtus animo metiuntur; ſyllabas uerborum enumerant; ingenii trutina ſententias perpendunt: nullus error mentis, nullus memoriæ lapſus, nullum peccatum prudentiæ, nulla uocis aſperitas, nulla hæſitantia linguæ, non in alicuius religioſiſſimas aures cadit: quilibet nutus oris, oculorum coniectus, membrorum geſtus, corporis motus indecorus in cuiuſpiam cenſorios oculos incurrit: quoties dicit, toties ſe iudicari intelligit; quot ſunt auditorum capita, tot eſſe cenſores, & Ariſtarchos: ſi quid peccatum eſt, excuſationem habere nullam: & opinionem inſcitiæ, tarditatis, imprudẽtiæ, quæ creatur in auditoribus, vel æternam eſſe, uel certe diuturnam. Finitima eſt huic altera cauſſa timoris, euentus exſpectatio; cum mente, & cogitatione proſpicit orator in futurum, & dubitat metuens quem nam exitum oratio ſua ſit habitura: placitura ne ſit laudatio, an ſecus: iturus ne ſit ſenatus in ſententiam ſuam, an reclamaturus: condemnãdus ne ſit in iudicio reus, an abſoluendus. Quæ dubitatio tum vehementiorem affert metum, cum accedit alienorum periculorum, & infeliciſsimorum euentorum recordatio. Nam ij, quos uſus & natura docuit, nonnumquam ſummis oratoribus non ſatis ex ſententia dicendi euẽtum proceſsiſſe intelligunt: ita non iniuria, quotieſcumque dicunt; id quod aliquando poſsit accidere, ne tum accidat ſibi pertimeſcunt. Hac de cauſſa M. Tullius, vir tantus, quãtum noſtis, ſemper cum magno metu ſe incipere confitetur: hac, ſe non ſolum commoueri animo, ſed etiam toto corpore perhorreſcere; cum illi veniebat in mentem temporis illius, quo die citato reo fuiſſet illi perorandum: hac

Cic. l. 1. de or. orat. pro cluẽt.

Cic. diuin. in Verr. & l. 1. de orat.

Cic. orat. pro Cluen. & diuin. in Verr.

eadem, manumiſiſſe proditur Erota ſeruum; quòd iudiciū quoddam grauiſsimum in diem poſterum fuiſſe dilatum nunciaſſet. Nec minore metu circumfundit oratorem aliquando reuerentia quædam aduerſus auditores, quos cognoſcit, aut exiſtimat acerrimo præditos eſſe iudicio, tum vel auctoritate grauiſsimos, vel ſapientia doctiſsimos, vel dignitate præſtātiſsimos. Hinc profectum illum timorem arbitror, ex quo Theophraſtus excellenti facultate dicendi, quam priſci per hyperbolen, diuinam vocitabant, inſtructus obmutuit in Senatu Areopagitarum; qui ſapientiſsimi, ac ſeueriſsimi totius Græciæ iudices habebantur. Indidem eueniſſe reor, vt Demoſthenes ipſius propemodum eloquentiæ uis atque uox, coram Philippo Macedoniæ Rege non militaris artis modo, ſed etiam oratoriæ peritiſsimo ſcientiſsimoque, cuius ex oculis, ore, corporeque toto dignitatis fulgor ingens, ac maieſtatis oboriebatur, de repente conticeſceret. Eiuſdem generis metum de pectore Alcibiadis in concionem populi prodire formidantis ad dicendū, abſterſit prudentiſſime Socrates, cōfidentioremq; reddidit adoleſcentē; cū eū more ſuo docēs interrogauit, an fartorem illū (adiecto nomine) nihili faceret; annuente iuuene, rurſus quæſiuit, ex eo, nū propolā illū, nū cetarium, lanium, pictoremue metueret: negante que illo; *Concio*, inquit Socrates, *ex eiuſmodi hominum fæce conflata eſt: ſi contemnis ſingulos, cur vniuerſos pertimeſcis?* Non ignoro timorem hunc, qui proficiſcitur ab auditorum reuerentia; tum etiam illum, qui vel ab euentus exſpectatione, vel à recordatione caſuum alienorum, vel à iudicio, quod ſubimus, exiſtit, habere non contemnendam vtilitatem: etenim dicturis timor acuit induſtriam, excitat diligentiam, adhibet accurationem orationi recitandæ, vt auditorum dignitati, prudentiæ, atque exſpectationi reſpondeant. Itaq; nō immerito Plinius ſanequam exercitatus ac bonus orator, emendationem omnem, expolitionemque orationum metui referebat acceptam, cum dicebat idem

Plut. in Apophth.

Orat. 8nu. 8.

Agell. l. 8. c. 8.

Ael. l. 2. Var. hiſt. cap. 1.

Pl. l. 7. ep. 17. ad Nonium.

ſe

ſe plane ſentire de metu, quod M. Tullius de ſtylo cenſuiſſet; definiebatque timorem emendatorem aſperrimum eſſe. Nam hoc ipſum quod nos recitaturos cogitamus, quod concionem ingredimur, quod pallemus, quod horreſcimus, quod circumſpicimus, emendat. Vere dicuntur iſthæc à Plinio, & vſui magno vobis aliquãdo futura ſunt; Adoleſcentes; ſed ne ſit nimius hic metus, prouidendum eſt; & ante multo cauendum, ne quod Demoſtheni, Theophraſto, nonnulliſque alijs magni nominis oratoribus nec opinantibus accidit; vobis id minus cogitantibus, cum incredibili dedecore, ſummoque dolore veſtro poſſit euenire. Quid quod neſcio quæ res alia metuenda, præcauendaque iuuenibus etſi non concutere, tamen commouere, ac 6 perturbare ſolet oratores minus exercitatos in dicendo? Non ea metus eſſe videtur, ſed metui ſimilis, & affinis: commotio, perturbatio, confuſio eſt animi, quam loci, concionis, multitudinis nouitas, & inſolentia nonnumquam efficiunt in oratore; quibus conturbatus hæret, titubat, obliuiſcitur: nec verba, nec res in poteſtate habet: lingua neſcit explicare orationem, quam animo inuolutam attulerat in concionem. Quis in cuncta Græcia poſt adultam Chriſtianam religionem extitit eloquentior Ioanne Antiocheno, quem aurea uis vbertasque dicendi Chryſoſtomi cognomento decorauit? Is cum primum in maximi templi Antiocheni ſuggeſtum, Archiepiſcopi iuſſu, recens initiatus ſacerdotio, conſcendiſſet ad magnam Chriſtianorum multitudinem concionaturus, ingenue confeſſus eſt auditorum preces expoſcens, tum expectatione populi, tum rei nouitate ſe adeo metu fuiſſe permotum, vt vereretur, ne memoria depoſitum denegaret, neue dicendi vis, & ingenium inter loquendum penitus ſiccaretur. Floruit inter Latinos, Auguſti tempore, Porcius Latro, quẽ M. Seneca ſodalis eius, & amicus *unicum exemplum declamatoriæ virtutis* appellat: de cuius actionis contentione, copia dicẽdi, magnitudine ingenii, memoriæ naturalis, quã arte ſumma pluti-

M. Sen. l. 9. contr. Præfat.

Suidas in Chryſ.

S. Chryſ. hom. cum factus presb. t. 5.

M. Sen. l. 1. & 9. controu. præfat.

Digitized by Google

plurimum adiuuerat felicitate mira narrantur. At hic tot *Quin.l.10.c.6.*
tantiſque præſidiis inſtructus ad dicendum, vt oratione ſu-
periore dixi, cum primum venit in forum è ſchola reum
propinquum defenſurus, inſolentia loci, reique nouitate
perturbatus eſt adeo, vt à ſolœciſmo defenſionem ordire-
tur: nec potuit ante confirmari ſeſeque colligere, neſcius
pati cælum, & tantum ſcholæ, tecto, parietibus aſſuetus;
quàm iudicium de foro ſub tectum transferretur. Quod ſi
tantos viros Porcium & Chryſoſtomum, quamquam ani-
mo diſpari, & euentu diſſimili, conſpectus inſolitæ rei, no-
uitas auditorum, & locorum commouit ac terruit; non exi-
ſtimabitis arte aliqua vos aduerſus hanc rerum inſolentiã,
& metum inde profectum, ante quàm in publicum venia-
7 tis eſſe muniendos? Iam vero ad alterum dicendi impedi-
mentum explicandum progrediatur oratio mea, quod pu-
doris nomine ſignaueram. Eſt pudor affectus animi, qui *Macrob.l.7.*
cum excitatur, illico purpureo colore genas, frontem, to- *ſat.cap.21.*
tumque vultum perfundit, à corde ſanguinem mutuatus: *Ar.l.4.eth.c.9.* *L.Sen.ep.11.*
tamquam velo faciem obtecturus: laudabilis, vtpote bonũ
ſignum, in adoleſcente, vt Philoſophi ſummi prodiderunt;
quam ob cauſſam Cato ille cenſorius, accuratiſſimus magi-
ſter morum, filiorum educator diligentiſſimus dictitare ſo- *Plut.l. de aud. Poet.*
lebat, ſibi magis adoleſcentes, qui rubeſcerent placere, quã *l. de vit. ve-*
qui palleſcerent. Et ſane præclarus eſt illius ætatis ornatus, *rec.*
erratorum inimicus, flagitiorum hoſtis, multarum frenum
perturbationum, quæ hoc ſolo rubore cohibentur; quòd
cum timore quoque non paruam habeat affinitatem vere-
cundia. Nam qui ex pudore crimina, uitioſaſque actiones
reformidant atque horrent, ſi non virtutis amore, cuius du-
cantur ſtudio; timore certe reprehenſionis, infamiæ, vitu- *Agell.l.19.c.6*
perationis, quæ ex malefactis cum dedecore conſequi, quę
inuſtæ vitæ turpiter inhærere ſolent, ab improbitate, ſcele- *S.Th.2.2.q.*
re, flagitiiſque retardantur. Quo fit, vt dicere incipientem *144.art.1.*
oratorem hic errandi, peccandique timor ſæpe conturbet;
rubor in ora fundatur; & lineas mediocritatis in aliquo
tran-

tranſiliens tam longe progrediatur, ut ad extrema perue-
niens vitium fiat, & dicere conantem impediat. De Iſo-
crate & Q. Cicerone iam diximus, quos non timiditas tan-
Pl.l.6.ep.29. ad Quadrat. tum naturalis, ſed etiam frontis mollities, vt Plinius loqui-
tur, hoc eſt immoderata verecundia, quæ frontem rubore
molliebat adeo, vt populi conſpectum ferre non poſſent,
ne in publico dicerent, prohibuit: vt iure Plutarchus huic
graui morbo ſanando fecerit integro libro medicinam.
L.Sen.ep.11. Quoſdam etſi non arcet à dicendo, mouet tamen: non mo
do tirones ac iuuenes, quibus eſt plus caloris, ac ſanguinis;
quorum item eſt tenera frons ad ruborem excipiendum;
ſed etiam veteranos ac ſenes tangit, in quibus minime lau
Ar.l.4.eth c.9. danda eſt verecundia. Nonne L. Seneca viris grauiſſimis
vidit dicentibus ſubitum offundi ruborem? Quid mollius
L.Sen.ep.11. erat ore Cn. Pompeij, qui numquam coram pluribus, &
in concionibus potiſſimum, non erubuit? Qui toties in
acie ſteterat fortis, & inuictus aduerſus tela, mucrones, &
haſtas tot milliũ barbarorũ; qui toties in agmine conſtitu-
tus, ſibi imperans, timoris victor antequã hoſtiũ, tormen-
ta bellica pro nihilo duxit, potentiſſimorum Regum mi-
nas, & arma neglexit; pugnæ pericula terra marique con-
tempſit; bellorum ac præliorum incertos euentus nihil
extimuit: hunc (ò rem miram, o pudoris uim præpoten-
tem ac metuendam) hunc rebus fortiter geſtis, victoriis,
ac triumphis verius, quàm cognomine Magnum, verecũ-
dia tranſmiſſo ſanguine in vultum illum; qui minax, acer,
& inflammatus ardore pugnandi millies hoſtibus terrori
fuit, in concione perturbabat: & is metuebat inermem at-
que amantiſſimam ſui Romanam plebem; imperitæ mul-
titudinis iudicium verebatur: dedecoris notam à populo
ſibi formidabat, quem nec armati Reges, nec hoſtiles exer
citus, nec claſſes piratarum, nec tot infeſtæ prouinciæ per-
domandæ tantulum commouerunt? Igitur, Adoleſcentes, 8
quos ego faſtigium eloquentiæ, non ſecus ac ſi fratres eſ-
ſetis mei, conſcendere cupio, moneo vos, vt fortitudine

præ-

præparetis animum aduerſus hoſtes eloquentiæ modo numeratos, ac deprehenſos; qui vel à dicendo reuocant homines; vel in dicendo confundunt, perturbant, ac debilitant oratores. Armate, munite, corroborate pectus contra timorem: obfirmentur oculi, atque aſſueſiant rerum, auditorum, locorum nouitati: frons tenera, & mollis vultus contra pudorem immodicum obdureſcat. Sed qua præparatione, quibus munitionibus, quaue armatura fiat id totum, quod moneo, tacitis clamoribus à me iure flagitatis vt doceam; qui longa inquiſitione mentis, & orationis oppugnatores, vexatores, & vero etiam oppreſſores eloquētiæ indagaui, deprehendi, & vobis indicaui. Schola Rhetoricæ eſt armamentarium, vnde animi ſumendi ſunt; inde robur pectoris, firmitas frontis, moderata fortitudine confidentia promentur: ſtudium eſt præparatio; dicendi exercitationes, erunt vobis munitiones; & armatura ſit ipſa declamatio. Qua declamatione boni magiſtri ductu ſæpe repetita, quæ machina melior, atque aptior à maioribus noſtris excogitari potuit ad hunc hoſtem cohibendum, timoremque minuendum, qui tot modis, etiam per laudabilem verecundiam, oppugnat animum Oratoris? Minuendum dixi, non tollendum; propterea quod naturales eiuſcemodi affectus, vt iniuſſu noſtro veniunt, ita iuſſu no- *L. Sen. ep.* 11.
ſtro minime recedunt: nulla ſapientia, nulla induſtria, nulla vis humana radicitus eos extirpare poteſt: arte, frequenti pugna, & impetu animi, reprimuntur, reſecantur, retunduntur. At videt mecum diligenter priſcorum Rhetorum,

9 rum, ac Philoſophorum, qui parentes tam ſalutaris exercitationis atque inuentores fuerunt, in declamatione inſtituenda ſapientiam. Nouerant conſuetudinis, in his quæ pertinent ad animi facultates, affectus, ac mores; vim eſſe maximam: ſciebant in naturam pæne conuerti; proinde quaſi *naturam alteram* à ſapientibus vno conſenſu vocitari: videbant eas actiones, quas laborioſiſſimas rudis, inexercitatus, & non aſſuetus in ſe ipſo experiebatur, reddi con- *Ar. Sect. 28. probl. 1. l de mem. & c c. 3. L. 7. eth. c. 10. Cic l. 5. de fin. Plut. in præcept. Salut.*

Philo.l. de Ioſeph.
Ar.ſect.5.probl.12.Sect.21.probl.15.
L Sen.l.de Tranquill.c.11
Ar.l.10.eth.cap.9. L.1.Rhetor.cap.11. vel de iuçundis.
Auer.l.7.collig.cap.2.

ſuetudine faciliores, vſuque commodiores. Quin etiam opus aliquod, aut munus, quod ante crebram exercitationem ſentiebatur propter difficultatem eſſe moleſtum inexercitatis; intelligebant poſt crebrum vſum ijſdem fieri conſuetudine iucundum. Denique compererunt, vi conſuetudinis obtineri, vt qui aſſueuerit alicui prorſus inſolitæ rei, quæ obiecta ſenſibus, atque animo commotiones affectuum excitare ſolebat; ijs perturbationibus, quibus quondam afficiebatur; aut nihil, aut parum poſtea moueatur. Quamobrem exiſtimarunt per dicendi conſuetudinem poſſe fieri, vt qui timidioris naturę, ac verecundioris eſſent, metu repreſſo, deterſoque pudore, ſumerent animos ad dicendum, & auderent in publicum venire, ac loqui diutius: atque idcirco frequentem hanc exercitationem declamandi tam vtilem inſtituerunt, per quam illa conſuetudo pararetur. Sperabant fore (id quod ſunt plane conſecuti) vt qui nondum eſſent ad dicendum exercitati, priuatim aſſueſcerent aſcendendo ſuggeſto; multitudini conſpiciēdæ, longis orationibus recitandis, periclitandæ memoriæ, ceteriſque rebus, quæ circumſtant oratorem; tum per hāc exercitationem aſſuefacti timoris pudoriſque commotiones in publico, vel non ſentirent penitus, vel certe ſedatiores, moderatioreſque ſentirent. Perſuaſiſſimum id habuit[1] Demoſthenes, vſu quidem ſibi diligens, nobis vero bonus exemplo magiſter, in hac ratione fugandæ timiditatis; qui

Orat.2.nu.38.
Quin.l.20.c.3.

non vt vincere concionum fremitum aſſueſceret, quod quidam arbitrati ſunt; ſed ſi Quinctiliano credimus, vt ne concionum fremitus expaueſceret; ne clamoribus infeſtis, quibus aliquādo perterritus à concione, fractuſque diſceſſerat, commoueretur, in crepidine maritimi littoris, ad fragorem furentis maris, & ſe ad ſaxa frangentis declamare conſueuerat: vel certe duas vtilitates eadem exercitatione quærebat; & vt vocem augeret, qua populi ſtrepitum clamoris ac vociferationis granditate ſuperaret; & vt ſumeret animos, quibus aduerſas multitudinis acclamationes,

ſibi-

ſibiloſque contemneret. Quod ſi vir tantus declamationem in littore ſibi fructuoſiſſimam exiſtimabat, in qua cautes, ſcopuli, fluctus, vmbilici, ſaxa, conchæ, piſces, pro auditoribus aſtabant ſine monitore, & ſine magiſtro; quantum emolumenti noſtro more inſtituta declamatio, tam veræ ſimilis actioni, eſt vobis allatura? M. Senecæ Rhetoris nobiliſſimi atque experientiſſimi pronunciatum habemus, quod optarim à vobis in memoria theſauro pretioſiſſimas inter gemmas collocari: *Non eſſe vtilem exercitationem, niſi quæ operi ſimillima eſt illi, ad quod exercet.* Vnde colligere poteſtis neceſſaria conſecutione cum Quinctiliano, vtiliſſimam exercitationem illam eſſe, quæ fuerit eius operis, cuius perfectio quæritur meditatione, ſimillima. Quod ſi vero certamini ſimilis eſt vmbratilis dimicatio; ſi gladiatoriæ pugnæ ludus, qui rudibus præmittebatur in palæſtra; ſi veræ nauigationi, nauiculæ in portu gubernatio; non erit actioni verarum cauſſarum, ſerijs concionibus, ac laudationibus, ueris deliberationibus perſimilis noſtra declamatio? Sunt vtrobique ſuggeſtum, auditores, oratio ſuis abſoluta partibus, orationis è memoria recitatio, geſtus & motus corporis in recitando. Non eſt, inquies, idem locus; non ijdem auditores, non eadem cauſſæ grauitas. Fateor equidem: ſed neque ludus equeſter ad equitum exercitationem inſtitutus, eſt equeſtre prælium: neque ficta in Gymnaſio, uel in foro pugna militaris ſine vulnere ac ſanguine, certamen eſt illud bellicum, in quo gladiorum acie, mucronibusque telorum de vita ſaluteque decernitur. Similia ſunt iſthæc, non eadem; neque paria. Fit gradus in illis, à ſchola in aciem; ab umbra in ſolem,

11 à ludo in agmen: atque in ipſo certamine pedetentim & gradatim progrediuntur milites ad ſummam fortitudinẽ. Nonne tirones initio ſuæ militiæ, prima in pugna metuũt, trepidant, exalbeſcunt? nonne vultum ab ictibus auertunt? caput abducunt? de loco decedunt? Poſt ubi conſuetudine pugnandi non timere didicerunt, fortes & audaces ſtant

M. Sen. l. 9. cõtrou. præfat.

Quin. l. 2. c. 10

in gradu: tela, gladiorum ictus, plumbeas glandes erecto capite, truncoque immoto corporis excipiunt, aut virili declinatione vitant; compoſiti cum aduerſario forti cominus, vel illum cædunt, vincunt, proſternunt; vel ipſi acceptis aduerſis, honeſtisque vulneribus cadunt. Fit quoque gradus in re noſtra, de gymnaſio in templum; de ludo in Prætorium; à condiſcipulis ad ciues; à paucis ad multos: & à cauſſa ficta tranſitur ad veram: tum paullatim aſſueſiunt publico, diſcuntque adoleſcentes audere, diſcunt non rubere. Neque vero pullos ſuos aues, cum primum adultos veſtitos plumis, & alis inſtructos eijciunt è nido uolatus addiſcendi gratia, cogunt in longinquam arborem conuolare: ſed in ramum nido proximum eius arboris, ubi eſt nidus ædificatus, inuitant, & prouocant. Neque me, cum natare diſcerem in Liguſtico mari puer, in altum ire iubebat natandi magiſter, ſed circum littus, uada, ſcopulos primum ſine periculo mergi, ludere, meditari: deinde nonnihil exercitatum, atque aſſuetum vndis, recedere paullisper à terra: tum præmeditatus, & factus animoſior in medios ducebar fluctus eodem duce, atque adiutore magiſtro: denique iam doctus deferebar à doctore ductoreque meo; uiribusque confiſus proprijs, meis brachiis & cruribus nitens, ſolus equidem ac ſecurus, neque in ſummo eſſe, neq; in profundo mari, neque procul à littore metuebam. Idem eueniet uobis, Adoleſcentes, ſi crebro declamandi conſuetudine ſumatis animos: eò peruenietis moderatæ confidentiæ, mihi credite, ut, cum egrediemini de ſchola, Rhetoricæ præceptis ſatis ſuperque eruditi, publicisque in ciuium conuentibus dicere incipietis; neque cauſſæ grauitas, neque auditorum multitudo; neque magnitudo loci; neque rei nouitas, neque periculi cogitatio, neque euentus expectatio, neque denique ingenua uerecundia uos dicturos magnopere turbatura uideatur. Ac ſi magiſtri ducisq; prudentia declamationes ueſtras curabit eſſe quam ſimillimas ueritati, iudiciorum, & conſiliorum ſimulacra; ſi laudationes,

dationes, rerum vere laudabilium exornationes compro-
babit; quis negabit eas fore proximas imagines veritati,
quod adeo vehementer optat, ac ſuadet Quinctilianus? *Quin.l.2.c.10.*
Quis inficiabitur ſimiliores fore veris iudicialibus, delibe- *& l.16.cap.5.*
ratiuis, demonſtratiuisque orationibus, quàm vrbana pu-
gnæ ſimulacra, veris certaminibus prælijsque bellorum?
Ex hac ſimilitudine atque imagine veritatis, quæ in decla-
12 mationibus eminet, atque elucet, intelligitis, Adoleſcen- *Quin.l.10.c.5*
tes, ad ingenium quoque declamationum confluere be-
neficia: quippe quod excitetur, exerceatur, paſcaturq; tum
inuentione rerum pulcherrimarum pro declamatione cō-
ficienda; tum rerum inuentarum apta collocatione, & or-
dine; tum ſtyli tractatione, in declamatione veſtienda ver-
bis, ornanda ſchematibus, numeris oratorijs mollienda.
Qui ſtylus, vt dicendi facilitatem, & copiam gignit, inge-
nij vena, fontibusque aperiendis; ita viciſſim declamatio *Quin.l.10.c.7*
ſcribendi facilitatem auget, & facultatem; adigens ſtylum
ad multum diuque ſcriptitandum. Denique hac exercita-
tione, tamquam ſagina dicendi, vis eloquendi, quæ ſedem
habet in ingenio, tum alitur, tum reficitur adeo, vt M. Tul-
lius iam ſenex, & miles non modo veteranus, ſed etiam
emeritus, cum forum, ſublatis per Cæſarem Dictatorem
iudicijs, mutum eſſet; ipſeque forenſe Regnum amiſiſſet; *Cic.l.9. ep. 18 ad Papir.*
vereretur ne facultas orationis, quam habebat, & tot cauſ-
ſis agendis auxerat, tot concionibus confirmauerat, inter-
miſſione dicendi penitus exareſceret, niſi ſeſe ad hanc no-
ſtram exercitationem declamitandi cum viris grauiſſimis
retuliſſet. Memoriam vero theſaurum rerum, verborum
ærarium, ſimulacrorum receptaculum exercitatione con-
ſeruari, augeri; tum ediſcendi facilitate, multa comprehen-
dendi capacitate, retinendi tenacitate, celeritate fidelita-
teque reddendi meliorem fieri; ſiue mediocris illa ſit, ſiue
optima, communi quadam voce Rhetores omnes, ac Phi- *orat.ult.nu.23*
loſophi tradiderunt. Sed quæ melior, quæue aptior occaſio
datur eius exercendæ, vt confirmetur ad omnes caſus ad-
uerſos;

Digitized by Google

uerſos; vt in veris cauſſis agendis ad nutum vobis obſequatur; vt nullo metus, aut pudoris affectu confundatur; nulla vel loci, vel imaginum mutatione perturbetur, quàm hæc, quam laudo, & tam multis argumentis ſuadeo vobis, declamatio? Nondum exciderunt mihi è memoria, quæ de 13 vtilitate ſcriptionis, duabus integris orationibus, paucis ante menſibus, auditorum corona comprobante diſputaui. Quæ tum dixi, vere me dixiſſe reor; ac ſi tertium eſſet de eodem argumento diſſerendum, aliæ mihi rationes ſuppeterent, quibus aſſiduum vſum ſtyli tractationemque vobis non ſuaderem modo, ſed etiam perſuaderem. Sed ſi conferantur ſcriptionis commoda, cum vtilitate declamationis; ad eloquentiam adipiſcendam, tanto hanc vtiliorẽ eſſe pronuncio; quanto præſtabilior eſt in humana vita, atque in adeptione doctrinarum, lingua calamo; ſpiritus atramento; vox ſilentio; verbum littera; locutio taciturnitate, ſpirantis actio, ſopore morientis: tum ſine declamatione parum poſſe ſcriptionem; ſine ſcriptione vero plurimum ſemper declamationem valuiſſe. De cuius vtilitate ſolum hoc addam præſtantiſſimos quoſque oratores huic exercitationi ſuam propemodum debere perfectionem, & gloriam. Clariore voce dico iterum, vt omnes intelligant, atque in mentibus veſtris mea vox, & ſententia penitus infigatur, hereatque ſi fieri poteſt, memoria ſempiterna: Singulos oratores, ſiue Græcos, ſiue Latinos; ſiue mediocres, ſiue ſummos, quanticumque fuerunt expolijt perfecit, abſoluit declamatio. Tametſi declamandi conſuetudo fictis ad ſimilitudinem fori, conſiliorum, verarumque cauſſarum orationibus in Græcia, non ante Demetrij Phalerei tempora fuiſſe videtur Quinctiliano; non defuit tamen aliqua declamatio, ſiue in verarum cauſſarum præmeditatione, ſiue modis aliis, & alijs occaſionibus ac temporibus, quę nos poſteros latuerunt. Quid enim erat illa exercitatio, niſi declamatio, qua Philoſophorum maximus Ariſtoteles æmulatione permotus atque inſtigatus Iſocratis nobiliſſimi,

Quin. l. 2. c. 4.

Cic. l. de or. & l. 5. de fin.

mi,clariſſimique Rhetoris, adoleſcentes,non ad Philoſo- *Quinct.l.3.c.1.*
phorum morem tenuiter diſſerendi; ſed ad copiam Rhe- *Diog.Laer.l.5.*
thorum in utramque partem,ut ornatius, & copioſius dici *in Ariſt.*
poſſet,exercuit? Verum hac originis, initiorumque decla-
mationis ſubtili inquiſitione prætermiſſa; quid Themiſto- *Plut. in Themiſt.*
cles admirabili bonitate memoriæ, felicibus præliis, victo- *Cic.l.1.offic.*
riiſque clariſsimus? Hic M. Tullii teſtimonio luculentiſsi- *l.de cl.orat.*
mo,rerum fortiter geſtarum,uictoriarumque gloriam,elo-
quentiæ laude, non cumulauit modo, ſed etiam adæqua-
uit.Id quo præſidio eſt conſecutus? cuius adiumento ma-
giſtri? cuius exercitationis ope? Scilicet declamatione.
Qui enim puerulus adhuc, quo tempore Ludimagiſtri
permiſſu ludis puerilibus indulgere, cum æqualibus curre- *Plut.in Them.*
re,iocari pueriliter,colludere licebat; excogitandis oratiũ-
culis,componendiſque uerſabatur aſsidue; puerorumque
condiſcipulorum accuſationes,& defenſiones inſtituebat:
quid adoleſcentem, ac iuuenem poſtea feciſſe putemus,ut
eam,qua dicendo præſtitit,maximam ſibi facultatem, lau-
demque conficeret? Demades quantus ingenio fuerit, &
eloquentia teſtis locupletiſsimus eſt Theophraſtus, qui
eum cum Demoſthene conferens, viſus eſt ipſi Demoſt- *Plut.in Demoſthene.*
heni non obſcure prætuliſſe: ſed Demadem exercitatio
continua dicendi,potentiſsimum addiſcendi genus, tantũ
14 fecit, vt eſt auctor Quinctilianus, quantuſcumque poſtea
fuit. Demoſthenem omnium ſuffragiis oratorum Græco- *Quin.l.2.c.17.*
rum principem eſſe declaratum, cognitum eſt cunctis qui
primoribus labris Græcorum hiſtorias deguſtarunt. At
quid effecit, vt iure principatum mereretur, niſi tot exer-
citationibus,quas audiuiſtis, comitata Princeps & Regina
declamatio? Cuius potiſsimum gratia ſubterranea cauer-
na,unde uox exaudiri nulla poſſet extrinſecus; ferreus im- *Quin.l.10.c.3.* *Lucian.in Demoſth.*
pendens in humerum mucro; ſpeculum ingens oppoſitum
meditanti; ceteraque adiumenta ſæpius à me commemo-
rata,fuerunt tum adinuenta ſollerter,tum diligenter com-
parata. Romæ ſerius, quàm in Græcia, ſunt apertæ ſcholæ
de-

declamandi: ſetius hæc præclara conſuetudo eſt introducta in eam arcem Imperii, in qua liberales omnes diſciplinæ aliquando floruerunt; quod cenſoriis edictis uel urbe fuiſſent eiecti, uel ſcholas claudere iuſsi Rhetores, qui declamantibus adoleſcentibus & aderant, & præerant. Tandem honeſtate cognita, guſtataque utilitate rei; ſeneſcente L. Craſſo, pueroque M. Cicerone, Latinis dicendi magiſtris permiſſum eſt Romæ conſiſtere, ludos aperire iuuẽtuti; declamationibus adoleſcentes exercere: quorum primus tempore, ac diſertiſsimus fuit L. Plotius Gallus, quem M. Tullius puer concurſus ad eum fieri videns cupiebat audire, nec poterat à ſuis prohibitus, qui Græcis exercitationibus ali melius ingenia puerorum arbitrabantur. Gratias ingentes agerem tibi, L. Ploti, ſi uiueres, quòd tantum bonum in Latium inuehens, eloquentiæ maximum adiumentum attuliſti. Feliciſsimus illuxit ille dies, quo declamandi exercitationem intra mœnia Romanæ urbis inſtituiſti, non ciuibus Romanis modo, qui te Magiſtro, teque Duce plurimum in eloquentia profecerunt; ſed etiam nobis, ad quos illorum exemplum, quod imitaremur; & præſtantiſsima per te inuecta, quam ſequamur, conſuetudo peruenit. Eccur, Auditores, à quo tempore declamationis uſus inualuit, tam inſigniter Romæ floruit eloquentia? Cur annis Plotio proximis eadem dicendi facultas, quæ antea uidebatur adoleſcens, ſuam ætatis uirilis eſt maturitatem aſſecuta? Cur quidquid habuit eloquentia Romana, quod inſolenti Græciæ uel apponeret, uel præferret circa Ciceronem effloruit; illudque ſæculum eſt aureum appellatum, quo tot clariſsima oratorum lumina deliberando in Curia ſplenduerunt; tot aurea dicendi flumina in forum è roſtris concionando defluxerunt; tot ore, pectore, & animo accẽſo uibrata fulmina uel accuſationum, uel defenſionum fulſerunt in iudiciis, atque tonuerunt; quo denique Cottæ, Bruti, Catuli, Calui, Cæſares, Hortenſii, Cicerones, Polliones eò prouexerunt benedicendi facultatem, ut non altius

Cic. l. 3. de or. Suet. l. de claris Rhetor. c. 1. Quin. Dial. de orator.

Cic. l. 3. de or. M. Sen. l. 1. cõtrou. in præf. & l. 2. in præfat. Quin. l. 2. c. 4. & dial. de or. Suet. l. de cl. Rhet. c. 1. 2.

M. Sen. l. 1. contr. Præfat.

aſcendere

aſcendere poſſe videretur? Nonne hæc oratorum multitudo, præſtantia, atque perfectio, meridiana luce clarius eſt argumentum ab exercitatione declamationis hoc incrementum, hanc copiam, hunc bonorum cumulum, in eloquentiam tamquam à fonte fuiſſe deriuatum? Et quiſquã dubitet, aut de Plotij meritis, aut de vtilitate declamandi?

15 Sed quod de Græcis oratoribus dixi, verum habet pariter in Latinis: exercitatio hæc mediocres, bonos reddidit; bonos vero, ſummos effecit, & optimos. Copiam & ornamenta locutionis, dignitatem actionis, vociſque ſplendorem Cn. Pompeij, qui bellicæ virtutis, triumque gloria triumphorum dicendi laudem continuit in ſecundis; non ſine admiratione aliqua fuiſſe in foro Cicero ipſe teſtatur: at eum declamare conſueuiſſe, tum ſub ipſum ciuile bellum, quò facilius C. Curioni promptiſſimo iuueni cauſſam Cæſaris defendenti contradiceret, repetiuiſſe declamitandi conſuetudinem Hiſtorici prodiderunt. Cæſari Auguſto, qui duodecim natus annos auiam pro roſtris laudauit, nec prompta defuit, nec profluens eloquentia, quæ Principem orbis, Moderatoremque deceret: at hic exercitationem dicendi tanto ſtudio complectebatur, vt Mutinenſi quoque bello quotidie ſtrenue in tabernaculo declamaret. M. Antonius ille, qui Ciceronem crudeliſſima voce, ferinaque rabie proſcripſit, qui Cæſaris oſtenſa prætexta populum in coniuratos patriæ liberatores inflammauit, homo diſertus, vehemens, ac violentus, decem & ſeptẽ dies in Tiburtino Scipionis de M. Tullio declamitauit, meditãs eam orationem quam in æde Concordiæ poſt ore impuriſſimo in eum abſentem euomuit. Quantus Hortenſius fuerit, diu Rex eloquentiæ, non eſt quod hoc loco commemorem: at M. Tullius flagrantiſſimum eius ſtudium admirans tradit, nullum diem fluere paſſum fuiſſe, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum; ſæpiſſime autem eodem die vtrumque feciſſe. Poſtremo Ciceronem noſtrum præceptis, & exemplis magiſtrum, quid magis

Orat. 5 n. 25.
Suet. l. de cl. Rhetor cap. 1.
Quint. l. 12. c. 6.
Tac. l. 13. annal.
Suet. in Aug. cap. 84. l. de cl. Rhet. cap. 1.
Orat. 3 n. 26.
Cic. Philip. 5.
Cic. l. de cl. or.

poſt tractationem ſtyli iuuit ad conſequendum eloquentiæ principatum, quàm exercitatio declamandi? Mitto M. Senecam teſtem eius conſuetudinis, qui Ciceronem non controuerſias, ſed theſes, & cauſſas declamare ſolitum fuiſſe tradit. Mitto Suetonium Tranquillum clari nominis hiſtoricum, qui eumdem ad præturam vſque Græce declamitare conſueuiſſe ſcribit. Mitto Quinctilianum, eoſdemque Senecam, & Suetonium admirantes, cum ſumma ſenectute quaſi ludum aperuiſſe, vbi cum Hirtio, Panſa, Dolabella, Volumnio, Caſſio, grauiſſimisque aliis viris quotidie dicens, audiensque ſeſe adoleſcentum in morem accuratiſſime exercebat. Ipſi credite, ipſum legite de ſuo ſtudio, de exercitatione dicendi, de conſuetudine declamandi ſcribentem: qui quotidie Latine multum, Græce ſæpius cum M. Piſone, Q. Pompeio, aut cum aliquo declamitare ſe adoleſcentem ſolitum tradit; poſt primas cauſſas actas in foro cum inſigni laude atque approbatione, biennio peregrinatum in Aſia declamando: iudiciis intermiſſis, ſe ad declamitandum cum illis, quos grandes prætextatos vocabat, retuliſſe. Quibus teſtimonijs vobis eſſe debet perſuaſiſſimum; numquam illum eximium oratorem in tota uita declamandi conſuetudinem vſumque retenturum fuiſſe, niſi neceſſarium eum, non ad comparandam, & augendam modo, ſed etiam ad conſeruandam eloquendi facultatẽ cenſuiſſet. Atq; vt excellentiũ oratorũ numerus, &
admirabilitas creuit: ita pariter ex ea, ſcholæ dicendi, multis gloriæ cupiditate inflammatis eas celebrantibus, numero ſunt auctæ: in quibus vel ſingulis diebus pomeridiano tempore, uel alternis declamabatur. Inde ſunt excogitata varia exercitationum genera, quæ ſunt à multis editæ in hominum lucem: inde ortæ quæſtiones Ariſtotelis; theſes & cauſſæ Ciceronis; M. Senecæ controuerſiæ; Arellii ſuaſoriæ; Quinctiliani declamationes; Dionis Chryſoſtomi orationes, Maximi Tyrii ſermones: Libanii meletæ, & Aphthonii progymnaſmata: quæ omnia nomina ſunt exer-16

M. Sen. præfat. l. 1. & 2. controu.

Suet. l. de clar. Rhet cap 1.

Quin. l. 12 c. 11

Cic. l. de cl. or.

Quin. l. de cauſ corruptæ eloq.

Cic. l. 9. ep. 16. ad Papir.

l. 9. ad Att. ep. 3

Digitized by Google

citationū, quibus alebatur in ſcholis eloquētia. Quid quod conſuetudinem hanc fouerunt Principes, prouexerunt defenderunt vel edictis, vel exemplo? Prætereo ſtudium Auguſti iam vobis notum: quid Tiberium feciſſe credetis, cum filium pro roſtris, cadauere præſente, funebri oratione laudauit? Num putatis eum aſcendiſſe roſtra ſine meditatione declamandi? Cur Veſpaſianus è fiſco Græcis Latiniſque Rhetoribus centena conſtituit; & Alexander Seuerus reſtituit, niſi ſtudio declamationis in vrbe retinendæ? Nero ille Mundi portentum, fax imperii Romani, virtutū morumque ingenuorum peſtis; & non minus atrox parricida, cum L. Senecam educatorem ſuum, magiſtrum benedicendi, recte ſentiendi, riteque viuendi, multisque nominibus optime meritum parentem ſuſtulit; quàm matricida, cum Agrippinam à quo genitus, editus, & in imperio miris artibus collocatus fuerat, occidit; publice aliquando declamauit; & hoc ſolum fortaſſe commodum attulit mortalibus, is qui, quod in ipſo fuit, euertit Orbem terrarum; quod exercitationibus dicendi fauit, & coronæ præmium recitantibus aliquando propoſuit. Hadrianus item Romani rector imperij, doctrinarum omnium amantiſſimus; artium liberalium ſcientiſſimus; Epicteto, Heliodoro, Fauorino, multisque aliis Philoſophis familiariſſimus, inter gubernationis ſummæ curas, controuerſias declamauit. Quo fauore Principum, Oratorum gloria, manifeſta vtilitate, ſuaſione Rhetorum, approbatione omnium recte ſentientium de facultate dicendi, factum eſt vt in imperio Romano declamandi vſus aliquis perpetuo retineretur. Poſt quadringentos enim circiter annos Hieronymus vir ſanctiſſimus ac doctiſſimus controuerſiis & fictis litibus declamando ſeſe adoleſcentulum Romæ exercuiſſe, non vno in loco ſcribit: in bene temperatis doctrinarum omnium domiciliis, quæ vocamus vniuerſitates ſtudiorum, poſterioribus ſæculis mos aliquis declamandi conſeruatus eſt; & ad noſtra vſque tempora, ſi non ille ardor Athenienſium,

L. Sen. conſol. ad Marciam. cap. 15.

Suet. in Veſpaſ. cap. 18.

Lamprid in Alex. Seuero.

Suet. in Nerone. c. 10. & 12. L. de cl. Rhet. cap. 1.

Ael. Spart. in Hadr.

S. Hier. l. 1. adu. Pelagian & in c. 2. Galat. §. cum autem ueniſſet.

ac Romanorum, qui tot ſæculorum decurſu tot Italiæ, atque Europæ cladibus ab immanitate Barbarorum illatis; tot bellis aperte ſapientiæ, & eloquentiæ per feras nationes indictis refrixit, ac deferbuit; conſuetudo certe aliqua manca, languida, feſſa deuenit. Vos igitur, Adoleſcentes, qui tot vtilitates exercitationis dicendi, potiſſimumque 17
declamationis, intellexiſtis ex oratione mea: ſtatuite iam tandem apud vosmetipſos, eam à vobis in iſta ætate florente, laboribus apta, dicata iuſſu parentum, eloquentiæ comparandæ; uiribus omnibus animi, contentioneque corporis eſſe complectendam; neque vmquam in reliqua vita, tametſi fueritis in eloquentium numero, plane relinquendam. Non ego vos adhorter ad hoc ſtudium, qui profiteor non minus amare uos diſcipulos meos, quos loco filiorum cariſſimorum habeo, ſi magiſtri perſonam intuear; fratrum, ſi ſpectem ætatem; quàm M. Seneca Melã filium, quem tantopere ad declamitandum cohortatur? Hoc exercitationis genus ſpeciatim eloquentiæ conſequendæ neceſſarium eſſe, iam perſuaſum vobis arbitror oratione proxima fuiſſe; crebritatem declamationum, frequentiam, aſſiduitatem hodierna die requiro à vobis, & eſſlagito Brixienſes. Si pro mea in diſcipulos auctoritate, ac poteſtate iuberem vos quotidianos eſſe in hoc Gymnaſio declamatores; qualem M. Tullius pater Ciceronem filium ſtudententem Athenis paternis imperiis eſſe cogebat; quid contra dicere, quid afferre, quid hiſcere poſſetis? Q. Hortenſius Ciceronis æmulus; M. Tullius oratorum Princeps; Piſo gener eius eloquentiæ ſtudioſiſsimus; Cæſar Auguſtus Dominus orbis, alijque permulti, quos enumerare ſuperuacaneum eſt, quotidie declamabant, non alia lucri ſpe ducti maiore, quàm eloquentiæ, quàm laudis, & honoris inde conſequentis: vos exercitationem hanc quotidianam refugeretis? Quid huic firmiſsimæ, atque exquiſitiſsimæ rationi eſtis umquam reſponſuri? Num uos aliis occupationibus diſtineri? Sed Hortenſius & Cicero

M. Sen. l. 2. cõtrou. præfat.

Cic. l. 16. ep. 21. ad Tir.

Cic. l. de cl. or.

cero quotidie quoque veras in iudicijs, foroque cauſſas agebant; nec declamationem quotidianam prætermittebāt; Auguſtus vero gerebat bella, terrarum orbem gubernabat, cum quotidie declamabat: & vos, quos non alias niſi Rhetoricæ, & eloquentiæ perdiſcendæ parentum imperio detinet occupatio, fallaciter occupationes obijcietis? Forſitan ætatis excuſationem afferetis. At rogo vos, quam vim, quam probabilitatem, quam veriſimilitudinem habet ætatis excuſatio: cum ijdem quos commemoraui, clariſſimi oratores, & eadem ætate, qua vos eſtis, & pueri, iuuenes, viri, ſenes declamationibus quotidianis dicendi facultatem excolerent? An locum vobis deeſſe dicetis? At C. Carbo ſolebat etiam in tabernaculo hac vti exercitatione dicendi: Cæſar Auguſtus in caſtris; Demoſthenes in littore maris: & vos, quibus ſchola ſemper patet, & paterna domus; &, cum ruſticamini, villæ, rura, ſiluæ præſto ſunt, non habere declamandi locum conqueremini? Verum laborem tantum, tam frequentem vſum à *Quin. l. 10. c. 7.*

28 vobis nolo, quod tum Gymnaſii noſtri ratio non exigat: nolo diebus alternis vos declamationibus, quod priſcis quoque vſitatum noſtis, defatigari; quòd id recepta iam, & lege firmata noſtra conſuetudo non patiatur: ſed cupio tam crebras, tam frequentes, tam aſſiduas eſſe declamationes veſtras, quàm noſtræ ſcholæ poſtulat diſciplina. Cui niſi pareatis, quid Collegii Rector, quid Gymnaſiarcha, quid ego Magiſter veſter parentibus veſtris ſine veſtra infamia reſpondebo? Similes eos illorum eſſe video (nec reprehēdo) qui ætate Quinctiliani tum liberos ſuos bene ſtudere, tum in litteris proficere exiſtimabant, cum quamfrequentiſſime declamabant; proinde diligenter à dicendi magiſtris, declamationes numerantes potius, quā æſtimantes, hanc exercitationem exigebant. Quàm ſæpe parentes veſtri, vobis ignorantibus, ex me ſciſcitantur, Ecquando filius ſuus aliquid recitaturus eſt; cur nondum hoc anno declamauit; nec modo ſciſcitantur, ſed etiam *Quin. l. 2. c. 7. & l. 10. cap. 5.*

per-

Digitized by Google

perhumaniter rogant; & pro ætate me cohortantur; &
pro amore paterno flagitant, vt ſæpe fiat: vos veſtra fuga,
tarditate,inertia permittetis, ut ſine incuriæ noſtræ culpa,
ſine vlla negligentia,videar ipſe turpiter officio meo; di-
ſcipulorum vtilitati:diſciplinæ ſcholarum defuiſſe? Quid
denique ſtyli exercitatio tam vtilis, quàm à me didiciſtis,
vobis eſt profutura ſine declamatione? Fateor equidem
ad epiſtolas,ad hiſtorias, ad quæſtiones conſcribendas ele-
ganter,illud ſtudium apprime valiturum, ad eloquentiam
veram,ad copiam,ad facultatem dicendi pernego; quæ in
pectore,voce,lingua reſidet,non in litteris, & codicillis ia-
cet;quæ in ingenio, atque ore viuit, ſpirat, mouetur; non
mortua friget in charta; quam nulla uis è commentario
tamquam è ſepulcro cadauer exſuſcitare poteſt, niſi viua
uox quæ declamando ſcriptionem animet,eique ſpiritum,
vitam, motumque largiatur. Quamobrem; Adoleſcen- 19
tes,cum vos ad declamandum vel Magiſtri voluntas deſi-
gnat,vel ſortitio;nolite, vos oro,tam fructuoſam exercita-
tionem recuſare,ſubterfugere, deprecari: vincite difficul-
tates tum à natura,tum ab ætate, tum ab ignauia propoſi-
tas, contrariis argumentis: obiicite parentum imperium,
magiſtrorum voluntatem; emolumenti pondus, nume-
rum vtilitatum,quæ inde naſcuntur,opponite.Quin etiam
addite tamquam Colophonem;veſtra intereſſe, quamfre-
quentiſſime declamare, ut quamcitiſſime declamare deſi-
natis;atque ex hac rerum ſimulatarum imagine, tandem
aliquando in veritatis lucem veniatis. An vero ſemper
vultis eſſe pueri, numquam viri? declamatores tota vita,
non oratores? latrare ſemper ad puluerem, numquam di-
cere ſine circumſcriptione temporis ad veſtrum arbitriũ?
Fuga iſta, tarditas, & procraſtinatio tam fructuoſi laboris
alterum horum efficiet:vel ut infantes,elingues, ad dicen-
dum inepti de ſchola Rhetoricæ prodeatis; quod quia ſi-
ne dedecore ſummo eſſe non poteſt,non exiſtimo uos ani-
mo generoſos adoleſcentes, genere nobiles, honoris aui-
diſsimos

diſsimos tantam paſſuros iacturam honoris: uel certe, ſi de
ſchola dicendi nonniſi exercitati, prompti, & apti ad elo-
quendum exire conſtituiſtis, faciet iſta negligentia, vt in
hoc Gymnaſio ueſtra ætas adoleſcens propemodum con-
ſeneſcat. Sed quàm turpe tamdiu hærere in palæſtra, late-
re in vmbra, ſubeſſe magiſtro, dictata accipere, tractare ru-
1 des, non arma: uerſari tot annos inter ſimulacra rerum, pa-
rietibus tantum domeſticis aſſueſcere? Quare iterum uos
hortor pro mea in uos, & beneuolentia, & nonnulla auctò-
ritate: uos obteſtor per honorem, cuius eſtis cupidiſsimi;
per dedecus, quod præ multis aliis nationibus reformida-
tis, ut huic declamandi ſtudio uos quam ſæpiſsime, quam-
que diligentiſsime dedatis; quò maturius, ac celerius per
hunc utiliſsimum laborem eruditi, exercitati, præparati de
ſchola in Prætorium; è gymnaſio in templum; ex incluſa
meditatione, in publicum; atque ex hac vmbratili com-
mentatione in puluerem clamoremque principalium au-
larum, conſiliorumque veniatis: & tamquam boni ciues in
iudiciis, proborum periculis ſubleuandis, amicorum defen
ſionibus, accuſationibus improborum; in concionibus,
multitudini in officio continendæ, clarorumque uirorum
tum uiuorum, tum mortuorum laudationibus: in le-
gationibus, utilitati ac decori Principum, à qui-
bus oratoris perſona uobis imponetur: in
conſiliis denique Ciuitatis, patriæ
veſtræ commodis ſuadendis,
eloquentiam in exerci-
tatione domeſtica
comparatam
impertia-
tis.

DE

DE CVLTV MENTIS ET LINGVÆ CONIVNGENDO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Oratio X.

DIuina Prouidẽtia Gubernatrice rerum hu- 1
manarum, cælum & aſtra ad uſum commodumque mortalium ſingulorum conuertente, uenit aliquando tandem annus ille, iuſtis de cauſſis uehementer quidem à nobis exoptatus: à multis uero diſcendi ſtudioſis adoleſcẽtibus, ex iſto ueſtræ iuuentutis flore non exſpectatus modo, ſed etiam expetitus; quo videmus in his humaniorum litterarum, & bonarum artium ſedibus eloquentiam cum Ratione diſſerendi primum, deinde cum Philoſophia conſociari; Rectores Præclariſsimi, ciues ornatiſsimi Brixienſes. Quæ res à magnis noſtrarum rerum difficultatibus per ſummam contentionem obtenta, nos tanta lætitiæ uoluptate compleuit, quantam par eſt eos animo concepiſſe, quorum optata, conatus, & labores felix euentus inſequatur. Etenim plane perſpicimus occaſionem nobis oblatam eſſe diuinitus; qua uobis, Brixienſes, quibus multum debere profitemur, gratiam aliquam de noſtra tenuitate referremus; qua ueſtrorum liberum, qui ſcholas noſtras frequentando, nos & ſodalitatem noſtram honeſtarunt, uotis atque ſtudiis obſequeremur; qua denique Rationis & Orationis diſsidio, quod ab iniquis rerum æſtimatoribus, aut inuectum, aut inchoatum ueteres omnes ſapientes merito defleuerunt, & uiri prudentes ætatis noſtræ deteſtantur, uel ſublato, uel retardato parumper; opera collegii huius magiſtrorum ad aliquod breue tempus ſapientiæ, & eloquentiæ conſenſio renouaretur. Itaque ne, quod concupiſcimus, quod ſperamus, quod molimur, lateat liberos ueſtros qui circumſtant, illud ipſum, quo tantopere

nobis

Digitized by Google

nobis ipſi gaudemus, in hac ſtudiorum renouatione ſuſce-
pi diſputandum. Dicam enim de duarum harum totius
hominis præſtantiſſimarum partium Mentis, & Linguæ
cultu coniungendo; quæ ſuis ornamentis excultæ, ſuis in-
ſtructæ præſidijs, ſuis locupletatæ diuitijs in humana vita
plurimum poſſunt, & longe lateque ſummo cum imperio
terra marique dominantur. Atque vt genere ſunt admi-
rabiles, & natura nonnihil imperfectæ procreantur; ita
procreatione ipſa ſunt inter ſe adeo connexæ, implicitæ,
colligatæ, vt ne ornatu quidem ſuo, atque expolitione illa
præclara, quæ ſapientiæ, & eloquentiæ ſocietate contine-
2 tur, ſine graui culpa ſeiungi poſſe videantur. Qua in re, *Cic.l.3.de or.*
nonnumquam à priſcis pertractata ſapientibus, vt noſtis,
explicanda, neque vllo reconditio à me contextam artifi-
cio; neque ſplendido locutionis genere colluſtratam; neq;
inauditarum copia ſententiarum locupletem orationem
exſpectetis volo. Non enim id ingenii mei eſt: non vſus: nō
ætatis. Verum noua forma; nouo more, nouo modo tractā-
di propoſitum conueſtiam argumentum, vt anniuerſariæ
conſuetudinis ſatietas grata viciſſitudine minuatur; & iu-
cunda nouitate tractationis, vetuſtatis eius aſperitas tem-
peretur. Proſpere feliciterque diſputationem inſtitutam
ad portum vſque nauigaturam ſpero; quòd ſit cum ad mul
torum vtilitatem comparata; tum in primis ad Dei Opt.
Max. laudem gloriamque directa: cuius numen & auxiliū,
vt Chriſtianum iuuenem decet, in re tam difficili etiam at-
que etiam imploro, & expoſco. Spem auget, eximia veſtra
alacritas, qua video vos ad audiendum confluxiſſe: tum ſic
me recreat humanitatis veſtræ ſingularis recordatio, quā
ſuperiore anno ex hoc ipſo loco, atque in hoc ipſo die me
dicentem audiuiſtis; vt vincam naturam meam à dicendo
timiditate quadam natiua refugientem; & multo confidē-
tius rem aggrediar, quàm pudor hic meus polliceri mihi
potuiſſet. Præſertim cum res tractanda digniſſima veſtris

auribus, ad dicendum vberrima, pulcherrima Dei præpotentis in nobis collocata dona commemorans, lætiſsimam reddat orationem, linguamque dicentis iamnum mira ſuauitate perfundat. Quis enim non hilaretur ac geſtiat 3 conſiderans incredibilem Dei ſapientiam, & ſingularem aduerſus genus humanum caritatem exprompram in homine, diuino in terris animali, procreando? Quem etſi confictum ex argilla, duobus tamen præſtantiſſimis facultatbus adornauit, quibus à reliquis animantibus ſegregatus illis præſtátior eſſet dignitate, cæleſtibus mẽtibus pæne par, & ipſi Deo ratione quadam admirabili ſimillimus. Earum alteram, quæ in homine eſt Princeps ac Regina, corporis expers, immortalis natura, prouida, ſagax, memor, intelligens, & ratiocinans, M. Tullius bene loquendi magiſter optimus Rationem, Cor, Mẽtem nominauit: alteram vero illius æmulam, atque imaginem, ſermonis opificem tum Orationem, tum Linguam appellauit: nec ſemel ipſe definijt, quem alii doctiſsimi viri ſunt ſecuti, nos his duobus admirabilibus ornamentis Ratione, & Oratione ceteris animantibus antecellere. Vera locutus eſt, Brixienſes, uir magnus mente, maior lingua, ſi ſpectetis hominem (in quo nihil his duobus muneribus illuſtrius admirabiliusque deprehendetis) ſiue vt imaginem Dei, ſiue vt imaginem Mundi: quam vtramque Poeta peritiſsimus Aſtrologiæ verſibus expreſsit, cum cecinit;

Ar. l. 2. de par. an. cap. 10. l. 4. cap. 10.
Cic. l. 2. de fin.
Gal. l. 1. de vſu part. cap. 2.
Cic. l. 1. offic.
L. 1. de Inuẽt.
L. 3. de orat.
Quinct. l. 2. c. 20.
Manil. lib. 4. Aſtron.

Quid mirum noſcere Mundum
Si poſſunt homines; quibus eſt, & Mundus in ipſis?
Exemplumq; Dei quiſq; eſt in imagine parua?

Rem nullam ex procreatis in hac rerum Vniuerſitate uel uiuere, uel ſpectari Deo ſimiliorem humana mente, non modo Philoſophi Theologique fatentur omnes; ſed ipſe fictor hominum, & Mundi totius Architectus ſe imaginem ad ſui ſimilitudinem expreſſam in illis impreſsiſſe, diuino oraculo pronunciauit, vt merito S. Gregorius Nyſſenus ſcripſiſſe videatur, Animum humanum imaginem eſſe viuam,

Philo Lib. de Mundi opif.
Gen. 1.
S. Greg. Nyſſ. l. de opif. c. 4.

uam atque ſpirantem Dei. Sed in quo poſita eſt hæc imaginis ratio? Num in immortalitate Mentis? In imperio quod in res omnes procreatas habet? In eo quod intelligat, ſapiat, prouideat? Non ignoro in his omnibus, alijſque diuinis muneribus particulam imaginis aliquam collocari: ſed mihi ſemper arriſit, & probata eſt eiuſdem ſanctiſsimi, doctiſsimiq; theologi Gregorij ſententia, magnã imaginis partem in Rationis & Orationis ornatu ſplendeſcere. Nam vt in Deo mirabili, & inexplicabili ratione quæ infinite captum hominum & Angelorũ excedit Νοῦς Pater ſe ſe contemplans λόγον filium, quem Magiſtri Chriſtianorum verbum interpretantur, in ſeipſo generat ab omni æternitate in ſempiternum tempus, abſolutiſsimam imaginem ſui, naturæ prorſus eiuſdem, poteſtate parem, æqualem dignitate: tum ambo pariter communem ſpirant Amorem, quem Spiritum ſanctum appellamus: ita in animo noſtro Mens quaſi parens cognitione rerum extrinſecus accepta cogitans aliquid quod edat in aures aliorum, concipit tamquam fetum, quem Plutarchus Νοούμενον, Philo mentis λόγον, alii ſeu verbum, ſeu conceptum dicunt; atque hac ratione grauidata, & parturiens mouet linguam ad loquendum, & per os ſermonem parit aereum,

Idem l. de opif. cap. 5.

Plut. l. 4. de Plac. Philoſoph. cap. 19.
Philo. l. de Migrat. Abraha.

4 quem Orationem vocitamus. Quàm magna dignitas harum rerum, vt diuinam Triadem non leuiter repræſentent; Mens Patrem, Verbum filium, Oratio Spiritum ſanctum. Diuinus enim ſpiritus à Patre Filioq; tamquam ab vno principio procedit: Oratio à mente, mentiſq; fetu quaſi ab vno dicendi fonte dimanat. Ille, quod primarii doctores Chriſtianorum tradiderunt, filii eſt, in eadem natura, perfectiſsima ſimilitudo: hæc eſt verbi mente concepti, recondiriq. & interioris ſermonis imago perſimilis. Ille Spiritus per translationem dicitur: hæc ſpiritu à pectore ducto conficitur. Ille denique per igneas linguas vbertatem dicendi, poteſtatem accendendorum animorum, & perſuaſionem, quam in ore, & labris Apoſtolorum col-

S. Th. 1. p. q. 36. ar 4.
S. Greg. Tau. apud Nyſſ. in eius laudat.
S. Athan ep. 2. ad Serap.
S Baſil. l. 5. in Eun.
S. Cyrill. l. 13. Theſ cap. 1.
S. Damaſc. l. 1. c. 8. de fide.

Digitized by Google

locabat, aliquando declarauit; hæc per inſtrumentum linguæ potiſsimum conformata, verborum copiam, uim inflammandorum affectuum habet, & perſuadendi facultatem. Nec minor admiratio uobis oboritur ex horum duorum clariſsimorum luminum ſplendore præſtantiaque, ſi ſpectetis hominem ut Imaginem Mundi; quem hominem ob id veteres Μικρόκοσμον appellauerunt: in quo, quemadmodum in magno Mundo; cuncta rerum genera diuinitus illigantur, mortalium, & immortalium; cæleſtium, & terreſtrium, ſic ut complexu deuinciat ſuo vitam arborum, ſenſum animalium, rationem beatarum Mentium, diuino ſimile imperium; tum terram, aquam, aerem, ignem; & ſupra omnia ſimulacrum quoddam cæli capite præferat ſtellis illuſtribus ſplendens, quæ ſi non claritate cæleſtia ſidera, certe præſtantia laceſſunt. In hoc præter aſtra minora ſenſuum, duo ſplendidiſsima ſidera collucent Rationis, & Orationis nominibus conſignata; quæ lampades illas maximas aſtrorum principes; geminos cæleſtis orbis oculos; diei noctiſque arbitros ſolem & lunam ſimilitudine referunt. Nam vt illæ cæleſti accenſæ lumine cælum, in quo fixæ feruntur exornant, & inferiorem Mundum, cui præſident, illuminant: ſic Ratio & Oratio ſuis ornamentis colluſtratæ caput, in quo ſedem habent mire decorant: & reliquum corpus, atque hominem cui præſunt imperio, nobilitant. Illæ dierum noctiumque curriculis ordiuntur menſes, texunt annos, anniſque ſeriem conficiunt ſæculorum: hæ uitam humanam, quæ tum animi luce; corporiſque tenebris; tum proſperitatis, & infelicitatis permiſtione, tamquam diei noctiſque uiciſsitudine conſtat, ratiocinando ſapienter, & eloquendo prudenter, memoria nominis, fama, litterarumque monumentis in tempus æternum, infinitumque propagant. Illæ luce ſua colores accendunt, & quidquid in Mundo pulchri latet compreſſum tenebris, hominum oculis obijciunt, redduntque ſpectabile: hæ ſuis quoque ſapientiæ; & eloquentiæ ſplendoribus illuſtrant

Philo. l. Quis rerum d.u ſit heres.
Clem. Alex. orat. ad Gentes.

omnes

omnes actiones humanæ vitæ;pulchritudinemque cogitationum,ſcientiæ,doctrinarum,artium,hiſtoriarum,quę deliteſcit tum in hominum pectoribus,tum in memoriæ theſauris,aperiunt & efferunt in aures,oculosque mortalium. Illæ denique ſi quam breuem defectionem luminis patiãtur,vel interpoſitu Lunæ Sol, vel vmbræ terreſtris incurſu Luna, rerum Naturam pæne conturbant: etſi prorſus extinguerentur, curſumue præſcriptum à Deo tantulum ſuſtinerent, concreta ex elementis omnia perirent, & rerum ortus,procreatio, partusque deficeret: hæ ſimiliter,ſi quæ tenebræ ignorationis ſapientiæ lumen obſcurent,ſi qua perturbationis caligo prudentiæ lucem ad tempus ipſis eripiat, vitam vniuerſam & interdum familias quoque ciuitates, prouincias,& Regna peruertunt: quod ſi obſcuratæ diuturno morbo, vel amentia fungi muneribus ſuis actionibusque deſinerent, à belluis hominem nihil ferme diſtinguerent. Atque hæ duæ nobiliſſimæ facultates, quæ
4 maiora ſidera Cæli dignitate in homine æmulantur, vt vidiſtis, à Natura nonnihil mancæ nobis, atque imperfectæ traduntur. Nihil enim ſimul & factum, & perfectum eſt, ex ijs quæ ſub cælo procreantur. Deeſt ætas, deeſt expolitio; deeſt agendi facilitas; deſunt colores, habitus,ornamenta:quæ ſunt partim à tempore, partim ab exercitatione,partim ab induſtria,partim ab arte petenda; quæ poſtrema, ut docuit nos maximus Philoſophorum, inuenta & comparata eſt,vt ea ſuppleat, quæ Naturæ deeſſe videantur. Ac Mens quidem & Ratio perfecta eſt in ſingulis hominibus æqualiter, quod ad communis naturæ bonum,& ad intelligendi poteſtatem attinet; æqualiter item imperfecta ratione naturalis ignorationis rerum omnium, cum artibus vacua, doctrinarum expers & rudis omnino procreetur: ſed neque inſtrumenta, per quæ Mens fungitur muneribus ſuis,æqualia ſunt in omnibus, vnde naſcitur varietas ingeniorum: neque omnes conſtitutionem corporis æque habilem habent, & aptam ingeniis, vnde celeritas

Ar.l.7.po'it. ca.17.l 2 phyſ. t.79.

exiſtit

exiſtit addiſcendi: neque qui ſunt ætate pares, & habilitate corporis, eandem habent diſciplinam, exercitationem, ſedulitatem, vnde oritur ſcientiæ magnitudo. Quo fit, vt qui recte ſapiunt, & animaduertunt rudibus præſtare doctrinis eruditos; ab exercitatis inexercitatos vinci; tardos ab ingenioſis ſuperari; Mentem rudem expoliunt, uacuam implent, nudam exornant ſcientia doctrinarum; tardam atque hebetem exercitatione facilem, vſuque promptam reddunt; conſuetudine denique faciunt, habituque potentem. Itaque primum omnium Mentis vacuitas naturalis 6
complenda eſt & ſatianda liberalium artium, doctrinarũque theſauris, quas vno verbo ſapientiam uoco: quæ quia rerum humanarum & diuinarum ſcientia definitur, complexu ſuo phyſicam, metaphyſicam, aſtrologiam, geometricam, arithmeticam ceteraſque mathematicas; moralem item philoſophiam, artem diſputandi, ſcientiam iuris, artẽ benedicendi, rerumque geſtarum cognitionem ex hiſtorijs, annalibuſque coercet. Oratio vero, quam linguam, & loquendi facultatem dicere poteſtis, & alterum pæne par hominis decus eſſe probauimus, in infantia noſtra penitus latet: in pueritia ſenſim prodit manca tamen, & imperfecta: cum proceſſimus ad adoleſcentiam apparet quiſq; noſtrum vel quantum valeat ad dicendum, vel quantum ſit, accedente diſciplina, valiturus. Quæ facultas non in ſingulis hominibus parem habet in explanandis animi ſenſis facilitatem, & copiam; in delectandis auribus ſuauitatem & numerum; in exornandis rebus tropos & figuras; in permouendis affectibus vim & ardorem; in pronunciando ſplendorem vocis, & magnitudinem; in agendo venuſtatem, in docendo perſpicuitatem, in perſuadendo poteſtatem, in aperiendo pectore nationibus exteris multitudinẽ, varietatemque linguarum. Aliis alii præſtant uel natura, uel arte, uel uſu. Quam ob cauſſam viri prudentes per artem Rhetorices, per meditationem aſſiduam, per imitationem eloquentiſſimorum hominum ſemper conati ſunt

ſupplere

ſupplere Naturę ieiunitatem,inopiam , & infantiam,com-
paranda verborum vbertate,copiaque linguarum: incultã
& horridam orationem, ornamentorum nitore, cultuque
perpolire;de vocis aſperitate quamplurimum vſu limare:
linguæ tarditatem exercitatione dicendi concitare vehe-
mentius,vt ſua luce pariter Orationis luna cum Rationis
7 ſole ſplenderet . Atque hunc totum Orationis & linguæ
cultum , quem vno verbo nominare placet eloquentiam,
opto , Brixienſes Adoleſcentes , ſummoque ardore animi
concupiſco pro amore , quem vobis diſcipulis meis cariſſi-
mis,propter ingenii præclaram indolem, & morum probi-
tatem debeo , vt cum Rationis & Mentis cultu , quem ſa-
pientiam eſſe definiuimus,ad honorem decuſque veſtrum
in vobis ipſi coniungatis : exiſtimantes eloquentiam eſſe
inanem,cæcam,pernicioſam ſine ſapientia;ſine eloquentia
mancam,claudam, & prope dixerim inutilem eſſe Sapien-
tiam. Ecquis enim poteſt ſine graui ſcelere, multiſque in-
commodis non ferendis hæc ornamenta ſeparare , cum
videat tam arcte res ipſas ornandas Mentem & Linguam
Naturæ prope manibus, naturalibuſque vinculis eſſe con-
nexas,atque copulatas ? Attendite, rogo,patienter,Audi-
tores,quando iam peruenimus ad diſputationis cardinem,
tamquam in rem præſentem : conſiderate quæſo mecum
diligenter nominibus ipſis Rationis & Orationis hanc ea-
rum ſympathiam, connexionemque ſignificari. Quo con-
ſilio Græcæ linguæ ſapientiſſimi Magiſtri , quorum inge-
nium,& prudentiam numquam laudare deſinam, eandem
vocem λόγον (vt eſt apud Platonem) ad Rationem pa- *Plato in Theæteto.*
riter & Orationem ſignificandam vſurpauerunt ? Nimi-
rum animaduerterant tantam eſſe facultatum earum co-
gnationem,vt ne nomine quidem viderentur inter ſe cõ-
ſiſtere poſſe diſiunctæ. Græcorum prudentiam imitati La-
tinæ linguæ primi architecti , tam apta nomina illis impo-
ſuerunt , tamque ſono litteriſque ſimilia , quàm facultates
ipſæ Naturæ affinitate cohærent . Nam cum Mens ab illis
eſſet

Digitized by Google

eſſet appellata Ratio, unius additione litterulæ, nomen ar-
tificioſe adeo ſollerterque nouatum ſermoni, loquendique
facultati dederunt, quiuis ut facile rerum quæ uocabulis
veſtiuntur, è nominum ſimilitudine, ſocietatem intelli-
gat. Non enim ſollertibus modo, ſed etiam parum inge-
nioſis, & vix ſonum vocis excipientibus videtur ſic à Ra-
tione ſuum hoc nomen Oratio traxiſſe, nihil vt aliud ſit,
niſi loquentis oris Ratio. Sed faciamus gradum à ſimili- 8
tudine nominum ad rerum ipſarum coniunctionem, quã
Philo ſcholæ Platonicæ Philoſophus tum doctrina, tum
eloquentia perilluſtris, cognationi fraternæ parem fecit,
cum multis in locis Νοῦν & Λόγον fratres eſſe pronunciauit;
nec dubitauit, audacter fortaſſe nimis, aſſerere fuiſſe in Mo-
ſe, & Aarone fratribus adumbratos: quorum ille, qui erat
indiſertus, & Dux populi, Mentem principem; hic uero,
qui Moſis erat interpres, & eloquentior fratre, ſermonem
Mentis interpretem referebat. Probaſſem magis eius in-
genium, ſi Mentis filiam Orationem exiſtimaſſet, quam
quaſi fetum Mens ipſa parens intra ſuam aluum concipit
primum commentando, tum conceptam ore parit, atque
edit in lucem pronunciando, lingua tamquam obſtetrice
iuuante parientem; ut copioſius me diſcipulis meis Par-
menſibus dixiſſe recordor. Dicam equidem ea connexio-
ne Mentem, Linguamque colligari, quę inter Magiſtram,
& Miniſtram; inter Principem & Pręconem; inter Loquẽ-
tem, & Interpretem intercedit. Nemo qui recte philoſo-
phari volet, non intelliget, Menti magiſtrę non cogitatio-
num, artium, doctrinarum modo, ſed etiam uerborum, uo-
cum, totiusque ſermonis, tamquam Miniſtram ſeruire
Linguam facultatemque dicendi. Non enim Mens in
homine conſtituta eſt vt Linguę parêret, ſed potius Ora-
tio, lingua, ceteraque loquendi inſtrumenta ideo ſunt fa-
bricata, vt Menti, Rationique obſequerentur. Propterea
vox à Mente principium ducit, auctore Platone ac Cicero-
ne: neruique complures à cerebro ſede Mentis ad linguã
mouen-

Caſsiod. in pſ. 38.

Philo l. Quod deter. inſid. potiori.

l. de confuſ. ling.

l. de migrat. Abr.

Ex. 4.

orat. 2. n 7. & ſeq.

Plato apud Plut. l. 4. de plac. phil c. 19.

Cic. l. 2. de Nat. Deorum.

mouendam in omnes partes, vocemque fingẽdam in omnes ſonos perducuntur ex Galeno: ſed ita tam hæc miniſtra pendet ab illa magiſtra ſermonis, vt quamquam ante pronunciationem Mens intus cogitatione ſermonem ſine huius ope formet, ac texat: tamen ſine lingua, ceteriſque inſtrumentis locutionis vel nihil, vel pauca foris præſtare poſſit: & ſeſe viciſſim iuuent, atque inter ſe mutuis commodis, beneficiisque concertent. Sol quidem moderator aſtrorum eſt, ac luminum Princeps, & Lunæ potiſſimum, cui de ſuo ſplendorem impertit. At quid faceret Sol ſine Luna, cum noctibus abeſt ab altera Mundi parte, nec niſi alterum hemisphærium vno eodemque tempore colluſtrare poteſt? Per Lunam vicariam, quæ lumen à ſolo mutuatur, eam partem illuminat, quam ſuis radiis non poteſt ipſe contingere. Simili ratione Mens ita cum lingua connexa eſt, vt quamquam more ſolis animum totum illuſtrare poteſt ſecum ipſa commentando, meditando, ratiocinando: tamen niſi vicariæ Orationis vtatur opera nec ſuorum cogitatorum, inuentorum, artium, doctrinarum ſplendores oſtendere nobis; neque tenebricoſam hanc vitæ noſtræ noctem illuminare poteſt. Contigit aliquando claudum hominem, ſed bene videntem, humeris portari cæci bene pariter ambulantis, ſic ut mutuum ſibi ferrent auxilium, cum mancus pedibus oculos cæco, pedes claudo captus oculis commodaret. Feliciſſime Plato iunior duobus verſibus rem expreſsit. *Gal. l. 16. de vſu part. cap. 3. & ſeq.*

9

> ἀνέρα τὶς λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς
> ἦγε πόδας χρήσας ὄμματα χρησάμενος. *L. 1. Antholog.*

Quos Poeta vetus Auſonius non in eleganter interpretatus eſt. *Auſon. epigr. 124.*

> *Ambulat inſidens cæco, pede captus vtroque,*
> *Atq; alterna ſubit munia debilitas.*
> *Nam cæcus claudo pede commodat, ille viciſsim*
> *Mutua dat cæco lumina pro pedibus.*

Quò ſpectat inſolitæ rei narratio? quò tot carminum reci-

tatio? Nempe vt intelligatis, Auditores, à Natura magiſtra rerum, ſimiliter Mentem, & Linguam eſſe copulatas, vt ſibi mutuis commodis auxilijsque prodeſſent. Mens enim, quia oculorum vice fungitur in animo, iure vocari poteſt oculata; quia iniuſſu Dei, domicilio ſibi tributo pedem nõ poteſt efferre, clauda dici poteſt: Oratio contra quæ non modo graditur, ſed currit clauda non eſt: at quia ſine lumine Mentis errat in tenebris, cæca eſt. Sic inter ſe Natura iuſſit eas eſſe coniunctas, vt Oratio famula bene ingrediẽs & cæca, ſuis humeris Mentem oculatam & captam pedibus ferat, quocumque fertur: Mens vero dux clauda, ſuis oculis perſpicacibus linguæ motum, & orationis cæcæ greſſum dirigat, inceſſumque moderetur. Verum hanc naturalem coniunctionem planius fortaſſe, ſplendidiusque ponet ob oculos Mentis principatus, quæ Cæli terræque Regina, non modo ſacrarum teſtimonio litterarum ſigni-

Gen. 1. ficata, ſed etiam Socratis, Platoniſque ſententia declarata

Plato in Phileba. eſt. Huic Deus, qui cum homini dedit in omnes animan- 10

tes imperium, tribuit illi quoque in res omnes procreatas cum poteſtate dominatum; voluit nihil ad regiam dignitatem, maieſtatemque deeſſe; non Regnum, regiam, arcẽs non ſtipatores corporis, cuſtodes, adminiſtros; non ſatellites, ſpeculatores, curſores; non denique nuncios, interpretes, ac præcones, vt ſummo quieſcens in otio per admini-

Philo l. de ſomnijs. ſtros, atque internuncios negotia ſua tranſigeret, regnumque gubernaret, ad imitationẽ immortalis Principis Dei, qui etſi poteſt omnia perſe manens quietus agere, immo-

Boeth. l. 3. de conſ. phil. metro 9. bilis mouere, nutuque tantum voluntatis cuncta moderari; nihilominus tamen præſto ſibi vult eſſe celeres illas mi-

S. Greg. Nyſſ. l. de opif. cap. 10. niſtras, beatas mentes, mortali corpore exutas, quæ ſua iuſſa exſequantur: vtiturque ad res ſingulas generandas cœlo, reliquiſque cauſſis, quæ vt à Deo prima cauſſa diſtin-

Auctor l. de Mundo c. 7. Apul. l. de Mũdo. guantur, à philoſophis ſecundæ nominantur. Perſarum Reges Cambyſes, Xerſes, Darius apud Suſam & Ecbatana, ut hiſtoriis proditũ eſt, præ ceteris Regibus orientis regiæ

maie-

maieſtatis faſtigium æmulati diuinam,oſtentabant. Reſidebat Rex,nulli ſe temere conſpiciendum exhibẽs, in admirabili regia ſacri ſani perſimili, cuius tecta, parietes,pauimenta nix eboris,argenti lux,auri flammæ, ſplendor electri,gemmarum fulgor illuminabat:intus armigeri,ſtipatores corporis,cubicularij,miniſtri: foris viri fortiſſimi excubabant ante fores clauſas peruigili tutela per uices ſorte ductas:aderant,ianitores,atrienſes, nuncij, quorum quidã aures regiæ, atque Imperatoris oculi nuncupabantur: vectigalia,portoria,tributa,ſumptus, ſtipendia per quæſtores adminiſtrabat: vrbes,prouincias,claſſes,exercitus, per præfectos regebat; à quibus vel per accenſas faces in ſpeculis ordine diſpoſitis ſublatas,vel per diurnos nocturnosq; curſores velociſſimos, ab vltimis uſq; finibus imperij breuiſſimo tẽpore certior fiebat omniũ quæ in regno gererentur. Itaq; qui Deus dici volebat & haberi,cũ nõ eſſet,videns & audiens omnia norat è ſua ſtatione non egrediens ipſa paucis de facie notus, & paucioribus auditus. Datus eſt item Menti Reginæ pro regno Mundus; pro imperio rerum vniuerſitas;pro regia domicilium corporis pulcherrime deſcriptum in ſani ſpeciem,artificio mirabili,non auro, gemmis,ebore,marmore,ſed oſſibus, neruis, carne,venis, ſenſibus pretioſioribus rebus ædificatum,in quo perſecando philoſophi obſtupeſcunt, in contemplando Theologi ſtupefacti mirantur: pro arce caput in celſiſſimo tutiſſimoque loco ſitum; in quo voluntas palatio præeſt & Prætorio;conſcientia eſt à ſecretis; Memoria ſanctius ærarium, ſupellectilis cella,totiusque theſauri cuſtodia; facultates reliquæ animi, ſunt adminiſtræ, ſenſus interiores,cubicularii,laterumque ſtipatores. Qui vigiles & cuſtodes extrinſecus? Angeli corporis expertes, qui nec laſſitudine defatigantur in uigiliis, nec defatigatione oppreſſi obdormiſcũt in excubiis. Qui ſatellites extra fores,ſerui atrienſes,& ſpeculatores,omnia diligenter explorantes,& ad Reginam fideliter deferentes? Quinque ſenſus exteriores, inter quos

veri ſunt oculi Reginæ, veræque aures Imperatricis; qui omnes celeriter vel res ipſas, vel rerum imagines & ſimulacra Dominæ repræſentant. Propterea partim in arcis excelſo loco, tamquam in altiſſimis ſpeculis excubant; partim quaſi ſagaciſsimi accipitres per aerem venantur quæcumque per inane feruntur; partim vt venatici canes in uijs opportunis omnia ſagaciſsime veſtigant, & ſubodorantur. Num deſunt illi curſores, & ignes quibus in ſolio ſuo reſidens domi cuncta cognoſcat? minime vero. Sol Luna, ſidera reliqua: flammæ noſtratis ignis, aſtrorumq; ſplendores ſunt illæ faces, quarum ope, de finibus quoque cœli fit omnium certior; curſores autem tum diurni, tum nocturni, qui non tam incitatis & mutatis equis, quàm vehiculis & quadrigis; quàm tabellariis nauiculis & nauigiolis epiſcopijs: quàm volucribus pennis, alarumque remigio properant, accurrunt, aduolant ad regiam è longinquis locis, & temporibus, ab extremis oris Imperii, quæ geſta ſint, quæ gerantur Reginæ fideliſsime renunciant; odores ſunt, colores, litteræ, ſigna, figuræ, ſoni, verba, voces, ceteræque res obiectæ ſenſibus, quæ tametſi nullus eas venetur & inquirat, in ipſos ſenſus diuino iuſſu ſeſe ingerunt, irrumpunt, illabuntur. Qui tandem erunt ianitores, nuncij, præcones, qui Reginæ cogitata, optata, iuſſa, vetita, mandata, præcepta, reſponſa, decreta perferant ad externos, & per Imperium uniuerſum, regnumque diuulgent? Num dices ac definies eſſe nutus oculorum, frontis ac uultus? num digitorum, membrorum omnium motum cunctique corporis geſtus, qui quoquomodo ſunt indices animi, & ijs omnibus elingues, infantes, mutique loquuntur, & intelliguntur? Minime ſunt hi, quos quærimus: adumbrant animi ſenſa, non exprimunt: indicant intimas cogitationes, non explicant; ſignificant interiores affectus, non plane declarant. Lingua, dentes, labra, ceteraque locutionis inſtrumẽta in ore collocata, ſunt veri ianitores in limine regiæ domus, atque ad oſtium conſtituti, paratique ad nutum imperantis:

Cic. l. 2. de nat. Deor.

13

Cic. l. de orat.

ſperantis: quorum præfectus, princeps, ac magiſter eſt artifex loquendi facultas: verba, ſoni, voces, vocumque flexiones ſunt inter nuncij: ſermo denique vocibus, verbisque conflatus, quem etiam dicimus orationem, eſt index certus, non fallax, eloquens non innuens; clare clamans, & vociferans, non obſcure mugiens, aut ſibilans Præco: qui dominæ Mentis imperata, reſponſaque peruulgat. O ſummam & diuinæ ſimilem Reginæ Mentis maieſtatem, O coniunctionem arctiſſimam Rationis & Orationis; quam qui tolleret, Menti regnum, iura, ſceptrum, & dominatum eriperet; cum ſine his loquentibus miniſtris non poſſet, quibus rebus dignitate regia præeſt, imperare. Sed è tertio
12 capite clarius apparebit, earumdem facultatum naturalis colligatio, qua tamquam ignota lingua loquens, & interpres vinciuntur. Non ſemel docui totam orationem mente concipi, formarique intus antequam per os effluat in aerem, & in aures influat auditorum: quam tunc mortalium nullus intelligere poteſt ac percipere; ſimiliter ac ſi vel perſice, vel arabice, vel ſcythice loquentem, earum linguarum neſcius audiret: niſi præſto ſit interpres, qui & loquentis & audientis ſermonis peritus, illius orationem in ſermonem noſtratem vertat, inuoluta explicet, & obſcura interpretetur. Quis ergo eſt tam obſcuræ orationis Deo ſoli cognitæ ſciens interpres? Omnes ſapientes reſpõdent eſſe linguam, ſermonem, orationem. Hinc illud Horatij.

Poſt effert animi motus interprete lingua. *Hor. in Poet.*

Hinc Græci poetæ Mercurium ſermonis, & eloquentiæ præſidem, ἑρμῆν ab interpretando dixerunt: hinc Ariſtoteles doctrinæ magnitudine philoſophorũ princeps, enunciationem, quæ oratio quædam eſt, ἑρμηνείαν appellauit. *Ar. l. 1. peri herm.* Id quod ad regiam maieſtatem quoque ſpectat. Nam Reges ferme, non niſi ſua lingua loquuntur, cum ijs præſertim quibus imperant; qui ſi Regis linguam ignorant, cum Rege per interpretem regium agere, & ab eodem reſponſa per eumdem referre coguntur. Hic nonnihil

ſubſi-

ſubſiſto, voſque Auditores excito & appello, quos exiſtimo comprehendiſſe animo duas haſce mirabiles facultates hominis tot vinculis eſſe naturali propemodum iure ſocietas. Ecquis igitur erit adeo Naturæ parenti optimæ inimicus, qui quas illa catenis propemodum ſuis illigauit; ornamentis cultuque diſiungat? qui alteram politam, cultam, locupletem velit, alteram rudem, incomptam, & inanem? Deſipiet ne adeo quiſpiam veſtrum, Adoleſcentes, vt vel Rationi, vel Orationi ſua detrahens ornamenta, ſapientiæ bono vacuam illam, & arte dicendi copiaque ſpoliatam hanc eſſe patiatur? An ignorat vtramque ſine alterius decore, & ornatu claudicare; languere, flacceſcere, ſic vt ſine ſapientiæ nutrimentis areſcat oratio, & ſine vbertate culturaque dicendi Ratio ipſa balbutiat? Qui ſeparat ab eloquentia ſapientiam, aut auellit à complexu ſapientiæ ſtudium eloquentiæ, mancum & imperfectum facit hominem, qui hac nobiliſſimarum ſororum germanitate videtur integer eſſe, atque abſolutus: & in præſtantiſſimum animal ac prope diuinum inducit tamquam horribile quoddam monſtrũ, diſſidium illud cordis & linguæ, ſapientiæ & eloquentiæ tam acriter atque acerbe caſtigatum à ſapientibus atque reprehenſum. Præſertim cum ſapientia, & eloquentia propemodum eadem qua mens, & lingua coniunctione copulentur, & nominis, & rei. Peruagatur ora puerorum, non modo Rhetorum, illa ſummi Oratoris & Magiſtri Ciceronis, eloquentiæ nominis interpretatio, qua definit eam *copioſe loquentem eſſe ſapientiam.* Non ſomniabat, non delirabat; ſiccus erat M. Tullius cum id filium cariſſimũ perdocebat; doctus ipſe à priſcis artificibus Latinæ linguæ ſic eloquentiam eſſe cum ſapiẽtia permiſtam, vt ne voce quidem potuerit eſſe ſegregata. Quid quod ſapientia ſemper eſt habita, non modo germana ſoror, ſed etiam Mater eloquentiæ, hæc vero filia illius ſapientiſſimæ parentis? Extat cebetis Thebani tabula, qua vitam inſtituit humanam, iuuenesque à vitijs, atque ab ignoratione tum deterritos, tũ

Cic. l. 3. de or. *Cic. in Partit.* *Cebet. in Tab.*

abdu-

abductos, ad virtutum doctrinarumque perfectionem faſtigiumque perducit. Hic Pitho, quam vel dicendi leporem, vel ſuadelam, vel perſuaſionem, quæ eſt vis, medulla, & ſpiritus eloquentiæ, poſſumus interpretari, filiam eſſe dixit, cuius nam Adoleſcentes? Num Linguæ? minime vero: quia hæc proprie dicendi eſt inſtrumentum, non Parẽs. Num vocis? nequaquam ſcilicet: hæc enim materies eſt orationis, non effectrix. Num verborum? multo minus: quod hæc ſint partes, & quaſi artus orationis, cuius effectus eſt perſuaſio. Sed quanam tandem Matre natam hanc generoſam filiam dicit? Eruditione: quæ quia veritatis quoque parens eſt in eadem tabula, non eſt à ſapientia diuerſa quæ eſt cognitio veritatis. Sed vt hæc neceſſitas ſapientię, & eloquentiæ inter ſe copulandæ ueſtros ante oculos ſtatuatur, ſpectemus, ſi placet, incommoda quę ſequantur ſi Ratio ſine ſapientia, doctrinaue, cum eloquentia ſocietur. Colligite quęſo cogitationes veſtras, & ad rem vtiliſsimã audiendam accerſite: tum facite, vt in orationis meę vela, beneuolentię veſtrę Fauonius paullo vehementius inſuſurret, quò felicius ſcopuloſum diſputationis locum prętemauigans, ſeſe tutum in portum, tranquillumque recipiat. *orat. 3. n. 4.*

14 Conſiderate mecum, Brixienſes, iterum Rationem eſſe tamquam ſolem in homine, cor pręterea, Caput, & fontem: Orationem vero Lunam, corpus, ac fluuium. Ac primum quęro, quęnam ſit lux huius noſtratis ſolis? reſpondeat quiſpiam Ingenium; quod pręclarum lumen in humana mente naturaliter Deus accendit. Fateor ego quoque ſplendere vel maxime in nonnullis hanc lucem ingenij; ſed inficiari non potes in quibuſdam hebetibus natura, tardis, obtuſis adeo tenuem, atque exiguam eſſe, vix vt minimę ſtellę vim, nomenque retineat. Itaque lumen aliud extrinſecus adſciſcendum eſt, ut Mens noſtra, ſeu valde, ſeu parum ingenioſa, ſol animi vere dicatur, & reliquas hominis partes, ac facultates tamquam aſtra, ſui ſplendoris effuſione communicationeque colluſtret; quod lumen nõ

aliud

Digitized by Google

aliud eſſe pronuncio, niſi doctrinarum omnium ſcientiam,
quam alias nominaui ſapientiam. Non mihi fidem à vobis
in hac re flagito: credite illi, qui tum ingenii acumine, tum
ſcientiæ lumine philoſophos omnes antecelluit; audiatur
Ariſtoteles qui digniſsimũ prudentia dicentis apophtheg-
ma frequenter inter amicos, & diſcipulos vſurpabat: *Ocu-*
lum quidem ab aere circumfuſo, Mentem vero lumen à diſci-
plinis accipere. Si igitur cæli ſolem aut lumen totum, aut 15
pars magna deficeret, quid faceret Luna quæ ſolius mu-
nere ſolis & ſibi, & cælo, & nobis illucet? Obſcura mære-
ret; nihil in terris, marique gigneret; noctes orbi tenebri-
coſiſsimas redderet; fruſtra conuerſionibus ſuis Mundum
circuiret; ita vt plane cæci denſiſsimis in tenebris errare-
mus; & non diu ſine tanto bono viueremus. Spoliemus
nunc animi ſolem luce doctrinæ tantiſper dum incommo-
da, quę ſequentur ex eo defectu, colligamus. Quid in hac
obſcuritate Mens facultati loquendi vel orationi lucis im-
pertiat? Hęc vero luna, quę conuerſa ſubiectaque ſoli
Mentis ab eo totum ſuum bonum, doctrinam, ordinem,
argumentum, ſententias & exſpectat, & accipit; quàm te-
nebricoſa erit, inobſcurata Mente, quę quod tribuat alteri,
non habet? Ipſa porro dicendi uis, doctrina luce Mentis
vacua, poterit oratione ſua ſplendeſcere quidquam audi-
toribus? Quàm facile ipſa tenebris inſcientię circumfuſa
oratio, denſam errorum caliginem, & quaſi noctem falſi-
tatis audientium mentibus offundet? Statuitur quidem
Veritas eloquentię ſoror, in tabula illa pulcherrima Cebe-
tis, quem iam cum laude commemoraui; ſed eius eloquen-
tię, quę ſit filia ſapientię, qua eadem parente naſcitur ueri-
tas, cuius indagatrix, inuentrix, & contemplatrix eſt ſapiẽ-
tia. Quare quę matrem ſapientiam non agnoſcit, nec ha-
bet eloquentia, ueritatem ea nequaquam poteſt habere ſo-
rorem. Iure igitur ſapientiſsimus ille philoſophus de ſcho-
la ſtoicorum Epictetus, monachorum pauperrimorũ um- 16
bra neſcioquę, differendi, dicendique facultates indoctis
homi-

Diog. laer. l. 5. in Ariſt.

Cebet. Tabula

Ar. l. 2. met. t. 3.

Cic. l. 1. offic.

hominibus perniciem exiſtimabat afferre, quod hi rati magnum quiddam eſſe, loquendi habilitatem illam verborũque profluentiam, arrogantiæ ſpiritu inflati, ſe ceteris inſolentius anteferrent. Quid? Nonne ijs etiam qui audiunt diſerti, & indocti homines nocent? Luceant alijs veritatis lumine, quibus veritas ipſa minime lucet? Neque vero de ijs diſputo, qui ex improbitate per ſummum ſcelus voluntarios errores diſſeminant; ſed de ijs tantum, qui ex ignoratione falluntur & fallunt. Quot calamitates hoc genus hominum in ciuitates inuexit? Quot ſimplices, ac ſinceros homines hæc inanis & indocta loquacitas decepit, feſellit, in errorem induxit? Itaque vellem, Adoleſcentes, à vobis memoriæ penitus mentibusque mandari vocem illam pæne diuinam Ciceronis adoleſcentis tum quidem ætate, ſed prudentia ſenis: *Sapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe Ciuitatibus; Eloquentiam vero ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe numquam.* Fortaſſe neceſſitas eadem iungendæ cum eloquentia ſapientiæ diſpicietur, ſi tamquam cor, & caput, Mentem Rationemque ſpectetis. Illud enim, quod vitæ fontem, caloris natiui ſedem, vitalis ignis foculum appellare libet, fornacula quædam eſt, vbi ſanguis à iecore transfuſus natiuo igne recoquitur, ac perficitur; & partim per venas, ad alenda membra tranſmittitur; partim in tenuiſſimum ſpiritum commutatus per arteriarum ductus in totum corpus diffunditur ad ea mirabiliter præſtanda, quæ non eſt huius loci definire. Caput vero principium eſt neruorum, & origo ſpirituum illorum; ſine quibus nec cernere oculi, nec audire aures, nec manus moueri queunt. Mens in animo eſt, vt cor in corpore; quod aliquando Cicero docuit: quæ ſi diſcendi cupiditas, & propenſio; ſi cognitionis amor; ſi ſtudii ſedulitas ad eam attulerit, ſubminiſtraueritque materiam contemplandi: calore natiuo ingenii, ſanguinem, & ſpiritum gignet doctrinarũ; quibus corpus perfundat orationis. Refert item Mens eadem caput, cum rationum neruos, atque ſpiritus creat.

Arrian. l. 1. de doctr. Epict. c. 8

Cic. l. 1. de inu.

Plato ep. 7. ſententiarum. Quid nam omnia hæc ad eloquentiam?
Cic. l. 3. de or. Oratio partus eloquentiæ, vt viri doctiſſimi obſeruarunt, 17
quaſi quoddam corpus eſt, notionibus, & vocibus: ſententijs & uerbis coagmentatum. Verba ſunt oſſium inſtar: res, ſententiæ, notiones, rationes, quæ verbis ſuſtentantur vicem ſubeunt ceterarum corporis partium, quæ oſſa nuda circumueſtiunt. Si Mens diſcendo, & commentando ſpiritum ſanguinemque ſapientiæ procrearit, affatim illum effundet in orationem, quæ vbicumque fuerit adhibenda, ſiue de ſuperiore loco, ſiue de inferiore; ſiue in publicis cõuentibus ciuium; ſiue in priuatis congreſſionibus amicorum; ſiue cogitato, ſiue ex improuiſo; fulta neruis, ſaginata carne, imbuta ſucco, perfuſa ſanguine perfectam referens ſanitatem conſpicietur. Si vero fonte Mentis ab ignoratione doctrinarum, & ingenuarum artium exareſcente, nihil inde ſanguinis ſcientiæ, nihil ſucci ſapientiæ, in os, linguam, orationemque profluxerit, ieiuna, vacua, ſiti fameque enecta, quanta videbitur gracilitate corporis extenuata? quàm arida, & ſicca? quàm pallens, & eneruata? Si videres oculis, non corpus integrum, ſanum, ac viuum diceres, ſed vel grandi macie torridum, vel tabe confectum; vel cadauer carne ſpoliatum, quod ſtamine duntaxat oſſium continetur. Verum optime omnium tertia conſideratio Mentis tamquam fontis, vnde fluuius orationis & 18
eloquentiæ decurrit, uos recta ducet in certiſſimam cognitionem neceſſitatis illius, quam prædico, ſapientiæ; quamque ad bene dicendum efflagito. Cum ſapientum omniũ animis hæc inſederit perſuaſio, vel eloquentiam, vel orationem eius partum, flumen eſſe quoddam à Mente delabens, & illam quoque neceſſario concepiſſe videntur opinionem, Mentem eſſe fonti perſimilem, vnde fluit aqua ſapientiæ primum in os, & linguam eloquentis, deinde verborum amne in aures auditorum, ac mẽtes illabitur. Quid aliud ſenſit Plato vtraque laude clariſſimus cum orationẽ fluxionem à cogitante animo per os cum voce manantem

Plato in Sophiſta.

eſſe

eſſe definiit? Quid ſpectauit Epicurus, cum vocem Ῥεῦμα ideſt profluentiam quandam à loquentibus emiſſam exiſtimauit? Quid Cicero noſter cum toties flumen uel ingenii, uel eloquentiæ, uel verborum aut ſibi deeſſe per modeſtiam queritur; aut ad aliquid exaggerandum exoptat; aut aliis laudandis eloquentibus impertitur? Referuntur eodem ab Ouidio laudes illæ Germanici Cæſaris. *Plut. l. 4. de plac. philoſ. c. 19.*

Scimus, & ad noſtras iam ſe tulit impetus aures, *Ouid. l. 1. faſt.*
Ingenij currant flumina quanta tui.

Quo loco cum Cicerone Magiſtro Poeta per ingenioſus Mentem, à quo fonte decurrit riuus & profluens orationis, ingenii nomine ſignat ac notat, quod illud ſit humanæ mentis apex, & acumen. Sed qualem fontem eſſe intellexerunt? cauernam fortaſſe quampiam humore vacuam, ſiccam & aridam, vnde ſcaturire poſſit aqua, ſed minime defluat? Nequaquam vero: ſed intellexerunt fontem plenum doctrinarum aqua ſapientiæ redundantem, copioſe, ac largiter profluentem. Nam exhauſto atque areſcente ingenii fonte, ſciebant exareſcere quoque in ore orationẽ, in oratione ſiccari veram eloquentiam. Propterea M. Tullius exercitatiſſimus in dicendo metuens ne fons, quamquam vberrimus, animi ſui nonnumquam exinaniretur ac deficeret, ſtudio doctrinarum ſubinde, litterarumque perfodiens aperiebat, excitabat, noua rerum cognitione complebat, vt amne largo continenter excurreret. Quod coram grauiſſimis iudicibus in defenſione nobilis Poetæ, de litteris humanioribus, atque in primis de Poeſi diſſerens publice profeſſus eſt, cum palam dixit, non poſſe ſuppetere, quod quotidie diceret, in tanta varietate rerum, niſi animum ſuum excoleret doctrina; ſtudiis hiſce recolendis, ex quibus dicendi facultas creſceret & oratio. Nam vt Lucernæ lumen non longo interuallo, niſi oleum inſtilles, extinguitur: vt tellus fruges ac fructus non parit, niſi uel opportunis imbribus, uel deductis aquarum riuulis ſtatis diebus, aut noctibus irrigetur: vt denique fontes, qui pe- *Cic. orat. pro Arch. Poeta.*

rennes putantur,niſi perpetuo vel aer in cauernam ſucce-
dens,in aquam ui frigoris conuerteretur;vel à mari per oc-
cultas terræ uenas,& naturales cuniculos afflueret humor,
exareſceret; ita fons Mentis, atque ingenii, qui ſuas opes
orationis amne profundit,niſi compleatur primum, dein-
de reficiatur,renouetur, alatur ſtudiis doctrinarum, breui
tempore deficit,ſiccatur,abſumitur.Hinc iure fit,vt ipſi ſa-
pientiæ,quæ menti largitur, & ingeniis ubertatem & uim 19
fontis, nomen fontis tribuatur, vnde profluat eloquentia.
Scienter Horatius,ut omnia

Hor. in Poet.

Scribendi recte,ſapere eſt, & principium, & fons.

Et quoniam ſcriptura nihil eſt niſi commendata chartis aut tabellis oratio,muta auctore me,primum verbum,qua mutatione nec verſum corrumpes, nec violabis ſententiam, & dicito uere,

Dicendi recte, ſapere eſt,& principium, & fons.

Ciceronis autem dicta uellem à uobis ita memoriæ commendari, ut non tabulis cereis, ſed ſi fieri poſſet, inſcriberentur in æneis. Hic primum ſtatuit id, de quo quærimus; doctrina contineri perfectæ fontem eloquentiæ; deinde philoſophiam matrem eſſe benefactorum omnium, beneque dictorum: tum ſine philoſophia non poſſe effici, quem quærit eloquentem: poſtea neminem eſſe poſſe omni laude cumulatum oratorem, niſi ſit omnium magnarum rerum atque artium ſcientiam conſecutus;quod è rerum cognitione redundet oportet oratio; quæ ſine rebus elocutionem inanem quandam habet,ac pæne puerilem. Mitto cetera,ne ſim nimius in M. Tullii teſtimoniis conceruandis, quem tam recte ſentientem de eloquentiæ fonte,merito poſteri comprobant,& ſequuntur. Vnum ex tam multis indico uobis uirum doctiſſimum Beſſarionem natione Græcum,profeſſione Monachum, dignitate Cardinalem, fide catholicum, de Rep. Veneta propter bibliothecam locupletiſsimam & conquiſitiſsimis libris inſtructiſsimam illi legatam optime meritum, qui in defenſione Platonis

Cic. l. de cl. or.

Idem l. de or.

Idem l. 1. de or.

Beſſar. l. 1. contra calumn. Plat. cap 4.

illud

illud magnopere contendit, & probat, Neminem bene lo-
qui poſſe, qui non multum in Philoſophiæ cognitione,
20 ſcientiaque profecerit. Vos ipſi, Brixienſes, pro veſtra pru-
dentia iudicate, num fieri poſſit, vt doceat, (quod eſt vnũ
è muneribus eloquentis) quĩ nihil vnquam ipſe doctus
eſt, quod alios doceat! Qua ratione delectabit eos, quibus-
cum loquitur, qui naturam voluptatis, delectationis cauſ-
ſas, & incitamenta penitus ignorat? Quo modo flectat
animos, affectusque permoueat, qui nec naturam, & mo-
tus animorum (qui ſunt ab oratore pernoſcendi) nec vim *Cic.l.1.de or.*
& cauſſas iræ, cupiditatis, amoris, odij, ceterorumque affe-
ctuum; nec quibus obiectis ac propoſitis rebus perturba-
tiones excitentur; nec quibus orationis modis quæque ani
morum partes pellantur, à Philoſophia tum naturali, tum
morali non didicerit? Quì cauſſas aget in iudicijs, aut accu-
ſando, aut defendendo, qui ius ciuile non callet, rem ad
priuatas cauſſas, & ad oratoris prudentiam maxime neceſ- *Cic.l.de cl.or.*
ſariam? Tu laudes aut vituperes quempiam vel viuum, vel
mortuum prudenter, qui de vita humana, de officio boni
viri, de virtutibus ac vitiis, de moribus, de felicitate, de ho-
nore, de nobilitate, nihil vnquam à philoſophis audieris?
Tu dicas in conſiliis, ac deliberationibus, de pace, de bello,
de condendis legibus, de moderanda gubernatione ſen-
tentiam, qui nec vllam veterum rerum patriæ tuæ, vel alia-
rum Ciuitatum memoriam teneas, vnde petuntur exem-
pla, quæ tantum valent in deliberando; nec de legibus, cõ-
ſuetudinibus, ac politia quidquam vel in libris legeris ipſe,
vel à magiſtris acceperis? Tu denique de magnis rebus
diſputes, de Deo, de cælo, de ſideribus, de Mundo, de ani-
morum immortalitate, de vita beata, qui ne primoribus
quidem labris deguſtaſti Naturæ ſcientiam, ac Theolo-
giam, quæ tantam ſolent ſuppeditare copiam orationi?
Sed hic audire videor neſcioquem inſuſurrantem mihi,
21 quoſdam eſſe tanta naturæ bonitate, felicitate ingenii, co-
pia verborum, & orationis affluentia præditos, quos ſine
hac

Digitized by Google

hac ſcientia rerum quam ſuadeo, de re quacamque publice ac priuatim, poſſis audire feliciter diſputantes; proinde ruere, quod locaueram, cauſſæ meæ firmamentum, eloquētiam non eſſe poſſe ſine ſapientia. O ridiculum oppugnatorem veritatis. Scilicet feliciter diſputaturus eſt de quacumque re propoſita, cuius è bene longa oratione prudēs auditor ne guttam quidem ſucci quantumuis premens exprimeret. Pernego primum iſtam tuam, dicam ne loquacitatem, an loquentiam, an inanem verborum profluētiam? eſſe tam magnifico atque ſpecioſo nomine dignam eloquentiæ. Non enim in clamore, curſuque verborum, non in linguæ volubilitate, non in copioſa celeritate vtcūque pronunciandi tantum, ſummi dicendi Magiſtri, veram & germanam eloquentiam poſitam arbitrantur; ſed in copioſa, ornata, numeroſa, prudenti docti hominis oratione qui rerum cognitionem, cum verborum vbertate coniunxerit: huic palmam perfecti oratoris dandam eſſe Cicero ipſe contendit; qui optione data, mauult indiſertam infantemque ſapientiam, quàm inſcitiam, ſtultitiamque loquacem. Hunc tuum, non meum, eloquentem, ſi Cæſar Auguſtus etiamnum imperaret, cum Q. Haterio ſui temporis oratore ſtudioſo ſimilis vitioſæ celeritatis, ſufflaminari iuberet. Deinde, nequis inani verborum ſonitu captus huius proclamatoris, tamquam Sirenum cantu ad eumdem erroris ſcopulum adhæreſcat, conferte vos Brixienſes, conferte ſermones eruditos, cum inanibus ſapientiæ; diſtinctas orationes doctrinarum notis, cum indoctis; illarum auctores, cum iſtarum artificibus; eloquentiam, cum eloquentia comparate: profecto diceretis illos hominum eſſe, hos vero ſermones pſittacorum: illas virorum, ſenumue orationes; has vero inſulſas declamationes puerorum: illarum auctorem eloquentem oratorem, harum opificem circumforaneum circulatorem: illam denique ſolidam, germanā, auream eloquentiam; hanc vero inanem, & puerilem verborum affluentiam. Neque vero iactent uobis eloquentiā 2

Cic. l. 3. de or. l. de orat.

M. Sen. l. 4. cōtrou. in Prefat.

uocitari,

uocitari flumen ; & ab eorum ore, de quibus diſputamus, verborum optimorum copiam tamquam profluentem effundi. Nam reſpondere poteſtis, non profluentem dicere debuiſſe, ſed turbidum infelicemque torrentem: tantumque ab eloquentia vera loquacitatem illam ineruditam diſtare, quantum à fluuio ſedate fluente, gemmis, auro, piſcibus diuite, & fertilitatem agris afferente, rapidus torrẽs vtilitate ac ſpecie diſtinguitur. Animaduertiſtis, opinor, coorta de repente procella, defluentibusque largis, & aſſiduis imbribus, torrentem aliquem, & forte veſtrum Mellon, ex præruptorum præcelſis montium iugis cum ingenti ſtrepitu, & fragore, rapide ferri, lapſuque concitato per aſpera ſaxeta præcipitare furenter; tempore propemodum eodem creſcere, totum alueum implere: dein ſuperatis, disiectiſue aggeribus ac munitionibus, quibus coercebatur, vel nouas ſibi facere ripas, vel extra veteres diffluere: tum in finitimos agros inuehere, ac pro glebis opimis, glaream, exeſos lapides, ac ſterilem arenam ſubſtituere, quemadmodum apud ſummum poetarum montanus ille torrens qui

Sternit agros, ſternit ſata læta, boumq; labores, *Virg.l.2.Aen.*
Præcipitesq. trahit ſiluas. *Hor.l.3.od.29*

Huic plane ſimilem eſſe putate, Brixienſes, eorum orationem qui verborum inepta, inſulſaque copia, qui murmure vocis ſine ſale, ac ſapore doctrinarum contenti, clamoribus indoctis, ac uociferationibus imperitis obſtrepentes, aures obtundunt auditorum. At eruditorum oratio docta, fertur illa quidem fluminis ritu ; ſed medio alueo placide, cum eſt opus, ac ſedate: non lapides, non ſtirpes, non pecus cum ſtabulis raptat, neque obſtrepit iniucunde. Velut alter Tagus, aut Pactolus gemmas & margaritas euoluere, permiſtamque auro uehere uidetur arenam, cum ſententias nouas, concinnas, admirabiles profert. Si quando ſuperfluit alueum egrediens, quod impetu maiore, granditate rerum tumeſcens, decurrere ſit neceſſe, non auditorẽ

offendit

Digitized by Google

offendit, ſed lætificat: non uulnerat aures, ſed permulcet. Atque ut Indus, Euphrates, Nilus in Indiam, Meſopotamiam, Aegyptum, quas præterfluunt prouincias, atque irrigant; uel fertilitatem mollitis agris atque oblimatis ad ferendum inferunt; uel quaſi nouos agros ac feraciores inuehunt; uel magnam uim ſeminum frumenti, ac ſimilium important; ſic oratio docta, & diues, cum in aures uoluptatem inſignem; tum in animum doctrinæ ſemina, & nouas ſapientiæ fruges immittit: cuius plane generis Ariſtotelis eloquentiam arbitror fuiſſe, cuius ab ore bonus æſtimator facultatis huius M. Tullius prodidit ſcriptis, quod amicis ſæpe dicere ſolebat, aureum flumen orationis erumpere.

Cic l. 2. de Nat. Deorum. Plin. l. 18. c 17. & 18.

Cic. l. 2. Acad. quæſt. Plut. in Cicer.

Sed iam diſputationem conuertamus ad eos qui mutæ philoſophiæ ſpeciem admirati, Linguæ cultum, nitorem orationis, eloquentiamque contemnunt. Ponamus quempiam doctrinis varijs imbutum, ſed infantem in dicendo Naturæ nouercæ improbitate, copia naturali carere; quærere anxie uocabula inter loquendum; adnumerare uerba propter linguæ paupertatem; hæſitare in ſingulis periodis: uel certe, ſi quam Naturæ parentis benignitate, uerborum ſecum tulit ubertatem, imperitum eſſe Rhetoricæ, nullum habere uſum recte & accurate dicendi; non diſtinguere à propriis translata uocabula; nullam troporum, nullam figurarum, nullam ordinis habere cognitionem. Et quanquam uerum eſt, quod ſapienter ſcripſit Ariſtoteles; Poſſe docere, ſignum atque argumentum eſſe ſcientis; non tamen falſum eſt, quod Philo Platonicus animaduertit, eſſe quoſdam qui cogitationes optimas explicare non queunt, à malo interprete ſermone deſtituti. Peto nunc à uobis, Viri prudentiſſimi, ut conſideretis mecum, quot incommoda, quàmque grauia ſunt ex hoc capite ſecutura, cum hic infans lingua, non ætate, res quas norit, uel non queat communicare cum aliis docendo ſine magna difficultate ſua, & eorum qui audiunt obſcuritate; uel certe Rhetoricæ neſcius, 23

Ar. l. 1. Metaph. cap. 1. Philo l. de migrat. Abrahæ.

ſcius, pro magna earum dignitate non poſſit explicare. Primum enim ſi hic tacitus ſecum ipſe doctrina fruitur, ſucco ſuæ contemplationis ſibi viuens; quòd vel cogitata ſua recte interpretari neſciat, vel detineatur verecundia, quia parum feliciter ſibi alias ſucceſſiſſe meminerit orationem ſuam: deliteſcit ſapientiæ theſaurus pretioſiſſimus tot annis comparatus, in mente, loculisque memoriæ docti hominis, cui deeſt explanandi facultas: perdidit ipſe tot labores actos, tot noctes euigilatas, tot impenſas factas in diſcẽdo; nullos retulit ſuarum vigiliarum, & lucubrationum fructus, quos ſperauit, & exſpectabat ampliſſimos: carent omnes mortales illo bono, quod incluſum in animo, ſacrarioque memoriæ retinetur: quod damnum, quantum ſit declarat auctor Eccleſiaſtici diuino inſtinctu locutus, qui reliquit ſcriptum nobis oraculum illud doctis viris identidem cogitatione recolendum: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Deinde ſi commu- Eccleſ.10.

24 ni ſapientum opinione, bonus ac fidus interpres is eſt, qui Orat.7.n.11.

verbum pro verbo reddens, vel certe verbis non annumeratis, ſed appenſis ſententiam retinens, nihil addendo, nihil detrahendo, nihil immutando, loquentis mentem aſſequitur: quàm magnam iniuriam menti ſuæ faciet hic non bonus interpres, cuius parum fidelis lingua ſenſum loquẽtis intus animi nequaquam reddit integrum; ſed vel obſcurat paucitate verborum, vel inepta multitudine obruit; vel minus propria locutione deprauat? At permittamus hunc hominem vtcumque loqui, & eum potiſſimum, qui naturalem copiam nullo cultã artificio iactat glorioſius: quàm bene hic reſpondeat præſtantiæ mentis, & ſapientiæ dignitati? Non enim cogitata Mentis, non ſapientiæ theſauros ſua ipſarum elocutione circumueſtit. Quoties à me ſignificatum eſt, Mentis & ſapiẽtiæ ſermonem proprium, eloquentiam eſſe, quam interpretor emendatam, dilucidam, elegantem, ornatam, copioſamque orationem; non loquacitatem inſulſam, non inconditam verborum pro-

fluentiam? Quod ſi non decet nobiles viros infimæ plebeculæ ſermo: ſi regio ſanguine procreatos dedecet ruſticana, vel plebeia locutio; Reginę Mentis dignitati, nobiliſſimæque ſapientiæ ſplendori vulgaris, & incultus ſermo cõueniat? Præſertim ſi habeatur in conuentu doctorum eloquentiumque virorum; qui teretes aures habent; nec modo vocibus eruditorum, ſed etiam elegantium orationibus aſſuetas: horum quàm turpe fuerit, & indignum non poſſe aures, vt mentes explere? Atque vt inſtructor conuiuii regii, quo viri principes accumbunt, maxime iniurioſus eſſet, tum in Regem qui conuiuiũ apparari iuſſiſſet; tum in conuiuas inuitatu Regis exceptos; ſi conquiſitiſsimos cibos, epulaſque ſuauiſsimas patinis ligneis, vulgaribus fictilibus menſis inferret, & conuiuis apponeret; qui, quia non modo ſaporem in eſcis, ſed etiam nitorem in patinis, & in tota menſa ſplendorem flagitant, lances vel inauratas, vel argenteas, vel fictiles illas aduectas ex India, quæ iam pretio, per hominum opinionem veterum Deliacis, Samijs, & Corinthiis præſtant, & æquantur argenteis, exſpectaſſent: ita cum Regina Mens in coetu doctorum virorum cęnam iucundiſsimarum doctrinarum tamquam epularum è ſapientiæ cella penaria ſaporibus exquiſitis ab ingenio conditarum, quibus paſcuntur aures, & animi ſaginantur, inſtrui iubet; grauem item & inſignem iniuriam tum Reginæ conuiuium imperanti, cuius nulla ratio dignitatis habetur; tum ſapientiæ de ſuo præbenti cibos, cuius liberalitati non reſpondet apparatus; tum veſcentibus auditoribus, quorum nobilitatis decorum non ſeruatur, infert illa Lingua, quæ ſtructoris uicem gerens, eas epulas, verborũ incultorum, vulgarium, inornatorum quaſi fictilibus, atque inelegantis inconditæque orationis decocto luto porrigit ijs, quibus vtpote ſummo iudicio præditis gratior ſolet eſſe lectiſsimorum uerborum munditia, modus, ordo; totius apparatus elegantia, politæque orationis nitor, quàm cibi ipſi doctrinarum. Denique ſi ſermonis humani dignitatẽ, 2 5

&

Digitized by Google

& Mentis ſermonem imperantis maieſtatem regia maiorem intueamini, neceſſe eſt vt fateamini Linguam omni cultus, ornamentorumque genere eſſe poliendam. Non enim defuerunt doctiſsimi viri qui ſermonem humanum Oraculum cenſuerunt appellandum. Quod nomen ſuperſtitioſa quondam antiquitas reſponſis illis impoſuit, quæ Dæmones, quos Deos falſo putabat, ingreſsi ſimulacra magnificis in fanis conſtituta, vocibus humanarum ſimilibus, dabant hominibus ea petentibus, & falſa diuinitatis illorum opinione deceptis. Ineſt in nobis immortalis, Deo perſimilis, ac pæne diuina Mens, vt me dixiſſe iam memini, quam, quòd ſola rerum arte manuque factarum formas, & inchoatas intelligentias efficiat æmulatione Dei, qui res naturales, ac perfectas procreat, non mortalem Deum, vt vulgus minus proprie priſcis ſæculis vocitare ſolebat, ſed ſecundum quendam Deum Mercurius ille propter magnam opinionem ſapiētiæ Termaximus appellatus, nominauit. Quid præterea ſtatuæ fictili ſimilius, quàm humanum corpus è luto fictum, ad cuius exemplum reliqua ſigna fiunt ac ſimulantur, & ob id ſimulacra dicuntur? Quid templo ſimilius, quam Mundus, in quo hoc Dei ſimulacrum, vt loquitur Lactantius, ſtatutum eſt; quod erectum feræ, belluæ, cunctæque animantes ad terram abiectæ, prono corpore, quaſi ad eius proſtratæ pedes vt terreſtrem Deum venerantur? Vnde, vt mea fert opinio, Dæmones illi ſermonem hominis imitati, tamquam Dei cuiuſdam orationem, oracula cœperunt edere, mortaleſque decipere. Verum tam præſtantis hominis oratio meliore iure dici poteſt oraculum, quàm falſorū Deorum Ammonii, Pythij, Dodonæi, aliorumue reſponſa; quia neque ullius proprie ſunt uera reſponſa, ſed commentitia & ſimulata; neque αὐτόφωνα dici queunt, quod ea nec ſtatuæ inanimatæ darent, quæ non loquuntur; nec Dæmones in illis abditi, qui non humano more, non voce niſi ficta loquuntur. Sed hominum uerba, dicta, pronunciata, reſponſa

Philo.l. Quod deter. inſid. pot.
Cic.l.Topic.
M.Sen.l. 1. contr.in præf.
Quinct.l.1.in Prooemio.
Merc.Triſmeg.l.de ſap. & pot. Dei.
Cic.de ſomn. Scip.
Lact.l.6. diu. inſt.cap.10.
Macr.l. 1.in ſomn.Scip.c.14
Procop.Gaz.in cap.1.Gen.

Digitized by Google

tam αὐτόφωνα dici poſſunt, quàm quæ maxime, quòd cùm ex animo illo mirabili, & artificioſo corporis ſimulacro fiat unum diuinum animal, ut ueteres loquebantur, eius ſit uere, non ficte, proprie non ſimulate, qui ore ſuo loquitur hominis, & oraculum, & oratio. Quamobrem quis nón videt quantam habeat humana oratio tam excellens uenerationem; quanta religione tractanda; quanta cura polienda, & exornanda, vt quod principio dicebam hominis dignitati reſpondeat, & merito poſsit oraculum αὐτόφωνον 26 appellari? Hanc igitur duarum nobiliſsimarum artium ſapientiæ, & eloquentiæ ſocietatem, ac prope dixerim germanitatem, quibus duæ pariter hominis facultates dignitate præſtantiſsimæ Mens & Lingua uinculis arctiſsimis à Natura colligatæ perpoliuntur; ueteres omnes ſapientes pernouerunt, omni ſtudio ſemper adamarunt, tum uſu, & ſchola coniunctas, ſociatasque tenuerunt. Teſtis eſt huiuſce rei,

Cic. l. 3. de or. conſuetudo Ciceroni probata priſcorum Magiſtrorum, qui iidem erant, & ſapienter ſentiendi, & ornate dicendi doctores.

Plato in Gorgia. Legimus apud Platonem, non de philoſophia ſolum, ſed etiam de ratione diſſerendi atque dicendi fuiſſe diſputationes habitas à Socrate morum magiſtro;

Cic. l. 3. de or. qui quamcumque in partem ſe dabat, cum acumine & ſcientia, tum uero copia & eloquentia facile omnium ſuorum æqualium reperiebatur princeps. Quid Ariſtoteles

Cic. l. 3. de or. ſummo uir ingenio, & ſcientiæ copia? Cum motus eſſet

l. 1. Tuſc. quæſt. Iſocratis Rhetoris gloria diſcipulorum nobilitate floren-

Orat. 9. n. 13. tis, dicere etiam cœpit adoleſcentes docere, & prudẽtiam cum eloquentia; cognitionemque rerum, cum orationis exercitatione coniungere: quem imitatione ſecutus eſt diſcipulus eius Theophraſtus.

Cic l. 2. de Diuin. Grauiter eſt aliquando conqueſtus M. Tullius; ex communi ſapientiæ & eloquentiæ

Cic. l. 3. de or. iugo, quemadmodum ex Apennino fluminum, harum diſciplinarum eſſe facta diuortia; ut ex eodem ludo Socratis loquendi, & cogitandi Magiſtri inter ſe diſsidentes extiterint, quorum alii dicendi doctrinam, intelligendi alii tra-

derent

derent diſciplinam: ex quo diſſidium inutile ac reprehendendum cordis & oris eſt introductum; quod pro ſua virili tollere cupiens iam ſenex, & à foro calamitate temporum excluſus, Ariſtotelis æmulatione permotus quaſi ludum aperuit, in quo maximas è media philoſophia quæſtiones copioſe ornateque ſenili declamatione tractabat. In quam exercitationem ita ſtudioſe dabat operam, vt etiam ſcholas auderet habere more Græcorum. Quid Græci illi ve-
27 tuſtiſſimi, qui fabulis præcepta vitæ texerunt? Quòd ſcelus non ferendum arbitrarentur eas vſu diſiungere, quas Natura manu ſua tam artificioſe vinxiſſet, Palladis, quæ ſapientiæ præeſſe putabatur ſimulacrum, cum Mercurij ſigno, qui Parens ac tutor eloquentiæ credebatur implicabant artificio mirabili, ſic vt vnum fieret ex vtroque; tum vno item nomine è duobus compoſito Hermathenam appellabant; atque in omnibus gymnaſiis, bibliothecis, ſtudiorumque domicilijs ſtatuebant, vt intelligerent Adoleſcentes liberalium artium ſtudioſi, nec ſapientiam indiſertam, nec eloquentiam indoctam eſſe oportere. Quid Ægyptij Sacerdotes, qui multos annos, tum propter ſcientiam indagatione rerum occultarum comparatam; tum propter ſapientiæ gloriam fama collectam ſunt aliarum habiti Magiſtri nationum? Hi Mercurium & ſapientiæ, & eloquentiæ arbitrum, ac Deum prædicabant; ab eodem non modo litteras repertas, & in ordinem redactas; ſed etiam omniũ doctrinarum principia collecta, & multis librorum millibus prodita narrabant: vt mortalibus ſignificarent eam ſocietatem vtriuſque diſciplinæ, quam inuentor ipſe ac parens inſtituerat, eſſe perpetuo retinendam. Quid ſapientes Indorum Brachmanes de hac coniunctione ſenſerunt? Princeps illorum Hiarchas, quem in ſolio reſidentem aureo conuenit Apollonius, atque audiuit de natura, de moribus, ſiderum, dierumque curſu philoſophantem, apud ſe diſputans ſtatuam habebat Tantali viri quondam illuſtris gloria dicendi, propinanti ſimilem, poculum manu tenentem.

Cic.l.1.Tuſc. quæſt.

Cic.l.1.ad Att.ep.3.

Pier.Val.l.33. Hierogl.

Iambl.l.de myſt.Aegypt. cap.1.

Philoſtr.l.3.de vita Apoll.ca. 7.10.

S.Hier.ep. 103.ad Paulinum.

Euſeb. Caſl. adu. Hierocle. confut.3.

tem. In eo iugis aqua mirabiliter ſcaturire, vt in fonte dicebatur; nec vmquam ſcyphi labra ſuperare; qua poti diſcipuli ſe quieti dabant; & ij præterea inde bibere iubebantur, qui Principis in amicitiam recipiebantur. Quid hoc commentum innuebat aliud, niſi ſapientiam, quam tradebat ille clariſſimæ famæ magiſter, eloquentiæ fonte miſcendam? Denique ſidera ipſa coniunctionem hanc vtiliſſimam inſtitutam à Natura tueri putantur; quando ſub Virginis aſtro nati dicuntur ab Aſtrologis, crebro tamen à ſua ſcientia deceptis, eloquentes fore pariter, & ſapientes. Hinc illa perelegantis poetæ Manilij.

Manil. l. 4. aſtron. cap. 1.

At quibus Erigone, duxit naſcentibus æuum,
ora magiſterio, nudoſque coercita virgo
ad ſtudium ducit mores; & pectora doctis
artibus inſtituit: nec tam compendia cenſus,
quàm cauſſas, vireſque dabit perquirere rerum.
Illa decus linguæ faciet, regnumque loquendi,
atque oculos mentis, quæ poſſit cernere cuncta
quamuis occultis naturæ condita cauſſis.

Tot igitur rationum pondere; tot veterum conſuetudine, atque vſu; tam graui Sapientum Græcorum, Aegyptiorũ, 28 Indorum, Latinorum, Philoſophorum, Poetarum, Aſtrologorum auctoritate, ſapientiæ, & eloquentiæ ſocietas cõprobatas, mihi ſuadenti veſtris liberis vtriuſque diſciplinæ ſtudiũ in adoleſcentiæ viriditate, ſuis temporibus eſſe complectendum, non fidem aliquam conciliet? Quibus omnibus momentis ad maiorem fidem faciendam vos quoque poſſem, Auditores, annumerare; partim de facie, partim fama & auditione mihi notos, quibus in hac duplici laude comparanda, nec ingenium voluntati, nec voluntas ingenio videtur defuiſſe. Quod de vobis præcipue, Rectores præclariſſimi, dicere licet, ſine ulla uel mendacij, vel aſſentationis ſuſpicione: cum vos numquam tot honoribus Senatus veſter ampliſſimus ornandos cenſuiſſet: aut ipſi tot magiſtratus, tam amplos, tã laborioſos, cum laude veſtra, veſtrę-

veſtręque Reſp. decorè geſſiſſetis, atque etiamnum gereretis, niſi veſtros animos in adoleſcentiæ vere, ſecuti morem Venetæ nobilitatis, philoſophiæ præceptis imbuiſſetis, & linguam tum arte, tum exercitatione dicendi poliuiſſetis. Laudis huius, quæ micat ex hoc pari ſplendorum, uos etiã participes eſtis, Ciues nobiliſſimi Brixienſes, qui ad Iuris ſcientiam, quam ſapientiæ filiam eſſe viri docti definiunt, eloquentiam adiungitis; & cum hac alias ſapientiæ partes copulatis, atque ac ratione illã amabilem, ac beatam affinitatem retinetis. Cuius rei vos ipſos teſtes eſſe volo, quorũ doctrinæ vbertas, & perpolita dicendi copia, tum coram æquiſſimo Prætore, tum in veſtro conſilio, tum inter vos in pulcherrima Curiæ porticu vobis ipſis ſæpe promitur, & ſpectatur. Quo magis lugenda eſt, & deploranda quorumdam adoleſcentium, qui nunc vos, Viri ornatiſſimi, conſequuntur ætate, ratio vitæ: qui cum veſtra ſequi veſtigia deberent ſignata virtutibus, & eloquentiæ ſapientiæque paſſibus nobilitata, declinant è via recta; vel ſi eandem, quam uos, tenent uiam; ægre tamen vos & lente ſequuntur; & non raro turpiter conſiſtunt; tum interdum ad carceres turpiſſime reuertuntur. Hic autem quem auctorem tanti mali querar? quem deteſter? quem inſecter? Mores ne perditos noſtrorum temporum, an ætatem illam inimicam laboris, lubricam, incertam, & ad vitia facile prolabentem? Ciuitatis ne huius corruptelam, an totius Mundi miſeriam, & morbum accuſem? Originem peſtilentis morbi non comperio, ſed morbum video, teneo, ſentio, cuius ex aſpectu ſenſuque dolorem illum haurio, quem debet is capere, cui ſalus animorum cordi ſit, & carus honos veſtrę Ciuitatis. Itaque non ſemel anno ſuperiore liberis ueſtris, qui ad me audiendum ventitabant, pro meo iure atque munere dixi, vobis extinctis, Viri præſtãtiſſimi, qui eſtis ornamenta veſtræ vrbis, Brixiam ſine ornamento futuram; quòd ipſi communi patriæ nullum uirtutibus ſuis afferre ſtudent ornamentum. Nunc vero quoniam me

com-

commouet huius adoleſcentiæ periculum, & animum officij mei conſcientia ſollicitat, moneo vos, Auditores, ut liberis veſtris conſulatis: deſerunt uos præeuntes in curſu virtutis; voces paternas non exaudiunt; veſtris clamoribus obſurdeſcunt; cohortationes, obiurgationesque ſalutares aſpernantur. O tempora, o mores. Vos in curriculo doctrinæ & eloquentiæ relinquent præuolantes, idque oculis aſpicietis, & æquo animo feretis? veſtras admonitiones, paternasque caſtigationes à beneuolentia profectas contemni uidebitis, & nullam adhibebitis prouiſionem? Conſulite, conſulite parentes liberis, aui nepotibus, ſenes adoleſcentibus: eorum vtilitati, commodis, honori proſpicite: prædico, ante denuncio fore, niſi diligenter prouideatis, vt ex hoc numero neminem habeatis, aut virtutum imitatorem, aut æmulum gloriæ; neminem ueræ nobilitatis, ſed nominis tantum nobilitatis heredem; denique ueſtri ſimilem in doctrinis, & uſu dicendi parem ut habeatis neminē. Vrgete illos, exſtimulate uehementius, quàm feciſtis adhuc; ardentiore, quàm ſoletis, cohortatione ad ſtudia bonarum artium concitate. Calcaribus egent, egent ſtimulis, egent impulſu: nonnumquam eos acrius obiurgate paterno iure; lenitatemque iſtam ueſtram ſeueritate acuite, grauitate interdum indulgentiam temperate. Denique quod caput eſt, in eos ſemper oculos infixos habetote, & mētem intentam; præcauentes ne ab inſtitutis ſtudiis libidine ad uoluptatem, amœnitate urbis ad otium; improborum ſodalium conſuetudine, ad luxuriam, aleam, comeſſationes, intempeſtiuas cœnas, ceteraque uitia reuocentur. Et ne aliquando me tacuiſſe in re tam graui pæniteat, coram uobis iſtos delicatos obiurgabo. Libere id faciam, Auditores, ſed uos Magiſtro ignoſcite, & hanc ueniam tum officio, tum iuſto dolori date. Vos, Adoleſcentes, appello, ſi adeſtis, qui ſtudiis nobili uiro dignis relictis, ac neglectis 30
per agros, & rura tam ſæpe uolitatis; qui per urbem otioſi uagamini, qui in xyſtorum ſubſelliis, ſub hortorum umbraculis

Digitized by Google

culis cum deſidioſiſſimis & inertiſſimis hominibus totos dies conſidetis. Siccine maiorum veſtrorum nobilitati & decori reſpondetis? Siccine ſplendorem eum virtute partum, quem vobis tamquam opulentiſſimam hereditatem reliquerunt, induſtria veſtra conſeruatis? Quo verecundiam ingenuam, virtutum cuſtodem, ornatum vitæ, decus adoleſcentiæ depoſuiſtis, vt vos non pudeat tam frequenter è ludo litterarum, in ludum pilæ; ex eloquentiæ, iuriſue ciuilis ſchola, in talorum & alearum gurguſtia demigrare; de ſapientiæ, virtutisque tabernaculis, transfugere in vmbracula voluptatis? Splendor id veſtræ ciuitatis, honos familiæ, maiorum nobilitas, parentum id virtus, & ætas veſtra depoſcit? Ita ne indulgentia parentum abutimini, quibus eſtis vita cariores; & tot beneficia procreationis, educationis, inſtitutionisque à ſummo amore profecta remuneratis? Vos otio turpiſſimo langueſcetis, illis pro communi tuenda patriæ, familiæque dignitate laborantibus? Vos voluptatibus diffluetis; illis vitam moderatiſſime traducentibus? An non hæc viua, & ſpirantia exempla in veſtros oculos incurrunt? eorum voces, aures veſtras non percellunt, animumque deſidia conſopitum exſuſcitant? hi domeſtici ſtimuli non pungunt, impellunt, cogunt, vt parentes, auos, maioresque veſtros recta virtutis via gradientes inſequamini? Pono modum Auditores, ne veſtras aures diutius clamoribus obtundam: & eò diſputationem reuoco, vnde me parumper dolor abſtraxit. Refutandi reſtant
31 adhuc ſemidocti quidam homines; quorum qui ſapiētiam indiſertam in amoribus habent, inuolant in bona ſapientiæ, cum ei verborum ornamenta diripiunt: qui vero inſipientem eloquentiam perdite amant, irrumpunt in opes eloquentiæ, cum ei ſubtrahunt inſtrumenta doctrinarum: & vtrique neſcii amatores plus amore obſunt, quàm odio nocuiſſent. Quid tandem patroni doctæ ieiunitatis habent quod obijciant? Vociferantur: Non adeo neceſſariam doctrinis eloquentiam eſſe, vt ſi dicendi cultu ſapientia ſpo-

Digitized by Google

lietur, interitura ſit: Sapientes de rebus maximis ac difficillimis non poſſe luculenter & ornate diſſerere: Copiam & ornatum oratorum eſſe, non philoſophorum. Permittite, Brixienſes, hoc loco veſtras aures orationi meæ comiter & officioſe patere, dum hos leuiter eruditos conuinco: concedite quod efflagito, ne cum alijs benignitatis veſtræ fontes aperiatis leuioribus in rebus, mihi riuulos in grauioribus clauſiſſe videamini. Putabam te longiſſima diſputatione conuictum obmutuiſſe, Patrone doctæ ieiunitatis; in qua neceſſariam docuimus eloquentiam ſapienti. Sed vide quàm tecum ſim liberalis. Fac neceſſariam non eſſe. Tu igitur adeo rem ad viuum reſecas, vt non niſi neceſſaria velis in rerum natura? Sordida per te nimis profecto cenſeri debet hominum vita, ſi, ut contendis, noſtra ſtudia neceſſitate tantum, non etiam dignitate atque ornatu dirigantur. Diſce ex me, ſi te fugiebat, ſuum cuique rei ornatum eſſe, veſtibus, menſis, tectis, non tantum artibus & doctrinis. Diſce de ſapientiæ theſauris multa ſæpe ſua ſponte ſqualidiora occurrere; quibus explicandis eſt adhibendus orationis nitor, multa tenuia, quæ fiunt eloquentiæ copijs magnificentiora; multa horrida, quæ orationis ornatu redduntur illuſtria; nonnulla etiam infirma, quæ neruis eloquentię corroborata, ſapientiæ tuentur dignitatem, quam ipſa vix poſſet, immo omnino non poſſet, armis eloquentiæ nudata retinere. Nam in eo, quod ſecundo loco obijcis, Non poſſe grauibus de rebus ornate dicere ſapientem; plane aberras à vera ſapientia. Tuis viribus aliorum ingenia metiris: ignoras quàm multi ad id ſunt apti atque nati, vel induſtria perfecerunt vt viderentur, quos neque legiſſe, neque obſeruaſſe te demonſtras. O impudentiam non ferendam. Sapientiam verborum optimorum legibus aſtrictam teneri non patiuntur iſti; qui eandem mancipant inquinatiſſimo generi locutionis: & dum eos qui nacti naturam & ingenium præclarum, in ornanda ſapientia locutione cultiore, multum operæ, ſtudiique collocant, derident;

per-

perſpicue declarant, non tam exiſtimare ſe paucos aptos
reperiri ad hoc munus difficile verborum elegantiam con
iungendi,cum acumine intelligendi; quàm timere vt ne
multi reperiantur idonei, per quos ipſorum inſulſitas ma-
nifeſto deprehendatur. Denique dum monſtris quibuſ-
dam, ac portentis verborum ita miſerabiliter ſeruiunt, vt
præterea nihil aut intelligant,aut loquantur; & ſine his om
nem rerum ſcientiam interituram putent; demonſtrant,
non tam id agere ſe, vt ſapientia retineat libertatem, am-
plitudinem,ac maieſtatem ſuam; quàm ut ab elegantia lo-
quendi, à qua ipſi longe abſunt, auülſa atque diſtracta, cor-
ruptiſſimo, ſordidiſſimo, & portentoſiſſimo quodam gene-
re ſermonis inquinetur; eique Regina rerum humanarũ,
miſerabilem in modum ſeruire cogatur. Cum vero dicunt
32 ornate loqui non eſſe philoſophorum,ſed oratorum;oſten
dunt ſe M. Tullium magiſtrum & exemplar oratorum,
minime legiſſe, qui toties enumerat doctrinas pæne om- *Cic.l.3.de or.*
nes,quas oratori neceſſarias exiſtimat, & libere profitetur
ſe non eum impedire, qui ſuo illi docto atque erudito ora-
tori, philoſophi nomen impertiat. Sed quid ego tempus
tero? Non iſtos obruit auctoritas eorum philoſophorum,
ac ſapientum,qui ſæculis omnibus,tum in Græcia,quæ diu
doctrinæ ſolidæ parens, & eloquentiæ nutrix eſt habita;
tum in Romana Republica, ſtudium eloquentiæ mirabi-
lem in modum adamarunt, & cum ſapientia coniunxe-
runt? Quantus in doctrinis Plato,quem Cicero Deum,
parentem, magiſtrum exiſtimat philoſophiæ, ceteriſque
philoſophis ut principem anteponit; quem antiquitas cũ-
cta ſuſpexit? At hic tantam ſtudio ſibi comparauit vberta-
tem eloquentiæ, ut eam cum priſcis philoſophis Cicero
Iouis lingua dignam cenſuerit, ſi Græce fuiſſet locuturus. *Cic.l.de cl.or.*
Quinctilianus autem in eo diuinam quandam, & Home-
ricam eloquendi facultatem aſſurgere miratur,vt non ho- *Quin.l.10.c.1.*
minis ingenio, ſed oraculo Delphico inſtinctus uideatur.
Ariſtotelem vero,quem iam ſcholæ omnes, & nationes in

philoſophia Platoni Magiſtro ſine vlla controuerſia præ-
ferunt;& ignari Græcæ linguæ neſcioqui vt ſiccum,obſcu-
Cic.l 2. Acad. l.de orat. l.Topic. l 2.de Diuin. rum,& ieiunum criminantur: M. Tullius modo flumen
aureum, vt audiuiſtis, orationis effundere; modo Iſocratē
ornatu laceſſiuiſſe; modo dicendi copiam, & ſuauitatem
incredibilem habere:modo ſubtilitate, & copia præcellen-
tem prædicat. Eumdem Quinctilianus dubitat, ſcientia
Quin.l.10.c.1. rerum,an ſcriptorum copia,an eloquendi ſuauitate, an in-
uentionum acumine, an varietate operum clariorem pu-
tet. Mitto Xenophontem philoſophum clariſſimum, ma-
Cic.l.de orat. gni Platonis æmulum, & tempore æqualem; cuius ex ore
Diog.laer.l.2. in Xenoph. cum oratio ſuauiſsima melle dulcior flueret, conſecutus
Quin.l.10.c.1. erat vt ab omnibus Attica Muſa vocaretur;& alteram Pi-
tho ſeſſitantem in labris habere putaretur. Prætereo Theo-
Orat.15.n.24. phraſtum Ariſtotelis auditorem, Magiſtroque propter in-
genium doctrinamque cariſsimum, quem eloquentia pri-
mum de Tyrtamo fecit Euphraſtum; deinde, Ariſtotele
nominis auctore, diuinus eloquendi nitor in Theophraſtū
commutauit. Carneadem ex Academia recentiore philo-
Orat.3.n.15. ſophum præſtantiſsimum prætermittere non debeo; quē
Athenienſium legatum diuina quadam ingenii celerita-
te,copiaque dicendi florentem ac redundantem admirata
Romana iuentus, ad eum audiendum in hoſpitio diſputā-
tem concurſu facto certatim confluebat; cuius uis & per-
ſuaſio quæcumque optauit, ac petijt ab Senatu Romano,
pro patria,omnia liberaliter impetrauit: cuius denique ar-
Plin.l.7.c.30. tes oratorias Cato ſenior adeo pertimuit Reip. vt acceptis
à Senatu reſponſis, quamprimum in Græciam remitti ac
renauigare curauerit. Et erunt vecordes quidam homines,
infantis ſapientiæ pertinaces amatores, qui ſapientiæ de-
trahant ornatam eloquentiam, cum videant à philoſophię
principibus adamatam, excultam, & adeo quæſitam dili-
genter? Verum hos vel noſtra medicina ſanatos, ſi ſapiunt; 33
vel certe, ſi deſipiunt, obſtinatione uehementius obdura-
tos relinquamus; & eos audiamus qui contra, pari mentis
et-

errore cæcati, copiam dicendi ſe colere, ac tueri profiten-tur, inſipientem tamen & indoctam; atque exinanientes eloquentiam ſapientiæ diuitiis, eas noua fraude diſſociant. Rhetoricis, inquiunt, præceptis duntaxat fieri cumulate poſſumus eloquentes. Horum ignorantiam, Auditores, quam nondum eluere potuit unda diſputationis meæ, deleat ille, qui principatum inter Rhetores, Regnum inter oratores tenuit M. Tullius. Hic non dubitauit aſſerere, *Neminem eloquentia, non modo ſine dicendi doctrina, ſed ne ſine omni quidem ſapientia florere vnquam, & præſtare potuiſſe*: uos Cicerone philoſophorum ſtudioſiſsimo doctiores, uos oratorum Rege dicendi peritiores, è veſtro ſenſu, nullius auctoritate, pauculis verbis, arroganti ſupercilio, de repente Sapientiæ tuliſtis proſcriptionem? Ille definit, longa præmiſſa diſputatione, Compoſite & apte ſine ſententiis dicere inſaniam eſſe: vos omnium magiſtro ſapientiores, doctrinis ab eloquentiæ complexu reuulſis, erepta illi ſapientiæ ſanitate, facti eſtis, pro eloquẽtia, perditi amatores inſaniæ? Vbicumque diſſerit ille de arte dicendi, paſſim omnes artes ingenuas, omnium doctrinarum ſcientiã, omnes philoſophiæ partes, cunctam denique ſapientiam in oratore ſuo, quem eloquentiſsimum inſtituit, exoptat: uos acutiores Rhetores, & melioribus, quàm ille præceptionibus eruditi, doctrinam, artem, ſapientiam nullam probatis, ſed contemnitis, eripitis, ablegatis vniuerſam? O cæcitatem miſerandam! Eloquentiſſimorum quorumque uſus, qui doctrinis ſtuduerunt, qui philoſophos audiuerunt, qui ſubſidium à ſapientia petiuerunt, qui ſibi litteris ac philoſophia dicendi copiam auctam, expolitam, corroboratam ſunt confeſsi, non uobis aliquid lucis ad ueritatem intuendam impertiatur? Socrates apud Platonem & item M. Tullius, ideo Periclem Athenienſium principem affirmant omnibus aliis dicendi gloria præſtitiſſe tanta, vt in labris leporem habere; in auditoribus aculeos relinquere, fulgurare, tonare, Græciam permiſcere diceretur;

Cic l. 2. de or.

Cic. l. de orat.

Plato in Phædro Idẽ in Alcib primo. Cic. l. de cl. or. & l. 3. de orat. & l. de orat. Quin. l. 12. c. 2.

tur; quod doctorem nactus, non declamatorem aliquem
latrãtem ad clepſydram,ſed Anaxagoram Clazomenium,
in maximarum rerum ſcientia ſummum, ab eo diligenter
omnem naturæ ſubtilitatem cognouiſſet,& tantum dein-
de,quantum erat opus; ad benedicendi ſtudium tranſtu-
liſſet. Quo lacte ac ſucco Demoſthenes adoleſcens ſuam
orationem aluit,niſi doctrinarum? Quo ex armamentario
ſua tela deprompſit,niſi ex Academia? Vbi mucronem
exacuit linguæ,niſi in libris philoſophorum? cum alios phi
loſophos,tum diligentius Platonem eo tẽpore principẽ phi
loſophorũ audiuit,lectitauit,expreſſit. De M. Tullio quid 34
noui dicam? Græcia luſtrata, peragrata Aſia,iuriſconſulti
ac philoſophi auditi,libri de philoſophia conſcripti,Plato-
nis operum interpretatio, philoſophi Græci cognomen illi
Romæ impoſitum, orationes doctrinarum omnium flori-
bus reſperſæ,ingenua ipſius confeſſio,ſatis ſuperque decla-
rant,quantum vbertatis,ornamentorum, copiæ, virium à
philoſophiæ ſtudio, quod à prima adoleſcentia cultum, &
numquam intermiſſum,ſemper auxerat,& crebro renoua-
uerat,ad dicendum accepiſſet. Non hi tres maximi orato-
res Pericles, Demoſthenes, Cicero ſatis erunt exemplo
ſuo,Brixienſes, ad iſtos pertinaces indoctæ copiæ defenſo-
res conuincendos? Num exſpectant vt etiam Piſiſtratum,
Alcibiadem,Critiam,Iſocratem,Hyperidem proferam te-
ſtes, quorum eloquentiam inſtructam litteris, doctrinis
expolitam, philoſophiæ ſanguine perfuſam, vel Socraticæ,
uel Platonicæ diſputationes imbuerunt? Num denique
ab ipſamet eloquentia,ſuam cauſſam agente,ſuas iniurias
perſequente,redargui cupiunt,atque refutari? Quæ ſi hic
adeſſe poſſet in humana forma,non illa quidem pro digni-
tate ſuæ perſonæ;ſed tamen pro indignitate rei, ita ſcilicet
indignata loqueretur. Vos adeo me crudeliter, atque in-
humane tractatis, vt ſapientiam cariſſimam parentem è
complexu meo rapiatis? Ita ne iniurioſi eſtis in eam quæ
lacte verborum ſolet eſſe nutrix infantiæ veſtræ; quæ uos
pueros

Cic l. 1. offic. l. de cl. or. l. de or. Quin l. 12. c. 2. Agell. l. 3. c. 13. Laer. l. 3. in Plat. Apul. Apol. 1. Lucian. in Demoſth Cic. l. de cl. or. Quin. l. 10. c. 5. & 12. cap. 2. Dial. de orat. Plut. in Cicer. Macr. l. 1. Saturn. cap. 24.

Cic. l. 3. de or. Laer. l. 3. in Plat. Plut. l. de x. or.

Digitized by Google

pueros alit copia, quæ paſcit & educat ornamentis adoleſcentes; quæ iuuenes, viros, ſenes gloria decorat, vt ex eius pectore cor, mentem, vitam extirpetis? Me miſeram! Qualis ero ſine philoſophia, niſi excors, amens, exanimis? Qualis ſine doctrinarum carne ac ſanguine, niſi languido, extenuato, & contabeſcenti corpori ſimilis? Qualis artiũ liberalium copiis exhauſta, niſi pauper, inops, & prudentibus omnibus ludibrio? Potero vobis exſanguis, infirma ac pæne exanimata prodeſſe? Vobiſcum eſſe nequeo ſine ſocia: uos deſeram indiſertos, elingues, infantes; ſi mihi doctrinarum ſcientiam meum robur, meam animam, meam ſalutem, per vim extorqueatis è corpore. Nolite vos tanto ſcelere obſtringere, vt nos ſeparetis, quas Natura iuſsit eſſe coniunctas. Date ieiunitati cibum, ſiccitati ſuccum, infantiæ nutrimentum, copias paupertati: reddite filiæ matrem, fluuio fontem, cor pectori, corpori mentem. Si de ſuis iniuriis, & contumeliis queribunda voce ſic eloquentia expoſtularet, & quereretur, Brixienſes, nonne aperiret aliquando tandem oculos iſtis hoſtibus tam fructuoſæ ſocietatis harum duarum artium? non errorem eijceret? non perſuaderet? Præſertim ſi rationum momentis, & exemplorum
35 incitamentis adderet ſummos Chriſtianorum Magiſtros ac Doctores ad maiorem fidem faciendam, qui tam ſalutarem ingeniis noſtris, & Religioni Chriſtianæ coniunctionem, tum ſcriptis, tum uoce mordicus defenderunt. Tales inter alios multos Hieronymus, & Auguſtinus duo clariſsima Latinæ Eccleſiæ lumina: tales Baſilius, & Gregorius Nazianzenus duo ſimiles Eccleſiæ Græcæ ſplendores. Quorum poſtremus multos annos cum Baſilio ſtudiorum omnium & conſiliorũ ſocio, humanæ diuinæq; ſapientiæ ſtuduit Athenis; tum, vt ipſe de ſe confitetur, inflammatus eloquentiæ perpoliendæ cupiditate, totam Palæſtinam peragrauit, & pedem fixit in optimis quibuſq; ſcholis eius prouinciæ tunc ad eloquentiæ gloriam effloreſcentis. Quibus ſtudiis conſecutus eſt, vt propter doctrinæ ma-

Greg. presb. in vita Nazianz.
S. Greg. Naz. orat. in fun. Cæſarij.

gnitudinem

gnitudinem Theologi cognomento cohoneſtaretur: & ob eloquentiæ numeris omnibus abſolutæ perfectionem, uniuerſa Conſtantinopolitana ciuitas admirata copiam, ſuauitate capta, ſplendore hilarata, ab eius concionantis ore,quaſi vi magnetis tracta,retenta, ſtupefacta penderet. En igitur, Auditores, quàm præclare gentium omnium conſuetudine,ſæculorum cunctorum conſenſione,ſapientum teſtimoniis,eloquentium auctoritate,ſanctiſsimorum quoque uirorum exemplis arctiſsima ſapientiæ & eloquẽtiæ ſocietas comprobetur; quàm manifeſte confutetur error illorum, qui deflectentes à rectæ rationis uia diſſociatis illis, Mentis & Linguæ diſsidium intulerunt. Quamobrem non uos diutius demorabor; & ad liberos ueſtros orationem cum ueſtra bona uenia conuertam mitiorem. Hortabor cunctos ad hæc utraque ſtudia,& eos pręſertim, qui ad nos audiendos uentitabant: iuuabo, inſtabo,urgebo,conſilio,uoce,exemplo. Scio enim vt in bellorum congreſsibus ſono tubæ generoſos equos ad prælium; ſic ad ſtudia voce præceptoris adoleſcentes ingenuos incitari; & quamuis ſtrenuis veteranis militibus virtutem Imperatoris verba non addant;tironibus tamen, Ducum orationes proſunt; & tum maxime concipiunt ſpiritus, cum uident Ducem præcurrentem. Vos igitur Brixienſes Adoleſcentes alloquor,qui ſcholas noſtras antegreſsis annis frequentauiſtis. Gratulor primum vobis, vehementerque lætor ueſtri gratia, nobis à Deo conceſſum eſſe,vt in hoc Gymnaſio Philoſophia & Eloquentia conſpirent amiciſsime: uobis vero tributum eſſe, ut ex eodem fonte, uerborum, ac rerum doctrinam hauriatis:atque à noſtris præceptoribus humaniores artes,linguam Latinam, & Gręcam,poeſim, hiſtoriam,artem oratoriam, dialecticam, & philoſophiam naturalem Sapientiæ partes poſsitis accipere. Magnam deinde lętitiam uobiſcum ipſi concipere debetis,ex huius philoſophię in veſtram vrbem aduentu, uel potius reditu. Nam ſi Zeno, Stoicorum poſtea Dux; cum eum tem-

S. Greg. Naz. orat. 12. quæ eſt 2. de ſeipſo.

36

tempeſtas maris ad eas oras eieciſſet: vbi philoſophiam cognouit habere domicilium; lætitia geſtiens exclamauit, tum ſe feliciter nauigaſſe, cum naufragus ad ſcopulos appuliſſet: ſtatuat quiſque veſtrum, quo gaudio exultare debeatis, qui ſine longæ nauigationis labore, ſine iacturæ metu, ſine naufragij periculo philoſophiæ ſedes in patrijs ſedibus inuenitis; & quæ ſexto ante anno hinc ſoluerat, vobis ægro ferentibus, eandem ad vos hoc anno renauigaſſe videtis. Qui quidem annus carior vobis eſſe debet, ac iucundior, quàm omnes ſuperiores; quod illis vel nudam philoſophiã, & incomitatam habuiſtis, vel eloquentiæ ſtudia ſine philoſophiæ comitatu vidiſtis: hoc vero, dicendi ſtudio iunctam dialecticam habetis; qua ianua patefacta, ſequentibus annis, naturalis ipſa Philoſophia procedet explicanda. Quare cum illud ſit maximum hominis ornamentum, quod paucis Lucretius comprehendit

Plut.l.de exſil. Laer.l.7.in Zenone.

Lucr.l.2.

Et ſapere, & doctis rationem reddere dictis:

Cum item è Philonis eruditiſſimi philoſophi, quem lingua Platonis locutum ferunt, decretis, hominis perfectio poſita videatur in eo, vt quæ ſunt optima, inuentione ſincera excogitare, tum excogitata, culta copioſaque elocutione poſſit enunciare; duo hæc vobis opto pro mea in uos bene-
6 uolentia: quæ ipſæ quoque nutrices à Natura doctæ ſuis alumnis à Deo ſummis precibus efflagitant, votiſque precantur. Itaque de me, qui multos veſtrum rhetoricorum præceptorum lacte tamquam nutrix pauerim, quiſpiam vere dicere poſſet illud, inſtitutis Philoſophiæ ſatis eruditi poetæ,

Philo.l. de migrat. Abrahæ.

Hor.l.1.epiſt. ad Tibul.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
quàm ſapere, & fari vt poſſit, quid ſentiat?

Vt ſapiatis, vt eloquamini quæ ſapitis exopto vehementer Adoleſcentes. Cupio vt qui Rhetoricæ præceptionibus imbuti eſtis, ad philoſophiæ ſtudium vos conferatis, quo locupletetis eloquentiam, & ex eo fonte copiam hauriatis; & ſibi quiſque dictum putet,

Digitized by Google

Petr. Arb. in fragm.

His animum ſuccinge bonis, ſic flumine largo
Plenus pierio diffundes pectore verba.

Qui philoſophia iam ſunt inſtructi, ſi qui ſunt, quærant ſibi ornamenta dicendi: qui ſunt rudes adhuc in vtroque genere, vtrique diſciplinæ gradatim operam impendant: & hæc decora pacis, belli præſidia, legum arma, armorum ornamenta, nutrimenta iuuentutis, ſenectutis oblectamenta toto pectore complectantur. Claudite, nobiles Ado- 37
leſcentes, claudite diligenter aures illorum vocibus, qui vos ab hac ſtudiorum ſocietate deterrent: nobis adiungite vos ſocios honeſtiſſimorum laborum; quos viciſſim ſocios, miniſtros, adiutores eſtis habituri. Molles illos, & voluptarios diſcendi labor deterreat: vos fortes, & temperatos ſapientiæ amor extimulet. Illos otioſos difficultatis metus exanimet: vos induſtrios ſcientiæ difficultas exacuat. Illis oſcitantibus oculos lumen Philoſophiæ præſtinguat: vobis vigilantibus ingenium doctrinæ ſplendor accendat. Illi ſint moribus, & lingua ſemper infantiſſimi; vos iſtam ætatẽ anteuertentes euadite oratores eloquentiſſimi. Nam laborem, quem multi uerbis amplificant, diſcendi voluptas leuat, & frugum meſsis ampliſsima compenſat. Non ſunt vobis immenſa maris ſpatia transmittenda, non periculoſa freta, non ſcopuli, non voragines tranſeundæ: non luctandum cum ventis & tempeſtatibus, non extimeſcendi piratæ, non denique fortunarum ueſtrarum iactura naufragiumque faciendum, quod Zenoni ſcitis contigiſſe. Quæquidem omnia pericula, & damna ſi vobis eſſent adeunda, iure aliquo laborem hunc recuſare ac refugere poſſetis; cum vero nihil, ne patria quidam ipſa, ſit vobis relinquendum, quid eſt quod poſſit vos à tam præclaro ſtudio iure ullo retardare? Si deinde ad harum Alpium aſperrima iuga, quæ veſtræ imminent urbi, quotidie cauſſa diſcendi curſim eſſetis perrecturi; ſi generoſi eſſetis, hunc arduum aſcenſum minime reformidandum: hunc itineris laborem haudquaquam refugiendum putaretis:

nunc

nunc autem cum ad Alpium radices, intra mœnia patriæ, veſtrarum ædium ante ianuam, uideatis Philoſophiam, & Eloquentiam conſtitiſſe; nec periculoſis, nec infeſtis, nec laborioſis itineribus vos committere ſit neceſſe; cur non alacriter hoc ſuaue diſcendi iugum ſubibitis; & quam diligentiſsime fertiles ingeniorum ueſtrorum agros excoletis? Et quamquam à parentibus ueſtris hæc documenta uos aſsidue audire, & accipere confido; tamen conducere ſum arbitratus talibus aures veſtras uocibus undique circumſonare; nec eas, ſi fieri poſsit, quidquam aliud audire hac ætate, in qua tamquam in herba fructus uberes pollicemini. Qui cum ab omnibus adoleſcentibus reddendi ſunt honeſtam uitæ uiam ingreſsis, tamen haud ſcio an ab ullis potius, quàm à vobis Brixienſes. Suſtinetis enim non paruam exſpectationem induſtrię parentum, auorum, maiorumque ueſtrorum imitandæ, quos nominatim laudarem, niſi nota uirtus eſſet mortuorum, & uiuorum laudes pudor eorum repudiaret: qui uos iiſdem, quibus ego, uocibus tacite cohortantur, & paterno iure admonent, ne negligentia ueſtra, nota ulla dedecoris, & uobis, & nobis inuratur. Suſcepiſtis, inquiunt parentes ueſtri, graue onus ſcholarum harum, & præceptorum; ad quos cum tamquam ad mercaturam pretioſarum mercium latinitatis, eloquentiæ, & Logicæ uentitetis, inanes redire turpiſsimum eſt, loci huius auctoritatem, & magiſtrorum dedecorantes. Veſtrum eſt præterea ne nobilitatis noſtræ ſplendor iniuria temporum extinguatur; uirtutis doctrinarumque luce ſubinde prouidere. Alite, dicunt, alite Philoſophiæ pabulo, per ſe macram eloquentiam; armate ſapientiam ſuapte natura nudam, eloquentiæ præſidiis: complete uerba rerum opibus; luce uerborum res accendite: curate denique ut hoc uirtutum par efficiat uos eloquentiſsimos ſapientes, & ſapientiſsimos eloquentes. His igitur, Adoleſcentes optimi, paternis uocibus expercti, quantum conniti animo poteſtis, quan-

Digitized by Google

tum labore contendere, tantum facite ut efficiatis: ne uo committatis, ut cum omnia ſint adiumenta, pręſidia, inſtrumentaque diſcendi, à Deo immortali donata uobis, à Natura ſubminiſtrata, à parentibus oblata, & à nobis utcumque ſuppeditata, uobismetipſi uideamini, & nobis, & parentibus, & Naturæ, & Deo Optimo Maximo defuiſſe.

AD

AD

IOANNEM DELPHINVM

EPISCOPVM BRIXIÆ

GRATVLATIO.

Oratio XI.

1 VTrum maiorem lætitiæ voluptatem ex aduentu tuo in hanc Vrbem nuperrime tuæ ſapientiæ, fidei, curæque paſtorali commiſſam ciues Brixienſes ceperint; an Nos ex optatiſſimo hoc atque honorificentiſſimo ad noſtrum Collegium inuiſendum acceſſu, iure poſſes
2 optimo dubitare, Præſtantiſſime Antiſtes. Nam quàm magno tum illi gaudio complerentur, ex communi totius Ciuitatis lætitia cognouiſti, patefacta publicis orationibus, declarata omnium ordinum concurſu, teſtata priuatorum gratulationibus: & animos inſolita alacritate prope geſtiẽtes in vultu, fronte, oculis eorum, qui læti atque hilares ſingulis diebus, & horis ad te inuiſendum, ſalutandumque conuolabant, expreſſos ſæpe vidiſti. Nos vero nullam, neque pompæ ſpecie, neque apparatu viſendo, neque alio gratulationis argumento concepti gaudii ſignificationem damus; ſed illud incluſum pectoribus continemus, eoque abdito in animorum receſſibus taciti nobiſcum ipſi perfruimur. Atqui ſi rem ſcrutari voles accuratius; ſi diligentius ponderare momenta beneficiorum, quibus tibi ſumus obligati, obſtricti, mancipati; ſi ſpectare quantum nos, quãtum illi tibi debebant, noſtram lætitiam illorum gaudio nimirum anteponendam putabis. Quid enim antequam Epiſcopus Ciuitatis Brixianæ creareris, acceperant à te Ciues Brixienſes? Huc ad eos virtutum tuarum fama peruenerat; quæ cum Italiam peruagata emerſiſſet ex Italia; cũ

Alpium vallum tranſgreſſa per exteras Gentes peruaſiſſet, non potuit ad huius Ciuitatis aures non celeriter permanare. Sciebant quo nobilitatis genere clarus; quanta prudentia rerum gerendarum inſtructus; quàm ſapientiæ cuiuſcumque generis plenus eſſes: arbitrabantur te vnum ex illis Epiſcopis eſſe, in quibus pontificiarum virtutum omnia inſigniter eminent ornamenta. Quibus rebus, quæ ſolent admirationem, beneuolentiam, ſtudium aduerſus eos, qui laudantur voce publica, in cunctis mortalibus excitare, permoti ac prouocati te ſuſpiciebant abſentem, 1
amabant, venerabantur; tametſi nihil accepiſſent publice (niſi fallor) quo multum tibi deberent, quòd non voluntas ad benemerendum de omnibus parata ſemper, ſed occaſio defuiſſet. Quamobrem non tot occaſiones Brixiani Ciues habuerunt accipiendi beneficii, quot à te nos accepimus beneficia. Nouimus Illuſtriſſime Epiſcope, noui- 2
mus nos omnes, quibus beneficorum hominum amor, ſtudia, liberalitas erga ſodalitatem noſtram quotannis per litteras ſignificatur: vt nomen & memoriam eorum, qui de nobis benemerentur, vbique gentium & gratis animis colamus, & diutiſſime conſeruemus; quo ſemper fueris animo, quàm beneuolo in huius minimæ ſocietatis noſtræ dignitatem & commoda: quibus beneficiis eam auxeris in Auſtria, & in Bohemia, quo tempore honeſtiſſima legatione Nuncius Apoſtolicus fungebaris; & maximorum Pontificum Pij V. demortui, atq; Gregorii XIII. viuentis apud Chriſtianorum Imperatores negotia gerebas. Intelleximus te auctore, ac ſuaſore noſtris ſocijs eſſe Collegia exædificata dotataque in illis Ciuitatibus vbi Catholica Religio vehementius oppugnatur. Scimus quàm acer, conſtans, & perpetuus fueris noſtrarum partium, nominis, innocentiæ defenſor, propugnator, ac Parens Ordinis noſtri, ſic, vt in Germaniam à Summis Pontificibus non ad iura pontificia tuenda miſſus; non ad explicandos difficiles de Religione nodos: non ad negotia illa grauiſſima, quæ tra-

ctabas

ctabas cum Principibus totius Germaniæ tranſigenda; ſed ad ſocietatem Ieſu defendendam, decorandam, augendam legatus viderere. Quæ prætereà ſit opinio tua de nobis planè coniecimus; cui faxit Deus vt rectè facta reſpondeant. Circumſonant aures noſtræ continenter honorificis & verbis, & ſententiis, quibus apud Ciues Brixienſes noſtram dignitatem auges: quam quibuſcumque potes rationibus vſque eò amplificas, vt eam ipſimet tenuitatis noſtræ conſcij, multo minorem opinione atque oratione tua ſentiamus. Hæc & alia multa tenebamus non argumenta, ſed pignora Benignitatis tuæ; non indicia Beneuolentiæ, ſed beneficia Magnificentiæ, quibus merito lætaremur, & gaudentes nobis, gratulantes Tibi & Ciuitati, Deo gratias
3 agentes taciti pæne triumpharemus. Neque vero quiſpiam arbitretur nos alios eſſe atque eos, quos in Germania noueras, fouebas, tuebaris: nam ſiue in Auſtria, Bohemia, Sarmatia viuamus; ſiue in aliqua Indiæ barbaria peregrinemur; ſiue in Italiæ ſplendore verſemur, ijdem ſumus: & ea beneficia quæ noſtris ſodalibus in Africa, vel in remotiore orbis terrarum ora commorantibus tribuuntur, nobis donari ducimus; vt illi viciſſim ſua putant eſſe, quæ in nobis Europam habitantibus collocantur. Itaque quod vni è numero noſtrorum impendiſti, tibi referunt acceptum vniuerſi; quod vni collegio, id omnia collegia ſigillatim datum ſibi, atque donatum putant. Longe perfectius quàm in Pythagoræ cœnobiis ſunt omnia nobis communia: & in primis virorum optimorum tui ſimilium benefacta: neque nos tantum maris tractus, terrarumque ſpatia disiungunt, quantum coniungit vis diuina charitatis: neq; tam natali ſolo diſtinguimur, quàm communione rerum omnium copulamur: neque demum tam linguarum varietate diſſimiles ſumus, quàm ad acceptorum beneficiorũ recolendam, conſeruandamque memoriam ſimillima mẽte concordes. His ergo datis & acceptis obſidibus, Vir ampliſſime, quid à te hoc tempore, ac deinceps cogimur expectare?

Cic.l.1. de leg. Laert.l. 8. in Pyth. Agell.l.1.c.9.

Digitized by Google

ſpectare? Si multa, ſi magna, ſi non vulgaria contuliſti in
nos extra patriam, & Italiam poſitus beneficia; quid es in
poſterum in tua pæne patria facturus? Si tum, cum Romani
Pontificis iura parteſque tuebaris, dies noctéſque de
nobis augendis ornandiſque cogitabas: quid nunc facies,
cum tui Pontificatus Epiſcopum te tantum cura ſolicitat?
Nihil non ſperamus te promittere: præſidia omnia, auxilia,
& adiumenta, quæ par ſit à te proficiſci, nobis ipſi te iubente,
pollicemur, & iam manibus propemodum comprehenſa
tenemus; quandoquidem uis eſſe de ſocietate noſtra nõ
bene meritus, ſed diuinitus. Quod quàm verum ſit iam
nunc cernimus oculis, in hoc ipſo beneficio quod hodier- 4
na die noſtro ordini vniuerſo, atque huic Collegio nihil de
te benemerito, es impartitus. Quàm illuſtre, Deus immortalis,
ad ſplendorem noſtrum! quàm opportunum conatibus
noſtrorum Magiſtrorum adiuuandis in educatione
Brixianæ iuuentutis? quàm inſigne ad tuam beneuolẽtiam
declarandam? Vere nomini tuo reſpondiſti, Ioãnes, quod

S. Hier. l. 3. cõm. in Matt. cap. 16.

ex interpretatione doctiſſimi ſanctiſsimique viri Hieronymi,
donum illud ſignificat diuinum, quo fidelium proborumque
hominum animi quaſi inaurati Deo placent:
quodque quia gratis ab eo nullis mortalium prævertentibus
meritis datur, aptiſſime Gratia nominatur. Quòd huc
ad nos cohoneſtandos nullis noſtris meritis prouocatus,
nullis inuitatus donis, nulla ſpe commodorũ tractus, ſed

Mart. l. 1. Epigr.

Manil. l. 1. Aſtr.

Plut. l. de Ani. induſtria.

Plin. l 9 c 8.

Plin. l. 9. ep. 33. ad Canin.

Pier. Val. l. 27. Hieroglyph.

Ael. l. 8. de Animal. cap. 3. l. 6. 15.

gratuito tantum impulſus amore veniſti, tuo nomini mirabiliter
laudabiliterque reſpondiſti. Dicam & cognomini
idem pariter monenti paruiſti vetus Delphinus Rationis
compos, non Phœbo, ſed Deo ſacer: *Oceani cælique Decus.*
Non ille Rex piſciũ beneficiis captus, non delinitus eſca, nõ
educatione manſuefactus, ſed gratis amat homines inſtinctu
Naturæ, quo fit ut humanæ voci feſtinus obſequatur; à
fluctibus ſeruet naufragos; tranquillo mari dorſo vectet
cupidos ſpatiandi; mortuis amicis commoriatur in litore,
ſic vt merito pro gratuiti Amoris argumento pingatur.

Nullis tu quoque ante hac neque beneficijs Collegij huius illectus, neque officijs cultus, neque præclara lætitiæ ſignificatione exceptus gratuitam tuam beneuolentiam ad nos hodierna die, cum tua dignitate, cum comitatu nobiliſſimo, & quod eſt ſummum, cum te ipſo detuliſti. O ſingulare amoris ſummi argumentum. Hac præſentiæ tuæ luce caliginem ac tenebras erroris ex eorum animis diſpuliſti, qui paſſim exſultantes vocem illam ſpargebant in vulgus, mortuo Dominico Bollano, qui te in Pontificatu, maximum ſui deſiderium relinquens, anteceſſit; nos eſſe derelictos, nos deſertos, nos amplius nullum habituros patronum, qui noſtra dicta factaque tueatur. Cogis iſtos maledicos homines è vulgo, teſtimonio tuo, iudicioque honorifico, quod hodie tuliſti de nobis; obmuteſcere. Tacendo ſatis loqueris; & aperte declaras, quid de familia noſtra ſentias, & ciuibus Brixienſibus præſcribas ſentiendum: quæ Patronum vere non amiſit, ſed mutauit; habitura prætera te Patrem amantiſſimum Collegij, te ſcholarum fautorem ſtudioſiſſimum; te vindicem acerrimum noſtræ di-
5 gnitatis; illum in cælo, te in terris defenſorem. Et quamquam aliqua tibi cura tutelaque omnium Ordinum, religioſarumque familiarum, quæ ſtrenue ſuam operam Epiſcopis in vinea Domini laborantibus præſtant, commiſſa eſt in hac Ciuitate, vbi Paſtor es omnium, cærimoniarum Antiſtes, ſacrorum Princeps, Cuſtos Religionis: neſcio tamen an vlla tibi magis in poſterum debeat eſſe cordi, quã noſtra. Superant illæ quidem antiquitate, meritis, dignitate mediocritatem noſtram: ſed tu fidem tuam tot pignoribus nobis obligaſti; tot rationibus iampridem oppigneraſti, vt nos iure nullo poſſis à tuis cogitationibus curis, & vigilijs excludere. Noſti deinde qui, & quales ſimus iam inde à multis annis: vides intimos animi noſtri ſenſus. cernis quid ſpectemus in hac miſera, mortalique vita laboribus conſiliiſque noſtris, & hac præſertim accurata pertinacique aſſiduitate docendæ iuuentutis: proinde potes tu-

to, ſine vllo erroris metu, ſine conſcientiæ ſtimulis, quemadmodum in Germania calumnias inuidorum, maledicorum morſus, hæreticorum incurſus à nobis ſæpenumero propulſaſti; Brixiæ ſi fuerit opus (quod non fore ſperamus) hoc noſtrum Collegium, familiam, gymnaſiumque defendere. Quamquam enim in beneficij loco ponimus, nomen noſtrum ab imperitis nulla noſtra culpa lacerari; vt ei ſimiles efficiamur, cuius nomine, & inſignibus decoramur: quamquam iacta & immiſſa in nos iniuſte maledictorum tela, numquam ad nos perueniſſe, aut peruenire poſſe exiſtimamus; ſapientiſsimorum tamen virorum hortatu ſuademur, vt omnem labis ſuſpicionem & maculam, etiam ab improbis falſo affictam nomini noſtro ac famæ, patronorum auctoritate deleamus. Tuere deinde ſtudia hæc 6
noſtra litterarum, & artium ingenuarum: has Humanitatis, Eloquentiæ, Philoſophiæque ſcholas tuo patrocinio foue, quæ potiſſimum agnis vt ita dicam, tui gregis, tuoq; Seminario Sacerdotum patent. Tuis auſpicijs ſe ſe efferẽt, mihi crede; Te doctrinarum omnium quaſi altero Mæcenate, ad ampliores fruges effundendas reuireſcent. Tibi hæc cura reſeruatur; te manet hæc defenſio; tua eſt hæc tutela, tibi iure debita, quod omnium doctrinarum ſcientiam mente complexus es adeo perfecte, vt nemo ſanæ mentis, qui hoc norit, auide non exoptet animum ſuum, ſapientiæ riuulis è pectore tuo profluentibus irrigare. Sequèris in hoc Collegij, gymnaſiique patrocinio ſuſcipiendo veſtigia religioſiſſimi Epiſcopi Dominici Bollani, cuius morte permagnum Italiæ ornamentum, & præclarum Venetæ Reip. lumen exſtinctum eſt; qui nos adeo dilexit, vt cum querelas in noſtrum nomen iniquas, & latentes, & non obſcure irrumpentes comprimeret, querelas ipſe iniuſtas ſuſtineret. Æquum eſt enim, quando ſedis, auctoritatis, dignitatis eius pontificiæ propemodum heres inſtitutus es, vt eos in tutela tua colloces, qui cum hereditate ſub tuã curam, ſolicitudinemque venerunt; vt cum patrimonio di-

dignitatis, onera quoque hereditatis inijſſe videare. Iam
vero vt in rem præſentem reuertatur oratio: quam gratiã
tibi referemus? Quid eſt quod à noſtra paupertate poſſit
meritis tuis æquale, tuaque dignum amplitudine profici-
ſci? Si Collegium vniuerſum offerimus; id perparum eſt; ſi
operam omnium noſtrum; reddimus tibi, quod eſt iam
tuum. Quamobrem hunc eſſe omnium ſociorum, qui
circumſtant, ſenſum exiſtima, quem hæc oratio ſignificat.
Hæc, inquam, eſt omnium ſodalium vox & ſententia. Ta-
metſi noſtra tenuitas, Ampliſsime Antiſtes, referendæ
gratiæ præcidit facultatem: paris tamen reddendæ volun-
tatem maximam habemus; neque ſinemus vt vel vlla tem
porum perturbatio, vel rerum confuſio recentem huius, &
6 ceterorum beneficiorum inueteratam in nobis memoriã
obliteret. Nam ſi parentes ſuos non amare eſt impietatis,
ſi non agnoſcere, inſaniæ: numquam nos, qui quoad fieri
poteſt, inofficioſorum hominum, & ingratorum nomen
fugimus committemus, vt cum paternæ tuæ beneficentiæ
ſigna comprehenſa teneamus animo, & amoris veſtigia
adhuc recentia videamns oculis, te nõ amemus, colamus,
obſeruemus vt Parentem: eorumque recordatio, quæ de-
7 bet eſſe ſempiterna, moriatur. Ac ne prorſus nihil offera-
mus, præter Animum memorem, quem iam tum, cum
Epiſcopus Brixiæ declaratus es, deuouimus, pro tua ſalute
atque incolumitate ſæpe Deo immortali ſupplicantem:
damus, donamus, hos labores, ſtudia, vigilias; hanc per exi-
guam doctrinam, ſiue vt melius dicam, noſtrorum inge-
niorum conatus: hæc quantulacumque ſunt, quæ habe-
mus, tui ad tui gregis commoda; educationem, ſalutem-
que dedicamus. Qui ſi opera noſtra, & qualicumque in-
duſtria vteris, id in beneficii ſummi loco ſtatuemus, & ad
aliorum aceruum adiungemus. Libenter enim humeros
noſtros, quantum res feret, oneri ſubijciemus, quod maxi-
mum grauiſsimumque tuis humeris cernimus imminere.
Paſtor es factus gregis hominum ailquot centena milla

Digitized by Google

AD
IOANNEM DELPHINVM
EPISCOPVM BRIXIÆ
GRATIARVM ACTIO.

Oratio XII.

1 ORigenes ille Chriſtianorum aliquandiu Do- *S.Hier. l. de viris illuſtr.*
ctor admirabilis, Ioannes Epiſcope Sapientiſſime, qui magnitudine immortalis ingenij; nobiliorum ſcientia linguarum; & profanæ ſacræque doctrinæ copia vicit omnes æquales ſuorum temporum doctos viros; iterum ex Oriẽte, docendi munere tantiſper intermiſſo, Romam venit ad Magiſtram magiſtrorum, Sedem catholicæ fidei, Templumque veræ Religionis; atque in ea urbe, Petri nauim Fabiano ſummo Pontifice gubernante, grauiſſimis de cauſſis proditur dies aliquot ſubſtitiſſe. Hic interea Plotini ſcholam, ſub Ammonio Chriſtiano magiſtro condiſcipuli quondam ſui clariſſimi viri, publice Philoſophiam tum Romæ profitentis ſemel adijt, vt eius, & amiciſſimi hominis præſentia frueretur oculis, & auribus docentis vocem Platonico melle conditam hauriens, Sapientiam animo deguſtaret; atque vt fieri ſolet, honorarius auditor fama ſapientiæ, docendi gloria, numero diſcipulorum, & libris editis florentiſſimus ipſe, doctorem Philoſophiæ co honeſtaret. Rem dicam non tam cuiquam incredibilem; quã *Porphyr. in vita Plotini. c. 8.*
inexſpectatam multis, quia noua; mirabilẽ omnibus, quia ſingularis: ſed ita geſtam eſſe ſcriptores digniſsimi fide teſtatur. Ingredienti ſcholam Origeni Plotinus aſſurgens honoris ergo, vehementer erubuit; rogantique ne diſputationem intermitteret reſpondit, *languere tum ac plane ceſſare ſtudium loquendi, cum qui diſſerit, eos qui norint eadẽ,*

habere

habere ſe videt auditores. Magna profectò res: inſignis aduerſus condiſcipulum reuerentia: ſumma de Origenis auctoritate, ſapientia, & dignitate opinio Plotini mentem imbuerat, quæ tantum ſanguinis, ac ſolicitudinis in ore viri prouectæ iam ætatis excitabat. Sed cum tu Ioannes Illuſtriſsime, pedem inferens in hanc ſcholam, primum veſtigium in ſolo poſuiſti, tacita cogitatione dignitatem iſtam tuam magnam, pari auctoritate, ſapientia, & eloquētia comitatam, equidem cum humilitate, cum inſcientia, cum infantia Magiſtri conferens, mecum ipſe demiror, cum cuius os, te ſpectante pudor quidam ingenuus, vt puto, rubore perfundit: te præſente, atque audiente, non ore toto potius exalbeſcere. Titubarem ſane, cōtremiſcerem, & memoria debilitata ſeu metu, ſeu verecundia conciderer, niſi me dicere parantem, antemeridianæ attentionis tuæ, comitatis, humanitatis in me tunc audiendo recordatio ſuſtentaret. Erant in Plotino, quæ illum metuere vetarent, & pudore deterſo reficerent, atque excitarent ad dicendum, ætas, ingenium, doctrina, exercitatioque docendi, quæ recreare ſolent timidiſſimum quemque dicentem: Princeps eo tempore Philoſophorum Platonicorum habebatur: Romæ cum laude docebat in oculis atque auribus omnium gentium, & in totius orbis terrarum quaſi theatro: ſolertiſſimorum, atque acutiſsimorum diſcipulorum, vt loquitur S. Auguſtinus, Gymnaſium eius quotidiano concurſu, atque frequentia celebrabatur: quibus fretus præſidiis, ſi non ſatiare plane aures Origenis auidiſsimas rerum exquiſitiſsimarum; ſi non explere capaciſsimum illud ingenium omnium doctrinarum: at ferre poterat vultum, oculos, conſpectum eius, qui cum ſæpe condiſcipulus ingenio, atque oratione certauerat. Atque hæc eadem ingenij ſubſidia, Gymnaſii decora, Doctoris ornamenta, fama ſapientiæ, multitudo auditorum, nobilitas doctrinæ; quæ dabant animos Plotino, merito Origenem, ac doctiſſimum quemque ad Plotinum audiendum inuitare, pelli-

S. Aug. ep. 56. ad Dioſcorū.

cere,

cere,ac trahere potuerunt. Sed quidnam erat in nobis ap-
2 petendum, quid in hoc ludo viſendum, quid in Rhetore ſingulare,quod te iure poſſet, vel abſentem accerſere, vel oblectare præſentem? Non doctrinæ præſtantia; quòd hic neque humana, neque diuina Philoſophia domicilium habet: ſed veluti in officina dicendi potius linguæ præceptis Rhetorum procuduntur, quàm ingenia philoſophorum inſtitutis poliuntur. Non fama vlla nobilitasue magiſtri: qui quia,vt cernis, adoleſcens eſt, non magnum habere vſum neque docendi, neque dicendi per ætatem poteſt: ingenium vero ſentio ipſe,quàm ſit exiguum; & doctrinarum optimarum ſcientiam ætati parem, ingenioque reſpondentem eſſe, me tacente, tu bonus rerum æſtimator intelligis. Non denique magnifica exedræ ſpecies, quæ nulla eſt:non apparatus aduentitius vllus, qui abeſt; non diſcipulorum multitudo, quòd plures palæſtræ huius anguſtiæ non capiunt. Sed tu contrà qualis es, & quantus, qui vt elinguem de arte dicendi; infantem de eloquentia, & indiſertum de copia diſputantem audires,præſentiæ tuæ lucem in hunc Collegii deformis angulum intuliſti? Dicam paucis;& vere dicam; Tu multis nominibus Origine maior es;nobilitate generis, Epiſcopi dignitate, probitate vitæ: Tu præclarus Eloquentiæ, Sapientiæ, Prudentiæ,ceteriſque ingenii ornamentis Origeni; quàm ego Plotino ſimilior. Vos alloquar Auditores ornatiſſimi, qui cum Epiſcopo veſtro adeſtis;tantiſper dum hanc expedio comparationem:vt auocem orationem meam ab eius auribus, cuius modeſtiſſimus animus à ſuarum laudum commemoratione refugit, atque abhorret. De Nobilitate Origenis, nihil me legiſſe memini; niſi quod Parente martyre natus eſt. At Epiſcopus veſter ex ea familiæ vetuſtiſſimæ claritate prodijt,cuius opera,& virtute vna cum aliquot alijs, mille & amplius ante annis in illis ſuperi maris æſtuariis, atq; inſulis,quæ in intimo ſinus Adriani receſſu iacet, Ciuitas, Reſp.libertas Venetiarum mirabiliter uel inchoata eſt,uel

con-

conſtituta: quæque in gentem aucta Delphinam vſque ad
hoc tempus Ducum inſignibus, aliiſque honoribus vrba-
nis, imperio nauali, rerum geſtarum gloria, Cardinalium
purpura, & Epiſcoporum infulis illuſtris continuata per-
manſit. Ille vix Sacerdotio fuit initiatus. At Ioannes hic
veſter poſt Sacerdotium, aliaſque Romanas dignitates
Epiſcopus Torcelli creatus eſt; inde poſt Germanicam le-
gationem translatus ad nobiliorem, ampliorémque Epi-
ſcopatum huius Ciuitatis inter Italiæ primarias: huic Ec-
cleſiæ præclariſsimæ Brixienſi præpoſitus, factus eſt ali-
Caſ. Card Baron. T. 2. annal. an. 256. quot centenum millium hominum Paſtor. Ille martyris
filius à Patre degenerans turpiter à Religione vera deſci-
uit: Hic in Germania Sedis Apoſtolicæ Nuncius, in aula
Imperatoris, in Principum comitiis, in priuatorum con-
greſſibus, vbicumque & quotieſcumque ſe dabat occaſio
priſcam, Catholicam, Romanamque fidem ſapienter, ac 3
fortiter, propugnauit. Iam vero de huius diſertiſsimi viri
copia dicendi quid attinet dicere? Quem naſcentem ſuo
Mœro poetria Byzantia. gremio excepit, infantemque puerum aluit, non aquila,
non columba nectare & ambroſia, ut in fabulis Iouem; ſed
Eloquentia ipſa lacte propriorum verborum, & mellita
copia ornamentorum; quem puerum omnes artes inge-
nuæ educauerunt; quem denique à prima ferme ætate non
tam Rhetores, & vmbratiles declamationes in palæſtris,
quàm grauiſsimis de rebus veræ conſultationes; & lega-
tiones exercuerunt; hunc quiſquam eſſe negauerit elo-
quentem? Quod ſi quem, id quod aſſero, latet: ex ipſo co-
Plin. l. 9. c. 8. gnomine libet augurari: cum Delphinus contra naturam
aquatilium, lingua mobili, quæ ad verba formanda eſt ap-
tiſsima, tum voce gemitus humani ſimillima, vim loquen-
di facultatemque portendat. Sapientiam vero non is erit
adeptus, qui in Philoſophiæ Theologiæque complexu ado
leuit; & in iuris ciuilis ac pontificii ſtudio florentium an-
norum viriditatem poſuit: nec prius ad ætatis, quàm ad om
nium doctrinarum perfectionem maturitatemque perue-

nit?

nit? Teſtes vos, Brixienſes ciues, qui paucis hiſce diebus in ſalutationibus, & gratulationibus publicis, ac priuatis, in ſermone, congreſſuque familiari iucundam & ſuauem: in grauium rerum deliberationibus pondere ſententiarum imbutam, doctrinarum notis diſtinctam eius copioſam, ornatam, ac profluentem orationem auribus excipientes, ab eius ore ſæpe cum voluptate atque admiratione pepēdiſtis. Teſtis illa Bibliotheca nobiliſſima, pulcherrima, libris magna diligentia pretioque conquiſitis inſtructiſſima, quam numquam omni librorum genere tanto labore atque impenſa compleuiſſet, niſi doctrinarum omnium ſocietas illum ab ineunte vita ſocium habuiſſet. Hanc equidem, ne videar aſſentari, neque cum Alexandrina Ptolemæi Philadelphi; neque cum Attali Regis Pergamena; neque cum Athenienſi publica comparabo: ſed latine loquens, non oratorie pronuncio, videri mihi vel Alexandrinam Epiſcopi Alexandri; vel Rauennatem Caſſiodori Monachi; vel Græcam Beſſarionis Cardinalis æmulari. Prudentiam porro rerum agendarum, & domeſticam & ciuilem, non in otio, ſed in negotio; non præceptis, ſed factis; non multis libris legendis, ſed rebus difficillimis expediendis comparauit. Atque vt ad te redeat oratio mea, præclariſſime Ioannes, humanitate iſta patientiaque tua paullo audacior facta: mirabile illud inuentum ingenii tui, quo tribus animantibus Aquila, Delphino, Leone regibus ceterorum ſui generis in aere, aqua, terra; inter cæleſtia ſigna ſtellarum relatis à vetuſtiſſimis aſtrologis, & à te pretioſa gemma cælatis deſignare ſoles aptiſſime nomen Ioannis, Delphinam gentem, & Venetam patriam; aliud te fortaſſe cogitante, Prudentiæ tuæ perfectionem ſuis quaſi coloribus depinxit, quæ tribus potiſſimum virtutibus cōtinetur. Primum quidem ſolertia & acumine in deligendis idoneis ad agendum rebus, & temporibus opportunis; quod Aquila Ioannis Euangeliſtæ inſigne, natura perſpicax, & excellentis ingenii ſymbolum adumbrat. Deinde celeritate in

4

Agell. l. 6. c. vl. Ammian l 22. Plut. in M. Antonio. Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. cap. 15. Caſſiod. l. inſt. diu. cap 15.

Cic. l. 1. de Nat. Deorum. Ael. l. 5. de Animal. cap. 17.

Cic. l. 1. offic. & l. de finib.

Pier. valer. l. 1. Hieroglyph. Ar. l. 6. eth. c. 5.

exſequendo ſuſcepto conſilio, quam indicat Delphin familiæ tuæ cognomen, & clypeo gentilitio tribuens argumentum, velocitate vincens omnes animantes: quem tamen Titus Imperator in nomiſmatibus Anchoræ implicauit, vt maturandum eſſe moneret, non præcipitandum: vel vt Auguſtus habebat ſemper in ore, *lente feſtinandum.* Poſtremo celeritati fortitudo eſt adiungenda in perrumpendis arcendisque illis impedimentis, quæ rebus agendis intercurrunt: quam Leo ſignificat; patriæ tuæ Venetiarum ſignum in vexillis, armis, nummis, rebusque omnibus vſitatum: & vt ſacra loquuntur oracula *fortiſſimus beſtiarum.* Cum igitur Illuſtriſſime Epiſcope, tam multa ſint in te naturæ, artis, & virtutis ornamenta, quibus cum Origene ſecuro animo contendis: nihil in me tam procul à Plotini fama doctrinaque remoto, quod tuæ ſapientiæ reſpondeat; quæ ſumma res amat elaboratas induſtria: nihil in hoc gymnaſio dignum te, qui potius id quod abeſt, quàm id quod adeſt videre potuiſti: nihilominus tamen grauioribus diſtentus curis, quæ te vix reſpirare ſinunt, in hoc primo ad Epiſcopatum ingreſſu volueris nobiliſſimo comitatu cinctus hoc adire Gymnaſium, audire dicendi Magiſtrum vtcumque differentem: diſcipulos meos amanter inuiſere; declaraſti plane hunc tuum aduentum à ſumma eſſe facilitate profectum, nonniſi ab humanitate tua imperatum. Nullam in hoc beneficio ſibi partem vindicat Ordinis noſtri meritum: nullam ſcholæ celebritas: nullam Magiſtri nobilitas; ſed totum à bonitate, beneuolentia, dignitate tua ortum, quæ dignos eos facit, quibus tuæ benignitatis lumen oboritur. Quamobrem vt matutino tempore nomine ſodalium meorum tibi ſum in atrio Collegii gratulatus: ita pomeridiano, meo diſcipulorumque meorũ in Rhetoricæ Ludo, tum aliorum omnium nomine qui hæc Gymnaſia frequentant, ad quos vniuerſos hæc tuæ beneuolentiæ ſignificatio redundauit; quoniam nec officium perſoluere, nec gratiam referre parem beneficio poſ-

Pier. Val. l. 45. Hieroglyph. Adag. col. 433.

orat. 7. n. 17.

Pier. Val. l. 19. Hieroglyph.

Prou. 30.

ſumus, neceſſe eſt vt aliquâ ratione ſaltem gratias agendo,
5 gratiam habere fateamur. Hic flos adoleſcentum, qui nobiles genere, ſolertes ingenio, probi moribus, diſcendi cupidi tuæ paſtorali curæ iam crediti, ad eloquentiam & virtutem à nobis informantur, mecum hac ipſa voce loquitur: ac primum per me, perque hanc orationem meam indicem animi grati, præconem beneficii tui, debiti noſtri confeſſionem proteſtatur, ſe tibi debere tantum, quantum neque hac ætate poteſt, neque hac rerum conditione, diſſoluere. Tu inquiunt, ſpatia Gymnaſii noſtri paſsibus tuæ paternæ benignitatis nobilitaſti: tu parietes hos illuminaſti tuæ ſplendore dignitatis: tu Magiſtro noſtro, feſſas aures matutina oratione, patienter præbens ſauiſti adeo, vt in noſtris animis de eius doctrina & eloquentia mirabilẽ in modum auxeris opinionem. Tuus hic aduentus tamquam hortator quidam atque impulſor, ingenia noſtra expergefecit, excitauit ſtudium, induſtriam exacuit, calcaria, ſtimulos, faces tardioribus admouit ſic, vt in cunctis reuiuiſcente cupiditate ſciendi te auctore, viſuri ſimus in nobis ipſi breui efflorеſcentem eloquentiam, & parentes noſtri fructus dulciſſimos, maturiſsimosque guſtaturi. O mirificam in nos omnes voluntatem: o ſummam grauiſsimi viri facilitatem: o generoſæ mentis vim ad beneficia conferenda propenſiſsimam. Merito vehementer angimur, pendemusque animi, qua ratione ſuſpicionem ingratorũ vitemus, qui tantopere ingrati animi vitium exhorreſcimus. Quænam obſeruantiæ magnitudo huic beneficio reſpondeat? Quæ ratio gratiæ referendæ meritis tuis reperiatur æqualis? Quidnam tandem reddamus? Num Memoriam beneficii? Non fugit nos, adoleſcentulos licet, Gratias à priſcis ſapientibus iuuenes fingi, quod nequaquã debeat beneficiorum acceptorum memoria conſeneſcere: proinde citius nobis quiſpiam eripiet vitam, quàm huius diei grata recordatio noſtris in mentibus extinguatur: præſertim cum beneuolentiæ tuæ veſtigia non ſint in hoc *L. Sen. l. 1. de Benef. c. 3.*

ludo leuiter ad exigui temporis laudem impreſſa: ſed immortaliter ad tui nominis prædicationem, & gloriam fixa 7
ſempiternam: nec parietes ipſi, qui tuorum oculorum illuſtrati luminibus loqui,& gratias agere geſtiunt, immemores eſſe poſſe, nedum homines fore, videntur. At quàm exigua, quàm vulgaris, quàm leuis eſt memoriæ remuneratio ſi cum promerito comparetur? Honorem honori fortaſſe referemus? Hoc ſpectant verſus illi, fatemur pueriles, qui in atrio, pro foribus ludi, in parietibus Gymnaſii, in hoc ipſo ſuggeſto pendent affixi, teſtes animi gratulantis, exſultantisque lætitia; vocibus tacitis ex intimo pectore ductis
1. Pet. 2. tibi gratias agunt: teque vt parentem, paſtorem, Epiſcopũ animarum noſtrarum collaudant, honorant, venerantur.
At didicimus à Præceptore noſtro, honorem in eum, qui 6
Ar. l. 1. eth. c. 5 Plut. l. An ſeni ſit Reſp. tract. defert, redundare atque reuerti: propterea in te honorando tibi nihil tribuere, ſed potius accipere beneficium, & ornamentum, cum honos tibi habitus, in nos qui habemus, à te tandem regeratur. Nec tecum certare officiis æquum eſt, quibus à te vinci, quàm velle vincere eſt magis glorioſum. Quid? Nos ipſos noſtroſque animos tibi conſecremus? Sic opinor, Ampliſsime Epiſcope: conſilium ego capio meorum auditorum, qui materiam aliquam liberalitatis inter anguſtias paupertatis inuenerunt: etſi non de fortunis, nec de ingenio, nec de lingua dare poſſunt, ſe ipſos tamen ut omnium quæ dari poſſunt, radicem, ac ſtirpem dare decreuerunt. Didicimus ab Aeſchine pauperrimo Socratis auditore, qui cum multi multa Magiſtro pro ſuis quiſque facultatibus offerrent, *Nihil*, inquit, *dignum*
L. Sen. l. 1. de Benef. cap. 8. *te, quod dare tibi poſsim inuenio: & hoc modo pauperem me eſſe ſentio: itaque dono tibi, quod vnum habeo, Meipſum:* hoc *munus rogo qualecumque eſt, boni conſulas: cogitesque alios cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe.* Quod ſi gratiſſima fuit Socrati, ceterorum munera repudianti, magnifica hæc Aeſchinis vox: maximumque viſum munus, quo pauper ille ſapiens, Alcibiadis aliorumque fortunatorum,

opu-

opulentorumque iuuenum magnificentiam ſuperauit; cur tibi Chriſtiano Socrati, melioriſque Philoſophiæ præceptori, quia Chriſtianus Epiſcopus es, non erit pariter ſimile munus quod offerimus, cariſſimum? Hoc igitur accipe munus Animi qui potiſſima noſtri pars eſt: ſit tibi gratus, Animus gratus, qui ſi non re ipſa, certe voluntate ampliſſimam; & cupiditate maximam videtur mercedem reddidiſſe; & gratiam habendo gratiam retuliſſe. Non paruo æſtimandus eſt animus qui ſe ſui pretium fecit; præſertim cum non contemnendam habeat cum beneficio cognationem Animus gratus. Nam vt vere ſapientes cenſent, *Id.l. 1. de Benef. cap. 5.*
7 non aurum, non argentum, non prædium beneficium eſt, ſed materia beneficij; quod non manu tangitur, ſed ani-
6 mo cernitur, cum non aliud ſit, niſi voluntas ipſa tribuentis; ſic voluntas remunerandi, quam reddit Animus gratus, ipſa videtur eſſe remuneratio. Tuæ magnitudini non reſpondet; fateor: tuæ dignitati, non æquatur; concedo: ſed vt Auguſto Principi Romanorum, Poeta Græcus epigrāma, quo donatus à Cæſare fuerat remuneraturus, pauculos illi denarios in manum immittens ait, *Non ſecundum fortunam tuam Auguſte*; ſic nos mutata ratione loquendi, ſapientiſſime Epiſcope, ſecundum noſtram tenuem fortunam reddimus gratiam, quibus partim religioſis pauperibus, partim adoleſcētulis filiis familias, nihil eſt aliud quod ſoluamus. An non meminiſti Regi Perſarum Artaxerſi regnum inuiſenti gratiſſimum fuiſſe malum punicum à Miſe ruſtico dono datum? tum etiam, quod eſt mirandum magis, aquam è fluuio vtraque manu in vas conformata delatam atque oblatam iter agenti, regiis fuiſſe muneribus compenſatam? Quid quod apud Deum opt. max. animus referendæ gratiæ cupidus, ſine re, tum cum nulla ſuppetit facultas, tantum valet, vt is à nobis maiora minime requirat? Quod ſi Socrati; ſi Auguſto, ſi Artaxerſi, ſi Deo ipſi gratus animus acceptiſſimus fuit, vel cum animo grato munus exiguum longe gratiſſimum: tu certe, Antiſtes optime,

Macr.l. 2. Saturn. cap. 4.

Ael.l. 1. Var. hiſt. c. 32. 33.

time, qui ſapientiæ, prudentiæ, ceterarumque virtutum verarum ac ſincerarum gloria Socrati; qui Cæſari atque Artaxerſi dignitate ampliſſimi Sacerdotij antecellis; qui poteſtate pontificatus ad immortalis Dei potentiam; & benemerendi laude videris ad præſtantem eius diuinamque naturam accedere: mutuam gratamque voluntatem, quam in te contulimus: hunc animum ſimulacrum tui in ſe expreſſum gerentem: atque hanc oratiunculam teſtem voluntatis, pignus debiti, ſpeculum omnium noſtrum animorum, minime debes aſpernari.

Digitized by Google

AD PARENTES DISCIPVLORVM ADMONITIO.

Oratio XIII.

1 DOleo quidem vehementer, Auditores, vos qui multis ac magnis occupationibus, & priuatim, & publice diſtinemini continẽter, fuiſſe tam inſolito, & inopinato tempore in hanc ſcholam ad me audiendum accerſitu rogatuque noſtro conuocatos: ſed tamen doleo vehementius grauitatem cauſſæ feciſſe, vt nos anxii præter noſtram conſuetudinem, vos admirantes rei nouitatẽ, præter veſtram exſpectationẽ accerſeremus. Agitur enim res veſtra, Ciues ornatiſſimi Brixienſes, hoc eſt veſtrorum liberum vtilitas, fructus, honos; qui tum propter indulgentiam veſtram, tum propter naturæ ſenſum, vobis ſunt vita cariores: agitur familiæ ſplendor, quem per eoſdem, non tam patrimonij, quàm nobilitatis heredes conſeruandum putatis. Quæretur coram vobis arbitris, ac diſceptatoribus, quæ cauſſa veſtros liberos, diſcipulos noſtros impediat hoc tempore, ne tales in litterarum, eloquentiæ, doctrinarumque ſtudiis progreſſus faciant; quales nos omnes cupi-
2 diſsimi veſtrorum commodorum, ſtudioſiſsimique dignitatis, optaremus; quò de vita, moribus, ſtudiis eorum, quos tantopere diligitis, admoneamini; quò doceamini cur non proficiant, quantum eſt nobis in optatis, ſtudio litterarum & ſcientiæ: tum quò vehementer, ad cauſſas impedimentorum cognitas ac perſpectas, vt viros fortes, & prudentes decet, excitemini comprimendas. Hæc eſt, Brixienſes, & quidem grauis cauſſa conuocationis: quæ vtinam nulla eſſet: lætitiæ profecto vos ſegetem; nos materiam volupta-

tis,

Digitized by Google

tis, illi meſſem litterarum haberent ampliſsimam: labore item nos dicendi, vos audiendi careretis. Equidem neſcio quæ temporum iniquitas, profecta propemodum ab Inferis, in nos irruat, in horum adoleſcentium ingeniis excolendis occupatos, quæ laborum noſtrorum fructus matureſcere non ſinit: neſcio quæ calamitas, atque procella ſtudia hæc diſpergat, affligat, & diſsipet; hoc præſertim verno tempore, quo cum terrarum ſolo, viriditate, ſole, Zephyris lætiſsimo, deberent ſimul efflore ſcere. Sed quid dixi neſcio? Corrigo linguæ lapſum. Dudum huius mali deli- 1
teſcentis cubile, per veſtigia quærentes deprehendimus: dudum horum omnium incommmodorum fontem indagauimus, inquiſiuimus, inuenimus: obſeruatione quotidiana triennij, notatis Brixienſium adoleſcentium moribus; eos, non dicam auerſos à litteris, doctrinarum inimicos, laboris hoſtes capitales; ſed ſtudii non amiciſsimos, diſciplinarum parum amantes, & ad ceſſationem valde propenſos comperimus. Vtrum naturæ vitio hæc propenſio in ipſis infuſa ſit, an corruptela conſuetudinis ceſſandi temporis illius contracta, quo tempore peſtilentia non minus animos neceſſaria quadam vagandi libertate, vacandique impunitate, quàm corpora morbo labefecit, ignoramus. Hoc ſcimus vnum; in ipſis adoleſcentibus inſitam, atque infixam eſſe huius vitii radicem; è qua multi rami malorũ propagantur; quos niſi parentes ſtrenui defringant teneros atque elidant; inueteraſcent ætate, tum ad paternas monitiones, caſtigationesque obdureſcent. Taciti nos an- 2
nos proxime præteritos excurrere ſiuimus: hæc incommoda patienter tulimus, ſperantes fore breui, remedium vt aliquod, ab ijs, quorum intererat, compararetur: ſed ſpes fruſtrata nos eſt: exſpectatio illa fefellit: non quotannis modo, ſed quotidie morbus ingraueſcit: horum licentia iam immoderata fit, & intolerabilis: eò prorumpit audaciæ, potiſsimum hoc uerno tempore, vt contemptis admonitionibus, precibus, obiurgationibus magiſtrorum, Gymnaſiarchi,

naſiarchi, Rectoris, deſertis ſcholis, abiectis libris, multos diebus ſingulis in villulas deliciarum plenas, in amœnos agros, in fertiles propinquos vrbi colles aduolare videamus: vbi ſpatiantes otioſi iacturam illam faciunt, quæ non poteſt multorum menſium, & laboribus, & induſtria recuperari. Huc accedit, quod qui videntur eſſe ceteris diſcendi ſtudioſiores, tam multas ſimul, tamque varias diſciplinas ſtudio inſequuntur, vt nullam ingenio conſequantur. Itaque cogimur, quod iamdiu concepimus animo, quod cogitando parturimus, aliquando parere dicendo; uoſque ciues Brixienſes commonefacere tempeſtatum harum, quæ liberis veſtris ſtudiorum fructus, vel maturos eripiũt, uel in gemmis ac floribus extinguunt, vel acerbos ad maturitatem prohibent peruenire. Clariſſima uoce diſputare conſtitui coram ipſis ut exaudiant; ſibi dicta putent omnia; conſcientiaque conuicti, ſi qui ſunt conſcij malefactorum, erubeſcant: tum rubore ſalutari perfuſos uis tanta pænitendi compungat, ac ſauciet, ut mutata ratione uitæ, moribusque correctis, ad meliorem uiam frugemque reuertantur. Duas igitur, ut ſignificauimus, cauſſas deprehendimus eſſe præcipuas, quæ perniciem afferunt ſtudiis horum noſtrorum adoleſcentum: quarum altera eſt applicatio animi, tempore uno, atque eodem ad multas artes: altera uero grauior; intermiſsio crebra ſtudiorum, diuturnaque ceſ-

3 ſatio. Atque ut primum caput paucis expediam; quis in Mundo non plane hoſpes ignorat, animos noſtros corporibus incluſos, quòd in cognoſcendo, intelligendoque pẽdeant à rebus, à ſenſibus, à corporatis inſtrumentis, nec celeres eſſe, nec ualde capaces: & puerorum ingenia potiſsimum ita anguſta, ut in ea diſciplinæ ſint ſenſim, & prope dixerim guttatim inſtillandæ? Vaſis è uitro quibuſdam, obtorto ac flexuoſo collo, quæ neque impleri liquoribus, neque exinaniri poſſunt niſi paullatim ac lente, uiri prudentes hominum ingenia ſimillima eſſe dixerunt; in quæ doctrinæ, cum addiſcuntur per oculos, & aures influunt; è

Ar. l. 3. de An tex. 39.

Quin. l. 1. c. 2.

quibus, cum traduntur alijs, per linguem & vocem effluũt ſimiliter non niſi per partes, minutatim ſenſimque ſtillando. Planiſſime videmus eos adoleſcentes, qui vni tantum arti vacant; & ad eam comparandam excellens ingeniũ, uires corporis integras, animum recentem, & incredibili diſcendi cupiditate inflammatum: tum omne tempus ætatis floreſcentis afferunt; vix maximis laboribus, exquiſita diligentia, ſingularique aſſiduitate ſtudendi, conſequi mediocritatem eius artis ad quam aſpirant, nedum abſolutã perfectionem: & quiſquam veſtrum exiſtimabit mediocri præditos ingenio, non admodũ diligentes, minus aſſiduos, animo feſſo per varia ſtudia, poſſe multas alias artes vna cum latinis litteris, & eloquentia, per idem tempus mente comprehendere? Si puerilium ingeniorum vis eſſet immenſa, ſi memoriæ capacitas infinita, ſi multæ aures, oculi, ſenſus interiores, ſperandum eſſet fore, vt non vnam eodẽ tempore, ſed multas, eaſque diuerſas perdiſcerent diſciplinas: cum autem hæc optata paria ſint illis inanibus, quibus, vt tradit maximus philoſophorum, mortales nonnulli fruſtra cupiunt in hac caduca mortalique vita, vel non mori, vel auium more volare per aerem; cur inaniter tam multas artes vno impetu aggrediuntur; quarum ne vnam quidem integre, perfecteque capeſſunt? Eſt illud quidem vulgare, ſed tamen verum; non temere confictum prouerbiũ, ſed à Platonis doctrina delapſum, quod in ſcholis adoleſcentulus audiebam decantari, & ad ingenium transferri:

Ar. l. 1. magn. mor. cap. 16.

Plato Dial. 3. de Rep.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Vt enim oculus corporis multa ſimulacra diſtincta locis vno aſpectu nequit intueri, quantumuis acutus, & ſanus; ita mentis acies quæ locum oculi tenet in animo, doctrinas multas diuerſas præſertim genere, non vno tempore poteſt addiſcere. Quamobrem qui multis pariter artibus impendunt operam, etſi videntur multa parare ſibi, magnaque rerum cognitione diteſcere: nihil tamen ſolidum, nihil firmum immittunt in animum: pinguntur extrinſecus

Nemes. l. de Nat. homin. c. 1

doctri-

doctrinarum earum coloribus, non tinguntur; ſcientia le-
4 uiter aſperguntur, non infecti penitus imbuuntur. Quæret hoc loco quiſpiam ex me; quænam ſint illæ artes, quibus ſe adoleſcentes, quorum dolemus vicem, dediderunt. Non eſt obſcurum, Auditores; eſt logica; eſt ſcientia iuris; eſt muſica: quæ præterea? Nollem dicere; ſed cogor, vt præſtem quod ſum pollicitus; id quod cum ſenſu doloris dicam: conſociant cum ſtudio litterarum artem numeroſe ſaltandi, fideſque pulſandi. Quid in hac poſtrema arte reprehendo? Primum, tempus illud quod linguæ præceptis erudiendæ; poliendæ ſcriptione, declamationibus acuendæ tribuendum eſſet; manibus ac pedibus inſtituendis dari; deſeri quod eſt neceſſarium ac fructuoſum; quæri quod eſt iucundum, ac pernicioſum. Quo peruerſo, ac præpoſtero conſilio quid poteſt excogitari deterius? Anteponitur eruditioni ſaltatio: pedibus ingenium poſthabetur: inanis fidium ſtrepitus, doctam ac viuam præceptoris vocem excludit auribus atque exterminat. *M.Sen.l.1.cōtr.in præf.* At concedit id conſuetudo iuuentuti. Detur per me licet: concedatur; dummodo ſeruetur moderatio: ſed cur præripitur illud tempus grauioribus ſtudijs? cur per eam occaſionem litteris affertur detrimentum? cur bene temperatarum ſcholarum leges, conſuetudo moreſque violantur? Hoc doleo, hoc queror, hoc reprehendo. Tum vero quantum eſt illud, quàm graue, quàm periculoſum animorum ſaluti: Perdunt otioſe multas horas in huiuſmodi ſaltatorum, ac fidicinum ludis, de rebus non optimis colloquendo: contrahunt amicitias, vel cum corruptis adoleſcentibus, vel cum corruptoribus adoleſcentum. Quid enim ſunt hi ludi, ſaltatorum potiſſimum, niſi corruptæ iuuentutis nidi, receptacula vitioſorum, conuenticula eorum qui turpibus amoribus irretiti nihil cogitant de virtute; multorum denique ſentinæ vitiorum? Huc leues, huc vagi, huc inconſtantes, huc otioſi, huc voluptarij confluunt: huc vnguentis obliti, huc cincinnati & compti, huc onuſti fer-

Digitized by Google

ro conueniunt. Vbi autem conuenerunt, vtrum eos putatis de litteris humanioribus, an de epiſtolis amatoriis: de comparanda virtute, an de abijciendo pudore diſputare? Vtrum de: non omnia dicere audeo; ne religioſæ aures innocentium offendantur; neue ipſe, qui diſcipulis meis eſſe debeo norma loquendi temperanter, efferar imprudens immoderatione uerborum. Cogitate uos, ciues ornatiſſimi Brixienſes, ad quas artes, ætate lubrica, flammis natiuorum affectuum accenſa, tempore moribus peſtifero, in conuentu perditorum, in ſchola corruptrice; vbi tam multa ſunt inuitamenta ſodalium, ne dicam incitamenta lenonum, defluant adoleſcentes, in quibus natura ipſa genuit ſemina voluptatum. Non plura de ſaltatione dicam; ne forte Lucianus alter exiſtat de repente, qui ſtudii huius defenſione ſuſcepta, contra me peracribus maledicæ linguæ morſibus inuehatur; vt ille uetus aduerſus Cratonis accuſationem, ſaltandi ſtudium effeminatum, molle, philoſophoque indignum definientis. Prætereamus quoque Muſicam, cuius ſtudium moderate ſuſceptum, lætiorem animum, atque alacriorem ad alias artes perdiſcendas reddit ac præparat. Neque enim adeo ſum auſterus, vt omnem animorum remiſsionem adoleſcentibus adimam; neque ita inhumanus, & agreſtis, vt honeſtæ voluptatis nihil ætati tribuendum putem. Hanc ego ſuauiſſimam exercitationem vocis, & honeſtiſſimam animi relaxationem ab Ariſtotele quoque permiſſam interdicam diſcipulis meis, quā parentum meorum iuſſu fateor ipſe ſummo ſtudio, propenſioneque animi me adoleſcentulum fuiſſe complexū? Equidem animaduerti rebus pæne omnibus muſicam eſſe naturaliter infuſam & implicitam; vel certe muſicæ amorem permeare naturam vniuerſam. Nam Pythagoras, & Architas Itali Philoſophi vetuſtiſſimi, atque in Italiæ luce philoſophati, quos Plato cum aliis Græcis eſt ſecutus, opinabantur in hac mirabiliter temperata ſiderum conuerſione, cæleſtiumque orbium motibus gigni quandam ſuauiſſimam

Lucian. dial. de ſaltat.

Ar. l. 8. polit. c. 3. 5. 6.

Plut. l. de Muſica.
Quin. l. 2 c. 10.
Macr. l. 2. in ſomnium Scip.
Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 2.

uiſſimam nos mortales obtuſis auribus latentem ac fugientam harmoniam. Peruadit hic idem amor omnes fere animantes: nam aues pæne omnes, Natura magiſtra, cantu *Pier. Val. l. 2.* vocisque flexionibus homines ipſos prouocant atque la- *& l. 7. Hieros.* ceſſunt ad muſicam: inter terreſtres vero Cerui capiuntur ac detinentur muſicis vocibus; feri atque immanes Elephanti nulla melius arte, quàm muſica, depoſita feritate manſueſiunt; nec dubito multas aliàs beſtias ſono flecti *Cic. orat. pro* cantuque delectari. Cum homine uero Muſicam habere *Arch.* mirabilem ſympathiam quis ambigat? Cernitur muſicæ *Boethius l. 1 de* ſenſus, guſtus, amor in pueris infantibus, quibus ploratum *Muſica cap. 1.* & lacrymas nutricum cantus cohibet, & abſterget; ſomnumque vigilantibus earumdemque cantilenæ conciliãt: ut iure Philo Platonis lingua locutus ſcripſerit, Muſicam *Philo l. de Agri* lac alterum eſſe puerilium animorum. Cernitur eadem *cult.* deliteſcens in hominum iam loquentium ore, quorum orationem, ut M. Tullius eſt auctor, ſubobſcuro quodam *Cic. l. de orat.* cantu Natura eſt modulata. Prodit vel in pueris ad eandem propenſio naturalis, qui naturæ impulſu ſexcentis fiſtulis, tibiis, ac ſibilis pueriliter ſeſe oblectando, cantum auium imitantur. Deprehenditur in nationibus omnibus, in qua- *Ar. l. 8. Polit.* uis Mundi plagã degentibus; quarum nulla eſt tam inculta *cap. 5.* tamque à bonis artibus aliena, quæ non aliqua cantiuncu- *Quin. l. 2 c 10.* la vel ſibi, vel alijs mærentibus blandiatur. Vbique gẽtium *Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 1.* opifices in officinis, in nauibus remiges, in agris aratores, in ferendis trahendisque oneribus operarij, cantu aliquo, modulisque vocis communem laborem minuere, ac leuare moliuntur. Quid in conuiuijs, nuptiis, publicisque celebritatibus; ad communem lætitiam inſtitutis? Nemo non eos qui interſunt ad hilaritatem, ac voluptatem ſono cantuque traducit. Ipſas lamẽtationes; ac nænias, quibus mor- *Macrob. l. 3. in* tui lugentur: ipſam funeris pompam, quã efferuntur, can- *ſomn. Scip. c. 3.* tilenis tibiisque permiſcent, vt cauſſa flendi dulcior fiat, & doloris acerbitas muſica ſuauitate mitigetur. Nec de- *Plut. l. de Muſ.* fuerunt bene conſtitutæ Ciuitates, vbi lege lata eſt à viris *Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 1.*

Digitized by Google

ſapientibus, qui eam temperarunt, vſus muſicæ ſtabilitus. Quo fit, vt qui non ſentit eius ſuauitatem, auerſus à ratione naturam humanam depoſuiſſe videatur; aut in aliqua immani, ac fera barbaria natus educatusque ſimilis illi Principi Scytharum Atheæ, qui cum Imenias captiuus in
Orat 16.n.12. cœna tibijs optime cecinisset, ſe hinnitum equi iurauit audire libentius. Ergo quam Naturæ ductu probant, amant, expetunt omnes, ego ſolus improbem ac deteſter? ipſe vnus ſim alienus ab ea delectatione aurium; quam qui ſpernit, alienus à ratione, naturæ ſenſum, & honeſtam voluptatem, iucunditatemque repudiat? Præſertim cum 6 ſciam ad moderandum, temperandumque cantum illum obſcuriorem, quem habitare dicebam in ore, atque ora-
Cic.l.de orat. tione humana deliteſcere, Ciceronis eius artis quam pro-
Quin.l.1.c.10. fiteor Magiſtri ſummi decreto, Muſicæ ſcientiam in pronuncianda oratione, permouendis affectibus, delectandis, flectendisque animis eſſe oratori neceſſariam. Quid igitur ſpectat tua de Muſica querimonia, qui tam multa de laude Muſicæ diſſeruiſti, tuisque diſcipulis, quos oratores formas, eius artem ad flectendam modulandamque vocem neceſſariam exiſtimas? Duo, Brixienſes, quæ vehementer diſplicent in aliquot auditoribus meis, reprehendo: primum eſt quod Muſicæ ſcholas intempeſtiuo, atque alieno tempore adeunt; quo tempore noſtris in gymnaſiis abſentes requiruntur; iiſque commodis priuantur, quæ paullopoſt recenſebuntur. Hic, Adoleſcentes (quos hæc obiurgatio mea petit ab amore profecta) vbi fides? vbi promiſſio? An non iniquum eſt, in ea ſchola quæ bonis legibus aſtricta teneatur, tam facile, tamque frequenter à legibus diſcedere, quæ ſunt fundamenta progreſſus, ornamenta diſcipulorum, vincula diſciplinæ? Non indignum, plus apud vos ſodalium inuitationes ad abducendos à ſcholis; quàm beneuolorum magiſtrorum auctoritatem ad retinendos ſæpe valuiſſe? Qua ratione veſtram abſentiam legitime poſſumus excuſare nulla neceſſitatis ſimulatione

pro-

protectam? qui leges horum gymnaſiorum vobis propoſitas cum nomina veſtra dediſtis, quas diligentiſſime vos obſeruaturos nobis recepiſtis, per hanc muſicæ diſcendæ occaſionem quotidie violata fide contemnitis? Sed veniamus ad alterum grauius incommodum, quod à Muſicæ ſchola redundat in detrimentum morum Chriſtianorum, perniciemque virtutum. Eas enim cantiones cantitant liberi veſtri, quæ quia ſunt amatoriæ, turpes, & ad obſcenos amores excitandos comparatæ ſummo poetarum artificio, nón modo canentium titillant, alliciunt, exſtimulant animos ad voluptates conquirendas; ſed etiam quod eſt grauiſſimum, vulnerant, ſauciant, cruentant voluptatum amplexandarum decreto: vel certe ſi ſanatis vulneribus, per confeſſionem peccatorum religioſam, accedunt; cicatrices obductas refricando, ac retractando plagas iterum aperiunt, atque exulcerant, ita vt earum multo fiat ratio periculoſior; & difficilior reddatur ipſa curatio. Quod malum: tum à verſibus, qui canuntur; tum ab ipſa canendi forma, modulisque proficiſcitur. Vt enim claui peruncti oleo facilius penetrant, atque altius infiguntur in tignis; vt tela veneno tincta, atque imbuta periculoſiorem inſanabilioremque plagam corpori infligunt; ſic illa carmina poetarum impudicorum animis peſtifera (tametſi præferens honeſtatem allegoriarum velum prætendunt) quæ per ſe ſatis idonea ſunt ad vulnerandos animos accendendosque affectus adoleſcentium, ſuauitate cantus acerrima, dulcedineque deprauatæ muſicæ tamquam vnguento venenato delibuta, atque perfuſa multo redduntur ad nocendum aptiora. Quæſitum aliquando eſt à doctis viris in Plutarchi conuiuio, cur à vetere Poeta Græco dictum eſſet, *Muſicam docet Amor*: multisque rationibus demonſtratum eſt in ea menſa, prouerbium eſſe probabile: ſed iam hic cogimur contrarium plane perquirere, cur Muſica doceat amorem: ea ſcilicet, quæ cum re ſubiecta laſciuiæ plena, ſonis ac vocibus eſt ad impudicitiam prouocandam, mollien-

Plut. l. 1. conu. quæſt 5.

liendoſque animos in voluptates inflexa. Nihil hoc loco de meo ſenſu dicam vt à me ſeueritatis opinionem, ex oratione mea conceptam grauiore fortaſſe, quàm ferat ætas, auertam; quæ mihi dicenti poſſet apud vos fidem imminuere. Loquatur atque audiatur à vobis attente Seuerinus Boethius uir cum generis nobilitate, ſanctitate vitæ, ſcientia doctrinarum omnium clariſſimus; tum vero Muſicæ ſtudioſiſſimus, & omnium, qui ea de facultate ſcripſerunt adhuc, peritiſſimus. Quàm grauis, huius doctiſſimi hominis de hac re pronunciata ſententia? Cum enim rationibus exquiſitis comprobaſſet, quod & Ariſtoteles, & M. Tullius docuerant quondam, & ego modo ſignificaui, nihil eſſe tam cognatum ſenſibus, auribus, mentibuſque noſtris, quàm numeros, voces, & muſicorum ſonos: cum item vim maximam eſſe Muſicæ docuiſſet in intimos animorum ſe receſſus inſinuantem edidit hæc aurea verba veritatis grauitatiſque pleniſſima. *Hinc morum quoque maximæ permutationes fiunt: laſciuus quippe animus, vel ipſe laſciuioribus delectatur modis; vel ſæpe eoſdem audiens cito emollitur, ac frangitur.* Quid clarius, Aud. quid planius efferri poterat? Molliri dicit ac frangi animum eius, qui ſæpe laſciuiores modos exaudit. Ecquæ dubitatio poteſt hinc amplius erumpere? *Si cantus*, vt loquitur L. Seneca morum optimus cenſor, *& concitata modulatio inſtigat; Si morum mutationes facit*, ut ait Boethius Ariſtotelem ſecutus, ſi per cantum *excitamur, incendimur, lenimur, & langueſcimus*, ut docet M. Tullius: nemo ſanæ mentis negare poteſt adoleſcentes muſicæ ſtudioſos, quæ modulis, ac flexionibus uocum ad amores impudicos, & laſciuiam incitantibus inſtructa eſt; per eam ad luxuriem, ac flagitia commoueri. Quid Plato ciuitati à ſe legibus inſtitutæ magis metuebat, quàm ut bene morata, modeſta, caſtaq; muſica, qua pueros erudiri permittebat, ſenſim in effeminatam, ac liberiorem inuerteretur? Quàm maiorem morum labem in Remp. illam ſuam inuehi poſſe arbitrabatur, qua

Boeth l. 1. de Muſ. cap. 1.

Ar. l. 8. polit. cap. 5.
Cic. l. 3. de or.

L. Sen. l. 2. de Ira cap. 2.
Ar. l. 8. polit. cap 5.

Cic. l. 3. de or.

Boeth. l. 1. de Muſica cap. 1.

8

non

non modo rectum, & honeſtum interiret, ſed etiam eorũ ueſtigia delerentur; quàm ſi laſciniores in cantu modi ueterem pudicam muſicam ad aliquam turpitudinem inſlecterent? Cur Lacedæmonij ſemper habiti puerorum ac iuuentutis educatores accuratiſsimi, ac præſtantiſsimi, Timotheum Mileſium nobiliſsimum muſicum Ciuitate, decreto publico expulerunt, quòd animos puerorum, quos muſicis inſtituendos acceperat, reuocatos à modeſtia corrupiſſet? Quia neruo vno tantum addito, ueterem Muſicæ ſeuerioris diſciplinam, ad molliorem rationem chromaticam tranſtuliſſet? O ſeueritatem dignam moribus Chriſtianorum. O diligentiam educandæ iuuentis numquam ſatis laudatam. Quam ergo Plato, Spartanique muſicæ ueteris, & grauioris commutatam rationem querebantur; & ſuis Ciuitatibus corruptelam licentioris cantus adoleſcentium moribus pernicioſam metuebant: hanc ego quoque doleo pariter, & diſcipulis meis pertimeſco: tum maxime omnium illam horreo corruptricem, ac reformido, qua languentes affectus irritantur; & frigeſcentes accenduntur. Etenim duo genera Muſicæ, quod attinet ad præſentem diſputationem reperiuntur; alterum quod conſopitos affectus iræ, & appetitus in pectoribus noſtris exſuſcitat, prouocat, inflammat: alterum quod eoſdem excitatos atque efferueſcentes mitigat, ac refrigerat. Priore illa traditur ualuiſſe plurimum Tyrtæus qui colem fortitudinis iram permouens, iuuenes ad belli pericula contẽnenda uerſibus cantuque compellebat: unde illa magna laus;

Tyrtaosque mares animos in martia bella
Verſibus exacuit.

Valuit & Xenophantes, in conuitupetabilis; quo canente Macedonum Rex magnus Alexander inflammatus ira, manum ad arma miſit. At hæc in pacis otio non habet locum: opto ueſtram hanc urbem ut egrediatur: abeat, excedat, euadat: caſtra militum petat: foris triumphet; modo exulet: & in iuſtis bellis ante prælium adhibeatur, aduerſus Turcas, & barbaros exerceatur. Non eſt opus hoc ge-

Boeth.l.1 de Muſ.c 1.
Plut.l.de Muſ.
Plut.l.1.conu. quæſt.5.
Boeth.l.1.de Muſ cap.1.
Plut.l.de Induſ Animal.
Hor.in Poet.
L.Sen.l.2.de Ira cap.2.

nere muſicæ veſtris adoleſcentibus, hac ætate, in hac vrbe, (vos optime intelligitis maiores natu, quid dicere velim) hoc tempore, quo ſatis ſuperque ad arma concitatorum nimis multi Tyrtæi iuuenibus inſidiantur, nimis multi Xenophantes iram expergefaciunt, & acuunt. Vtinam adeſſet alter Empedocles, qui cum eius hoſpitem adoleſcẽs quidam diſtricto gladio furens inuaderet; quòd patrem accuſaſſet, inflexiſſe modum canendi dicitur, atque adoleſcentis iracundiam ea ratione temperaſſe. Vtinam haberetur Diogeni fides, qui audito Xenophantis facto; meliorem, ſibi muſicum viſum iri dixit, ſi cantus eos reperiſſet, quibus Alexander incitatus, & furens cohiberi, ac reprimi potuiſſet. Quæ laus incitare, atque impellere currentem? Et quod de ira diſputauimus, idem plane de cupiditate definiendum eſt, quæ paribus ſtimulis, æqualiter incitatur, & procurrit. An vero noſtris adoleſcentibus, quos natura corrupta tædis quaſi quibuſdam agitat natiuarum cupiditatum, quos flammis exſtimulat ad ſatiandam ſitim voluptatum; offerendum eſt peſtilentiſſimum ſalſamentum, quod ſitim acuat & accendat? obiicienda eſt pernicioſiſſima illecebra muſicæ amatoriæ, quæ libidinem inuitet, ac prouocet? addendus eſt alius ignis, qui animos vehementius inflammet, & excitet incendium? Vtinam haberemus (ſæpius optare cogor, quę deſunt) Muſicos, qui altero genere muſicæ ſedantis affectus perturbatos vterentur. Laudabiles Arió Methymnæus, Iſmenias Thebanus, & Tales Cretenſis, qui Lesbios, Iones, Bœotiqs, Lacedemonios cãtu, grauiſſimis morbis afflictatos liberarunt: laudabilior Terpander, qui Spartanorum ſeditionem maxime periculoſam muſicis modulis ſedauit, atque compreſſit. Sed quibus laudibus exornare poſſumus Pythagoram illum Italicæ Philoſophiæ ſplendorem clariſſimum; educatorem iuuentutis optimum: & muſicæ omnium, qui tum florebant, peritiſſimum? Intendite animum in admirabilem, ac iuuenibus ſalutarem huius viri ſcientiam vos Adoleſcentes, qui

9 (right margin, beside first line)

10 (right margin, beside "loſam muſicis modulis")

Boeth. l. 1. de Muſ. c. 1.

Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 1.

Plut. l. de Muſ.

rem

rem, quàm ſum narraturus numquam vel accepiſtis auditione, vel oculis ipſi legiſtis. Memoriæ proditur à M. Tullio, Quinctiliano, Boethio, quorum integerrima ſemper fuit, & ſpectatiſsima fides. Petulantes quidam, ac vinolenti Taurominitani Adoleſcentes, inſano ardentes amore, cantu quoque phrygio tibiarum (qui præpotens erat ad molliendum, rapiendumque animum) vt fieri ſolebat inſtincti, mulieris pudicæ domum adierunt: quæ cum alieniſſima eſſet, propter caſtitatis amorem à flagitio, taciturnitate preces repudiabat, vimque domi bene clauſa, munitaque repellebat: illi contra minari domus incendium ni patefaciat: fores perfringere inſtituunt: cum Pythagoras, qui per id noctis tempus aſtrorum curſus obſeruabat, animaduerſa indignitate rei, monuit tibicinam, vt ratione mutata ſpondæum caneret: quod cum illa feciſſet, tarditate modorum, & grauitate canentis illorum furentem petulantiã cõſedauit, eosq; inde mitiores recedere coegit. Quã vtilis Brixienſibus Adoleſcentibus eſſet hæc ſcientia Muſicæ non irritantis animos, ſed mitigantis? Quàm fructuoſus ac iucundus toti Ciuitati Pythagoras! qui prætereа ſuos illos adoleſcentes, quos in cœnobio à ſe inſtituto, collatis in vnum pecuniis, in eodem contubernio ad trecentos & amplius alebat, & educabat; muſica quadam ſalutari propemodum excantabat. Nam veſperi lyræ ſonum adhibebat, antequam ſomnum caperent, vt perturbationes, animorumque turbidi motus, quos interdiu res oculis, auribus, ac reliquis obiectæ ſenſibus excitaſſent, ſedati conquieſcerent, atque illi caſtius & honeſtius obdormiſcerent: tum experrectis mane quibuſdam aliis modulis, & cantilenis ad hoc idoneis ſomni ſtuporem, & inanium ſomniorum imagines abigebat. Ex quibus omnibus intelligitis, Viri præſtantiſsimi, quod ego cupio, Muſicæ ſtudium illud eſſe laudabile, veſtris liberis fructuoſum, atque expetendum, commendatum, atque vſurpatum à ſapientibus in educatione iuuentutis, quod eorum componit mores, ſedat affe-

Cic. apud Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 1. Quin. l. 2. c. 10.

Ar. l. 8. Polit. cap. 5.

Agell. l. 1. c. 9. Iuſti. l. 20. hiſt

Plut. l. de Iſide & Oſiride.

Boeth. l. 1. de Muſ. cap. 1.

Digitized by Google

ctus; & animos ætate feruidos ab omni turpitudinis audi-
tione, recordationeque reuocatos, ad modeſtiam, caſtimo- 1
niamque traducit. At hic iam murmurat quiſpiam: Per-
ſuaſiſsimum mihi eſt, ab impura muſica noſtros adoleſcẽ-
tes abduci oportere: tum honeſtiſsimæ operam dare ali-
quam, qua hora ſcholis eloquentiæ licet abeſſe: ſed quid
iuris ſcientiæ obiicis? quid de hoc ſtudio decernis? num-
quid in illo quoque cenſoria lingua reprehendis? Equidẽ,
Auditores ornatiſsimi, plurimum hanc ueſtram vrbem
amo, & antequam viderem, amare cœpi: cum ob nobilita-
tem ciuium, bellicæ fortitudinis ſplendorem, rerum om-
nium vbertatem; tum vero propter hoc ſcientiæ iuris or-
namentum, quo florentem eam, ac beatam video, multiſ-
que illuſtribus Italiæ Ciuitatibus anteire. Cum enim per
vrbis vias incedo, quot iuriſconſulto cerno, tot aſpicere
lumina mihi videor: atque etiam hæc auditorum nobilis
corona, quæ circumſtat, iuriſperitis mihi videtur, tamquã
gemmis diſtincta clariſsimis. Vos ipſos teſtes excito, &
appello ſenſus, & æſtimationis meæ: qui me biennio ante,
cum primum in hac veſtra vrbe, temploq; noſtro publice
peroraui, mirantem hoc veſtræ Ciuitatis ſummum de-
cus, & laudantem audiſtis. Verum illud optarem, vt ado-
leſcentes hi, non ante iuris ſtudio darent animum, quàm
eloquentiæ ſupellectilem, theſaurumque comparaſſent. Eſt
enim eloquentia præſidium legum; iuris prudentiæ cly-
peus, telum iuriſconſultorum; quorum reſponſa, ſenten-
tiæ, conſulta firma eſſe non poſſunt ſine linguæ defenſio-
ne. Quare proficiſcantur Adoleſcentes, non annis acerbis
non inermes, non imparati ex inferioribus Gymnaſiis ad
inſtitutionum imperatoriarum, iuriſque ſtudium, ſed æta-
te maturi, armati, munitique armamentis eloquentiæ. Qui
ſcilicet, ſi me audient, in eius ſcientiæ curriculo ſemper æ-
quales ſuos poſt ſe victos, ſuperatoſque relinquent; & vbi
curſum ſtudendi confecerint, ceteris ſe multo fructuoſius
cucurriſſe intelligent, & ad metam glorioſius perueniſſe.

De

Digitized by Google

12 De Logica, de qua dicendum reſtabat, paullo uehementius loquerer, & acrius inueherer in eos adoleſcentes, tum qui Logicæ ſimul & Latinæ linguæ integritati, atque elegantiæ dant operam, cum qui ſine firmo præſidio latinitatis properant ad artem diſſerendi, niſi vererer, ne Logicæ Magiſter aliquis nominatim ſe pungi notarique ad dedecus arbitraretur. Nam vt noui quoſdam, qui vocabulis artis vtentes explicandæ doctrinæ neceſſitate coacti, cetera latine & emendate loquuntur; ita non me fugit, alios eſſe tam inimicos atque infeſtos incorrupti ſermonis integritati, vt inſtructa barbarorum, contaminatorum, non verborum, ſed portentorum acie, Rhetoribus elegantibus, ad inferendam latinitati vaſtitatem, bellum indixiſſe videantur: & artium benedicendi, ac diſſerendi germanarum ſororum cognationem, inſtitutam à Natura, per corruptum loquendi genus reſcindere ac tollere moliantur. Non ego ſtudium Logicæ condemno, quod adoleſcentior incredibili ſum ardore complexus: quod ſodales mei, cum in totius orbis compluribus prouinciis, & vrbibus, tum vero in his ipſis ſedibus tradunt: quod denique ipſe publica oratione, cum huius anni ſtudia noſtra repetenda eſſent, vobis præſentibus, atq; approbantibus, ſuadens eloquentiam cum ſapientia copulari, liberis veſtris laudaui cohortando. Libere dicam quid non probem: primum quidem Logicã addiſci quo tempore Rhetoricæ præceptiones audiuntur: & uiolas, roſas, ceteroſque floſculos Eloquentiæ, Dialecticorum ſpinis miſceri, pungi, lacerari. Deinde vero non eos laudo, qui nondum fixis, atq; inhærentibus pertinaciter in animo per habitum ſtabilem, radicibus emẽdatæ, puræ, & elegantis latinitatis, ſpinoſiores Logicæ diſputationes aggrediuntur. Itaq; Ciues Brixienſes, ſi quidquam valet apud vos, mea vox & oratio: ſi quidquam amor, quem erga liberos veſtros habeo, poteſt: rogo vos, vt ne hoc cõſiliũ meũ, quamquam ætate iunioris, aures veſtras præteruolet. Iubete hunc ordinem à veſtris liberis, indiſcendo ſeruari: ut gra-

Ar. l. 1. Rhet. cap. 1.

Gradatim ſingulas artes adipiſcantur: vt firmiſſimo latinitatis emendatæ iacto fundamento, primum gradum faciāt ad Rhetoricæ ſcholam; inde, copia dicendi, & ornamentis locupletati, ſeſe penitus ad artem diſſerendi conferant; ex hac, ſi philoſophiam guſtare non placet, ad iuris ſtudium, integrum animum, non diuiſum; omnibus aliis curis vacuum, liberumq; traducant: & latinitatis integritate, Rhetorum copia, Dialecticorum acumine quaſi armis inſtructi, ſtudium illud inuadant collectis animi viribus, cuius poſſeſſionem volunt eſſe fructuoſam, atque diuturnam. Ve- 3
nio nunc ad alteram cauſſam detrimenti grauiorem: quēadmodum ipſi adoleſcentes appellant, negotium; vt parentes eorum, impedimentum; vt ſodales requietem, ſolatiū, & animi relaxationem; vt collegæ mei, ſtudiorum intermiſſionem; vt ego nominare ſoleo, ceſſationem pernicioſam, ingeniorum peſtem, ſtudiorumque ruinam. Attendite quæſo primum quàm hæc ſtudiorum intermiſſio ſit illis pernicioſa; deinde quàm nobis intoleranda cenſeatur.

L. Sen l. de Tranquil. c. 15

Tradunt omnes fere ſapientes ingenia puerorum, quæ rudia ſunt adhuc, necdum exculta diſciplinis, incultis agris eſſe deſertiſque ſimilia; nec vos ignoraris agros primum vepribus, ac dumetis refertos; deinde manu, laboribus, & arte diligentiſſimi cultoris perpurgatos, & excultos; ſi rurſus ab agricolæ cultu deſerantur, & induſtria, ſilueſtribus herbis de integro, ſepibusque compleri; pro frugibus, ſpinas; pro fructuoſis arboribus virgulta progignere. Quis ergo neget horum adoleſcentium ingenia, ſi quidquam ea præceptoris vox, & inſtitutio deſtituat, quibus tamquam excoluntur, ad ſterilitatem priſtinam, ſilueſtrem quaſi naturam, ignorationemque redire? Magna vis eſt naturæ in ſuo ſtatu repetendo: vere dixit ille doctior, quàm probus

Hor. l. 1. ep. ad Fuſcum.

Poeta,

Naturam expellas furca licet, uſque recurret.

Ar. l. 1. Poſt c. 22. idem l. 1. Metaph. c. 1.

Eſt ignoratio nobis ab ortu primo naturaliter in animi medullis infixa; cum appetitu tamen cognitionis, & ſcien-

tiæ:

tiæ: quærit hic doctrinas, vt animum expleat; complectitur eas animus, vt ignorantiam domeſticam minuat, ac depellat. Intermittitur ſtudium doctrinarum? intermittitur etiã ignorantiæ depulſio: qua quieſcente, languor animi per obliuionem ad innatam inſcientiam naturalemq; reuoluitur. Itaq; credite experientibus, & ſtatuite, quantumuis fertile puerorum ingenium, ſine artis perpetua cultura, ſine præceptoris aſſidua cura ſilueſcere. Sumus experti nos, & ſæpe nimis experti ſumus, in pueris ad noſtras ſcholas ventitantibus: qui cum abijſſent in villas, & longo interuallo rediſſent; hoſpites in litteris ac peregrini reuerterunt, iuxta ac ſi nihil vmquam à nobis, vel ab aliis magiſtris audijſſent. Contigit præterea, vt cum antea noſtris explicationibus, atq; ſcholis audiendis eſſent idonei nonnulli; poſteaquam è diuturna vacatione, tamquam è tempeſtatis fluctibus euaſerunt, vt inepti, repudiandi viderentur. O perniocioſam intermiſſionem, o naufragium litterarum, o calamitatem ſtudiorum fructus omnes diſſipantem. Cur Artifices ingenioſi, & in quacumq; arte præcellentes, aſſiduitate tanta ſtudebant, vt numquam animi conatum corporiſque remitterent, nullo die laborem & ſedulitatem intermitterent; niſi vt naturæ huius ad inſcitiam ſuopte pondere relabentis currum, ab obliuione languoreq; tractũ, iniecto rotis ſufflamine continerent? Hoc Apelles Pictorum facile Princeps in arte ſua faciebat; cum apprehenſo penicillo quotidie nulla coactus neceſſitate, niſi retinendæ artis, lineam ducebat. Hoc Archimedes in arte ſua quoque Rex, & in obſidione Syracuſarum Romani exercitus terror, conabatur; cum, non modo, vt anno proximo in hoc ipſo loco audiuiſtis, lineas digitis in peruncto corpore ſcribebat dum in balneo lauabatur; ſed etiam in expugnatæ vrbis tumultu, defixis in terram oculis; intentus pulueri, radium in circulos aliasq; figuras machinis profuturas ducens, à milite inuentus & obtruncatus; non prius animum à meditatione manumq; ab opere retraxit, quàm ſanguis

Pl.l.35.c.10.

Plut. in Marcello l. An ſeni ger ſit. Reſp.
Pl.l.2.c.107.
Val. Max. l. 8. cap. 7.

è ceruicibus profluens lineamenta deſcripta confudit. Idē
Plut. in Demoſth. plane moliebantur in arte dicendi, quam profiteor; tum
Demoſthenes, qui tot rationibus, tantaq; aſſiduitate, quā-
Lucian. in Encom. tam aliàs audiuiſtis, cum repugnante natura pugnans; eā-
què prope ferream in adoleſcentia, calefactam ardore be-
nedicendis malleis diligentiæ conſtantiæquè contundens,
in exercitationis incude, clauſus abditusq; in illa ſubterra-
Cic. l. de cl. or. nea officina molliebat: tum M. Tullius, qui quotidie quà
ſcribendo, quà declamitando meditabatur, vt de ſe ipſe fa-
tetur, ne facultas dicendi comparata, per intermiſsionem
exercitationis ſuapte ſponte langueſceret. Nam qui dicunt 14
vnius intermiſsionem diei, nihil afferre ſtudio detrimenti,
grauiter errare conuincuntur ab ijs ipſis magnis viris, qui
quotidiana meditatione mentem, ingenium, manum, vo-
cemq; colebant. Vnus dies intermiſſus, mihi credite, per-
turbat omnia: ſeriem diſputationum, ordinem rerum, quaſi
catenam ſcholarum, quæ ex aliis aliæ nectuntur, & huic il-
la præfert lumen, interrumpit. Abſunt à ludo die vno, ſed
quo die res explicatur ſequentibus ſcholis allatura lucem:
redeunt poſtero; ſibi verſari cæcis in tenebris videntur, &
nullam diſpicere poſſe ſcintillam veritatis. Cur hoc? unde
tanta caligo? Quia viciſsim interpretationes ſibi ſunt ad-
iumento; quia dicenda una ſine linea præterita fuit. At vi-
dete quàm ſim liberalis; quàm adoleſcentibus benignus;
quàm facilis, ac remiſſus: nullam vnius diei uolo rationem
haberi: detur hoc naturæ; concedatur ætati; tribuatur con-
ſuetudini: nihil in poſterum dicatur de vnius diei ceſſatio-
ne. Sed quis ferat multorum adoleſcentium intolerabilem
licentiam, (quam poſtremo loco conſiderandam propo-
ſui) qui non diem unum, ſed multos; non dies, ſed menſes
integros, ac multos abſunt à ſcholis? qui cum feriati diu re-
deunt, imperitiores, quàm antea reuertuntur? qui uagan-
tur, & ruſticantur, non uerno ſolum, ſed etiam omni tem-
pore anni? qui tam crebro ferias à ſtudiis iniuſſu magiſtro-
rum, ignaro Gymnaſiarcho, repugnante Rectore, reclamā-
tibus

tibus legibus ſcholæ ſibi ſumunt, & tam diu torpent ceſſatione? Non deſunt, qui alternis diebus veniant, & æquitate maxima ſcilicet, vnum diem indulgentiæ corporis, alterum animi cupiditati largiuntur. Pæne quotidianæ ſunt, duorum, trium, octoue dierum vacationes: & hæ fortaſſe tolerabiles, ſi cum longioribus menſtruis, bimeſtribus, ſemeſtribus conferantur. Quis vero patietur id æquo animo, quod quia videbitur multis incredibile, reticere ſtatueram; nonnullos fuiſſe de diſcipulis noſtris, qui cum anni ſuperioris æſtate rus eſſent parentum voluntate profecti, donec ſe frangerent calores, exſpectaturi: vix hoc vere in vrbem remigraſſe? Quod, mutato conſilio dixi conſulto, Brixienſes, ne miremini, cur ardeam, & excandeſcam: neue putetis ea, quæ dicuntur, oratorie dici declamando. Vere loquor, vere doleo; non ſimulatè cõmoueor: agitur de re ſeria, non fictitia, non ad ſpeciem, non exercitationis gratia: latinè loquor cum dico quoſdam per hos dies deſeruiſſe ſcholas noſtras, ad Kalendas nouembres, vel anno vertente redituros. Qua in re, duæ ſunt cauſſæ dolendi: quæ
15 nos attingit altera leuior: qui magnam ſubſelliorum partẽ in Gymnaſiis vacuam inanemq; conſpicimus; vocesq; noſtras, dum bonos auctores interpretamur, in parietes impingi ſentimus, non in diſcipulorum auribus conquieſcere. Grauior altera cauſſa doloris noſtri diſcipulos ipſos reſpicit, atq; in nos magiſtros retorquetur; cum intelligimus quibus in rebus agendis, hoc pretioſiſſimum tempus, quod ſtudijs detrahunt, inſumant, diſſipent, & miſerabiliter interire patiantur. Nonnulli enim à ſcholis perfugæ (miſeros vos, qui pudore victi lucem hanc aſpicere nequaquam deberetis) in aleatorum tenebricoſis gurguſtiis tempus terunt. Hoc, optimum quemque parentem, non terreat? non pungat? non cautum faciat in cura ſuorum liberum? non excitet ad inquirendum in eorum vitam, & obſeruandum quibuſcum ſodalibus peruagentur? Me quoq;, qui parentum ſuſtineo perſonam, qui parentum vicem doleo, cũ

 id

id ad me delatum fuit, afflixit, perculit, vulnerauit; & niſi paucitas mærorem illum animo conceptum, doloremque leuaſſet, me dolor ille confeciſſet. Hoc anno, & ſuperiore diligenter indagaui, & perquiſiui eos, qui ſe intruderent in illas officinas nequitiæ, ſcelerumq; diuerſoria; grauiter, & minaciter eos obiurgaui, quos comperi nocentes; parē-tibusq; curaui, id quod eram ſubodoratus, renunciari. Videtis igitur, Ciues Brixienſes, quod ſit caput horum incommodorum, quod orationis initio quærebamus: videtis intermiſſionem ſtudiorum eſſe corruptricem adoleſcentiæ, fautricem voluptatis, ſeminarium vitiorum, ſtirpem malorum omnium, cum abducens eos à ſchola, vel in aleatorum ludos compingit, vel in otioſa conuenticula ſodalium immittit: vel extra vrbem amandat, vbi tempus conſumūt vagando, & ruſticando omni tempore anni: conſiderate nunc quem animum vobis ſuſcipiendum putetis. Eſt profecto iuuentus hæc libera nimis, frenanda: ſubueniendum eſt huic adoleſcentiæ præcipitanti; ſemen hoc peſtiferum extinguendum eſt, ſi cupitis filios, nepotesq; veſtros ſuorum ſtudiorū fructus aliquos in ea ætate referre. Cauſſam morbi videtis & tangitis: tollite iam, & curationem adhibete celeriter, ne vehementius afflictentur ægroti; conuellite, conuellite quamprimum hāc ſtirpem mali, ne firmiores agat, altioresque radices. Vitioſæ conſuetudines altius infixæ difficile reuelluntur: quæ ſi in adoleſcentibus diuturnitate temporis inueterauerint, vim naturæ propemodum obtinebunt. Prohibete tam multas vacationes, impedite deſidioſiſſimum otium, exſtimulate eos ad iucundiſſimum ſtudendi laborem, abſterrete ab illiberalium ludorum turpitudine, tum ad virtutis, & ſapientiæ pulchritudinem, vt factis, ſic dictis concitate. Quid ergo, dicet fortaſſe quiſpiā,
ſibi vult aſper iſte Cato cenſorius iuuentutis inimicus acer- 16
rimus, hac queribunda oratione? Num omnem adimet adoleſcentiæ requietem? num eam omni laborum alleuamento priuabit? num uolet vt liberi noſtri ſemper animū

Ariſt. l. de Mem. & remin. cap 3. Sect. 28. probl. 1. Quin. l. 1. c. 2.

habeant

habeant intentum, vt arcum, & eum nulla ceſſatione relaxent? Ignorat, ignorat humanam vitam his duabus partibus otio & negotio; contentione & remiſſione; labore & requiete contineri; proinde ab omnibus iuuentutis educatoribus, intermiſſionem aliquam pueris ludumque concedi. Poſſem huic equidem reſpondere, quod ſenior Dionyſius interrogãti nũ ei eſſet otiũ reſpondit, *Abſit vt hoc mihi vnquam contingat: arcus enim cum tenditur rumpitur; animus cum laxatur*, Sed nec ſum, nec videri patiar adeo ſtoicus & acerbus, vt iſti patroni iuuentutis nimis officioſi dicunt. Iure mihi ſuccenſerent, ſi nihil tribuerem adoleſcentiæ; ſi voluptatibus honeſtis omnia denegarem. Detur per me aliquid remiſſionis ætati, ſed cancellos honeſtatis ne transgrediatur: ſit adoleſcentia liberior in luſionibus: ſed præſcriptio moderatioque teneatur: dedat aliquid temporis ad ludum pilæ; quem arbitror eſſe liberalem, corporibusque ſalutarem; ſed nequaquam tempore ſtudiorum atque ſcholarum. Neque enim tam ſum iniquus, vt quem ludum adoleſcentulus mihi eripi à grandioribus natu ferebam ægerrime: nunc ætate prouectior adoleſcentulis ipſe præripiam. Nos quoque nouimus à Platone defatigationem inter hoſtes diſciplinarum numerari: didicimus ab Ariſtotele non ſolum otium aliquod inter negotia requiri, ſed etiam iucundum otium, quod ioco ludiſque comparatur: legimus apud M. Senecam patrem, *ſentiri laſsitudinem ingenij, quæ non minor eſt, quàm corporis, ſed occultior*: & apud L. Senecam filium, *Animos quandoque relaxandos; à requiete ſurgere acriores; impetum eorum frangi, hebeſcere, languere aſsiduo labore: fœcunditatem ingeniorum, vt agrorum, numquã intermiſſam exhauriri*: reperimus apud Plutarchum ſententias plane ſimiles; qui præterea parentes reprehendit, filios immodicis laboribus onerantes: deniq; apud Cornelium Celſum rei medicæ bene peritum, & alios, litterarum ſtudium tam eſſe corporis inimicũ, quàm animo ſalutare. Quamobrem nos eum morem in ſcholis

Plut. l. de educ lib.
Ar. l. 8. Polit. cap. 3.
Plut. l. An ſeni ſit ger. Reſp.
Gal. l. de parua pilæ exerc.
Plato l. 7. de Rep.
Ar. l. 8. Polit. c. 3. 5. 6.
M. Sen. l. 1. contr. cu. Præfat.
L. Sen. l. de Tranq. ca. 15. epiſt. 59.
Plut. l. de educ. liber.
Corn. Celſ. l. 1. de re med. in proœm.
Apul. Apol. 1.

Digitized by Google

hiſce Brixiæ retinemus, quem à benè temperatis Gymna-
ſiis accepimus; vt ſingulis hebdomadibus, quæ feſtis die-
bus non interrumpuntur, requieti Magiſtrorum, ac diſci-
pulorum dies vnus, vel integer, vel dimidiatus tribuatur.
Quid quod tot dies feſti ſunt ad Dei Opt. Max. cultum in-
ſtituti, qui huic quoque animorum quieti deſeruiũt? Quid
quod intra annum alias ferias habemus ſub natalem diem
Liberatoris noſtri, ſub Quadrageſimã, tum ante, & poſt diẽ
Chriſto reuiuiſcenti ſacrum? Autumni vero tempore con-
ſuetudini totius ciuitatis paremus: vacationes bene longas
damus; ad vindemiam dimittimus, magis vt illis, quam vt
nobis ſeruiamus: vnde difficile eſt adeo, laborioſumque re-
uocare, vt obliti viæ quæ ducit ad vrbem eſſe videantur. At
hic non auribus, ſed mente ſentio neſcioquem his me ver- 17
bis caſtigantem. Quid adeo pro ſuggeſto vociferaris? Cur
publice miſeros adoleſcentes obiurgas? In ludo priuatim
monendi ſunt primum amanter, grauius deinde verbis, &
ſi ſit opus, verberibus caſtigandi: diligentia ſtimulãdi ſunt;
& tam multa ſunt illis imperanda negotia, nihil ut loci, vel
temporis luſionibus, & ruſticationi tribuere poſſint. Noli-
te, quęſo uos qui hoc dicitis nos inaudita, indictaque cauſſa
condemnare: vobis ipſis diſceptatoribus, ac iudicibus vti
volo; veſtri liberi nos accuſent; ipſi dicant in nos teſtimo-
nium; obijciant ſi quid à nobis eſt prætermiſſum. Videte
quàm innocentiæ noſtræ confidam, vt eos in quos inuehor
oratione, teſtimonium minime reformidem; eoſque teſtes
producam, ac proferam. Prodeant ergo liberi veſtri in hũc
conuentum medium, & de noſtra mediocri diligentia, la-
boribusque teſtificentur quid ſentiant; aut certe negligen-
tiæ tamquam accuſatores nos inſimulent. In hunc conſeſ-
ſum, vos Adoleſcentes noſtri teſtes ad hoc iudicium exci-
to: prodite, & libere me tacente, aut etiam, aut non reſpon
dete: vel ſi minus loqui placet, me loquente quæ dicam, aut
reclamando refutate, ſi falſa; aut ſi uera ſunt, acclamatione
comprobate. Nonne dum in Gymnaſiorum noſtrorum
ſpa-

Digitized by Google

ſpatijs verſamini exercitationibus vtilibus vos continenter occupatos detinemus? non ſinimus reſpirare? nihil vobis otij damus,& quietis? Nonne monemus,inſtamus,vrgemus,tum metu turpitudinis, tum honoris illecebra, ſpeque præmiorum? Nonne modo blande appellamus;modo grauiter hortamur,modo minitamur ignominiam, dedecus,verbera;ſeueriusque nonnumquam caſtigamus? At vbi non accedunt ad nos, Auditores, quid reliqui faciendum eſt à nobis?Quod debebamus videlicet perſoluimus. Vbi fuerint,ex illis quære. Quærimus, vbi fuiſtis? Reſpondent in villa. Vnde venitis?è villa. Credo equidem illis vel iuuratis;agri Brixienſis, & horum amœnorum collium itinera iam ſunt illis notiora,quàm vrbis & diſciplinarum. Quid ergo?Num cum è rure diſſipatis, ac perditis rebus ijs,quas dedicerant,reuertuntur, id quod factum eſt,efficere poſſumus vt ſit infectum?Hoc vnum,ne à Deo quidem fieri poſſe philoſophus non ignobilis Agatho dictitabat. Impera multa. Non parcimus: ſeuere admodum hæc tria quotidie requirimus à quoque diſcipulo, & diligenter exigimus. Primum vt quod præſcribimus è latino ſermone conuertant in uernaculum: deinde vt quã dictamus epiſtolam, vel oratiunculam patria lingua latinã reddant: poſtremo vt quod interpretamur è Cicerone Virgilio,Salluſtio,biniſque alijs auctoribus repetant, memoriæ mandent, & memoriter recitent commendatum. Quid nam Parentes à nobis præterea requiritis? Deſideratis exercitationem continuam latinè loquendi vt facilitatem expedite dicendi conſequantur? Exercentur continenter. Deſideratis in grandioribus vſum declamandi? Declamant frequenter. Dicite vos Diſcipuli, quoniam ſum iam defatigatus, & turpe eſt noſtra commemorare: nonne in Rhetoricæ Gymnaſio, præter illas tres ceteris ſcholis communes exercitationes, præter rationem conficiendorum carminum, & Græcæ linguæ explicationem, crebræ declamationes habentur, & crebriores eſſent, niſi

Arl.6.eth.c.2

vestra

veſtra laboris fuga, (ne dicam negligentia, atque pigritia, niſi iſta peſtilentiſſima veſtris ingeniis, & perniciosiſſima ſtudiis intermiſſio ſcholarum & ceſſatio tam frequens, atque diuturna meum ordinem interrumperet? Quo quattuor orationes meæ partim in Templo, partim in hac ipſa palæſtra dictæ ſpectarunt, niſi vt ad amorem eloquentiæ raperemini? Cum oſtendebam in nobili ciue tum togato, tum armato neceſſitatem eloquentiæ; cum probabam ſtylum optimum eſſe dicendi magiſtrum, cum declamandi meditationem docebam ad dicendum eſſe propemodum neceſſariam; cum denique demonſtrabam eloquentiam eſſe ſcientia doctrinarum omnium imbuendam, quid à vobis aliud exigebam, quàm quod Parentes veſtri nunc à nobis efflagitant, vt ſitis eloquentes? Pulſentur verberentur. 18
Animum meum verberat hoc Chryſippi conſilium, non mihi perſuadet faciendum. Improbamus nos crebras verberationes: optamus vt amore virtutis potius, & honoris ſpe, quàm terrore verberum, & plagarum moueantur. Eruditi ſumus ab optimis puerorum, & iuuentutis educatoribus Quinctiliano, L. Seneca, Plutarcho, qui rationibus, monitionibus, verecundia malunt emendari, docerique ſi memoria illis non conſtiterit, ſi tardus oculus in legendo hæſerit, ſi penſum non rediderit, quàm cædi, ac verberari. Qui trepidatione degeneri minui nobilem indolem, liberalem animum corporis dolore contundi: ſeruos ac mancipia decere verbera magis, quàm liberos & ingenuos putant: ſeruilem induere animum, & ad plagas obdureſcere, qui obiurgatione non corriguntur, exiſtimant; grandioribus denique nec adhiberi poſſe verbera, nec debere definiunt. Quamobrem vt libentius addiſcerent, vt eſſent aſſidui, fructus vt caperent ſtudiorum, nouam quandam & inuſitatam in hac vrbe rationem excitandorum, ſtimulandorumque diſcipulorum excogitauimus. Intelligebamus ſane ſcholam, vt de Rep. Solon dicere ſolebat, duabus maxime rebus, *pœna & præmio contineri*: nec aberraſſe Democritum

Quin. l. 1. c. 3. L. Sen. l. de clemen. cap. 16. Plut. l. de educ

critum qui pœnam & beneficium in pari laude ponebat: nec diſſentire Plutarchum, qui prima virtutis elementa ſpem honoris, ac formidinem pœnæ definit. Veniebat in mentem quod præclare ſcriptum à Cicerone fuerat, Artes honoribus ali, tũ ad ſtudia gloriæ cupiditate cunctos accendi; propiereaque laudatum à Claudiano Stiliconem quod virtutem præmijs excitaret;

Cic.l.1.de or. l.3. de Nat. Deorum. l.ep. ad Brut. ep 15. Pl l.2. cap.7. Plut.l.de educ. Cic l.1.Tuſc. Claud. in Paneg.Stilic.

Egregios inuitant præmia mores;
Hinc priſca redeunt artes; felicibus inde
Ingenijs aperitur iter.

Occurrebat item animo, maximum eſſe calcar ad virtutes, atque artes, æmulationem: talem præterea naturam eſſe puerorum, vt ſi uincunt, efferant ſe lætitia, uicti debilitentur, animosque demittant. Itaque certamen quoddam ſine puluere ac ſudore, domeſticamque pugnam ingeniorum in quacumque claſſe diſcipulorum, non tam instituimus, quàm reſtituimus à Verrio Flacco nobiliſſimo Grammatico nepotum Auguſti magiſtro, cum utilitate quondã inſtitutam. Inter ſe diſcipuli committuntur, ingenio, ſcientia pares, & ætate: compoſitis eſt pro ſcammate, Gymnaſium; pro rude, calamus; pro telo, ſtylus; pro ſcuto, liber: non illos producit in ſtadium, niſi gloriæ cupiditas, & ingeniũ: non ictibus pugnant, ſed ſcriptione. Iudices adſunt æqui, & integri, qui ſingulorum ſcripta poſt certamen legunt, cenſent, notant accurate; emendationem, latinitatem, elegantiam, orthographiam, litterarum ipſarum quoque pulchritudinẽ expendunt, conferunt, & optimæ ſcriptioni (non auctoribus, quorum nomina latent iudices) palmam adiudicant. Tum publico in conuentu condiſcipulorum, magiſtrorum, ciuium, inſigni ad ſpeciem apparatu, clariſſima voce præconis uictorum nomina declarantur: additur pugnæ genus quo quiſque uicit, latine an græce; uerſibus an ſoluta oratione; epiſtola, an oratione: ſubditur uictoriæ gradus, primus ne fuerit, an ſecundus, an tertius uictor: publicataque nomina iterum ac ſæpe concentu muſico repetũtur

Quin.l.1.c.2.3 Ar.l.2. Rhet. cap 12. Cic.l.5. de fin.

Suet.l de clar. Gramm.c.18.

tur ad honorem. Poſtremo libelli ſpecioſe ac belle complicati, purpura picti, & auro diſtincti ſingulis uictoribus pro uictoriæ præmio diſtribuuntur. Multi ueſtrum interfuerunt huic pompæ, diſtributionique præmiorum, cuius & Templi illius columnæ uidentur meminiſſe: quo de ſpectaculo certo ſcimus, gloriæ ſtimulis pæne omnes adoleſcentes uulneratos, ſcientiæ & eloquentiæ cupiditate ſucceſos ad ſtudia litterarum omni conatu corporis & animi complectenda diſceſſiſſe. Verum ardor ille iuuenilium 19 animorum deferbuit; impetus elanguit; cupiditas diſcendi refrixit. Itaque ueſtra opera ſane quam egemus ornatiſſimi uiri, qui filios noſtræ curæ credidiſtis: ueſtram opem & auxilium imploramus. Porrigite, porrigite nobis dexteras: adiuuate conatus noſtros: iungite ueſtras uoces noſtris adhortationibus; ueſtras admonitiones obiurgationibus noſtris: ſic ſpero, coniunctis uiribus ad aliquem eloquentiæ doctrinæ, & honoris gradum prouehentur. Mementote uos quibus Natura parentum perſonam impoſuit, cura quoque bene educandorum filiorum eiuſdem lege teneri: ſolicitudinem hanc, paterni amoris erga filios argumentum eſſe clariſſimum: maioribus atque amplioribus honoribus dignos exiſtimari qui recte inſtituerint, quàm qui tantum liberos genuerint, ſummi Philoſophi Ariſtotelis ſententia, quod his uitam ſolam, illis uitæ bene atque honeſtæ degendæ rationem liberi debeant: proinde Gothorum Rex Athalaricus Venantium conſulatu Romanorum dignum ducit, & honeſtat; quòd bene liberos educauerit. Tria ſunt quæ à uobis & efflagitamus, & impetrare ſperamus, quibus ingenia ueſtrorum liberum, & ſtudium excitemus. Primum illud eſt, ut eos domi uerbis, & adhortationibus pungatis interdum, & urgeatis ad ſtudendum; & ea expedienda, quæ præſcribuntur à præceptoribus in ſcholis, ubi non ea fieri commode poſſunt, quo tempore Magiſtro dandæ ſunt aures: commode domi fiunt in conclaui, quo loco neque condiſcipulorum nugæ, neque puerorum

Ariſt. l. 1. Oecon. cap. 3. *Plut. l. de Am. Prolis.* *Diog. laer. l. 5. in Ariſt.* *Philoſtr. l. 6 de vita Apollon. cap. 14.* *Caſſiod. l. 9. Var. ep. 23.*

uoces;

uoces; neque aliud quidquam interpellat, & auocat animũ uel à rebus memoriæ commendandis, quæ ſilentium in ea functione poſtulat; vel à ſcriptione, quæ, ut à Quinctiliano didicimus ſolitudinem amat & requirit. Tum minas miſcete cum promiſſis; addite ſpem timori; defigite parumper oculos in eos: pertimeſcent mihi credite ueſtrum obtutum, oculorumque coniectum: ſi uagabuntur, ſeſe colligent: ſi otioſi erunt, ſument libros: ſi ſomniculoſi, expergiſcentur. Exigite ſcholarum rationem, quas à nobis habent explicatas: interrogate de ijs, quæ audierint, didicerint, legerint: percunctamini num omnia quæcumque magiſter præſcripſerit, ipſi tranſegerint & abſoluerint: quæ omnia ſine magno labore uel pranſi vel cœnati facere poteſtis. Quod ſi Cato ſenior ille qui pariter fuit & orator, & ſenator, & imperator, etſi domi Chilonem bonum Grammaticum habebat, filium tamen ipſe litteris erudiebat: ſi Cæſar Auguſtus C. & L. Cæſares ex Iulia filia nepotes, quos adoptauerat, litteras & alia multa per ſe docebat, inter curas non urbis regendæ, ſed orbis: uobis graue fuerit, ac moleſtum, id quod maxime pertinet ad familiæ gubernationem, non dico docere filios, ſed quid egerint, aut non

Quin. l. 10. c. 3.

Plut. in Cat. ſen.

Suet. in Aug. cap. 64.

2 egerint eo die ſolummodo ſciſcitari? Quod deinde maiorem in modum petimus, ac pro veſtra in filios beneuolentia obteſtamur eſt; ne tam ſæpe eos in uillas, ac prædia dimittatis. Non proficiſcentur eò, ſi uos prohibeatis, ſi uultu ad ſeueritatem compoſito pernegetis: non inſtabũt, ſi uos inexorabiles præbeatis; animo abiecto, demiſſoque capite in ſua cubicula redibunt. Quo loco paterna indulgentia ſpoliandus eſt animus, tantiſper dum iuuenilis appetitus uagandi, & ruſticandi retundatur. Immo tum uere, tum utiliter eritis indulgentes, cum eorum utilitati magis, quàm cupiditati ſeruietis. Habent dies feſtos; habent intermiſſioni diem aſsignatum; habent autumnales uacationes; illis relaxent animum, curis ſoluant, otioque reficiant. Tertium ac poſtremum illud, quo uolumus à uobis

Digitized by Google

adiuuari, moleſtum fortaſſe videbitur, ac laborioſum; ſed labor vtilitatis fructu compenſatur. Accedite ad nos interrogandos quandoque de liberis veſtris: quærite ex nobis quid agant, ut ſe gerant, quantum in litteris proficiant, nũ abſint à ſchola frequenter, quia hoc veſtro acceſſu nos & illos pariter diligentiores efficietis. Noſtis opinor prouerbia iactata vulgo, prodita ſapientum libris, & vt eſſe ſolẽt, veriſſima, tum agrum, tum equum oculo Regis ac Domini pinguem fieri. Quod optime intelligens Theodoſius Imperator ille maior, quamquam Arſenio viro doctiſſimo, ſanctiſſimoque educatori, Magiſtroque morum & litterarum, Arcadium & Honorium filios commendauerat; interdum tamen ex improuiſo ſcholam domeſticam ingrediebatur; non tam vt inſpiceret quid Arſenius ageret, de cuius probitate, ac diligentia minime dubitabat; quàm vt ſcrutaretur num in re vlla filii ſuo muneri officioque deeſſent: quos cum aliquando ſedentes reperiſſet, Arſenio ſtãte, grauiter obiurgatos iuſſit in poſterum ſtare, ſedẽte præceptore. Quo magis miranda eſt conſuetudo quorumdam hominum (nolo parentes appellare, quia ſi parẽtes eſſent, non tam negligentes in liberum vtilitate procuranda viderentur) qui ſimul ac ſuos liberos ad nos adduxerunt; quaſi peſtilentiam aliquam, aut monſtrum pertimeſcentes aufugiunt, auolant, & numquam noſtras ſcholas liberum ſuorum gratia reuiſunt. Pueri, quippe qui ſunt aſtuti, uerſutique natura, cum animaduertunt à parentibus, ſe quodam modo negligi, fallaciter & ipſi litterarum ſtudia, ſcholas, noſtra verba ac ſemetipſos negligunt. Sæpe abſunt; ſerius quàm ceteri veniunt; rationem ſtudendi præſcriptam nullam ſeruant. Quærimus, cur tarde? purgationem habent in promptu; Negotium nobis fuit, inquiunt. Cur ſtudendi rationem præceptam non ſeruaſtis? idem mihi pro reſponſo inſuſurrant: atque illa ſua cantilena, quam ſemper habent in ore, quaſi clypeo, magiſtrorum omnem ictum obiurgationis, verberaque depellunt.

Pl. l. 18. c. 6.
Ar. l. 1. Oecon. cap. 6.
Plut. l. de educ.
Niceph. l. 12. Hiſt. eccl. c. 23.

pellunt. Nos qui modeſtiæ fines prætergredi nolumus, quod ſit illud negotium à parentibus, vel patruo, vel auunculo iniunctum non audemus inueſtigare; neq; ſi vellemus liceret; cum non habeamus ſeruos, aut internuncios, quos domum mittamus ſciſcitatum. Quod ſi quando quempiã è condiſcipulis miſimus, parentes offenderunt ægre ferentes diligentiam noſtram. Scimus tamen experientia docti ſæpe nos, & parentes decipi, ſæpe falli, neque mederi poſſumus huic malo, quòd parentes neminem ad nos mittunt, & vocati, precarioque accerſiti venire recuſant. Vt autem
22 intelligatis nihil eſſe fallacius adoleſcente, quem in ætatis flexu cuſtos deſeruit: tum vt ſeueritate huius auſteræ orationis mitigata, vos ad hilaritatem, lætitiamque traducam, narrabo quid hoc anno mihi acciderit in hoc genere. Vera res eſt, Auditores, quam expono, diſcipulis hiſce meis omnibus nota; cuius omnes item meminiſſe animaduertetis. Similes fraudes alii quoque præceptores deprehenderunt in ſuis. Ventitabat ad me audiendum negligentiſsimus adoleſcens, è cuius manibus ſcriptionis extorquere poterã nihil: accedebat ad iſtam ignauiam, fugamque laboris abſentia creberrima, dieſque ita intermittebat, ut modo tertiana, modo quartana dixiſſes laborare (ſuſurrus ille veſter, Adoleſcentes, ac riſus facit, vt meminiſſe videamini, qui hic fuerit; ego autem eum minime nomino, quare mihi ſuccenſere nec debebit, nec poterit, niſi de ſe voluerit, me tacente, confiteri) ferebam adoleſcẽtem vt poteram, & quantum potui tuli: nunc minis terrebam obiurgando, nunc obiurgationis acerbitatem lenitate verborum mitigabam: contra ille perſeuerare in ſua negligentia, excuſationes texere, conficta nectere mendaciuncula. Sed ubi blanditias, cohortationes, obiurgationes, minas nihil ad emendationem valere perſpexi, quoniam roborata iam erat ætate, atq; animo obfirmato; verberibusq; nihil, aut perparũ ſperabam me profecturum; nec adhibere, propter cauſſas iam expoſitas, volebam; ne peſsimo exemplo ſuo corrum-

peret æquales, & vniuerſam Gymnaſii diſciplinam peruerteret. accerſo patrem; qui per id tempus ad urbem uenerat; accurrit: rem totam, præſente filio, paucis expono. Iuuenis conſcientiæ teſte conuictus obmutuit: parens vero me primum attente audire; deinde mirari, obſtupeſcere, vociferari, ſe Brixiæ magna impenſa filium aluiſſe, quo fructuoſius in ſcholis noſtris Latinas litteras addiſceret: eũ ab omni cura ſolutum, labore uacuum, munere liberum reliquiſſe, ne ullo à ſtudiis impedimento retardaretur: tum obteſtari cępit me per beneuolentiam, quam in filii cura, declarauerani erga res ſuas, nihil ut in poſterum adoleſcenti mẽdaci fidem haberem: poſtremo filio minitans odium ſuum, uerbera, domeſticum exſilium ſi calcitraſſet, ſi mandatis meis obtemperare renuiſſet; mihi gratias egit ampliſsimas quod filii ſalutem commodis meis antetuliſſem. O miſerã & luctuoſam parentis conditionem, quem abſentem neceſſario, filius tam callide fallebat. O fruſtra ſuſceptos labores; o ſpem inanem & fallacem, quæ lubrica adoleſcentis natura nitebatur. Diſcant huius exemplo, diſcant patres familias liberos cuſtodire, notare mores eorum; ſpeculari vitam, perueſtigare amicitias, examinare familiaritates, inuigilare ſtudiis & utilitati: diſcant aliorum damnis, ſibi ſuiſq; impendentia damna uitare, niſi uelint domeſticorum incõmodorum exemplis fulcire ruinas aliorum. Conueniãt nos interdum ſponte ſua libenter; veniant uocati, & inuitati libentius: vbi peccaſſe compererint filios, & ſubterfugere ſcholam, ſeuere in eos iure paterno ſalutariter animaduertant; nec inultum crimen, impunitumq; dimittãt. Et quoniam uos pro prudentia ueſtra maiore adhortatione non 23
egetis ad eam curam & labores ſubeundos, quos à uobis liberum educatio liberalis poſtulat, & paternus amor efflagitat, iam ſatis ſuperq; moniti; date mihi ueniam, ut ad eos traducam orationem meam. Tentabo num poſſim ad reliquam anni partem aſſiduitate ſtudendi conſtantiaq; tranſigendam accendere: conabor quantum in me erit, & obti-

tinebo fortaſſe, vt quemadmodum velis, & remis concitata nauigia retinent motum, & curſum ſuum, ventorum flatu, pulſuque remigum intermiſſo; ſic incitata, impulſa, permotaque iuuentus hæc à me dicendo, ſtudiorum curſum, orationis ceſſante conatu, ſonoque vocis euaneſcente, ad exitum vſque anni proſequatur. Vtinam, Iuuenes Brixiẽſes, (oratio mea vos appellat) hic afflictus corporis ſtatus, vel integer eſſet, vel ſaltem is, qui erat, antequam docendi labore debilitaretur: vtinam illam firmitatem laterum, illã vocem, illas vires haberem, quas mihi ſentio deeſſe, ſeruirem iuſto dolori meo; ſalutares aculeos obiurgationis excuterem, & facerem profecto, iuſta cauſa confiſus, vt iſtam rationem viuendi, quam tantopere adamatis, & luctu digniſſimam, & abijciendam putaretis. Sed quoniam vires non ſuppetunt, quaſi extra concionem, remiſſa vocis contentione, vobiſcum familiariter loquar Adoleſcentes. Colligite vos, & qui ſitis, & quid facere poſſitis conſiderate diligenter. Nonne videtis volucrem ætatem ad interitũ pleniſſimis velis nauigare? Non animaduertitis, quàm longæ, quàm multæ, quàm difficiles artes ſint vobis perdiſcendæ, quæ requirunt à vobis, vt ne punctum quidem temporis excurrere ſine ſtudio patiamini? Quod Medicorum Princeps Hippocrates de Medicina protulit celebre, atq; illuſtre pronunciatum, *Ars longa, vita breuis*; idem in ſingulas diſciplinas, quas comparaturi eſtis fere quadrat: & vos poſſe dormitantes, otioſos, vagantes, ruſticantes magnas difficultates diſciplinarum exſorbere, & vel leuiſſimam cognitionem omnium haurire putatis? Erratis, erratis, Adoleſcẽtes, ſi in animum id inducitis: aliæ vitæ ratio vobis eſt ineũda: numquam ſane viri ſapientes exiſtimabunt, ſi tam ſæpe in medio curriculo conſiſtatis, poſſe vos metam glorioſe contingere; ſplendoremque patrum, auorum, ac maiorum veſtrorum obſcurare gloria veſtra, vel æquare. Vigilãdum eſt de nocte; laborandum interdiu; frequentanda ſcholas volutandi libri; ſtylus exercendus, numquam ſtudium, ne

Hippocr. Aphor. 1. l. Sen. l. de Breuit. vita. c. 1.

artium ſtudiis celebratis? num urbes deſcriptæ ſunt, & conſtitutæ ut perpetuo ruri uiueretis? An ignoratis urbem paſſibus nobilitatam, & ueſtigiis noſtris fuiſſe conſulto ſignatam, ut in ijs inſiſtẽtes, quò nos uirtus noſtra duxit, uos quoque ueniretis? Cur uitia recentia, & noua potius uos, quàm paternæ uirtutes, & auitæ commouebunt? Cur uos perditorum ſodalium inuitationes à ſtudiis in uillas auocabunt, & magiſtrorum ueſtrorum adhortationes à uillis nõ poterunt ad ſtudia reuocare? plus ne ualebunt apud uos illorum molles, & iocoſæ uoces ad perniciem, quàm ſeueræ, & graues horum ad ſalutem? Vos cenſeatis iſto genere, & inſtituto uitæ tam languidæ, tam negligentis, tàm agreſtis, decus & ornamenta uitæ, celebritatemque nominis comparari? Vos putetis itinere iſto, nos eò nobilitatis & gloriæ perueniſſe quò peruenimus? Veſtra iſta uita retibus implicita, ſuccincta canibus, inhærens in uiſco ualde diſſimilis eſt noſtræ; eſt adoleſcentiæ parum de uirtute, & gloria cogitantis, eſt maiorum ſuorum ſplendorem inobſcurantis. Itaque commoramini in urbe, frequentate ſcholas; deponite iſtam immoderatam ruſticandi cupiditatem; auſcultate ueſtris præceptoribus; & uidete ne tam freqüẽter per campos errando, nimis à uia recta uirtutis erretis. Nõ enim nos eos fundos uirtute noſtra laboribusque cõparauimus, & uobis nepotibus, poſteriſque noſtris reliquimus cũ ampliſsimo patrimonio nobilitatis; ut uos in illis otio deſidiaque langueſcẽtes nobilitatem à nobis hereditario iure acceptam inglorii atque obſcuri perderetis. Quid huic auorum, maiorumque ueſtrorum grauiſſimæ querelæ poteſtis excuſationis afferre? ſi ſic loquerentur, non ne rubore ſuffuſi, dimiſſis oculis obmuteſceretis; & in poſterum uos, uos ipſos, naturam contumacem, inueteratamque conſuetudinem uinceretis? Iam uero audite me præceptorẽ amantiſſimum ueſtrum omnium; audite commodis ueſtris, & honeſtati conſulentem: adeſtote animis, quemadmodum adeſtis corporibus, atque hæc poſtrema uerba mea, quæ

Digitized by Google

uobis uniuerſis publice dicam ex hoc loco, memoriæ penitus, mentibusque mandate. Si hæc uox præceptis Rhetoricæ conformata ueſtrum multis utilitati, ac uoluptati fuit, nunc eam attentis auribus dicendo feſſam, debilitatamque percipite. Moneo uos pro ueſtra humanitate, quam numquam exuiſtis; pro mea magna, & uobis cognita in uos beneuolentia, & diligentia rogo; pro mea auctoritate cohortor, pro magnitudine periculi, turpitudinis, & dedecoris, quæ uobis imminent obteſtor, ut in ueſtris ſtudiis conſtantiam, aſsiduitatem, perſeuerantiamque retineatis: neue poſthac ulla fiat per uos ſcholarum intermiſſio, tam calamitoſa ſtudiis ueſtris litterarum, quàm fructibus grando, & frugibus ipſa calamitas. Poſtremo dum ad ſapientiæ, & eloquentiæ mercatum, aura diuini numinis aſpirante, nobis magiſtris nauigatis; ſaltatorum, & aleatorum ludos, tamquam uoragines uirtutum, bonorũque omnium uitate: rura uero tempore alieno, hoc eſt, dum habentur ſcholæ, fugite quaſi ſcopulos diſciplinarum, ad quos, cum uos æſtus iuuentutis defert, & allidit, naufragio iacturam facitis, puncto temporis, earum omnium mercium, bonarum artium, & litterarum, quas in noſtris ſcholis multo labore & tempore comparauiſtis.

FINIS.

DE LIBERALI NOBILIVM ADOLESCENTIVM EDVCATIONE.

Oratio XIIII.

QVÆ res in principijs dicendi mediocres
1 ingenio, atque vſu declamatores, ætate iuuenes, domeſticiſque tantum auditoribus, ac parietibus aſſuetos, terrere ſolent ac frāgere; cum etiam ſummos illos ingenioſiſſimos exercitatiſſimosq; oratores nõnullo quandoque metu debilitant: eæ mihi contra, dicenti nunc primum in hac antiquiſſima, ſapientiæque amantiſſima ciuitate, ſopitos exſuſcitant, atque erigunt animos ad dicendum; eædem erecto ſummam alacritatē afferunt orationis proſequendæ, ſpemque maximam faciunt conſilii noſtri perſuadendi vobis, & probandi. Sapientiſſime Epiſcope Federice, præclariſſime Prætor, ceterique Auditores ornatiſſimi. Cum enim in intimos animorum veſtrorum receſſus coniectura deductus, qui ſenſus, quæ voluntas, qui ſit affectus eorum erga nos, atque res noſtras cogitatione perquiro diligenter; dici uix poteſt, quàm propendentes inclinatione voluntatis in nos, quàm plenos amoris inuenio; quem ſæpe frequentia ſignificatum, declaratum ſilentio; teſtatum, vbi fuit opus, oratione commemini. Cum veſtra ſingulorum conſilia, ſtudia, munera mecum ipſe perpendo; Viri præſtantiſſimi; cum cogitatis noſtris ea conſpirare, cū laboribus, cum conatibus, atque adeo cum hac ipſa oratione mea conſentire deprehendo, ſatis vt ipſa per ſeſe uos reddant ſine vlla cohortatione perattentos. Cum denique oculos in huius inſolentiam loci, atque in hanc doctiſſimorum virorum multitudinem conijcio; me reficit & cō-

firmat iſta veſtrum omnium alacritas, quam concurſus audiendi cauſſa factus oſtendit; quamque non niſi præclarum indicem humanitatis veſtræ, benignitatis teſtem, & obſidem futuræ attentionis eſſe puto: meque timere vetat, ne non feliciter aura beneuolentiæ veſtræ prouecta, mirificā nacta ſilentij tranquillitatem, euitatis offenſionum ſcopulis, curſum ſuum conficere queat oratio. Res accedit diſputanda grauis & copioſa, in qua ne ieiuno quidem, atque indiſerto prorſus oratori videtur umquam oratio defutura. Dicendum eſt enim de liberali nobilium adoleſcentiū educatione, ciuitatibus maxime neceſſaria, liberis ipſis vtiliſſima; proinde parentibus optatiſſima, mortalibus omnibus periucunda: & eo tempore dicendum, quo tantiſper intermiſſum laboris huius honeſtiſſimi curſum, redintegratis per ceſſationem, atque otium, ingenii corporiſque uiribus, vna cum ſtudioſis, ipſi Doctores ſapientiæ renouare conſueuerunt: & in eius ſplendore vrbis, in qua cunctæ pæne nobilitatis Italicæ florem, & exterarum Gentium lectiſſimam iuuentutem, educationis ingenuæ, diſciplinæq; gratia ſcimus quotannis, a multis ſæculis eſſe verſatam: & quod caput eſt, apud homines beneuolentiſſimos diſſerendum; quorum partim in iuuentute, doctrinis quiſque ſuis, excolenda totam ætatem honorificentiſſime collocarunt; partim huius fructuoſæ inſtitutionis inflammati cupiditate, patriis è ſedibus in Gymnaſium Patauinum, tamquam ad celeberrimum mercatum, pleniſſimumque rerū earum, quibus exornatur adoleſcentia, certatim conuolarunt. Itaque cum rei tractandæ magnitudinem, opportunitatem temporis, nobilitatem vrbis intueor; cum iuuenū frequentiam, celebritatem loci, ſtudia cunctorum auditorum, animumque proſpicio, ſingula fluere ad voluntatem meam video; conatibus incæptiſque noſtris afflare omnia ſentio; cuncta denique intelligo eiuſmodi eſſe, quæ non modo bene me ſperare iubent; id quod oratorem natura imbecillum, nec arte magnopere inſtructum mirifice re-

creat; ſed etiam quæcumque deſiderari ſolent,in orando, modicę de me ipſo,de nobis omnia cumulatè pollicentur. Atque illud præterea mihi lætandum eſt, Auditores,quòd huic primæ ad dicendum ingreſſioni meæ, res eadem ſuppeditat argumentum,quæ Societatis noſtræ partem longè maximam ſibi curarum vindicat,& laborum;quæque moderatores noſtros, intra domeſticos harum ædium parietes,litterarum, doctrinarumque ludos inſtituto maiorum aperire coegit. Quamobrem cum qualis educatio nobiliũ adoleſcentium eſſe debeat; quàm neceſſaria ciuitatibus exiſtimetur;quàm cordi parentibus eſſe oporteat declarauero probaueroque, vos intellexeritis, opinor, quid ſodalitatis noſtræ homines ſpectent in tradendis artibus liberalibus, adoleſcentium illi multitudini; quæ ſe dat in noſtram diſciplinam: quidue nos mouerit vt hoc anno prudentiſſimi Epiſcopi veſtri rogatu,ſuaſu, impulſu, Theologiæ, Philoſophiæque ſcholis antiquis, recentia quattuor Gymnaſia partim Grammaticæ; partim humaniorum litterarum,& eloquentiæ,quibus artibus, tum pueriliś, tum

2 adoleſcens ætas alitur,adiungeremus? Cum multa ſunt à philoſophis humanæ vitæ magiſtris, ſingulis fere ſæculis, de puerorum diſciplina, deque iuuentutis educatione, vel excogitata ſapienter, vel præſcripta ſalutariter; tum vero præclara duorum principum in Philoſophia Platonis, atque Ariſtotelis mihi videtur omnibus anteponenda doctrina; qui liberalem inſtitutionem adoleſcentiæ germanam,& ſuis abſolutam numeris diſciplinam eam eſſe cenſuerunt; quæ ſcientiam imperandi atque parendi generans in eius animo, quem ab ineunte ætate ſuſcepiſſet inſtituendum,perfectum ciuem efficeret,ac plane virum;uel certe cupiditatem atque amorem insereret in eiuſdem pectore virtutis eius ampliſſimæ, qua vir ætate, moribus, & ſapientia factus,poſſet in Ciuitate, Reque publica,tum domi tempore pacis,atque otii;tum foris tempore belli, atq; negotii, vel imperare ſapienter ac iuſte ciuibus, cum gere-

Plato dial. 1. de legibus. *Ariſt l. 7. polit cap. 14.* *Plut. in Polit.*

ret urbanos, militareſque magiſtratus; uel cum priuatus degeret uitam, legibus plane, legumque cuſtodibus prompte, & alacriter obtemperare magiſtratibus. Hanc ſiue 5
ſcientiam, ſiue facultatem imperandi recte, atque parendi, quam Ageſilaus ille Dux clariſsimus Lacedæmoniorũ artem omnium pulcherrimam, & ob cuius ſtudium ciues ſuos felicitate præ ceteris Græcis florere dictitabat, ut conſequatur adoleſcens ſtudioſus, & cupidus in uirum, ac ciuem bonum euadendi; quattuor omnino mihi requirere uidetur adiumenta, Sapientiam, Prudentiam, Virtutem, & Eloquentiam. His præſidiis in animo conſtitutis impedimenta omnia, quæ in primo hominis ſatu ſummam arcem occupant; inter quæ moleſtiora ſunt, Ignoratio, Imprudentia, Perturbatio, & Infantia linguæ, excluſa deijciuntur. His ornamentis eæ partes hominis Mens, Appetitus, & Lingua, in quibus illi quattuor hoſtes hominum domicilium ſibi, ſedemque fixerant, mirabiliter decorantur. Planius rem explico. Duæ ſunt animi noſtri partes inſignes: una nobiliſsima, quæ Mens appellatur, in homine Princeps omnium, & Regina, cui tributum eſt ab optimo parente Deo, non modo ut ceteras animi facultates arbitratu ſuo moderetur, ſed etiam rebus, quæ Lunæ complexu coercentur, tamquam propriis vtantur, ac ſuis. Pars altera nominatur Appetitus, qui diuina inſtitutione, Menti fuit ſubditus aliquando; nunc vero primorum Parentum humani Generis miſerabili caſu, pernicioſæ libertatis nactus habenas, legitimum Mentis dominatum aſpernatus, hominem virtute ſpoliatum, huc atque illuc præcipitem rapit. Illa Rationis pleniſsima, ratione ſemper utens, nos à mutis animantibus diſtinguit; hic ſuapte natura rationis expers cum pecudibus communis, ſi ſe ad Rationis conuertit nutum, exiſtimatur compos rationis. Illi, cui proprium eſt intelligere, ſapere, prouidere, nocet inſcientia, nocet ignorantia, nocet imprudentia; quarum ſi tenebris, & caligine circumfundatur, pæne deturbatur de ſuę ſede dignitatis:

Plut. in Lacon. Apophth.

Pythag. Plato Xenocr. apud Theodor. l. 5. de cur. Græc. Ar. l. 1. eth. c. 13. l. 6. eth. c. 1. l. 7. Polit. cap. 14. 15. Cic. l. 1. offic. Plut. l. de virt. mor.

Ar. l. 1. eth. c. 13

hunc

hunc naturæ deprauatione turbidi motus identidem in-naſcentes,conſuetudo vitioſa,impunitasque peccandi,ma gis in dies, magisque corrumpunt, niſi ſubſidio virtutum obſiſtatur.In illa tum ſapientia lumen ſuum defigere; tum Prudentia ſeorſum tribunal collocare ſolet: in hoc fortitudinis, temperantiæ, ceterarumque pæne omnium virtutum illuſtria reſidere poſſunt ornamenta. Illa denique præclariſſimis Sapientiæ, Prudentiæque diſtincta, & illuminata ſideribus, leges Appetitui repugnanti præſcribit, frenum inijcit erranti licentius; neque Appetitui modo, ſed etiam aliis mortalibus ſapienter imperat tum, cum in eos imperium aliquod, vel delatum diuinitus, vel datum humanitus iure capeſſit. Hic tandem virtutum adiumentis fultus & ornamentis excultus efficitur primum idoneus imperatis dominæ Mentis, cui ſe totum ſubijcit.excipiendis,ac faciendis;tum compreſſis, ſedatisque motibus turbulentis,contra ius faſque pugnantibus;iuri, legibus, iuris, legumque interpretibus,ac tutoribus obtemperat. Adiuncta eſt his ambabus animi partibus pro miniſtra loquendi facultas,per linguam ſignificata; quæ non ſolum in animo ſplendeſcit,unde vim ducit,& originem, ſed etiam in corpore eminet, atque in ore proiecta eſt: qua deſtitutæ illæ non poſſent ea præſtare,quæ conuenit. Primum enim uox locutionis, & verborum quaſi materies, quam cum animantibus pleriſque communem habemus; omnium affectionum quæ in Appetitu deliteſcunt, eſt index; hæc moleſtias,hæc iras,hæc voluptates,hæc amores,hæc lætitiam, dolorem,miſericordiam,ſonis commutatis ſignificat. Deinde ſermo ipſe expreſſus,ſiue integra oratio, quæ vocibus articulate fictis, prolatisque,necnon animi notionibus coagmentatur, vnius hominis proprium bonum, vicaria Rationis, victrix animorum,Menti neceſſaria eſt vſque adeo, vix ut ſine ea poſſit,ac ne poſſit quidem,tam multis rebus, quibus præſidet,imperare. Per hanc enim tamquam per interpretem ſua cogitata,optata, decreta Mens enunciat:

Ar.l. 1. eth. a. 10.

Ar.l. 1. Polit. cap. 2.

Cic.l. 1. de Inuen.

Philo.l. de confuſ.linguar.

hac

hac quaſi præcone iuſſa,& vetita promulgat: hac denique internuncia conſilia ſua,voluntates, ſententiasque declarat ijs,ad quos nec frons, nec oculi, nec nutus,nec geſtus, qui reliqui ſunt eius indices,ac nunci possunt humana vlla induſtria pertinere. Vis hæc loquendi non ignobilis illarum facultatum adminiſtra, ſuis quoque ornamentis poliatur, ſuis locupletetur copiis, ſuis armetur præſidiis eſt neceſſe:quò congruentius illæ, dum ſeruiunt vtilitati cōmodisque mortalium, ſuam adiutricem,ac miniſtram, in preclari functione muneris habeant ſibi ſeruientem. Sed quenam ſunt iſthęc ornamenta, quibus nobilitari cupis, atque inſtrui tres iſtas hominis facultates,quò poſſit imperare ſapienter,& parere? Sapientiam, & Prudentiam in Mente mihi collocaſſe videor, Auditores:Sapientiam quidem, quatenus Mens apta eſt contemplationi; Prudentiā vero quatenus refertur ad actionem. Et vero cum Sapientiam nomino, doctrinarum omnium pręſtantiſsimum, & ſuauiſsimum chorum intelligo;quę ſane, quemadmodum Gratias Poetę fingunt implicatis interſe manibus coronam facere; tam arctis nexæ vinculis, tam ſtricta colligatione naturali tenentur, vt ęgre poſsint ſine alicuius damno ſeparari. Quamobrem exiſtimo ſpeculatricem partem Mentis ſepiendam primum eſſe ratiocinandi, diſputandique arte Dialecticorum; quo ſpinoſo ſepimento vallata, contra ſophiſtarum incurſus, fallaces concluſiunculas, & ſophiſmata muniatur;habeatque vnde ſpicula,ſagittas, & aculeos decerpat; quibus in aduerſarios contorquendis, tum voce, tum calamo, ſe ſuaque bona tueatur. Deinde ſcientia Mathematicorum alatur, in qua contemplans magnitudines à materia motuque ſecretas, innumerabilium varietate figurarum delectetur; quarum ignaros Plato ſuę ſpatiis Academię, pro foribus tamquam edicto propoſito uetante ingreſſum,excludebat:intelligat numerorum,etiā muſicorum rationes, ac vires; quibus tum res familiaris conſeruatur, & augetur, tum per ſenſum aurium animus mi-

Cic.l. de orat. · 6 · *Ar.l.3. de An. t.49.* · *L.Sen.l. 1. de Benef.cap 3.* · *Adag.col.851.*

mirifice oblectatur, ac reficitur: terræ, mariſque ſpatia immenſa metiatur; & totius Vniuerſitatis hanc ingentem globoſamque molem Archimedis ingenio, manuque in parua ſphæra incluſam, quam vere cum Caſsiodoro, *Grauidam Mundo* dixeris, perſcrutetur; in qua ſolis, lunæ, ſtellarum tum inerrantium, tum vagarum curſus, circuitus, progreſſus, ortum, occaſum, defectiones alligatas, cum Ioue Claudiani demiretur, exclamante. *Caſsiod. l. 1. Var. epiſt. 45.* *Claud. epigr. de Sphæra Archim.*

Iam meus in fragili luditur orbe labor;
&, Aemula Naturæ parua reperta manus.

7 Poſtremo ſaturetur humanæ, diuinæque Philoſophiæ pabulo; quæ rerum omnium naturam, elementorum, & quæ in illis, atque ex illis gignuntur, lapidum, metallorum, ſtirpium, animantium, hominum, cæleſtium orbium, beatarumque mentium rimetur: ac per eas omnes res procreatas, quaſi per veſtigia ſagacisſime inquirens venetur, ac deprehendat earum Parentem optimum, & ſapienter, fortiterque cuncta moderantem Deum. Neque vero ſacræ Theologiæ debet eſſe neſcia, quatenus Chriſtianum hominem eius myſteria noſſe decet, atque oportet: cum nos de illius adoleſcentis educatione verba faciamus, qui vir factus ætate procedente, victurus eſt in Ciuitate Rationi congruenter vt homo; ciuili legi conuenienter, vt ciuis; liberaliter, vt ingenuus; & religioſe tandem, vt Chriſtianus: proin diligenter educandus eſt ad Rationis normam; ad legum præſcriptum; ad nobilitatis perpendiculum; & ad regulam ſanctiſsimam, integerrimam, rectiſsimamq; Chriſtianæ Religionis. At ea pars Mentis quæ reſpicit actionẽ, eſt minime negligenda, in qua Prudentia propria virtus Præſidentis ſellam habet iudiciariam. Optanda hæc uis eſt à Natura; quæ cum perſpicax ingenium tribuit, acutum, in iudicando de rebus acre, tum in inueniendis ac ſeligẽdis idoneis ad finem conſequendum adiumentis prouidũ, ac ſollers, Prudentiam quoque tribuere videtur. Optanda item ab ætate progrediente, quæ ſecum affert experien- *Philo. l. 2. legis allegoriar.* *Ar. l. 3. polit. cap. 3.* *Ar. l. 6. eth. c. 5 & ſeqq.*

tiam,

Ar.l.1.eth.c.3. tiam; qua quia caret adoleſcens, mathematicus eſſe poteſt, haudquaquam prudens. Verum in eo iuuari, foueri, & augeri poſſunt initia Prudentiæ Naturæ ſatu iacta; tum rerum geſtarum narrationibus; totius antiquitatis commemoratione; multa lectione veterum monumentorum, annalium, & hiſtoriæ, quæ optima eſt magiſtra Prudentiæ: tum ſenum prudentiorum conſuetudine, ac familiaritate; quorum documentis, atque obſeruationibus, quibus illa ætas abundat, poteſt adoleſcens ad ætatem maturam peruenire prudentior. Atque in eadem parte cum Prudentia ſociarem Philoſophiæ moralis cognitionem; legum, iuriſque ſcientiam nobiliſsimam, atque adeo neceſſariam Ciuitatibus gubernandis, vt Solis lumen rebus omnibus pro-

Ar.l.7.pol.c.15 gignendis. In Appetitum ſimiliter, vt Ratio cum moribus concordet, quod vehementer exoptat philoſophorum maximus Ariſtoteles, uirtutum comitatus præſtantiſsimus immittendus eſt: tot virtutes in eo locandæ ſunt, quot habitant in eodem affectiones, vel placandæ, ſi ſint vehementius incitatæ, vel ſi turpiter langueſcunt, excitandæ; Quare libidinem continentia frenet; manſuetudo mitiget iram; auaritiam liberalitas minuat; temperet dolorem patientia; fortitudo timiditatem exſtimulet, omneſque perturbationes, & commotiones huius partis inſultantes in

Ar.l.2.eth.c.3. *Plut.l. de virt. mor.* *S.Hier.ep.8.ad Demetriad.*

Rationem, eiuſdem rectæ Rationis Mediocritas aurea, Peripateticorum philoſophorum dogmate celeberrima, uirtutum habenis uel adductis, vel remiſsis pro rei neceſsitate, manu Prudentiæ moderetur. Quas omnes virtutes Epi ctetus philoſophus de Stoicorum ſchola nobiliſsimus, ad duo capita reuocabat, duobus eleganter, ac feliciter expreſſa verbis Græcis *ἀνέχου ϗ ἀπέχου, Suſtine, & Abſti-*

Agell.l.17.c.19 *ne*: quibus quaſi ualidis frenis iniectis, duas illas effrenatas affectiones ceterarum parentes, ferocium belluarum ſimiles, impotentes animi dominatrices, iram, & cupiditatem ſuadebat cohiberi. Atque harum virtutum poſſeſsio tanto ardentiore ſtudio quærenda, & retinenda eſt, quanto uehemen-

hementius ad vitia omnia ſtimulat, atque incitat, vel naturæ corruptæ prauitas; vel deprauatæ uis conſuetudinis, vel perditorum, corruptorumque ſodalium inuitatio: tum quanto maior eſt in homine virtutum neceſſitas, quàm doctrinarum. Hinc eſt quòd Philoſophi quidam educationem vniuerſam in virtutis amore, atque adeptione poſuerunt. Lacon non vilis pædagogus, ſed Philoſophicis dogmatibus imbutus educator, à Plutarcho ſumme laudatus, effecturum ſe, vt puer gauderet honeſtis, & moleſte ferret turpia, pollicebatur. Quid Plato cuius dictum non modo refert, ſed etiam commendat Ariſtoteles non effuſus in laudes præceptoris? Rectam educationem eam eſſe cenſet, qua ſic inſtituuntur homines ab adoleſcentia, vt ijs gaudeant, & doleant, quibus gaudere, ac dolere oportet: quod interpretor, honeſtiſſimis virtutum actionibus delectentur, & turpiſſimas vitiorum deteſtentur. Poſtremo di-

Plut. l. de virt. mor.

Ar. l. 2. eth. c. 3

10 cendi facultas ſuis artibus expoliatur: præcepta, quæcumque ad ſermonem uel Poetarum aſtrictum numeris, vel ſolutum pertinent, ad linguam acuendam, ornandam, locupletandam, omnia conferantur: ſic vt hic adoleſcens, quem bonum ciuem formamus, vbi peruenerit ad virilem ætatem, remque publicam tractare cœperit, poſſit in ſenatu ſuæ Ciuitatis, in conſiliis, prudentiumque virorum cõuenti bus, & collegiis, dum deliberatur, ſententiam dicere pro dignitate: fortiter, atque ſtrenue, ſe, ſua, ſuoſque in iudicio per contentionem, ab inimicorum iniurijs, impetu, calumniiſque defendere: comprimere in concione militari tumultum, ſeditionemque militum, timidos, ac languẽtes excitare oratione; tùm in vrbana, ciues ſeditioſos, turbulentoſque pari eloquentia ſedare, ac mitigare dicendo.

11 Hæc eſt, Auditores, educationis bonæ forma curſim breuiterque primis dumtaxat adumbrata lineamentis; in qua nec muſicam, nec ſaltationem, nec ſimiles artes, quæ iucunditatis plus habent, quàm vtilitatis attigi; tum quia non niſi de neceſſariis, maximeque vtilibus mihi agendũ

eſſe ſtatui:tum quia muſicà illa, qua priſcis ſæculis à Pythagoræis, Lacedæmoniiſque optimis iuuentutis educatoribus adoleſcentes inſtituebantur, idonea perturbationibus ſopiendis, conſeruandiſque virtutibus; iampridem corrupta, deprauata, atque ab illa veteri ſanctitate, commouendis ad impurum amorem affectibus inflexa in corruptricē morum degeneraſſe videtur. Nihil de militaribus exercitationibus, quibus futuri milites & roborantur, & erudiūtur dixi; quòd diſputatio mea, tametſi cunctis hominum generibus vel togatis, vel armatis prodeſſe cupit, non tamen ad ſingula genera nominatim, ſpeciatimque deſcendit. Quòd ſi quæratur; Quidnam eloquentia, quid litteræ, 12 quid hiſtoria, quid Philoſophia, quid denique virtus armato ciui profuerit? quæſtionem retorqueo confidenter; Quid obfuit eloquentia Philippo Regi Macedonum, Themiſtocli, Pericli, Scipioni, Gracchis, ac Cæſari maximis copiarum ducibus; qua ſæpe vel vrbes obſeſſas ad deditionē coegerunt; vel milites iniquo loco, & tempore dimicare cupientes compreſſerunt; vel aut metu deterritos, aut laboribus feſſos, aut deſidia languentes, vehementius quàm cantu buccinarum ad præliandum incitarunt? Quid nocuit in caſtris Alexandro Magno poematis Homerici lectio; Epaminondæ Philoſophiæ ſtudium; C. Cæſari ſcriptio commentariorum; & Auguſto quotidiana declamatio? Quid vmquam incommodi militibus attulit Hiſtoria, vnde omnis pæne rerum agendarum prudentia, vnde actionum, vitæque totius ad ſalutem inter pericula dirigendæ norma deſcribitur? Quid obiecit impedimenti Philoſophia Meliſſo, Architæ, Socrati, Platoni, Xenophonti, ceteriſque philoſophis, qui duxerunt exercitus, quominus bellum prudenter gererent, feliciterque pugnarent? Vndenam ſcientia fluxit ædificandarum, muniendarumque arcium; inſtruendorum agminum, locis opportunis caſtra metandi; foſſarum, fluuiorumque latitudinem; turrium altitudinē eminus oculo metiendi; ſi non à ſtudio philoſophiæ

Orat. 5.n.24. & ſeqq.

Ael.l. 7.Var. hiſt.cap.14.

phiæ

Digitized by Google

phiæ proficiſcitur? Vnde ſunt catapultæ ſaxis ingentibus iaciendis, arietes ceteræque machinæ muris verberandis: impoſitu ſubito fluminibus pontes: Archimedis, Procli, poſterorumque ignes artificioſi, tormenta bellica ex ære noſtri temporis fulminum æmula; columbæ tabellariæ, totque aliæ bellandi, fallendique hoſtis artes, niſi ex eodem armamentario Philoſophiæ? Quàm denique multis Imperatoribus ad pugnam & victoriam cognitio profuit, & obfuit ignoratio maritimorum æſtuum, euriporum, ventorum, Eclipſis, ortus & occaſus lunæ creſcentis, & aliarum eiuſdem generis rerum, quæ tantum habent in maritimo bello momenti, nec niſi de Philoſophorum obſeruationibus librisque depromuntur? Nam virtutes ne- *orat. 3. n. 27.*

13 gare neceſſarias eſſe, tum militibus, quos licentia quędam militaris legibus omnibus, vt ipſi falſo opinantur, ſolutos, furore imbuit, viribus armat, atque in ſcelus omne pręcipitat: tum militum ducibus, qui tot armatorum, furioſorumque hominum eſſe debent moderatores, ac rectores; non tam ridiculum, quàm cuiuſdam eſſe videtur inſaniæ. Virtutibus iuſtitiæ, temperantiæ, patientiæ vacui ſpoliatique centuriones, pręfecti, legati, duces, libidines, auaritias, crudelitates, intolerandamque licentiam in itineribus, in caſtris, in hibernis, in vrbium direptionibus aſtringãt vmquam diſciplina, frenent, cohibeant ſuorum militum; qui ſibi licere putant idem plane, quod in Ducibus vident; eoſque non modo belli, ſed etiam vitę duces: non tam armorum magiſtros, quàm morum ſibi propoſitos ad imitationem eſſe arbitrantur: proinde ſe ſceleribus illis, rapinis, flagitijs, cędibus contaminare non pudet, in quibus uolutari cernunt imperatores, ac rectores ſuos? Vtinam propter vitioſorum, improborumque Ducum effuſionem in deliciis, auaritiam in ſtipendiis, ſuperbiam in contumeliis, crudelitatem in ſuorum cędibus, perfidiam in pactionibus, impietatem in rebus ſacris violandis non tam ſępe docuiſſet euentus, vel à militibus ipſis per ſeditionem ca-

Digitized by Google

tur:huius vero primordia,& tamquam elementa, quæ fun damentis urbis initiiſque reſpondent; quemadmodum ſapienter ante Platonem, atque Ariſtotelem obſeruauit & ſcripſit Ocellus Philoſophus in Lucania natus, magnũ *Ocellus.l.de vniuerſo.c.4.* Italicæ Philoſophiæ,nationiſque ornamentum; quid ſunt aliud niſi pueri, atque adoleſcentes, ex quibus ætate procedente ciues fiunt,primo iuuenes,deinde viri,tum ſenes; qui poſt in familias, collegia, Senatum, conſilia,militum centurias adſcripti, ciuitatem Remque publicam conſeruant,regunt,& tuentur? Quòd ſi lapides informes,qui locandi ſunt in fundamentis, quadrantur aptanturque vt ædificium ſtabile firmum, ac bono nixum fundamento conſtruatur, vt ne ruat, aut ne vitium faciat cum perductũ fuerit ad faſtigium,ſi rudes atque aſperi, qui ponendi ſunt in ædium facie,poliuntur,& concinnantur; vt ad ſpeciem ornata domus extrinſecus videatur: cur non erudiantur, conformentur,perpoliantur educatione bona,pueri atque adoleſcentes à Natura litterarum, & doctrinarum ignari, prudentiæ, virtutiſque expertes procreati: qui lapidum inſtar ac fundamenti ſunt in Ciuitatibus, vt ne facti grandiores indomitos affectus,vitioſos mores,animumque improbitate,ſegnitia, & ignorantia deprauatum retinentes in Ciuitate, pro pace diſcordiam; pro quiete ſeditionem; pro ſalute ruinam pariant miſerandam; & quam pulchritudinem maiores probi ciues introduxerunt, conſeruarunt,& auxerũt, poſterorum corruptorum ſcelus minuat, furor deleat,peruerſitaſue deformet? Veriſſimum appa-
15 ret, ſi in vlla humana re,ſcilicet in hac maxime, ſummi Philoſophi pronunciatum illud, ab omnibus tamquam *Ar.l.1.cæli.t.33.* oraculum comprobatum, *Error in principio perexiguus, in fine maximus eſſe deprehenditur.* Nam orientis ætatis educatio, quæ uitæ recte traducendæ fundamentum eſſe probauimus, ab ijs, ad quos pertinet, neglecta (quod idem *Ar.l.8.polit.cap.1.* Ariſtoteles monuit) tantum in reliquas ætates, in totam vitam,in familias, Ciuitates, terrarumque orbem ipſum

im-

importat detrimenti, quantum non poteſt paucis explicari. Eloquentię tum occidentis, ceterarumque bonarum artium, quæ iam ab aurei ſęculi gloria deſciuerant, quam cauſſam affert auctor ille, ſiue Corn. Tacitus fuerit, ſiue Fabius Quinctilianus, qui per dialogum eloquentię corruptę cauſſas inueſtigat? *Non* ingeniorum inopiam, quæ ſub eodem Cælo, atque in eodem ſolo generoſis iiſdem parentibus Romæ, in Italia, totoque Romanorum imperio non à prioribus diuerſa procreabantur; refert deprauationis cauſſam fuiſſe, ſed tum iuuentutis deſidiam, quæ voluptatibus indulgens, deliciis affluens, veteres auctores cognoſcendi ſtudium, antiquitatem euoluendi, commentandi, ſcribendi, declamandi laborem defugiebat: tum parentum negligentiam, qui liberum inſtitutionem, ancillis ſeruiſq; Græculis delegabant: tũ præceptorũ inſcitiã, qui diſcipulos non ſeueritate diſciplinę, non experimentis ingenii, ſed ambitione ſalutantium, & adulationis illecebris colligebant: tum denique totius ſeuerioris educationis, qua liberi formandi ſunt ad probitatem, & ſapientiam, per ſingulos ętatis gradus, neglectionem & incuriam, ob quam natura vniuſcuiuſque vernaculis infecta vitiis, & propriis detorta prauitatibus à veteri maiorum virtute laudeque deflexit. Cur aliquot Ciuitates, Prouinciæ, Regnaque Chriſtianorum turpiter, ac miſerabiliter à maiorum ſuorum pietate degenerantes, veram, germanam, atque ab Apoſtolicis vſque ductam temporibus Religionem deſeruerunt; niſi quia, partim ignauia parentum, partim inertia Paſtorum Eccleſiaſticorum priuatim, & publice puerorum atq; adoleſcentum eſt educatio neglecta? Sed ut incommodorum malorumque ingentem cumulum, quæ Ciuitatem peſ- 16 ſumdant, obruunt, mergunt in profundum, ſi ſine liberali educatione, puerilis atque adoleſcens ætas naturæ ſuæ relinquatur, vno videas aſpectu; finge, ſi placet, cogitatione, Ciuitatem unam aliquam eſſe, cuius cuncti ciues ab ineunte ætate minime liberaliter inſtituti fuerint: fac ab in-

Quin. dial. de orator.

fantia

Digitized by Google

ſantia iacuiſſe in illa doctrinarum omnium, ingenuarumque artium ignoratione;in quam ab Natura, potiùs in hac re nouerca,quàm parente proiicimur: fac numquam aſpexiſſe lucem illam ſapientiæ,quæ mentis aciem,ad res quoque gerendas,conſueuit illuſtrare: numquam ſe dicendo, linguæ cultu prorſus omni contempto exercuiſſe. Paruerint ab incunabulis iidem cupiditatibus illis impotentibus, quas corrupta vitioſaque natura continenter exſuſcitat: ſeruierint longa conſuetudine blandiſſimę pariter, & fœdiſſimæ Dominę voluptati:nunquam denique aperuerint oculos ſplendori, pulchritudinique veræ virtutis intuendæ. Cum ergo partes omnes ætatis adeo ſingularibus ſcilicet ſtudiis educatę præteruecti, res publicas attingere, priuatasque tractare cœperint, fore cenſes, vt tam nudi, inermes imparati ab rebus omnibus, quæ ciuem bonum faciunt,partem vllam Reip.regant,munus tueantur, magiſtratum gerant pro dignitate;aut conſtitui,geri, temperarique permittant? Magiſtris tam imperitis,nautis tam inſciis,remigibus tam ineptis, uectoribus tam indomitis, atque effrenatis,inter tot periculorum ſcopulos, ciuilium ſeditionum tempeſtates, priuatarum rixarum procellas, & ambitioſorum hominum incurſiones, nauim Reip. tuto nauigaturam putes? Vix dici poteſt,ſi quod animo fingimus,eueniret,quàm perturbata latrociniis, contaminata flagitiis, fœdata cædibus eſſet cuncta Ciuitas: vt agitaretur turbis,vt iactaretur diſcordiis,ut in periculis fluctuarèt.Euripus nullus,mihi credite,tot æſtus, commotiones, fluctus habet, quot illa diſſidia, rixas, lites,ſeditiones,pugnas haberet. Magiſtratus publici iuris cuſtodes, legum interpretes, tutores infirmiorum ciuium, à quibus coli, metui, defendique oporteret;ab iis voce,manu,ferro violarentur;ipſi contra magiſtratus, quos in numero cariſſimorum liberum habere par eſſet,eorum fortunis, & coniugibus per ſummam iniuſtitiam & vim abuterentur.Cultores pacis,amatores concordiæ,quietis ſuaſores, ſi qui tamen

Digitized by Google

men in ea locum ſedemque retinere potuiſſent, cum togati per vrbem incederent, modo ſiniſtras inuoluere toga, dextrisque diſtringere ſicas; modo lorica ſcutoque tecti cum gladijs eductis defendendi ſui cauſſa contra conſuetudinem prodire cogerentur. Audacia ſceleratiſſimorum quorumque armata, paſſim omnibus omnia minitando volitaret; & furor ipſe armatorum in bonis inermium rapiendis, iniuriis inferendis, lapidarionibus faciendis, ſatellitibus occidendis impune bacchatetur. Perinde ac in bello ſingulis diebus, ac noctibus, ſi adeſſetis, Auditores, eam & immanibus terroribus commoueri, & atrocibus præliis ardere; & cædibus debiliorum funeſtari per perditiſſimos ac robuſtiſſimos quoſque, tum ad extremum per ſeditionem ciuilem miſerabiliter interire videretis. Illi enim aliis imperabunt è præſcripto legum, ad prudentiæ regulam qui numquam parere didicerunt? Illi aliis parebunt, qui ſibimetipſis nihil vmquam imperarunt? Leges illi conditas ad cohibendas cupiditatum belluas non perfringent, qui cupiditates ſuas contra Rationem armatas, ne tantulum quidem vmquam repreſſerunt? Illi ſalutarem ſententiam Ciuitati perſuadeant, populumque tumultuãtem dicendo tranquillent, qui ſemper in adoleſcente ætate, ad vim copiamque dicendi parandam accommodata ſiluerunt? Integer denique conſeruetur bene conſtitutæ Ciuitatis ſtatus ab ijs, quibus adoleſcentibus notiora ſemper fuerunt itinera ludi ſaltatorii, quàm Philoſophiæ, quique ſæpius vnguentariorum tabernas adiuerunt, quàm virtutis officinas? Non eſt hoc ſperandum, Auditores, non expectandum. Tales nimirum ſenes eſſe ſolent, quales iuuenes fuerunt: tales iuuenes, quales pueri: niſi forte verius 15
dicatis, mutationem, ſi qua fiat, in deterius ſemper eſſe, tot vitiis cumulari vitam educationis cultura neglecta, quot annis conſeneſcit; tantisque viria ipſa creſcere, quantis ætas augetur incrementis. An ignotum eſt vobis naturam huma-

Ar. l. 7. polit. cap. 14.
Iſocr. in Nicocle.
Cic. Parad. 5.
L. Sen. l. 2. de ira. cap. 15.
Solon. Democr. & Clitarchus apud Eliã Cret. com. Apol. 1. Naz.
Plato dial. 4. de Rep.

humanam primorum parentum miſerabili, totieſque iure defleto, continenterque lugendo caſu, factam eſſe proniorem ad malum, quàm ad bonum; & ad vitia, quàm ad virtutes propenſiorem? Quinctilianus nobiliſſimus iuuentutis magiſter ac rector; *Quinct. l. 1. c. 1.* L. Seneca Philoſophus Imperatoris adoleſcentuli præceptor, hanc imbecillitatem vel in ſe *L. Sen. ep. 97.* vel in ſuis diſcipulis experiebantur ignorata cauſſa; quorum hic pæne lacrymans ſcripſit: *Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe: & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum iter eſt tantum ad vitia, ſed præceps.* Atque vt fluuius hibernis niuibus Fauonio, & Auſtro flante liqueſcentibus auctus; *S. Greg. Naz. Apolog. de fuga.* quem intra ſuum alueum, hinc inde munitiones obiectæ vix coercent; atque aggerum ingentes oppoſitæ moles prorumpere in agros proximos ægre prohibent; ſi detracto lapillo rimam quampiam, hiatumque perparuum licet, nactus fuerit, quaſi oſtio patefacto ſibi exitum longe maiorem parat; extra ripas diffluit; aggeres ac moles euertit; campiſque finitimis inſano impetu procurrens miſerabilem affert vaſtitatem: ſic adoleſcens naturæ deprauatæ vi raptus, quem intra rectæ rationis gyrum, nec virtutis amor, nec paternæ cohortationes, nec præceptorum monita, nec educationis ſeuerioris diſciplina ſatis continet; ſi tantulam occaſionem arripiendæ libertatis fuerit adeptus hortatu ſodalium, improborum exemplo, cuſtodum incuria, perfringit omnia repagula iuris, pudoris, officii; terminos honeſtatis ſuopte impetu cunctos egreditur; & intoleranda licentia veſanus, furioſus, præceps in omne crudelitatis, ac luxuriȩ genus ſe immergens, proximos, ſuos, vicinos, ciues vitæ turpitudine, vel fœdat, vel perturbat. Præſertim quod *Cic. l. de ſenect.*
18 tamquam cera tenera, mollis, & flexibilis eius ætas, *Hor. in Poet.* tum propter imitandi ſtudium inſitum à Natura, tum quia re- *Plut. l. de educ.* rum ac periculorum eſt propemodum imperitus, vniuſcuiuſque corruptoris ad deprauandum parati fingitur arbitrio, torquetur exemplo, & quocumque libet ſuaſione

Quinct.l.1.c.1. perducitur. Quid quod humanos ſenſus maxime omniũ,
Ar.l.7. polit. cap.17. primum guſtata delectant; & quæ primo delectatione ſenſus occupauerunt, ea penitus in animis adhæreſcunt; tum qui cera fuerat adoleſcens, & iuuenis plumbum, ſenex in æs Corinthium plane conuertitur? Quid quod præteritæ
L.Sen.l.2. de ira cap.20. voluptatis recordatio delectationem iterat; iterata delectatio conſuetudinem parit, hæc diuturnitate corroborata
Quin.l.1.c.2. Plato dial.3. de Rep. orat.9.n.9 temporis in naturam pæne conuertitur? Hinc illæ Sapientum veritatis ac doloris pleniſſimæ voces deplorantium difficultatem emendandorum vitiorum ob conſuetudinẽ iã inde primis ab annis ortam, & longo decurſu temporũ inueteratam. Talis illa Hieronymi viri ſanctiſſimi, atque
S.Hier.ep.7. ad Latam. eruditiſſimi. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt:* par illa L.Senecæ Philoſophi præſtantiſsimi ac magiſtri morum: *Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum*
L.Sen.l.2. de ira cap.18. *creuerunt:* ſimilis illa Quinctiliani præclariſsimi Rhetoris,
Quin.l.1 c.1. & adoleſcentium educatoris: *Natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus:* præſtantiſsima omnium
Prou.22. Salomonis: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Nec aliunde proueniunt ab iiſdem, 19
atque aliis ſapientiſſimis viris, ad eandem difficultatem exprimendam excogitatæ ſimilitudines; vel recentis teſtæ,
Hor.l.1.ep.2. Quinct.l.1.c.1. cuius odorem, & ſaporem, quibus primum imbuta eſt, hu-
Philo.l. de libert probi. mana vix abſtergebit induſtria: vel lanæ ſanguine conchyliorum infectæ; quam ad ſuum candorem priſtinum ars
S.Hier.ep.7. ad Latam. nulla reuocare poteſt: vel arboris, quæ quo tempore uirga
Plut.l. de educ. fuit, facillime reuelli potuit; ſed vbi creuit, & inueterata patulos diffudit ramos quaquaverſus ſe nulla ratione patitur extirpari; quòd ut, inquit ille.

Ouid.l.1. de remed.am. *Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis:*

vel denique carnis humanæ, quæ tam facile vulneratur, quàm omnes norunt; nec vlla vi medicamentorum; nec medicorum arte deponit cicatricem. Sed omnium aptiſ- 20
ſime, clariſſimeque vim conſuetudinis à pueritia contractæ, tum inhærentis in reliqua uita declarat Lycurgi factũ

illius

Digitized by Google

illius ſapientiſſimi viri, qui Lacedæmoniis, iura legesque præſcripſit. Noui rē eſſe vulgatā, ut cætera omnia quæ dixi; notiſſimāq; vobis, Excellentiſſimi Doctores, qui tanto cū ſplendore ſapientiæ, tanta cū eloquentiæ laude, multiplicē hanc & variā ætate, natione, moribus, habitu, forma iuuenū, & adoleſcētiū multitudinē in publico Patauino Gymnaſio perdocetis: ſed non ita fortaſſe cognita eſt iuuenibus ipſis omnibus, qui me audiunt; quorum aures auidiſſimæ ſunt earum rerum, quarum cognitione vacuam mentem ſuam, animumque intelligunt, ac ſentiunt. Hic igitur Lacedæmoniorum Reip. temperator, geminos catulos eodē ſatu genitos, eodem editos partu; bonæ indolis, ac generis optimi ſelegit: quorum alterum in vrbe, atque intra domeſticos parietes ſub coco magiſtro iuſſit educari, quem in culina patinis ollisque lambendis, rodendis oſſibus aſſuefactum; analectis, oſſa, rancida carne bene paſtum, poſt menſes paucos pinguem, tardum, ignauum reddidit atque edacem. Alterum eductum ex vrbe, ruri tradidit inſtituendum homini venatori, qui paruulum ad ceruinam pellem latrare cogebat, in cuniculos, ac lepuſculos voce, cornu, minis irritabat, eaque ratione prouocabat ad venationem: paullo grandiorem perducebat cum alijs venaticis canibus in ſiluas uenatum feras; & eodem, quo cocus alterum, tempore, modico cibo contentum, gracilem, celerem, optimumque effecit venatorem. Poſthæc in concionem populum conuocat; canes ambos producit, helluonem, ac venaticum: iubet in medio foro ſtatui leporem viuum, ollamque cocta carne, atque oſſa confertam: ſolutis habenis vtrumque eodem puncto temporis dimittit. Quid fore putatis, Adoleſcentes? quid nam facturos canes tam diuerſis inſtitutos moribus? Ingenii ueſtri ſagacitate diuinatis, opinor. Aduolat illico ſilueſter ad leporem; inſequitur fugientem, comprehendit, ſuffocat: domeſticus vero tarditatem cupiditate nonnihil incitans accurrit ad ollam, in eamque pectore ac primis pedibus incumbens, roſtro toto

Plut. l. de educ. & in Lacon. apophth.

& capite ſeſe pronus ingurgitat. Mirari populus rei nouitatem; Lycurgum intueri, tacite ſciſcitari quidnam ea res ſignificet. Ille ſuggeſtum aſcendit remque totam explanans, Canes, inquit, ambo parentibus iiſdem generoſis, procreati ſunt; eodem conceptu generati, eodem nati die, pares viribus, atque indole delecti: ſed quia diuerſam in diſciplinam dati contraria plane ratione ſunt educati, factũ eſt, vt alter edacitati, ſaginæque aſſuetus in culina lurco, vorax, & tardus: alter in agris ac nemoribus aſſuefactus abſtinentiæ, labori, venatui, ſagax, impiger, ac venaticus euaſerit. Hinc nimirum intelligitis, quantum in inſtitutione puerili, quantum in adoleſcentiæ diſciplina ſit momenti; quando bona conſuetudo, malaque pariter adeo creſcente ætate retinetur. O ſapientiſſimum Lycurgi prudentiſſimi legislatoris conſilium: o factum merito cumulatis laudibus celebratum. Quam puerorum educationem ſcripta lege ſanxerat; quam publicis concionibus ſuaſerat; quam priuatis ſermonibus ſæpe commendauerat, neceſſariamque docuerat; hoc pulcherrimo inuento geminorumque canum exemplo Lacedæmoniis perſuaſit, in eorum animis impreſſit, & Spartæ perpetuam ſtabiliuit. Sa- 21
tis multa diximus, Parauini, de periculo prauitatis naturam corruptam, & commutabilem, facilemque adoleſcentulorum ætatem, in deteriorem conſuetudinem detorquentis: non minus neceſſitatem educationis in tenera ætate declarat alia ratio, quæ ducitur à modo ac tempore, quo præclariſſima illa quattuor ornamenta Sapientia, Prudentia, Virtus, & Eloquentia, quibus ingenuam inſtitutionem contexebam, in animi ſedibus collocantur. Quem enim ſemidoctum fugere poteſt ea non niſi longinquitate temporis, exercitatione multa, & vſu diuturno, qui rerum, omnium efficaciſſimus eſt magiſter, comparari? Quem latet vitam hominum non ſufficere tam multis addiſcendis, niſi labor ineuntis ætatis diſciplinis ſtudioque tribuatur? Non eſt ſcientia doctrinarum vt Plato ſinc firmis rationibus opi-

Plin.l.26.c.2.

Digitized by Google

opinabatur, recordatio: ſententia illa, qua dicuntur homines antequam nati pleraque ſcire; diſcere non eſſe aliud, quàm recordari, ſeu reminiſcendo recognoſcere, iam pridem ex omnibus ſcholis exſibilata eſt, atque exploſa: ſed noſtra ſcientia eſt, ſiue ſapientia, noua quædam, intelligentiæ ui, mentis acumine, ſenſibus oculorum & aurium internunciis, ſtudii, vigiliarum & commentationis ope, rerum per cauſſas & veritatis hauſta cognitio. Prudentia vero quo modo vitam eius, animumque rectura eſt, in publicis priuatisque negotiis, & rerum delectum habitura meliorum, in eo, quem nec rerum agendarum neceſſitas ad experientiam excitauerit; nec vſus rerum experimenta multa porrexerit; nec rationem Reip. vitæque gubernandæ longa vita docuerit? Nam Eloquentiæ copiam, vim, *orat.* 8. & 9. facilitatem omnes norunt, non tam à Rhetoricæ præceptis, quæ paucis diebus deuorari poſſunt, quàm à frequenti meditatione dicendi, & exercitatione declamandi pẽdere, augeri, confirmari, quæ ſine diuturnitate, temporis, neque crebra poteſt eſſe, neque fructuoſa. Quid de Virtute, quæ primas habet in educatione, dicemus? Quem omnes merito ſuſpicitis, Ariſtoteles ſententiam è tribunali *Ar. l. 2. eth. c. 1. l. 10. cap. ult.* philoſophico tulit, omnium poſterorum recte de moribus iudicantium conſenſione probatam: Non tribui nobis à Natura virtutem, ſed acquirendæ virtutis poteſtatem: virtutem autem ipſam honeſtis actionibus frequentandis, vſu diuturno, conſuetudineque procreari in animis noſtris, & accendi: proinde tamquam plane neceſſariam ciuium educationem à primis annis inſtituendam in Ciui- *Ar. l. 8. polit. cap. 1.*
22 tatibus eſſe definijt. Præſertim quod tam facile eſt teneros adhuc animos componere pręceptis, fingere documẽtis, & liberali conformare diſciplina; quàm in molliſſima *L. Sen. l. 2. de ira cap. 18.* cera creta ue ſigillum imprimere. Temperationem corporis ſequitur animus. Quod ſi tenerrima infantium puero- *Plut. l. de educ.* rum membra, ne diſtorta ſuccreſcant, ſeuerioribus manibus inflectunt, retorquent, formantque nutrices; cur non

di-

diſtortos mores, ac deprauatos affectus in teneris animis ad virtutis regulam dirigetis? Educatores quicumque in illa ætatula flexibili ad voluntatem, ſiniſtræ manus vſum, terrore, clamoribus, & nonnumquam impactis peccanti palmis ſeuere prohibent, quòd dedecere videatur: cur nõ auerſos à ratione affectus, & ſiniſtros animi mores indignos homine libero, ſeueritate maiore, vel certe pari corrigetis? Quàm multa, miraque facit in animantibus, ut ita dicam, iunioribus, diſciplina? De mutis loquentes reddit
Hor. l. 1. ep. 2. aues: dociles equos teneræ ceruicis intra gyrum anguſtum currere; de repente conſiſtere in medio curſu; innumeris ſaltare modis, vitare periculum; hoſtem inuadere, præliari docet: canes ad numerum humano more ſaltare, mortuũ ſimulare, reconditum nummum reperire vidimus: ingentes immani mole liberati corporis Elephantos tuto per
Plin. l. 8. c. 2. 3. extentum funem iuiſſe, rediſſeque legimus: cur non admiratione paria, vel etiam admirabiliora in pueris ingenioſis accuratior efficiet educatio? Incredibilia pariter in arbu- 23
Gal. l. de cogn. & cur. an. morb. cap. 7. ſculis, teneriſque plantis; quarum ſimillimos Galenus putat adoleſcentulos, effingit & efficit agricolarum induſtria. Id amœniſſimi Principum horti, viridicatæ ſiluæ Regum; arte conſita viridaria teſtantur; vbi laurus, buxus, he-
Pl. l. 5. ep. 6. ad Apollin. dera, myrtus mille formis animantium, nauium, caſtellorum, aliarumque rerum vel natura, vel arte factarum, tum putatione, tum traductione finguntur: vbi conueſtiti parietes opere topiario; concameratæ pergulæ, circumductæ ſepes vel attonſis, vel adductis arbuſcularum ramulis frõdibuſque viſuntur; vbi vacua ſeminibus vua gignitur; & hieme media roſæ naſcuntur, quas non tam aeris tepor, & clementia cæli de ſpinis educit, quàm artificioſa cultura, & induſtriorum hominum educatio. Quid de inſitione dicemus? Non ea quidem vuam è rubo, neque ficum è corno; ſed dulcia pruna de ſpino profert: ſilueſtres arbores fructuoſas reddit; aſpera poma, guſtatuque acerba mitigat: fructus fructibus ad maiorem voluptatem adulterat; flo-

rumque

Digitized by Google

rumque gratiam miſcet. Vnde tot noua pyrorum, prunorum, pomorum genera exiſtunt? Vnde perſicũ, & amygdalum ſapore nucis infectum? Vnde citrea, ſeu medica mala dulcis, & acris ſucci temperamento mirabili, guſtui iucundiſsima? Vnde purpureæ candidæque roſæ ramulo ex eodem prodeuntes? Vnde nam denique racemus vuæ ceraſi ſanguine imbutus, ceraſi tẽpore matureſcit? Quòd ſi per inſitionem, per culturam, per induſtriam teneræ arbuſculæ, naturam vincentes ſuam, opera mortalibus inexpertis incredibilia, perficiunt; quid facturos putatis homines, quos ab ineunte pueritia diligens educatio paren-
24 tum, & tutorum excultos inſtituerit? Tot exquiſitis rationibus, tam firmis argumentis, quæ protuli; necnon aliis compluribus, quæ ne uos onerarem conſulto prætermiſi, priſci ſapientes vtilitatis publicæ, quàm multi noſtrum, amantiores permoti, beatioribus illis ſæculis, diligentiam incredibilem in iuuentutis inſtitutione, vel dictis, uel factis poſuerunt. Pythagoras è memoria mihi primus in linguam venit, Italiæ ſplendor clariſsimus. Hic, Deus bone, quàm multa excogitauit, dixit, effecit ad bonam educationem adoleſcentiæ pertinentia? Quò ſpectabat cœtus ille conuictorum adoleſcentium, quem à re ipſa Græco uocabulo κοινόβιον appellauit; in quo collatis in vnum pecuniis, in eodem contubernio, trecenti iuuenes alebantur; & eximia quadam educabantur à magno illo uiro Philoſophorumque magiſtro, morum doctrinarumque diſciplina? Quò celebratum omnium ſtylis quinquennij ſilentium in diſcendo? Quò muſica illa tam artificioſa & ſalutaris, qua veſperi ſedabat iuuenum illorum commotiores affectus ante ſomnum; & mane poſt ſomnum ſtupore & impuris ſomniorum imaginibus abactis, animos perpugabat? Quò propriorum cogitatorum; dictorum, factorumque diei totius præſcripta alumnis inquiſitio cum reprehenſione malefactorum, caſtigationeque coniuncta? Referebantur eodem ab eo, voluptatis uitiorumque omnium deteſtatio

Agell.l.1.c.9. Laert.l.8. in Pythag. Iuſtin.l.20. hiſt.

Orat.19.n.4

Plut.l.de Iſi de &c. Boeth l.1.de Muſica cap.1.

Plut. l. de educ. *S. Hier. Apol 2 adu. Ruffinũ* *Laer l. 8. in Pythag.* crebertima, cum laudatione uirtutum: & tot præcepta ſymbolis obſcurioribus incluſa, quibus vel ambitionis diſſuaſio; uel otii fuga; uel prauorum ſodalium declinatio, continetur. Quid Plato, cuius in mente, cum idea Ciuitatis, educationis quoque pulcherrima forma reſidebat? Hic *Plato in Theage.* *dial. 4. de Rep.* *dial. 1. de leg* modo diligentiam exquiſitiſsimam in inſtitutione puerorum adhibendam monet, quod ſit opus difficillimum; modo probitatem ab educatione primæ ætatis docet omnino pendere, modo per eruditionem puerilem ingenia fieri meliora contendit. *Plato in Theage.* *S. Chryſ hom. 21. in Geneſ.* Apud eumdem magiſter morum Socrates, uel ipſa nomina pueris imponenda cupit eſſe ſpecioſa, hoc opinor conſilio, quod Ioanni Chryſoſtomo Græcorum Doctorũ Chriſtianorum eloquentiſſimo animaduerti placuiſſe; ut uel ad imitationem eorum clarorũ proborumque uirorum: quorum nomina fuiſſent, accenderentur; uel ſi tum primum eſſent artificioſe ficta nouataque, commouerentur ad eius virtutis, quam ſignificarẽt, adeptionem & exercitationem: ſemperque ſecum ferrent ſtimulum ad honeſtum incitantem: & quoties appellationem nominis uel audirent, uel meminiſſent ſui, toties tãquam experrecti, de conſequenda uirtute, de laude, de gloria cogitarent. Ariſtoteles autem quàm recte ſenſit, & quàm grauiter ſcripſit de inſtitutione iuuentutis? Quis 25 *Ar. l. 2. eth. c. 1.* non illa verba miretur, in diſputatione de uirtute, Non parui referre, ſed plurimi, quo quiſque modo educetur: nõ aliquid boni, ſed totum in eo poſitum eſſe, ut homines ab ineunte ætate, uirtutum honeſtis actionibus exercendis conſueſcant? *Ar. l. 7. polit. cap. 17. & l. 8. cap. 1.* *L. 10 eth. cap vlt.* Quid quod educationem puerorum publicã exiſtimat eſſe oportere; tum propter parentum quorumdam negligentiam; tum propter morum ſimilitudinem, & communionem in Ciuitate retinendam? Atque ut melius intelligerent Rectores Ciuitatum, quanti eſſet educatio facienda, minima quæque perſequitur in ſuis de educatione præceptionibus; etiam illa quæ ſpectant ad cantum, ad muſicam, uictum, exercitationes, ludos puerorum, ad infantiam

fantiam denique ipſam in cunis vagientem. Mitto Cratetem illum veterem, qui de celſiſſima vrbis parte, maxima clariſſimaque voce, cunctos adoleſcentum parentes commonefacere cupiebat, vt plus diligentiæ ponerent in liberis educandis, quàm in pecuniis eorum gratia coaceruandis. Taceo Diogenem quem tam vehementer bene inſtituendorum puerorum cura ſollicitabat, ut cum ligurrientem obſonium adoleſcentulum vidiſſet, pugnum impegerit pædagogo. Tranſeo vetuſtiſſimum horum Ocellum Philoſophum, qui diſputans de Vniuerſo, puerorum educationem humanæ vitæ firmamentum ſtatuit. Prætereo recentiores L. Senecam, Quinctilianum, Plutarchũ, quorum libri præceptis educationis ingenuæ pleniſſimi declarant, quàm eam eſſe neceſſariam ciuitatibus auctores ipſi

26 putarent. Silere de ciuitatibus integris nec poſſum, nec debeo; quæ publice hanc inſtituendæ pueritiæ curam ſuſceperunt. Etenim Lacedæmonii, qui quondam in Græcia florentiſſimam Remp. Lycurgi numquam mutatis legibus fundatam terra marique ſæculis multis imperantem tenuerunt, iuuenibus educandis publice magiſtratum de ſenioribus, prudentioribusque ciuibus præfecerunt; cuius aſſiduitas, cura, diligentiaque tanta erat, vt non immerito Philoſophus in laudando parciſſimus Ariſtoteles, ad huius moris, & vrbis laudes identidem ſtylum ducat celebrandas. Athenis vrbe illius æmula, quę ſcriptore legum, ac magiſtro Solone, cum armorum & fortitudinis gloria, Sapientiæ & Eloquentiæ laudem, ſplendoremque coniunxit; tum aſperitatem bellicæ diſciplinæ, militariſque vitæ duritiam, humanitate ſtudiorum, & pacis artibus mitigauit; præter decem moribus iuuenum præfectos, qui Sophroniſtæ dicebantur, ille iuſtus adeo, ſeuerus, atque improbis metuendus Areopagitarum Senatus ijſdem præfuit; & qui ludos litterarum, quò ventitabant ingenui pueri, mo-

27 derabantur, erant annos amplius nati quadraginta. Neque vero ſtudium hoc ſalutare ciuitatibus, quod Græcia

Plut. l. de educ.

Plut. l. de docẽda virt.

Ocell. l. de Vniu. cap. 4.

Cic. orat. pro Flacco.

Ar. l. 10. eth. c. ult. Xenoph. l. de Rep. Lacedam.

Ar. l. 10. eth. c. vlt. l. 7. polit. c. 14. l. 8. polit. cap. 1.

Carol. Sig. l. 2. & 4. de Rep. Athen.

tantopere coluit, Roma neglexit. Tribuant verbis hiſce
meis fidem edicta illa cenſoria, quibus Philoſophi primũ,
deinde Rhetores quidam impudentes claudere ludum, &
abire iuſſi ſunt; non quidem vel Philoſophiæ, vel eloquen-
tiæ, quas poſtea tanto ſtudio Roma complexa eſt, odio (vt
poſterioribus ſæculis Domitianus hoſtis immaniſſimus
Sapientiæ, qui prauitate animi non doctrinis modo inimi-
citias denunciauit, ſed etiam doctis apertum bellum indi-
xit, cum Philoſophos, ac Rhetores omnes exilio, ac cæde
vexauit) ſed opinionis errore, quòd exiſtimarent ab illis
adoleſcentes doceri, non ſapere, ſed audere; tum per ſimu-
lationem doctrinæ corrumpi turpiter otio mores iuuentu-
tis, deſidiaque deprauari. Denique quis per Germaniam,
Galliam, Hiſpaniam, atque Italiam tot collegia ſtudioſo-
rum adoleſcentum excitauit; tot Gymnaſia doctrinarum
omnium aperuit; tot Doctores liberalium artium in ſin-
gulis pæne urbibus atque oppidis larga mercede condu-
ctos publice conſtituit ad docendum, niſi neceſſitas educa-
tionis à maioribus probe cognita, & amor recte inſtituẽ-
dæ, formandæque iuuentutis? Quòd ſi Philoſophos, ſi Ci-
uitates integras, ſi priuatos ciues, ad quos hæc adoleſcen-
tum educandorum cura non admodum pertinere vide-
batur, tantopere ſollicitos atque anxios habebat, quid pa-
rentes ipſos feciſſe putatis, quos lex naturalis, in intimis
ſcripta pectoribus, ad filiorum inſtitutionem adigebat?
Hoc enim erat alterum caput orationis meæ, puerorum, 28
& adoleſcentum educationem potiſsimum ad parentum
officium, prouidentiamque ſpectare. Philoſophus ille ma-
ximus ingenio, iudicio, doctrinaque Ariſtoteles, qui de pa-
rentum muneribus diſputans, ab illis filios & vitam, &
nutrimentum, & eruditionem accipere ſcripſit; in ſermo-
ne familiari dicere ſolebat amicis, maioribus dignos ho-
noribus eſſe parentes de liberis bene inſtituendis ſollici-
tos, iis qui tãtum genuiſſent; quod his vita ſolum, illis pre-
terea vitæ bene honeſteque degendæ ratio debeatur. Quã
im-

L. Sen. conſ. ad Helu. cap 10.
Agell. l. 15. *c.* 11.
Cic. l. 3. *de or.*
Suet. l. de cl. Rhet. cap. 1.
Quinctil. dial. de orat.
Athen. l. 13. *c.* 34.
Suet i Domit. cap. 10.
Agell. l. 15. *ca.* 11.
Lucian. in Peregr.
Philoſtr. l. 7. *c.* 4. 5.
Dio Chryſ. orat. 45.
Ar. l. 8. *eth. cap.* 11.
L. 1. *Occon. c.* 3
Diog. laer. l. 5. *in Ariſt.*
Philoſtr. l. 6. *de vita Apollon. cap.* 14.

imperfectus, mancus, ſegnis parentis amor erga liberos, qui non, ut oportet, eos erudit atque inſtituit? Erit homo feris deterior, quę catulos ſuos ad curſum & venationem inſtituunt? Erit auibus inertior, quæ pullos ſuos ad uolatū, & cantum erudiunt? Ipſe ſolus omnium animantium animo, corpore, ſexcentiſque ornamentis præſtantiſsimus, filios in lucem editos ab educatione cum homine rationis compote, tum ingenuo ciue digna nudos, incultos, ua-

Plut. l. de Amore Prolis.

29 cuoſque patiatur? Exigebat à patre tamquam debitum hoc officium Agaſicles, qui poſtea Spartam rexit, cum neſcio cui proponenti Philophanem ſophiſtam, à quo doceretur, reſpondit, *Eius ſe velle diſcipulum eſſe, cuius & filius eſſet.* Non immerito Diogenes Sinopeus, non ſemper rabidus canis, ſed ſæpe vtilis monitor, videns Megaris pingues, lana tectas, bene paſtas oues; pueros contra nudos, ineruditos, neglectos, momordit ſalutariter Megarenſes dicens, *Malle ſe pecudem Megarenſis ciuis eſſe, quàm filium.* Hinc Anacharſis Scytharum ſapientiſsimus Græciā vniuerſam peragrans inflammatus inueniendæ ſolidæ ueræque Sapientiæ cupiditate; cum Chenis oppidulo perquam obſcuro Myſonem virum probum reperiſſet ingenue liberos educantem, iure modum peregrinationi ſtatuens, quòd, quam quærebat, ſapientiam inueniſſet, non amplius ſibi cenſuit itineribus laborandum. Merito Cræſus diſciplina Solonis eruditus, interroganti Cyro Regi, num quępiam ſe uidiſſet beatiorem, reſpondit, Telum Athenienſem priuatum hominem, qui relictis liberis ac nepotibus bene inſtitutis, diē feliciter obijſſet. Obligatū ſe hac lege ſentiebat Cato ſenior ille Senator, orator pariter Imperatorq; clariſsimus, qui uxori lauanti filiolū, & obuoluēti faſciis aſsiſtebat: ipſemet litteris erudiebat, etſi domi Chilonem Grammaticum ſatis bonum haberet: ipſe mores ingenuos, officium adoleſcentis probi; diſciplinam armorū filium edocebat; ipſe grandioribus litteris eidem ſcripſit hiſtoriam, ut haberet domi unde maiorum exempla virtu-

Plut. in Lacon. Apopht.

Aelian. l. 12. var. hiſt. c. 56. Plut. l. de cupidit. diuit. Diog. Laer. l. 6. in Diog.

Max. Tyr. ſerm. 15.

Plut. in Cat. cenſor.

teſque perdiſceret. Quid Cæſar Auguſtus, quo tempore Rector Imperii Romani, terrarum Orbem moderabatur? Nepotes ex Iulia filia L. & C. Cæſares, emptos ab Agrippa genero, & domi per æs & libram adoptatos, litteras, & natare, & alia rudimenta docuit per ſe plerumque; curis regendi orbis non neglectis, ſed tantiſper intermiſsis: ratus, vt equidem opinor, ſe tum maxime commodis ſeruire Romanorum, vtilitatique proſpicere Mundi totius, cum eos adoleſcentulos, qui rerum potituri eſſent, erudiret; tum ſe quamplurimum Imperio, atque orbi prodeſſe, cum liberos ſuos eidem vniuerſo gubernando Principes deſignatos, liberaliter inſtitueret. Auguſti veſtigia premens imitatione Theodoſius Senior Romani Imperii iam Chriſtiani religioſiſsimus Imperator in Arcadii, & Honorii filiorum inſtitutione; non modo præpoſuit illis Arſenium doctiſsimum ſanctiſsimumque virum educatorem, ac magiſtrum litterarum, morum & virtutum: non modo iuſsit, ut eos virtutis comparandæ gratia tamquam ſeruos in ſua haberet poteſtate, ſed etiam ſæpe in Arſenii ſcholam veniebat, vt liberos potius ad officium, quàm Arſenium, cui plurimum confidebat, excitaret. Sed ecce tibi, nec Arſenio, nec diſcipulis opinantibus, improuiſus ac repentinus Gymnaſium ingreditur Theodoſius pater; offendit aſtantem pręceptorem, ſedentes pueros, contra quàm pręceperat: id ęgre ferens, pretioſis ac regiis veſtibus illos exuit in pœnam; uocemque illam edit memoria dignam ſempiterna: Si uitam moreſque veſtros ad legis diuinæ normam componetis, relinquam uos rerum Dominos, atque Imperatores Romanorum: ſi diſciplinam educationis optimę negligetis, utilius erit vobis, vt priuati traducatis ętatē, quàm vt à probitate doctrinaque vacui, cum periculo populorum imperetis. O Sanctiſsimum inſtituendę iuuentutis ſtudium! o diligentiam exquiſitam Principum maximorum! o tēpora perbeata! Quis miretur tunc ciui- 30

Suet. in Aug. cap. 64.

Niceph. l. 12. hiſt. Eccleſ. ca. 23.

tates

tates intus mirabili concordia ciuium perfruentes, imperij fines iuſtiſſimis uictorijs foris protuliſſe? Quis putet incredibile, paſſim ornatiſſimos virtute viros extitiſſe complures, quibus nihil, niſi veri Dei cognitio, quæ diuinitus datur, ad perfectionem deeſſe videbatur? Merito nos antiquitatis memoriam animo replicantes querimur; noſtra tempora miſeramur, & lacrymis pæne fletuque reuocamus ea ſæcula, quæ ſemel elapſa, iterum redire non poſſunt. O miſeram noſtrorum temporum conditionem. Quàm diſſimilis eſt multorum ætate noſtra patrum familias conſuetudo? Quàm veteres illi vere patentes, dies noctesque de ſuorum liberum; deque aliorum inſtitutione cogitabant? Quàm parum noſtri homines, quàm negligenter, quàm oſcitanter? Conferte, conferte, Patauini Ciues, illos antiquos, cum noſtri temporis hominibus; atque vt plane oculis videatis, quantum inter illorum diligentiã, & noſtrorum, ne quid grauius dicam, negligentiam, & incuriam interſit; ſtudia cum ſtudijs, ſententias cum ſententiis, facta cum factis comparate. Illi ſic ab ineunte ætate filiorum inſtitutionem ordiebantur, ac proſequebantur; nullam vt partem tenerioris, atque adoleſcentis vitæ ſeueriore diſciplina vacuam fluere paterentur: hi propter nimiam in liberos indulgentiam neruos animi corporiſque frangentem, ab immoderato profectam amore, ſemper de valetudine eorum, vitaque metuentes; nullam ætatis partem cancellis ſtrictioris inſtitutionis coercendam putant. Chryſippus nobilis Philoſophus nutrices optabat ſapientes; & Quinctilianus qui formabat oratorem, bene loquẽtes requirebat; Corneliarum, Læliarum, Hortenſiarumque Romanarum ſimiles, quæ Latinæ linguæ laude floruiſſe dicuntur & liberos docuiſſe; nec S. Hieronymus Chriſtianã puellam inſtituens, in qua minus quàm in pueris cura hæc neceſſaria videtur, à Quinctiliano diſſentit: vt in cunabulis ipſis infantes pueri, vt in ſinu matrum, vt in gremio nutricum; cùm earum lacte tum eloquentiæ, tum doctrinarum

Quinct. l. 1. c. 1. & in dial. de orator.

S. Hier. ep. 7. ad Letam.

elementa ſorberent. Noſtri tantum ab hac exquiſitiſſima
diligentia veterum abſunt, vt ne pueros quidem grandio-
res, ex ephebis egreſſos, humaniſſimis litterarum ſtudiis
excolendos, aut nobiliſſimarũ doctrinarum opibus locu-
pletandos curent. Monet Plato, quem optimum in hac di- 32
ſciplina magiſtrum, Ariſtoteles, Plutarchus, ac ceteri iuuẽ-
tutis præceptores ſecuti ſunt; ne fabulas turpes atque ina-
nes pueris, nutrices enarrent; neue quidquam obſceni vel
in verbis audiant, vel in factis videant, vel in pictutis in-
tueantur, unde turpitudine flagitioſa poſſit animus iuueni-
lis inquinari: quod, vt recte Democritus admonebat, *Ora-
tio eſt operis vmbra*: Romanique veteres eam cautionem
priſcis ſæculis adhibuerunt remiſſiones etiam ludoſq; pue-
rorum ſanctitate quadam & verecundia temperantes, ut
ſincera, & integra, & nullis detorta vitiis nullisque fœda-
ta maculis natura toto pectore ſtatim arriperet artes hone-
ſtas. Noſtrorum multi, pro dolor, non modo pueros infan-
tes, & impuberes ab rerum turpium aſpectu, fabularumq;
obſcenarum auditione non prohibent, ſed etiam tum, cũ
feruor ætatis libidinem magis accendit, ſpurciſsimos inue-
recundorum Poetarum libros, ad inhoneſtum amorẽ pro-
uocantes, volutandos illis tradunt, aut permittũt; & quod
eſt acerbius ad dolorem, ipſimet ad fœdiſsimas comœdia
ſpectatores, auditoresque perducunt. Plato numquam ſa-
tis laudatus, Ciuitati legibus à ſe conditis temperatæ ſum-
mopere timebat, muſicæ, qua pueri delectabantur pariter,
& erudiebantur, mutationem in liberiorem aliquam ca-
nendi rationem, quæ mores bonos inuerteret: quòd probe
intelligeret affectus commoueri vehementer, langueſcen-
tes animos ad flagitia concitari, virtutem ipſam ſolidam
ſæpe frangi per cantum molliorem: & maximas inde fieri
commutationes morum. Lacedæmonii quoque veterum
legum, priſcique moris obſeruantiſsimi Terpandrum 33
optimum citharædum illiſa ad palum cithara multarunt;
& Timotheum Mileſium præſtantiſsimum item Muſicum

Plato apud Plut. l. de educ. lib.
Ar. l. 7. polit. c. 17.
Max. Tyr. ſerm. 7.
Iuuen. ſat. 15.
Quinct. l. 1. c. 2.
Plut l. de educ.
Quinctil dial. de orator.
Plato apud Boet. l. 1. de Muſ. cap. 1.
Plut. l. 1. conu. 9. 5.
Boet. l. 1. de Muſ cap 1.
Plut. in Lacon. inſtit. & l. de Muſ.
Boeth. l. 1. c. 1.

exc-

exegerunt ex vrbe, quod addita chorda tantum vna, puerorum animos quos inſtituebat, fregiſſe, corrupiſſeq; mollita ſeuerioris muſicæ diſciplina, putarentur. At noſtri tẽporis patresfamilias, quàm parum ſolliciti ſunt, quàm parum anxii, quali nam muſica liberi ſui, cantuque erudiantur? Sunt impudici verſus, qui canuntur, ſunt impuri, ſunt amatorii; non curant: mollis, effœminata, corruptrix morum additur cantandi ratio; nihili faciunt: redeunt à ſchola Muſicorum, filii quotidie licentiores; non animaduertunt; & qui obſeruant iſthæc omnia, tamquam nimis religioſos, & imbutos ſuperſtitionibus anicularum effuſa cachinnatione derident. Illi non Barbaris ancillis infantes filios trãdebant; ſed uel matri, uel amitæ, uel auiæ; non uilibus ſeruis pueros delegabant, ſed præceptoribus bonis; nõ ſine delectu quibuſcumque pædagogis adoleſcentulos cõmendabant educandos, ſed per ſe liberos ſuos inſtituebãt; veriti ne pueri (quod aſſolet) imitatrice pueritia, magiſtrorum vitia contraherent etiam magiſtris inuitis, ut accidit Alexandro, qui poſtea Magnus eſt appellatus, cui Leonidæ pædagogi vitia fixa radicitus uſque ad uitæ finem adhæſerunt: neque priuata cura contenti ſuorum, in publicã educationem laborem ſuum, induſtriamque conferebãt. At hi qualicumque ruſtica nutrice, qualicumque pædagogo contenti, cuius ſcientiam, probitatem, induſtriam, non ingenii ſpecimen, non experimentum doctrinæ, non perſpecta morum honeſtas, ſed mercedis vilitas metiatur; eatenus curant ſiue parum, ſiue multum in doctrina probitateque proficiant ſui, prorſus aliis neglectis; quatenus immoderata anxietas ac perpetua cura vel augendi, uel conſeruandi patrimonii dederit aliquod ſpatium de liberum educatione cogitandi. Quid præterea? Magnus ille Dux
34 Lacædemoniorum Ageſilaus interrogatus aliquando, quę nam pueris eſſent addiſcenda, ſapientiſsime reſpondit, ea, quibus uiri facti, ſunt uſuri: quod etiam ſummis educationis bonæ præceptoribus Platoni, Ariſtoteli, Plutarcho, S.Hie-

Quinct dial. de orator.

Plut. l. de educ. L. Sen. l. 2. de ira cap. 22. Plut in Alex. Quinct l. 1. c. 1. S. Hier. ep 7. ad Lætam.

Plut. in Lacon Apophth.

Plato dial. 1 de leg. *Ar. l. 7. polit. cap 17.* *Plut. l. de Muſ* *S Hier. ep. 7. ad Lat.*

S. Hieronymo placuit: qui iubent ab ineunte pueritia tum actiones, ingenium, linguam, affectus puerorum, tum ludos ipſos, & iocos pueriles eò conuerti, quò cupimus pueros peruenire: ſic ut ludendo, ſtudendo meditentur & tentent ea per imitationem ludicram, & ſeriam moliantur, quæ ſunt in ætate conſtanti, ac ſenectute in ciuitatis campo tractaturi. Sed noſtrorum multi, ſaltatione, muſica, ſimilibusque artibus, quæ nullum in Rep. ſunt vſum habituræ, ſollicito valde animo liberos erudiri curant: negligunt eloquentiam, ſcientiam doctrinarum, ceterasque artes ingenuas, quibus ornatur animus, præparatur ad virtutes capeſſendas, & augetur prudentia rerum agendarum: contemnunt virtutum ſtudium, morum diſciplinam, officiorũ uiri nobilis doctrinam: nec animaduertunt cæci per eam occaſionem filios adoleſcentes in illis ludis, improborum nidis, uitioſorum receptaculis, corruptorum iuuentutis domiciliis, ſicariorum, ganeonum contaminatiſsimorumque ſodalium peſtifera conſuetudine fœdari: tum eorumdem ſuaſu ductuque abdere ſeſe, uel in aleatorum gurguſtiis, ubi pecuniam omnem quam habent, & quam non habent miſerabiliter profundunt, & rixa, iurgio, fraude ſibi parant inimicos; uel in ganeis ac popinis uitiorum, ſcelerumque omnium, ac luxuriæ potiſsimum officinis, vbi ſpurciſsimis helluationibus, flagitiisque conficiuntur. Illi modo cohortatione filios propellabant in curſu virtutis, bene docti tirunculos habere primos impetus ad optima quęque ſi quis exhortetur illos, atque impellat: modo ad ſeueritatem compoſiti minas addebant & uerbera, cum verba non ſufficerent: modo cum ſinapi melle miſcentes pœnas præmiis ac munuſculis temperabant; quę duo ſunt, è ſapientum oraculis, elementa uirtutis, educationis fundamenta, Ciuitatis ac Reip. firmamenta, ſed ętate noſtra quis liberos paullo grandiores paternis uocibus cohortatur? Quis audet peccantes ſeuerius obiurgare? Quis non indulgentię tantum melle filios exultantes iuuenili ferocia delinit, ac timide per-

L. Sen. ep. 108. *Clem. Alex l. 1. pædag. c. 11. orat. 13 n. 18.*

permulcet? Quò abijt veteris diſciplinæ ſeueritas in educanda iuuentute? Nihil de Laconibus dicam, quorum aſperrima, duriſſima, ſeueriſſimaque diſciplina iuuentutis *Plut. in Lacon. inſtitutis. & in Lycurgo* peruenerat eò, vt ſtatis quibuſdam temporibus ad aram Dianæ flagellis verberandos vocarent omnes pueros; ignominia, qui ploratum ederent vapulantes, notarentur; qui ſine gemitu lacrymiſque totum diem ictus tolerarent honorati præmijs abirent; vt futuri milites in prælijs hoſtium ictus, plagas, & vulnera patienter ferre conſueſcerent. De Athenienſibus dicam, qui quàm Lacones, doctrinarum amantiores, mollioribus imperijs, ac mitiore diſciplina pueros educabant. Verum in ea temperata ratione inſtituendorum adoleſcentium, quanta ſeueritas, noſtrorum indulgentiam, animique remiſſionem plane coarguens? Vulgata eſt Areopagitarum illa ſententia, qua puerum *Quint. l. 5. c. 9* damnandum capitis cenſuerunt, cui ludus erat oculos effodere coturnicum; quod id animi crudeliſſimi clarum eſſet argumentum: ipſeque puer immanitatis inſignis, cum adoleuiſſet, multisque pernicioſus fore putaretur: neque tantam iudicii ſeueritatem Sapientiſſimi viri in illam ætatulam expromere pertimuerunt; neque reprehenſionem vllam, aut ſuorum temporum, aut poſteritatis, quæ litteris facti huius atrocitatem eſſet exceptura, formidarunt. Sed *Ael. l. 5. Var. hiſt. cap. 16.* quale eſt illud, quàm ſeuerum, quàm ad exemplum poſteritatis ſingulare, de alio puerulo iudicium? Deciderat ex aurea corona Dianæ lamina in templo eius Athenis: puerulus conſpectam è terra ſuſtulit; accuſatur ſacrilegii reus ad Iudices adducitur. Illi propter ætatem pueri, iudicium ſuſtinent; capiunt inuſitatum conſilium ad explorandam eius animi propenſionem: primo errato veniam dare cupiunt. Itaque proponunt illi crepundia, talos, & laminam illam auream, quam in templo ceperat: optionem dant, vt quid potiſſimum velit ex illis rebus eligat: puer inſtinctus à vitioſa natura, rurſus auri ſplendore captus, ad laminam admouit manum: tum illi veriti, ne uir factus, eadem imui-

tatus illecebra furta, rapinas ſacrilegiaque committeret, non ætati parcentes, non puerilibus lacrymis, non maternis eiulatibus, eum, tamquam ſacrilegum extremo ſupplicio plecti iuſſerunt. O ſeueritatem non admiratione tantum, ſed aliqua etiam imitatione digniſſimam. Quid uos hic dicere audeatis pro veſtra cauſſa, Parentes indulgentes atque in liberum audacia frenanda remiſſi? Vos enim appello, ſi tamen adeſtis. Quid excuſationis afferre? quid hiſcere poteſtis? Vos excito, vos expergefacio, vos ad veſtrū officium, curamque reuoco, qui uſque eo miſericordes 36
eſtis in liberos veſtros ac diſſoluti, tum, cum in ætatis flexu vinculis omnibus eſſent illi cohibendi; cum omnia repagula iuris, & honeſtatis effringunt; cum huc atque illuc onerati ferro, ſtipati ſicariis, vnguentis delibuti volitantes inſidias alienæ vel vitæ, vel pudicitiæ moliuntur; vt verbis non caſtigetis modo, quod acerbiſſimis eſſet faciendum, non auctoritate paterna, non grauitate vultus illorum efferueſcentes animos ſedare conemini; ſed plane diſsimuletis, conniueatis, & pernicioſa quadam pietate molliti, fractique feratis atque excuſetis; ſed, quod eſt intolerandū auditu, ſi magiſtratuum vigilantiſſimorum induſtria, ſalubrique ſeueritate frenentur, ægerrime moleſtiſſimeque patiamini. Si Lycurgus, Solon, Pythagoras; ſi Socrates, Plato, Diogenes; ſi Ariſtoteles, Cato, Plutarchus; ſi ſapientes alii viri bene morati, qui ciuitatibus iura legesque ſanciuerunt; aut iam conſtitutis educandæ iuuentutis præclara, vel præcepta, vel exempla dederunt, nunc à mortuis excitati diuinitus reuiuiſcerent, Auditores, atque in terris, in vrbibus, in domibus nobiſcum, vt quondam, verſarentur; ac tam multorum patrum familias in liberis educandis negligentiam; in erudiendis incuriam, in caſtigandis timiditatem, in puniendis remiſſionem, diſſolutionemque uiderent, nonne optimo iure poſſent eos reprehendere, & accuſare maiore, quàm ego iuuenis, atque indiſertus poſſim ac debeam, uel orationis grauitate, uel acerbitate uerborum?

rum?

37 rum? Hæc illi dicerent, opinor. Nos quibus nec ulli magiſtri præiuerunt, nec diuina lux æque præluxit ac uobis, tanta cura, labore, ſtudio deſcriptam iuuentutis educationem in urbibus collocauimus; uos nobis magiſtris, uos cæleſti ſapientia diuinitus eruditi, non eandem viribus omnibus, ac præſidiis retinendam putatis? Nos nullis, vel paucis Rerump. caſibus docti, quantum Ciuitatibus afferret neglecta detrimenti, uos poſteros aperte palamque monuimus, quid extimeſcendum vobis eſſet, & præcauendum: vos tot euerſionibus antiquarum, tot recentibus ruinis, ac propemodum incendiis multarum ciuitatum, quarum cinerem adhuc fumantem videtis moniti, calamitates impendentes, honeſta iuuentutis inſtitutione non auertitis? Hoſtes veſtri moribus ac natione barbari, quibus omne ius eſt in armis, quos uobis per ſummam iniuriam eripiũt pueros, atque adoleſcentulos, & futuros deſignant milites prætorianos, neruos exercitus, propugnatores tyrannidis, Imperii Turcici defenſores, non prius artibus militaribus inſtruunt in Byzantino illo præcelſis ſepto muris, clauſtriſque firmiſsimis munito contubernio, quàm ſpurciſsimæ falſiſsimæque Mahometanæ ſuperſtitionis imbuunt impietate: domeſtici uero inimici, quibus cum tantum de religione contenditis, accuratiſsime ſuos adoleſcentes publice & priuatim erudiunt: vos vtrorumque æmulatione diligentiæ prouocati, non inſtituetis veſtros tanto diligentius, quanto meliores ſunt ueſtræ diſciplinæ, quantoque tota ratio educationis eſt humanior atque ſanctior? Pluris interdum facietis aues, equos, & canes, quos alitis domi, quàm filios veſtros, qui propter naturæ ſenſum uobis debent eſſe uita cariores? Vos illas animantes educatas inuſitatâ cura non piget iis artibus erudire, quas capere queunt: filios vero præſtantibus illis ornamentis, quæ ſunt eorum propria, quæque publicis muneribus ciues idoneos reddunt, hoc eſt Prudentia, Virtute, Sapientia, & Elo-

Ocell. l. de Viniu. cap. 4. S. Iſid. Peluſ. l. ep. 316.

38 quentia decorari negligetis? Vocibus hiſce, aut harum ſi-

milibus, ſi loquerentur homines, qui veræ religionis orbati luce uixerunt, excitare certe patres, auos, patruos, tutoresque deberent, inſtitutioni filiorum, nepotum, ac pupillorum indormientes: quanto facilius Clementes, Nazianzeni, Hieronymi, ceterique Chriſtianorum magiſtri viri ſanctiſſimi, qui factis, & ſcriptis de iuuentutis diſciplina præcepta tradiderunt, ab iiſdem patribus familias, & adoleſcentum cuſtodibus ætatis huius impetrare deberent, ut ſuorum liberum, & alumnorum cura ſuſcepta diligentius, ne permitterent eos, ita facile, ſtudiis nobili viro dignis abiectis, per urbem, atque agros, dies totos cum deſidiodioſiſſimis, & inertiſſimis comitibus, aſſectatoribusq; peruagari; tum è doctrinarum ſcholis, in talorum alearumque ludos; atque è virtutis tabernaculis, in vmbracula transfugere voluptatis? Horum virorum, quos commemoraui, diligentiam & conſilium æmulati noſtræ ſocietatis Archi- 39
tecti, iuuentutis educationem, magna curarum noſtrarum parte contineri voluerunt; vt parentibus in procuratione rei familiaris occupatis eſſe poſſimus auxilio; præſertim hoc ſæculo, propter tam fœdam nefandarum hæreſum colluuionem pertimeſcendo. Quamquam autem Virtus eſt puerilis educationis caput; atque hoc vnum ad homines Deo dicatos, ac deuotos, quales nos ſumus, videtur pertinere: tamen quò facilius in adoleſcentium animos, virtutem ac pietatem inſtillaremus, neceſſario fuit docendi munus, explicandarum doctrinarum, & litterarum onus ſuſcipiendum. Vulgatum eſt illud quidem, attamen verũ dictum, ſiue Demoſthenis, ſiue Ariſtotelis, ſiue Iſocratis, ſiue totius illius ætatis præſtantiſſimæ: *Virtutis arborem amaras habere radices, fructus dulces.* Amara porro cum reſpuunt omnes ductu naturæ; tum vero pueri atque adoleſcentes reformidant, quorum voluptarij ſenſus, occulto naturæ ſeipſam amantis inſtinctu, mirandum in modum dulcedine capiuntur. Itaque fuit excogitandum hoc litterarum ac ſcientiæ ſuaue condimentum, quo mitigatus vir-

Aphthon. in Progymnaſm.

tutis

Digitized by Google

tutis inchoandæ ſenſus amarior, ipſa virtus comparatu ſuauis & iucunda videretur. Qua ſcilicet in re, perſonam optimorum Medicorum nobis imponimus, qui poculi ſalutaris quidem, ſed amari labra melle oblinunt; vt, quemadmodum ait ille Poeta vetus ac doctus, qui Philoſophiã Latinis verſibus illigauit,

Max.Tyr.ſer. 29. Them. orat. ad Nicomed.

M.Sen.ſuaſ.7. Lucr.l.1. & 4.

Puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat.

Quamobrem vbicumque terrarum ac Gentium ea ſunt noſtrorum domicilia, quæ Collegia nominamus, hoc habemus in præceptis; primum vt litteras humaniores puerorum ingeniis accommodatas; deinde, ſi fieri poſſit, alias pæne omnes doctrinas, & artes liberales explicemus; tum quam diligentiſſime curamus, vt cum litteris ac doctrinis pariter religionem, probitatem, virtutesque omnes adipiſcantur, qui ſe nobis erudiendos tradiderunt. Hinc, opi-
40 nor, conijcitis; Auditores, quæ cauſſa nos impulerit hoc anno, ut quattuor ſcholas partim Grammaticæ, partim Humanitatis, æſtate proxima raptim ædificatas, aperiremus. Eadem videlicet fuit, quæ cunctæ ſodalitati noſtræ docendi prouinciam imponit. Neque enim videbatur æquum, quod in aliis multis vrbibus, quæ ſunt Collegia noſtra complexæ, præſtamus; in Patauina ſola prætermittere; quæ quia multis ab hinc annis Collegium habuerat, iure ſuo ſcholas eas repoſcere potuiſſet. Optauimus id quidem diu, nec impetrauimus, tum ob domeſticas ædiũ anguſtias, difficultates ædificationis, & alias valde graues; tum quod ei Ciuitati, ubi Doctoribus eruditiſſimis, liberaliſſimisque doctrinis affluentem ſtudiorum vniuerſitatem videremus, minus neceſſariam operam noſtram eſſe putaremus. Nunc tandem harum omnium reliquias difficultatum, ampliſſimi uiri Federici Cornelii Patauinorum Epiſcopi grauis auctoritas, & liberalitas ſuſtulit; quo au-

ctore

Digitized by Google

ctore, atque adiutore plus oneris ſuſtinemus, quàm per nos ipſi noſtris uiribus, atque opibus potuiſſemus. Hic enim vir è clariſſima familia, Reginæ Cypri corona, tot Ducum ſceptris, tot Cardinalium purpura, tot uictoriis ac tropheis nobilitata, Venetiis natus ad magna, tum ad maiora ſuapte induſtria factus, alienæ dignitatis amplificandæ, ſalutisque cupidiſſimus; vt Eccleſiæ ſuæ patriæque prodeſſet inſigniter, inſtituit collegium illud, cuius ad aures veſtras iam fama peruenit, in quo Veneti Patauinique nobiles adoleſcentuli virtutum, & artium ingenuarum præceptis ſunt ad omnem honeſtatem ac probitatem informandi. Peruidiſti Paſtor vigilantiſsime (tecum enim de 41
tuis laudibus loqui decet) quantum educatio bona iuuentutis tribueret adiumenti Ciuitatibus ad bene beateque viuendum: & omnia quæcumque pluribus ego verbis, & longa oratione diſſerui; tu cogitationis vna comprehenſione iam ante cognoras. Intellexiſti cum Seneca, cum Quinctiliano, cum aliis prudentibus viris, nec domi ſuæ recte pueros educari poſſe, vbi tamquam in materno gremio iacentes deliciis, blanditiisque nimiis, & molliũtur ſimul, & efferantur; exemplis domeſticorum deprauatorum corrumpuntur, & antequam ſciant eſſe vitia, vitiis inficiũtur: nec tuto foris inſtitui procul ab aſpectu parentum, quòd in magna libertate, rerumque omnium licentia conſtituti fines honeſtatis & moderationis, equorum intractatorum more violenter excuſſo domitore, curſim excedant. Itaque rationem hanc educationis excogitaſti Pythagorico cœnobio caſtitatis, & continentiæ domicilio ſimilem, qua diuulſi tantiſper à complexu ſinuque parentum, domeſticis voluptatibus periculisque carerent, nec tamen ſine cuſtodibus licentius vagarentur; intra certos ac definitos ædium, non tamen paternarum parietes continerentur: vbi temperatæ diſciplinæ circumſepti cancellis, huc atque illuc errare prohibiti; contubernalium meliorum exemplis admoniti, conuictorum æqualium æmulatione conci-

L. Sen. l. 2. de ira cap. 22. Quinct. l. 1. c. 2. & dial. de orator. Iuuen. ſat. 15.

Agell. l. 1. c. 9. Apul. l. de dogm. Plat.

tatis

tati; crebriſque ingeniorum exercitationibus experrecti, quotidie maiores facere poſſent in morum ingenuorum, & liberalium doctrinarum adeptione progreſſus. Accedente præſertim Rectoris atque educatorum ſumma cura, vigilantia, probitate, cohortatione, præceptis, & exemplis: quos per Italiam optimos ac probatiſſimos conquiſiuiſti diligentiſſime, contubernioque præfeciſti cupidus, vt cum adoleſcentes inde receſſerint ad parentes, dicere vere poſſint id, quod ille puer apud Platonem educatus, & relatus ad ſuos, cùm patrem vociferantem vidiſſet, dixiſſe fertur. *Numquam hoc apud Platonem vidi.* Quæ res, Audi- *L. Sen. l. 2. de ira cap. 22.* tores, quoniam ſine præceptoribus litterarum, ac doctrinarum neque ſtare, neque progredi poterat, petiit à nobis (quos ſciebat in erudienda iuuentute verſari ſolere; ſperabatque non grauate hoc onus eſſe ſubituros) ut quicũque viuerent in eo contubernio, noſtris in ſcholis, quas in hunc finem exædificari curauerat, per Ordinis noſtri magiſtros erudirentur illis diſciplinis, quas conſueuimus explicare. Non ſumus auſi nos æquiſſimam Pontificis bene de nobis meriti poſtulationem repudiare, cum legibus noſtris congruentem; cui concedentes, nonnullam animi
42 grati nos dare ſignificationem intelligebamus. Atque hoc etiam libentius recepimus eidem flagitanti; quod occaſio nobis bene merendi de multis offerebatur. Primo quidem de Gentibus omnibus, ac nationibus exteris Germanis, Gallis, Polonis, Anglis, & aliis in hac vrbe liberalium ſtudiorum cauſſa commorantibus; quarum beneuolentiam ſingularem erga noſtram ſodalitatem, vbique terrarum in ſingulis earum regionibus experimur. Deinde vero de ci- *Petr. Ribad. l. 3. vitæ P. Ign. cap. 6.* uibus Patauinis; quibus quantum debeamus, ipſi conſcii ſumus, qui meminimus, quàm amice collegium hoc noſtrum antiquitate primum omnium Italicorum, in ipſo propemodum initio ſocietatis naſcentis exceperint; & quàm prompte, cum aliquid poſtulauimus, publice noſtris poſtulatis, commodiſque proſpexerint. Tum potiſſimum

Digitized by Google

de Venetis;quorum in nos collata beneficia poſcebant, vt vel ipſorum cauſſa tantum has ſcholas aperiremus. Nam præclariſſima Venetorum urbs in medio mari collocata mirabiliter; ſtabilis inter fluctuantes vndas; immobilis in æſtibus maritimis atque Euripis; non modo ſodalitatem noſtram recens ortam ſuo tamquam ſinu complexa eſt, & in tribus imperii ſui nobiliſſimis urbibus paſſa eſt, & gauiſa conſidere; non modo per tot annos ſodales noſtros Venetiis commorantes, priuatis & publicis muneribus aluit, ornamentiſque ſingularibus cumulauit; quorum memoria, recenti beneficio Senatus permittentis humile noſtrũ ædificium ſupra cellam ſalariam publici iuris attolli, nuper renouata & confirmata, numquam in nobis morietur: ſed etiam hoc ipſum collegium in quo viuimus, arrogare ſibi iure optimo poteſt, & ſuum ducere beneficium, cum Andream Lipomanum ordinis patritii ciuem pepererit, qui pietate quadam incredibili præditus, & parum ſe de nobis meriturum fuiſſe ratus, ſi quas Venetiis ſedes incolimus, & quo vtimur, templum ordini noſtro dũtaxat attribuiſſet; hiſce etiam Patauinis ſedibus, templo, bonis ſe ultro priuauit viuens auctoritate Pontificia, permiſſuque Senatus, vt ſocietati noſtræ Collegium, quoad poſſet, fundatum ſtabilitumque relinqueret. Quæ conſulto clariore uoce dixi, Sapientiſſime Prætor, ut tu, qui totius Reip. Venetæ nomine, tanta cum laude huic Ciuitati gubernandæ præſides, intelligeres nos, qui memores ſumus tot beneficiorũ, optare vehementer, ei gratiam aliquam referre, laboribus his, qui in edocenda iuuentute Veneta perferentur. Poſtremo ſingulariter lætamur, hiſce ſcholis hoc anno adiectis, & aliis tum ante apertis, tum deinceps aperiendis, nos fore ſocios, atque adiutores in honeſtiſſimo iuuentutis erudiendæ labore ſapientiſſimorum, & eloquentiſſimorũ illorum virorum, qui Patauinum ſtudiorum domicilium illuminant. Quod quàm nobis decorum, quàm honorificum, & quàm illuſtre ducamus, ſatis aperte concepta iam

diu,

diu, de eius Gymnaſii dignitate, perhonorifica & illuſtris opinio declarat. Sic enim ſentimus, difficillimum eſſe definire, cuiùs nam fama Gymnaſii ſit hoc tempore clarior, quàm Patauini. Cuiùs in ſpatijs, qui ſunt illorum Doctorum ſapientiſſimis vocibus eruditi, redeuntes in patriam, ita ciues, municipesque ſuos excitant, & commouent opinione ſapientiæ, vt nationum omnium concurſus fiant certatim ad hanc ſcholam confluentium: & illi ipſi, qui ſemel eorum ſapientiam magiſtrorum guſtauerunt; iterum ac ſæpius ad eandem ore toto potandam priſtinæ recordatione voluptatis inuitati rapiuntur. Atq; vt aliquando Medico ſufficiebat, ad commendandam artis ſuæ auctoritatem pro experimento, ſi Alexandriæ ſe dixiſſet eruditum, quo tempore florebant in ea Ciuitate ſtudia cunctarum artium, ac doctrinarum; ſic ad Patauini Gymnaſii decus vere poterunt, qui ſæculi noſtri ſcribunt hiſtorias, poſteritati tradere, tempus fuiſſe, quo tempore, qui Patauij bonis artibus ſtuduiſſet, & inſignia doctrinæ ſuſcepiſſet, eum ceteri mortales, nō vt hominē humana voce, ſed aliquo potiore aflatu perdoctum intuebantur. Quod ſi cælum ingenijs prodeſſe poteſt acuendis: hoc ſane Patauinum, quod viros ingenioſiſſimos Liuios, Aſconios, Valerios Flaccos, Stellas, Iulios Paullos, Traſeas, & alios vobis cognitos procreauit; ingeniis quoque virorum horum, qui diuturna lucis huius vſura docendo fruuntur; qui hunc aerem ſpiritu tot annos ducunt, vim ſuam cæleſtem continenter impertiri putatote. Denique ſi illæ doctrinarum inuentrices, ac nutrices Athenæ, Barbarorum impetu ex Attica pulſæ, diuque per Orbem terrarum errando peregrinatæ conſtiterunt vſpiam; credere nos iuuat, ſub hac cæli ſaluberrimi plaga, tum in his feraciſſimis Venetiæ campis conſtitiſſe. Quis igitur, Præſtantiſſimi Auditores, in tanto lumine nobilitatis, in tanto ſplendore ingenij, in tanta luce doctrinæ verſari poſſe, non exiſtimet donum ſingulare diuinitus datum? Quis vetet nos lætari, quòd liceat operam

Amm. Marcell. l. 22.

Martial. l. 1. Tacit. l. 16. annal. Petr. Crin. l. 4. cap. 70. Bern. Scardeon. l de antiq. Patau. vrbis.

noſtram, cum illorum perilluſtrium Doctorum induſtria; conatus noſtros, cum honeſtiſſimis eorum laboribus; humeros, cum humeris coniungere ad laudabile iuuentutis inſtituendæ pondus ſuſtinendum: atque ita liceat, nihil vt ſcholæ Patauinæ, cuius decus, & ornamenta per nos quærentur in primis; dignitas, ſplendor, & celebritas minuatur? Quare, nobiliſsimi Adoloſcentes, qui diſciplinæ gratia nuper è paternis ædibus in illud Collegium conuictores immigraſtis, vos hortor vt ampliſsimi Epiſcopi veſtrum amantiſsimi, qui ſingulos in loco liberum habet, voluntati; parentum veſtrorum, qui uos in eo, tum vtilitatis veſtræ, tum Reip. totius cauſſa collocarunt, votis; Moderatorum, & educatorum integerrimorum, qui vos paterna plane caritate tractabunt, monitis; magiſtrorum, quibus beneuolis ac diligentibus in ſtudio morum, ac litterarum eſtis vſuri, conatibus; alacritate, ſtudio, modeſtia digna genere, digna nobilitate, digna ætate veſtra reſpondeatis. Vobiſcum ſæpe cogitatione reputantes; ſi qua conuenit diligentia in ſtudia litterarum incubueritis; & cunctas officiorum adoleſcentis nobilis, & Chriſtiani leges didiceritis; ſi quibus poteſtis viribus, cum virtutum omnium, tum in primis pietatis, temperantiæ, modeſtiæ ſplendores eritis conſectati; fore breui, vt ſitis veſtri ſodalitij laus, Antiſtitis religioſiſsimi decus, parentum deliciæ, ſplendor generis, magiſtrorum ſolatium, & tandem ornamenta patriæ veſtræ pulcherrima.

Digitized by Google

DE IMITATIONE ET LAVDIBVS M. T. CICERONIS.

Oratio prima. *Oratio XV.*

I Nterpretaturus horis pomeridianis orationem, quam M. T. Cicero Romanæ parens eloquentiæ poſtremam ſcripſit in C. Verrem, non tam prætorem, quàm prædatorem expilatoremque Siciliæ; quamque vobis ad imitandum tamquam perfectiſsimam in dicendo formam ipſe propono, Iuuenes ſtudioſiſsimi: pretium operæ curæque duxi, non ante tam excellentis exemplaris explicationem aggredi, quàm neceſſitatem imitationis; nobiliſsimæ huius orationis præſtantiam; & eius auctoris in eloquentia principatum cognoſcatis. Multa legiſtis, vt mea fert opinio: plura de hoc diſertiſsimo ſæculorum omnium oratore, fama & auditione percepiſtis: aliquid ipſi iam egreſsi pueritiam ex eius ſcriptis orationibus coniecistis: cunctorum, qui recte ſapiunt, dicendi primas ad eum deferentium vna vox & exiſtimatio communis, penitus in veſtra mente conſedit. At neſcio an quiſquam veſtrum, quibus rationum momentis; quo pondere auctoritatum; quibus argumentorum firmamentis ea ſententia fulciatur, audierit antehac à quoquam explicatis ingenii copiis diſputatum. Me quidem celebritas Tulliani nominis; rumor in ſcholis diſsipatus; magiſtrorum meorum frequens commendatio; doctorum virorum in Ciceronis laudes, orationes effuſæ dudum coegerunt, vt quam diligentiſsime perueſtigarem, num vera eſſent ac certa, quæ prædicarentur. Inſtitui veteres auctores euoluere: ſcriptores hiſtoriarum volutaui: tamquam venaticus canis indagaui

ſagaciſsime omnem antiquitatem: non pauca de tenebris, ac latebroſis locis erui, quæ retruſa atque abdita latebant: collegi non quidquid ſcriptum eſt, (id enim affirmare, iuuenis eſſet perquam arrogantis) ſed quidquid pro virili mea potui, de tanti tamque inſignis viri virtute, ingenio, doctrina, facultate dicendi, rebus geſtis per orationem atque vocem; ac reperi manuque deprehendi, famam eloquentia; virtûtes laudibus; prædicationem re ipſa ſuperari. Proinde ſemper in animi mei pectoriſque ſcammate flagrans in Ciceronem amor, & admiratio magnitudine certauerunt: & nunc quoque ambo trahere linguam, ſtylum, ingenii vires ad ſuum nutum voluntatemque contendũt. Ille quidem eloquentiæ pulchritudine captus incredibiliter ardet imitandi ſtudio formam illam, quam ardenter adamauit: hæc verò ſplendore obſtupefacta, ſummum cõcepit deſiderium, præclarum illud ingenii lumen, & copioſum eloquentiæ flumen laudibus celebrandi. Quid faciam hic, Auditores? quid conſilii capiam? quò vertam ingeniũ? Deſeruiat lingua mea, vox & ingenium commodis veſtris; & vincat in me tantiſper hodierna die, laudatio ſtudium; amorem admiratio; imitationem prædicatio: vt in vobis quoque primum admiratio ſplendeſcat; tum ex admirationis ſplendore ſuccendatur amoris flamma; poſtremum è flamma amoris, imitandi ſtudium tamquam incẽdium exardeſcat. Quis ergo in tanto ſplendore argumenti, quod vndique lucet: in tanta vtilitate rei tractandæ, quæ vobis affatim fluit, non attentiſſime aperiat oculos mentis; ac non humaniſſime præbeat oratori doctorique amãtiſſimo veſtrum aures illas, quæ paucis ante diebus tamquam benignitatis fontes integram horam in oratione publica patuerunt? Ariſtoteles ingenio philoſophorum antiſtes, doctrina magiſter, & diſcipulorum numero facile 2
Orat. 8. n. 3. princeps, inter apophthegmata, quibus in amicorum congreſſionibus affluebat, illud efferre ſolebat identidem, quod uel inaudierat, à Platone magiſtro; uel ipſe ſolertia

ſua

ſua prudenter excogitauerat; & magnam habuit apud amborum poſteros venerationem ac laudem : *Cuiuſque doctrina, facultatis, operiſque perfectionem, tribus his rebus, natura, diſciplina, & exercitatione comparari*. Notauerat, vt reor, vir acutiſſimus ad fruges æſtate colligendas, optãdam primum eſſe telluris ſemina ſparſa concipientis, & alentis bonitatem: deinde ſemina tempeſtiue ſpargentiũ ac fouentium agricolarum ſcientiam: poſtremo cultum eorumdem & diligentiam, quæ in iactis ſeminibus colendis & iuuandis irrigatione, foſſione, noxiarum herbarum euulſione, ceteriſque artis adiumentis elaboraret aſſidue: nec diſſimiliter ad hominum opera ſtudiaque cuiuſque generis perficienda naturæ vim quaſi ſolum, & fertilem agrum; cultricis artis rationem tamquam agricolam; & exercitationem vt culturam concurrere oportere. Viderat naturam ſine præceptionis lumine præeunte, facillime grauiſſimos in errores præcipitare poſſe: tum eandem ſine cultura exercitationis eſſe minime fructuoſam: præceptionem exercitatione deſtitutam, adeo debilem & mancam, vt merito inertia nuncupari poſſit: vſum denique atque artem, tametſi rerum omnium efficaciſsimos magiſtros, ſine bonæ ſolo naturæ, perdere operam propemodum omnem; atque algere, ſudare, laborare perexigua ſpe meſſis æque atque eos agricolas, qui ſaxetum aſperrimum ſibi colendum ſumpſerunt: & ex eo flores, fructus, fruges, vberemque vindemiam, per induſtriam ſuam ſe collecturos arbitrantur. Philoſophi huius maximi ac ceterorum, qui-
3 bus eius probata eſt doctrina, ſententiam; quis in eloquentiæ perfectione conſequenda, non videt eſſe certiſſimam? Rhetores omnes (quod ſæpe vos legiſſe, ſæpius audiuiſſe opinor) vna voce, vnoque conſenſu requirunt in eo, quẽ ad eloquentiam informant; primum naturalem quandam in dicendo profluentiam & copiam, cum ingenij bonitate, cum recta, venuſtaque pronunciandi ratione coniunctam: deinde rhetoricæ præcepta redundantiam illam in-

con-

conditam, arte, ratione, diſciplinaque moderantis: poſtremum exercitationem vſumque ex arte dicendi; quo facilitas ornate, numeroſeque loquendi, quam eloquentiam dicimus, ingenio, linguæ, facultatique ipſi dicendi tribuatur. Verum M. Tullius præſtantiſſimus quoque dicendi magiſter: Cornificius in eadem arte Ciceroni tum præſtantia, tum ætate proximus; & Quinctilianus rhetor item nobiliſſimus, recte mea ſententia, ſapienterque ſenſerunt; qui tribus his eloquentiæ perficiendæ ſiue inſtrumentis, ſiue ſubſidiis, quartum imitationis adiumentum addiderunt. Quid enim in hac rerum vniuerſitate pulcherrima, vel efficitur ſine imitatione, vel perficitur? Deus ipſe præpotens rerum omnium mundum hunc ampliſsimum atque ornatiſsimum, tot rerum generibus diſtinctum, tot luminibus illuſtrem, tanta varietate depictum, fabricatus eſt ad eius imitationem, quem intra ſuos diuinæ mentis theſauros archetypum continebat. Cauſſæ naturales eiuſdem ſummi Dei ſingulis in rebus generandis adminiſtræ; quas vno Naturæ nomine ſignamus; in ijs procreandis ideas imitantur, quas in vnoquoque genere maximus ac ſapientiſsimus Architectus, tamquam exemplaria rerum ſingularum effinxit. Vnde multarum artium inuentio, niſi ex imitatione rerum naturalium? Venandi, piſcandi, aucupandi, texendi, ędificandi, medendi, ſimiliumque rerum artes, à beſtiarum, piſcium, volucrum imitatione non pauci natas arbitrantur. Pictores & fictores cum formas naturales & corpora imitando exprimunt, tum optimi ſcientiſsimique cenſentur: vt iure pereleganterque ab Auſonio, qui verſu nobiliſsimum Ariſtotelis axioma, & alia complexus eſt, dicatur,

Cic. l. de orat. *Cornif. l. 1. rhet.* *Quin. l. 3 c. 5. & l. 10. cap. 2.* *Cic. l. de Vniu.* *S. Th 1. p q. 15. ar. 1.* *Auſ. in monoſyll.* *Ar. l. 2. phyſ. t. 22.*

Aemula Dis, Natura imitatrix, omniparens Ars.

Quod ſi Naturam architecti, fabri, ceterique artifices in operibus ſuis minus intuentur vt formam; quod inter res naturales ſimilia minime reperiantur: veterum certe artificum opera pro exemplaribus inueſtigant; ea de terræ

viſce-

viſceribus effodiunt; de ruinis eruunt; de parietinis reuellunt, nomiſmata, ſigna, capitella, dimidiatas columnas, capita ſtatuarum, fragmenta coronidum, tabularum æ nearum ac marmorearum; eaque magno pretio mercantur, vt ſibi ante oculos proponant ad imitationem. Quo ſi carent adiumento, formam aliquam rei faciundæ mente cõcipiunt; fictamque cogitatione intus; manibus extra in creta, gypſo, cera, ligno vel alia peritura materia exprimũt tum denique opere in perpetuum duraturo repræſentant: adeo ſine imitatione nihil neque inchoare poſſunt, neque *Ar. l. 7. met. t. 23.*

4 perficere. Doctrinarum item omnium adeptio, quæ ſimiliores ſunt arti, quàm ſcientiæ; diſciplinaque puerilis vniuerſa, quid eſt aliud, niſi quædam imitatio? Pueruli quæcumque diſcimus, ſiue loqui, ſiue legere, ſiue ſcribere, ſiue canere, ſiue pingere, ſiue quid aliud, omnia diſcimus imitando. Cuius rei gratia, ſcientiſsimus atque optimus fictor hominum Deus, impreſsit nobis propenſionem, facultatem, delectationem imitandi maximam; Ariſtoteli quoque cognitam: qui quia natura ſumus imitatores, tam multa nos diſcere poſſe tradit. Quod imitandi ſtudium, non per caliginem in pueris cernitur, ſed perſpicue: qui vix è cunabulis egreſsi; uix ab vberibus abſtracti nutricũ: uix à complexu matrum reuulſi, quæcumque fluunt in aures, obijciuntur oculis, veniunt in manus imitatione omnia conantur exprimere: tamquam ſimiæ curſum, pugnas, ludos, ſacrificia, cantus, & alias virorum actiones, vel opera, puerilibus actionibus, & fictis vtcumque operibus imitantur: quemadmodum bonus poeta ſignificabat, qui puerorum ſtudia verſibus illis referebat. *Ar. poet. c. 2.* *Ar. ſect. 30. probl. 5.* *Hor. l. 2. ſat. 3.*

Aedificare caſas, ploſtello adiungere mures;
Ludere par impar; equitare in arundine longa.

Ab imitandi ſtudio paritur imitationis delectatio. Cur nos picturæ ad viuum alicuius effigiem, aut prælium aut incendium, aut maris tempeſtatem referentes tantopere delectant; rametſi mortifera vulnera; plagas ſanguine ma- *Ar. poet. c. 2. l. 1. rhet. c. de iucund.*

nantes;

nantes; vlcera fluentia tabo; trucidata cadauera; pueros excarnificatos; cædes atrociſsimas regum; ſenes viuos flā mis exuſtos; illiſas ſcopulis naues, obrutos fluctibus natantes, funeſtiſsimoſque alios ac miſerrimos euentus in tabulis exhibent: quos nec ſine nauſea atque horrore; nec ſine lacrymis ac trepidatione poſſemus oculis intueri? Cur comœdiæ, tragœdiæ, dramata, fabulæque omnes in ſcenā datæ; quibus humana vita per imitationem auribus oculisque ſpectatorum oſtenditur, tam attentos cum voluptate vos detinent? Imitationis, quæ in his actionibus cernitur, atque exprimitur illecebra certatim pertrahit, ſine laſſitudine detinet, ac ſine ſatietate ſpectatores in theatris oblectat. Denique ſermo ipſe, quo quiſque ſuæ nationis lingua, vernaculisque verbis animi ſenſa, voluntatisque appetitiones promit, in primis annis atque infirma ætate comparatur imitando; quod auctore Platone, nihil eſt aliud, quàm imitatorem illi quem imitatur, ſe ſimilem reddere vel figura, vel voce. Nutrices, parentes, educatores, vernas ſermone patrio domi loquentes audimus infantes pueri: tamquam picæ, vel pſittaci balbutientes primum; deinde claris, expreſsis, atque explicatis uocibus; tum diſtinctis articulatim ſonis referimus quæcumque audimus; repetimus crebro, ſæpius iteramus; atque ita non niſi imitationis diſciplina fari, pronunciare, ac loqui perdiſcimus. Quo multi non ſine probabili ratione ſuſpicantur fore, ſi puerulus quiſpiam ab ipſa infantia deſertis in locis, à mutis nutricibus educaretur, vt nullo humano ſermone loqueretur: ſed nutibus, animi cogitata, & optata proderet: aut ſi quem ore ſonum ederet, ferarum voces & auium, quas in ea ſolitudine audiuiſſet, imitatione oris ac lingua referret. Quam ob cauſſam Quinctilianus, qui ſibi formandum ſuſcepit oratorem à primis annis, primiſque elementis; & S. Hieronymus puellam nobiliſsimo genere natam optimus præceptionibus inſtruens, nutrices integre atque incorrupte loquentes optant ijs, quos inſtituunt,

Plato dial. 3. de rep.

Orat. 1. n. 40.

ut

vt emendate ac perbene loqui, conſuetudine nutricum
5 imitationeque condiſcant. Quòd ſi ſermo ille vulgaris, *Cic. l. 1. & 2.*
qui verſatur in circulis, diſputationibus, congreſſibus fa- *offic.*
miliarium; qui perſequitur ludos & conuiuia, qui teritur
vſu quotidiano per imitationem comparatur: quid de cō-
tentione, altera orationis parte definiendum eſt, quæ in
concionibus, laudationibus, deliberationibus, iudicijs tum
accuſando, tum defendendo; atque in alijs eiuſmodi gra-
uiſſimis rebus adhibetur, quam viri doctiſſimi, & ad dicen-
dum exercitatiſſimi nominant eloquentiam? Omnes artes
humani ſagacitate ingenij ſollerter excogitatæ, imitatio-
ne fiunt, imitatione perficiuntur: ars ſola benedicendi dif-
ficillima omnium, imitationem repudiabit? Loquendi fa-
cultas animo incluſa, puerilibusque abdita membris, è te-
nebris propemodum in lucem acceſſitur; ex occulto in
apertum educitur; è capite ac pectore in os, linguam, ver-
ba, voces, ſonos euocatur imitatione; præſtantiſſima vis elo
quendi, quæ in eiſdem latebris deliteſcit, non itidem imi-
tatione virorum eloquentiſſimorum, & elegantiſſimorum
indidem eruta polietur, illuſtrabitur, perficietur? Præſer-
tim cum artis rhetoricæ regula non tam neceſſaria rudi
adhuc impolitæque naturæ videatur; quàm norma imita-
tionis exercitationi diligenti; quo minus de via rectæ di-
ſciplinæ ſpatioque deflectat. Nam vt ineunti curſum in
Circo, meta digito intento commoſtratur è carceribus; ne
ſi non eò dirigat currum & equos, quò nimirum oportet,
egreſſus de curriculo, longius aberret deuius, & fruſtra ſe
cucurriſſe conqueratur: ſic exercenti ſeſe tum ſcribendo,
tum declamitando, proponit exemplar intuendum, &
exprimendum imitatio, quò ſtudium laboremque dupli-
cem exercitationis; quò ſtylum ac linguam, meditationē-
que omnem conuertat; ne vbi mala diuturnaque conſue-
tudine peccandi, ad aliquam deformitatem prauitatemq;
deuenerit, plus illi nocuiſſe meditatio, quàm profuiſſe vi-
deatur. Neque vero tantum proponit exemplar imitatio;

Digitized by Google

neque ſolum intuetur obiectum: ſed etiam ſequitur, refert, exprimit: quo fit vt tacita quædam ſit ſcribentis declamã- tisque correctio, necnon publice dicentis ac perorantis emendatio tum, cum imitator manu primum ſtylo, verbis, translationibus, charactere, amplificationibus, figuris, affectibus: deinde lingua, voce, ſono, celeritate, pronunciationis impetu; vultus, oculorum, geſtusque membrorum omnium moderatione, ſeſe ad illius, quem imitatur, oratoris eloquentis ſpeciem normamque conformat. Tria igitur ad imitationem perfectam neceſſaria putantur: exercitatio, præceptio, & exemplar. Illa quidem opus eſt; quòd quemadmodum non vnus oculorum coniectus in imaginem ab Apelle, Zeuxide, Polignoto, Parrhaſioue depictã; non unus penicilli ductus in tabula; non vnius lineæ, vel vmbræ deſcriptio pingondi ſtudioſum repente pictorem facit abſolutum: ita neque vna orationis elegantiſsimæ lectio; neque vna viri eloquentiſsimi auditio; neque vnius exprimendi conatus, eloquentiæ cupidum illico reddit eloquentem: meditatio ſedula, frequens exercitatio, diuturnus vſus ad faſtigium eloquentiæ contendentibus in imitatione eſt adhibendus. Præceptio vero rhetoricę artis exercitationi coniungenda eſt, tum ne ſine regula, cæca ignaraque exercitatio naturam, hoc eſt loquendi facultatem & linguam turpiter deformatam aliqua prauitate detorqueat: tum ne imitatio ſectando vitioſa per errorem, vitium aliquod exprimat pro virtute. Denique neceſſarium eſt, vt res quæpiam imitabilis imitatori proponatur, quam ſibi ante oculos collocet, quam attentiſsime contueatur; cuius præſtantiſsimas quaſque proprietates animo notet ac deſignet ad imitationem; ex qua denique virtutes ingenio, manu, linguaque decerpat; atque in ſe quodam modo transferens in charta ſtylo deponat primum, deinde mentis agitatione memoriæ commendet, poſtremum in oratione depictas, inſculptas, impreſſas earum uirtutum imagines ſimillimas referat, obiiciatque auribus & oculis au-

ditorum pronunciando. Atqui rem hanc imitabilem, adeo neceſſariam imitatori, vt ea remota, nulla ſtare poſſit imitatio: quam Plato philoſophus cognomento diuinus, quattuor rerum omnium procreandarum cauſſis quinctam addebat, nos ideam, formam, exemplar appellamus: cuius illa præcipua debet eſſe proprietas, omnium conſenſione ſapientum, vt ſit in eo genere quàm optimum, ſummum, quàmque perfectiſſimum. Etenim ſi in exemplari, quod tamquam perfectionis forma proponitur ad imitandum, vitium aliquod ſit inuſtum; quì fieri poteſt ut imitator nõ eam prauitatem in ſe ſuſcipiat? vt imitatio non eadem turpitudinis labe fœdetur? Ita natura comparatum eſt, vt quo fuerit imitator in deprauato exemplari imitando diligentior; quo fuerit in exprimenda propoſita forma fidelior; eo turpior ac vitioſior inde ſuſcepta imitatio proueniat; eo qui fideliter atque ad viuum expreſſit ideam, eius inquinatior maculis appareat, & fœditate deformior. Hic iam tandem, Adoleſcentes optimi, poſita comprobataque exemplaris, & quidem præſtantiſſimi neceſſitate ad eloquentiã comparandam, augendam, perficiendam; cogitatione flagitatis à me, non eius nominationem, quod initio planiſsime atque apertiſsime dixi M. T. Ciceronem eſſe oportere, diſertiſsimum elegantiſsimumque oratorem; mortaliũ omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt ſcribendi dicendiq; principem ac magiſtrum: ſed, quod vobis ſum pollicitus; quod vos auidiſſime exoptatis, vt tam inſignis exemplaris virtutes non decantatis, ſed nouis, reconditis, inauditis laudibus celebrem; oculis vultuque repoſcitis. Habenis igitur ingenij mei qualiſcumque laxatis ac remiſſis; cupiditatis veſtræ calcaribus admotis: per patentiſsimum campum Tullianarum virtutum oratio mea, vel per quatriduũ, ſi ſit opus, effuſo curſu dicendi ſpatietur; non cohibitura curſum ante, quàm primas eius eloquentiæ cernatis oculis, manuque teneatis; & vos ipſi fateamini poſt homines natos eloquẽ-
7 tiſsimum extitiſſe. Quattuor illa ipſa, quæ principio dicen-

Plato in Timæo.
Alcin. l. de doctr. Plat. cap. 9.
Apul. l. de dog. Plat.
Ben. Perer. l. 8. de cauſ. rerum nat. cap. 1.

dinumeraui cum rhetoribus, eloquentiæ conſequendæ vel elementa, vel adminicula, vel inſtrumenta, requiro in perfecto ſummoque oratore, vt ſuum nomen dignitatemque retineat; naturam ſcilicet, artem, exercitationem, atq; imitationem. Quas ſiue facultates, ſiue virtutes in M. Tullio ſingulares, excellentes, ſummas eminuiſſe contendo: quarum primam, naturæ videlicet bonitatem, ingenio, copia, & in agendo gratia contineri, ſum ſemper arbitratus. Ac de ingenij Tulliani præſtantia, ui, magnitudine, ſiue ſpectes acumen ac ſolertiam in inueniendo; ſiue conſideres memoriæ facilitatem in ediſcendo, fidem in conſeruando, felicitatem in reddendo; ſiue prudentiam in iudicandis rebus, ordinemque in diſponendis intuearis; quis mediocriter in Romanorum hiſtorijs, eiuſque ſcriptis libris orationibusque verſatus poteſt vel tantulum dubitare? Ingenium in Cicerone puero, quale fingebat Plato, liberalium artium, doctrinarumque omnium capaciſſimum; non pueri condiſcipuli modo ſuſpiciebant, qui ſe victos, illum victorem confeſſi, tamquam triumphantem è victoria, ludi principem, omnium ſodalium regem honoribus puerilibus colebant: ſed etiam condiſcipulorum parentes, ingenij tam præclari fama permoti, ſcholam vbi ille verſabatur, adibant; rogabant ludimagiſtrum, vt fas eſſet oculis intueri, quæ de pueri Ciceronis ingenio veriſſime multorum ſermone ferebantur: ſpectabant, audiebant, mirabantur vbertatem, acumen, celeres motus: obſtupefacti potius, quã ſatiati tam iucundo ſpectaculo de gymnaſio recedebant. O præclaram indolem? O vernos flores eloquentiæ fructuum certiſsimos in ætate conſtanti prænuncios? Mirabiliora de eodem iam maturitatem conſecuto celebrantur, immortalitati commendata litterarum monumentis; quibus vel ſolis apud poſteros rerum geſtarum, & memoriæ glorioſæ fulcitur æternitas. Non communibus laudibus contenti fuerunt ampliſſimi viri laudatores ingenii Tulliani: ſapientiſsimi iudices eloquentiæ, prudentiſsimi exiſti-

Plut. in Cicer.

Macr. l. 2. ſat. cap. 10.

Digitized by Google

exiſtimatores ingeniorum: extraordinariis, eximiis, inuſitatis loquendi modis; exquiſitis, atque inauditis formulis; quid de eo ſentirent, in ſuis librorum, hiſtoriarumque voluminibus expreſſerunt. Nimius eſſem; ac merito temeritatis arguerer: ſi quæcumque obſeruaui, collegi, menti cõmendaui, ſine iudicio, ac ſine modo referrem: ex paucis, quæ proponam in ſpecimen, facite de reliquis coniecturam.

8 Noſtis quàm late quondam terra marique pateret imperium Romanorum; quod gentes ac nationes pæne omnes, totumque ferme terrarum orbem complexu dominatuque ſuo continens, iiſdem propemodum finibus, quibus ſolis curſus, terminabatur. Huic ampliſsimo latiſsimoque imperio, ſolum Ciceronis ingenium par habuiſſe populum Romanum, M. Seneca rhetor prædicat admirando: perinde ac ſi diceret, vnum Ciceronis ingenium eſſe dignum imperio Romanorum: ſolum illius amplitudini, ſua magnitudine reſpondere: ſolum eſſe, quod gloriæ ſuæ lumine, Romanorum gloriam ſplendoremque partum armis, & rebus manu fortiter geſtis adæquauerit. Magna laus, & vera oratio; profecta de illius ore, qui quia neque M. Tullium de facie nouerat, quem numquam viderat: neque viuentem laudabat, opibus, auctoritate, potentiaque florentem: neque in Latio natus erat, quò peregrinus venerat ex Hiſpania: nihil amicitiæ, nihil gratiæ, nihil patriæ dare per aſſentationem putandus eſt, ſed iudicio iuſto, ſinceroque locutus è conſcientia veritatis. Cuicumque non prorſus hoſpiti in temporum illorum hiſtoriis eſt notiſsimum, quàm graues C. Cæſar, qui Dictator interfectus eſt, quàmque odijs incenſas exercuerit inimicitias cum M. Tullio ciue amantiſsimo patriæ, tutore Reip. vindice libertatis; qui Cæſaris nouarum rerum cupidiſsimi ſtudiis, conatibusque Reip. per tyrannidem occupandæ, perpetuo vigilantia, conſilio, lingua, rationibus omnibus reſtiterat. Ille M. Tullio ſplendore nobilitatis, & rerum foris geſtarũ gloria maior: eidem acumine ingenii, & eloquentiæ laude pro-

M. Sen. l. 1. cõtrou. in præf.

Plut. in Cicer. & in Cæſare.

proximus; tantam de huius ingenio conceperat opinionem, vt quamquam æmulus & hoſtis, veritate tamen exprimente confeſsionem exiſtimarit ab eo fines ingenii Romani fuiſſe prolatos, cum ſcripſit M. Tullium *Lauream omnium triumphorum maiorem adeptum, quanto plus eſt ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm imperij.* Quod interpretor, rebus ingenio geſtis ab eo togato gloriam Romanorum ita fuiſſe dilatatam, vt iiſdem terminis laus ab ingenio finiretur, quibus finibus armorum gloria terminabatur: proinde meritum in toga triumphum maiorem triumphis armatorum; eo quod glorioſius ac laudabilius ſit ingenii fines protendere, quàm imperii. Quid Plinius ille maior, helluo librorum, naturæ propemodum ſcriba, cenſor ingeniorum omnium acerrimus? Ad Veſpaſianum Imperatorem ſcribens, *extra omnem aleam ingenij* collocat Ciceronem: ratus, vt opinor, gloriam eius ab ingenio modùm vulgarem excedente floreſcentem, extra fortunæ volubilis inconſtantiam dominatumque poſitam eſſe in tuto; nec iam vllis amplius eiuſdem telis obiectam, nec iniuriis expoſitam, nec periculis obnoxiam, ſuis protectam armis; ſuæ magnitudinis mole firmatam. Quid Quinctilianus dicendi magiſter bonus in paucis? Hic exiſtimans ingenium M. Tullii vel humanorum ingeniorum fines excedere; vel in nullo mortalium eius ſimile, aut æquale reperiri; vel apud poſteros hiſtoricorum commendatione, gloriaque ſuorum ſcriptorum immortale futurum; immortale cenſuit & uocauit. Sed quid ago Iuuenes? Solum ne clarorum virorum auctoritatis vento feretur hæc ingenii Tulliani laudatio? non etiam argumentorum remis in hoc veſtris auribus iucundiſsimo curſu propelletur? Accedat velificationi remigium, vt celerius in portum eius eloquentiæ, quam quærimus, inuehatur. Omitto breuitatis amans de ſolertia & acumine inueniendorum argumentorum dicere, quibus tum in diſputationibus, tum in orationibus cuiuſcumque generis deliberatiui, demonſtratiui, iudicialis,

Plin. l. 7 c. 30.

Plin. praef. natur. hiſt. ad Veſpaſ.

Quin. l. 10. c. 1.

quæ-

quæcũq; dicit, ita munit, ſepit, cõfirmat; vt ad eas res probandas, non ab ingenio excogitata, ſed à ſeipſis ad id nata; non arte ficta, ſed natura facta, non à locis petita, ſed à rebus emiſſa videantur. Prætereo rationem ordinis mirabilem, qui lumen ab ingenio, diſpoſitionemque aptam mutuatus, in quocumque opere, oratione, partuque mentis præclaram eiuſdem imaginem impreſsit, atque eminentem effigiem ingenii reliquit nobis intuendam. Tranſeo memoriæ felicitatem in ediſcendo, capacitatem in comprehendendo, tenacitatem in retinendo, celeritatem ac fidem in reddendo: quæ tot rebus, verbis, ſententiis; tam multis figuris, amplificationibus, conglobatis definitionibus, tam accuratis, minutis, & dimenſis locorum, perſonarum, & negotiorum deſcriptionibus, tam magnis, numeroſis, ancipitis curæ plenis orationibus, ſumma complurium horarum contentione, nulla hæſitatione dictis, ſatis ſuperque ſuffecit: ut nec Themiſtoclis Athenienſis, nec *Orat. 25. n. 14.* Cyneæ Theſſali, nec Q. Hortenſii Romani, nec Porcii Latronis Hiſpani multorum laudibus concelebratam admirabilemque memoriam vmquam ille deſiderauerit, quem ſua nuſquam orantem nec refugit, nec deſeruit, nec fefellit. Miſſam facio iocorum venuſtatem & aculeos, quibus ingenioſiſsimus orator maxime ualuit, ſiue prior alios ipſe laceſſeret, ſiue laceſsitus ex improuiſo regereret in prouocantes: quibus abundauit adeo, vt nimirum æquaretur *C. c. l. 2. de or.* *Macr. l. 2. ſat.* Plauto comico poetæ dicteriorum copia clariſsimo, liber- *cap. 1. 3.* tusque eius Tyro tres integros iuſtosque libros facetiis, ſa- *Quin. l. 6. c. 3.* libus, ac dicteriis, quæ ex illius ingenii fonte defluxerunt, impleuerit: tamque feliciter eſt uſus, ut L. Flaccum repetundarum reum opportunitate ioci, de manifeſtiſsimis criminibus exemerit, atque in aiiis cauſsis, cum reos nocentiſsimos defenderet, ſit iocis uictoriam conſecutus. Cum his quattuor, alia multa prætermittamus ingenii maximi argumenta, quo diutius in duobus clariſsimis, & manifeſtiſsimis hæreamus: quorum alterum eloquentia ipſa eſt,

Digitized by Google

alterum multarum adeptio doctrinarum. Ornata dicendi copia, ut eſt ingenii partus, ita ſignum aptiſsimum eſt ad eius magnitudinem demonſtrandam, quod idem eloquẽtia tamquam menſura congruens, & ad æqualitatem facta metiatur. Vt enim à magnis excelſisque montibus, flumina magna gignuntur ac profluunt: quod ſummus naturæ totius inquiſitor Ariſtoteles obſeruauit, atque in Iſtro, Rheno, Tiberi, Pado, Tigride, Euphrate, Nilo, ceterisque maximis tum Europæ, tum Aſiæ, tum Africæ fluuiis res ipſa demonſtrat: ita diſertiſsimorum quorumque oratorum dicendi vim & vbertatem, quæ ingenii fetus eſt, à ſummis fecundiſsimisque ingeniis exiſtere eſt neceſſe: quòd ſemper eloquentiſsimos uiros pariter ingenioſiſsimos eſſe, tũ ingenii lumen in copioſa beneque culta lingua ſplendeſcere videamus: quidquid indiſerti quidam hoſtes eloquẽtiæ garriant, qui quia carent vtroque bono tam hominis proprio, ſaltem ut habeantur ingenioſi, pernegant tum eloquentiſsimos uiros ingenio ualere, tum ingenioſiſsimos eloquentia pollere: nec animaduertunt copiam, ordinem, perſpicuitatem, ornatum, elegantiam, ſales, iocos, feſtiuitates, quæ ſunt eloquentiæ virtutes, tamquam riuulos ab uno ingenii fonte decurrere. Cur enim non Cicero tantum, ſed Plinius, S. Hieronymus, & Latinorum elegantiſſimi quique doctiſsimique ſcriptores, eloquentiam ingenii nomine ſæpe notant, cum uel optant ſibi; vel in aliis mirantur; vel ſibi deeſſe queruntur ad dicendum, vbertatem & flumen ingenii, niſi quia caput, unde oritur eloquentia: propriam originem unde fluit vbertas, primarium fontem vnde verborum copia bonorum ac rerum flumen deriuatur, eſſe intelligunt, & confitentur ingenium? Quod ſi ita eſt, vt uiri ſapientiſsimi nos docent, quis de ingenii Tulliani granditate dubitet, cum eloquentiæ Ciceronianæ magnitudinem, quam mox oſtendam, fuerit attenta cogitatione atque æſtimatione complexus? Præſertim cum ad eloquentiam ſcientia doctrinarum, & liberalium artium

Ar. l. 1. meteor. ſum. 4. cap. 1. L. Sen. l. 3. nat. quæſt. c. 9. 10. Strabo l. 2. Q. Curt. l. 5. Cic. ſomn. Scip.

Cic. Orat. poſt red. in ſen. Idẽ pro Marc. Pl. l. 7. c. 30. S. Hier. ep. 8. ad Demetr.

omnium

omnium cognitio ſingularis accedit: in quibus adipiſcendis acies & capacitas ingenii ſumma requiritur: in quarum vſu vis eiuſdem expromitur, & ſplendor mirabiliter elucet. Etenim quæ ars ingenua, quæ diſciplina, quæ pars philoſophiæ fugit, aut latuit acerrimum ingenium M. Tullii, qui quòd arbitraretur ſine doctrinarum omnium cognitione poſſe neminem oratorem eſſe perfectum, non minus eſt profeſſus philoſophiæ ſtudium, quàm loquendi? Quam ille doctrinam non cognouit, tractauit, illuſtrauit, in cuius ſapientiæ laudem ore vno, admiratione pari, diuerſis elogiis tot ſapientes viri conſentiunt? Illum, adoleſcentem adhuc, philoſophum Græcum populus Romanus vocitabat; lucem doctrinarum iam mortuum prædicat Plinius: in philoſophia Platonis æmulum dicit Quinctilianus; nullius ſectæ inſcium à veteribus approbatæ Macrobius exiſtimat: philoſophum pariter & oratorem S. Hieronymus nuncupauit. Adſtipulatores ſunt eius libri, quæſtiones, orationes, epiſtolæ, in quibus deprehendere licet ei non geometriæ, non muſicæ, non grammaticæ, non aſtrologiæ, non iuris ciuilis, non auguralis, non hiſtoriæ, non linguæ Græcæ, non denique vllius artis ingenuæ ſcientiam defuiſſe. Ille dialecticæ ſubtilitatem, ille moralis partis vtilitatem; ille rerum motus cauſſaſque cognouit: multa eruditione, pluribus artibus, omnium rerum ſcientia tumeſcens illa mirabilis eloquentia ſuperfluit ac redundat; vt iure, cũ poſt conſulatum exul in Græcia verſaretur, maluerit ſe

Orat. 10. n. 19. Macr. l. 1. Sat. cap. 24.

Plut. in Cicer. Plin. l. 17. c. 5. Quin. l. 10. c. 1. Macr. l. 1. in ſomn. c. 17. & l. 2. cap. 17. S. Hier. cap. 1. Nahum. Quin. dial. de orator.

12 philoſophum, quàm oratorem nominari. Neque vero dicat hoc loco quiſpiam animo ſapientia vacuo, buccis philoſophiæ nomine inflatis, cui M. Tullius puteat; doctrinam eius vulgarem eſſe, plebeiam, arreptam è triuio: primoribus illum labris guſtaſſe, non ore pleno veram potaſſe philoſophiam: à limine ſalutaſſe, non ingreſſum eſſe in adyta peripateticorum: in Academia denique vmbroſa conſediſſe; non ambulaſſe in ſpatiis atque in ſole Lycei: proinde non ſatis eſſe firmum argumentum, quo magnitudo inge-

Plut. in Cicer.

nii deprehendatur. Equidem huic tam acerbo accuſatori non verebor reſpondere, ipſum reſperſum extrinſecus eſſe, non vlla imbutum doctrina, qui calumniari audeat ac reprehendere, quod ingenioſiſſimi ac doctiſſimi viri comprobarunt. Qualis ac quantus ingenii bonitate S. Auguſtinus, quem qui acumine mentis æquauerit, nedum qui ſuperauerit, non facile eſt inuenire? Quid hic ſenſit de Ciceronis philoſophia, cum Hortenſium, in quo libro iuuentutem ille Romanam ad philoſophiam cohortabatur, perlegebat? Auguſtinum audi ſua ſenſa, ſuam ſententiam, ſuis verbis explicantem. *Ille*, inquit, *liber continens exhortationem ad philoſophiam mutauit affectum meum: non mihi locutionem, ſed quod loquebatur perſuaſerat.* Res ipſas, quas tractabat, quas explicabat, quas ſuadebat: non verba, non locutionem, non eloquentiam liber ille perſuaſit Auguſtino viro, cui propter ingenii vim & acumen, imponere difficillimum erat: rerum veritate, non oratoria calliditate mutauit affectum illius ingenioſi, ſolertis, perſpicacis hominis, qui rhetorum artes, inſinuationes, fraudes, exercitatus in eo genere plane callebat: tu reprehenſor ſapientiæ Tullianæ, doctrinam eius arreptam è triuio per contumeliam calumniamque criminere? Quàm prudens ac doctus S. Ambroſius, Auguſtini quondam in religione vera magiſter, qui Ciceronem in officiis Chriſtiani hominis deſcribendis eſt imitatus in multis, ac ſecutus? Quàm omni doctrinarum genere pereruditus Boethius vir nobiliſſimus ac ſanctiſſimus: qui topica Ciceronis accurata lucubratione interpretatus, luculentiſſimos poſteris in eum librum commentarios, præſtantiſſimoſque reliquit? An vero S. Thomas Aquinas poſteriorum Theologornm facile princeps delirauit, qui paſsim in grauiſsimis acutiſsimisq; de Theologia quæſtionibus, ad ſua ſtabilienda dogmata profert, æque vt Ariſtotelis, M. Tullii teſtimonia? Nolo plura de Ciceronis ingenio dicere, vnde ſcientiæ magnitudo deriuatur: dabitur in proximis orationibus locus opportunior. 13

Cic. l. 2. de diuin. l. 3. tuſc. l. 1. de fin.

Lact. l. 3. c. 6.

S. Aug. l. 3. confeſſ. cap. 4. l. 8. cap. 3.

S. Ambr. l. de offic.

Boeth. in top. Cicer.

Ad

Ad naturæ bonitatem illam, quam in eloquentia perfecta deſiderant mortales omnes, qui ſapiunt aliquid; maxime ſcilicet pertinet verborum profluentia bonorum ſuapte ſponte decurrentium ex ore dicentis, quam copiam nominamus. Verum Cicero noſter quantum ea valuit, enituit, floruit? Redundantia illa iuuenilis ſeſe efferens ac ſuperfluens cum primum in forum venit; ab æmulis aduerſariisque reprehenſa; deſiderata ab omnibus dicendi magiſtris in ſuis alumnis ac diſcipulis; quam ipſe in Aſiatica peregrinatione ſub optimis præceptoribus ſtylo coercuit; & artis falce prudenter circumcidit; quid ſignificat aliud, niſi copiam & vbertatem in eo prouectæ ætatis ſine vllo vitio remanſiſſe? Hinc illa Quinctiliani ſummo iudicio pronunciata ſententia Demoſthenis Ciceronem anteponentis, quod in eloquendo ſit *ille denſior, hic copioſior.* Hinc eiuſdem admiratio nobiliſſima, qua ſuſpicit immortalis illius ingenij beatiſſimam vbertatem, & admirabilem eloquentiam non pluuias aquas colligentem, ſed viuo gurgite exũdantem atque exuberantem. In quattuor dicendi genera apud Macrobium Euſebius vim omnem diſtinxerat; in breue, ſiccum, floridum, & copioſum. Quodnam ex his quattuor putatis attribui M. Tullio? Poſtremum ſane: cum enim Salluſtium regnare docuiſſet in breui; Frontoni ſiccum aſsignaſſet; Plinio ſecundo floridum tribuiſſet; in copioſo dominari Ciceronem decernit; eius eloquentiæ tenorem abundantem eſſe, torrentem, & copioſum prædicat. Quò ſpectat apud S. Hieronymum *Tulliani fluuius ingenij*? quò tendit apud Sidonium *varicoſi Arpinatis opulentia*? Cur eidem laudi datur à Quinctiliano, quòd Platonis copiam expreſſerit? Vt ſcilicet intelligamus copioſiſsimũ quemdam eloquentiæ torrentem à Ciceronis ore calamoque profluxiſſe. Quem in legendis eius potiſsimum orationibus; in quibus ingenium eloquentiæ fontes aperuit; mẽs linguæ tubos patefecit; manus ſtylo repagula omnia ſuſtulit; cernere oculis licet tranſlationum imbre, ſententiarum

Orat. 18. n. 20.
Cic. l. de cl. or.
Quin. l. 10. c. 1.
Quinct. dial. de orator. & l. 10. cap. 1.
Macr. l. 5. ſat. cap. 1.
S. Hier. ep. 8. ad Demetr.
Sidon. l. 5. ep. 5. ad Siſagrium.
Quin. l. 10. c. 1.

Digitized by Google

niuibus, amplificationum riuulis auctum, pleno gurgite, moderato lapſu decurrere: non alueum implere modo, ſed etiam ripas interdum obruere: vt quondam cum ingenti ſtrepitu pronunciationis & exclamationum, ex ore tamquam è catadupis alterius Nili præcipitans in aures auditorum irruebat. Poſtremo dixeram ad naturæ bonitatem, 14
in dicendo gratiam pertinere, quam interpretor uim quãdam occultam, quæ delectat, tenet, allicit auditores. Quid ea ſit, qua gignatur cauſſa, quibus in rebus inhęreat, nemo, quòd ſciam, potuit adhuc certo definire: cum venuſtatem, *Orat. 3. n. 9.* leporem, venerem dixeris, bene dixeris; ſed quid plane ſit, minime ſcilicet expreſſeris; cũ itidem quæſtio de unoquoque uocabulorum horum poſsit inſtitui. Non enim in ſuauitate ſola vocis ac moderatione; non in ſola vultus, oculorum, geſtusque totius venuſtate ac dignitate poſita eſt; quod ſenſiſſe Demoſthenes exiſtimari poteſt, qui primas *Orat. 8. n. 9.* actioni ſemper deferebat: non tantum vel in ſplendore elocutionis, vel in ſententiarum argutiis, vel in ſignificatione morum, vel in affectuum grauiorum ardore reſidet; quòd in ſingulis hiſce virtutibus multos excellere, gratia tamen carere videamus: ſed ex harum omnium rerum, ceterarũque virtutum eloquentiæ decora compoſitione, temperamento, ſymmetriaque videtur ea recondita uis, quam gratiam appellamus, effloreſcere. Etenim vt in humano vultu non oculi tantum, aut genæ, aut labra per ſe pulchritudinẽ *Cic. l. 1. offic. & l. 4. tuſc.* illam efficiunt, quæ delectatione capit intuentes; ſed cum *Gal. l. 5. de decr. Hipp. & Plat. c. 3.* omnes partes apte interſe diſpoſitæ, ſuauitate coloris perfuſæ, lepore quodam delibutæ conſentiunt, tunc illa ſpecies ac venus exiſtit, quæ mouet oculos ac delectat: ut in *S. Aug. l. 22. de Ciu. cap. 19.* pictura non ſolum colorum ſplendor, non ratio menſurarum, non imitatio naturæ, non extrema lineamenta tribuunt illam operibus venuſtatem & χάριν, quam Apel- *Plin. l. 35. c. 10. Quin. l. 2. c. 20.* les in ſumma Protogenis cura non inuenerat, in ſuis pictis tabulis eminere gloriabatur; ſed omnia illa ſimul, quadam pingendi non tam arte, aut diligentia, quàm naturæ felici-

citate coniuncta: vt denique decorum vitæ totius non in
vnius virtutis ſiue temperantiæ,ſiue modeſtiæ genere; non *Cic.l.1. offic.*
in dictis tantum aut factis lucet, ſed in ordine, conſtantia,
moderatione dictorum, factorumque virtutum omnium
mouet approbationem eorum quibuscum viuitur: ita gra-
tia hæc,quæ in oratore dicente tantopere placet,& proba-
tur,in oratoriarum ſocietate virtutum, aptiſſimaque con-
ſpiratione rerum omnium continetur: vt vere dicere poſ-
ſis;qualis eſt in ore pulchritudo,in pictura venuſtas, in vita
15 decorum;talem eſſe boni oratoris gratiam indicendo.Iam
vero non alius, quàm C. Cæſar,non æmulus modo Cice-
ronis in laude forenſi;ſed etiam,vt audiſtis,in Reip.ſtudiis
inimicus;quàm magna,quàm inſignis, quàm præclara na-
turalis hæc gratia fuerit in M. Tullio teſtificetur. Cuius
teſtimonium,quòd aduerſarij eſt minime aſſentantis,apud
vos debet eſſe firmiſſimum:quòd oratoris de primariorum,
& paucorum numero, qui recte de virtutibus alienis iudi-
care poſſunt;luculentiſſimum:quod non officii gratia teme
re effuſum eſt inter loquendum, ſed in Anticatone libro
accuratiſſime aduerſus laudationem Catonis editam à Ci-
cerone perſcripto,mandatum litteris;ampliſſimum. Quid
igitur ſcripſit C. Cæſar, à cuius ſtylo conſcientia veritatis,
teſtimonium quoque veriſſimum excuſſit? Quid inquam *Plut. in Cicer.*
protulit in ea refutatione teſtis hic oculatus, vt ita dicam,
atque auritus, qui tam ſæpe Ciceronem perorantem au-
dierat; qui plauſus viderat; qui aſſenſionibus interfuerat;
qui crebro ab eius ore cum admiratione, voluptateq; pe-
penderat? M.Tullium eſſe Pericli ſimilem,& vim Thera-
menis expreſſiſſe. Multa paucis vir ingenioſiſsimus eſt cō-
plexus: de vi Theramenis dicere hoc loco prætermitto: Pe
riclis enucleo comparationem. Hic orator ante Demoſt- *Orat.3.n.4.*
henem florens Athenis auctoritate,doctrina, rebus geſtis
& eloquentia, miris omnium ſcriptorum, hiſtoricorum,
poetarum laudibus celebratus, in prima eloquentiæ tem-
porum illorum commendatione ponitur: hic in concioni-

Digitized by Google

bus fulgurare ac tonare dictus eſt: hic Græciam fulminibus permiſcere: hic aculeos in ipſa delectatione relinquere in animis auditorum; hic idem à cæleſti quodam dicendi genere Olympij cognomen eſt conſecutus. Quid præterea? Laudem illi mirabiliorem occultioremque tribuebant, cum in eius ore Pitho ſeſsitare dictitabant. Hac laude Pericli ſimilem è C. Cæſaris ſententia pronuncio M. Tullium: hac virtute parem, & vero etiam ipſe iudico ſuperiorem. Hanc Pitho labris Periclis inhærentem, Deam quandam Veneris filiam nonnulli veterum eſſe dicebant: vnam de tribus Gratiis exiſtimat fuiſſe Pauſanias: poſt M. Tulliũ Valerius Maximus lepôrem interpretatur. Quã bene conſentiunt horum omnium interpretationes & ſententiæ! Ciceronem illuſtrant pro dignitate: Cæſaris mentem vobis aperiunt, qui exiſtimauerat ſimilitudine Periclis, in ore quoque Ciceronis eloquentiſsimi viri, Venerem, Gratiam, Leporẽ inſediſſe, locutionis ſalem, animam eloquentiæ, vitam actionis, auream virtutum oratoriarum catenam, ſaporem quò ſchemata omnia tum à natura ficta, tum ab arte profecta, tum ab ingenio excogitata, tum à diligentia elaborata condiuntur. Hoc tamen Pericle Cicero maior ſemper mihi viſus eſt; quod ille Pitho ſua nõ magnam Ciuitatem Athenas; hic lepore ſuo Romam ampliſsimam vrbem hilarabat: ille nobilis genere, bellica gloria clarus, non tam lepore dicendi, quàm auctoritate populum Athenienſem ad ſuum nutum conuertebat; hic neque maiorum nobilitate, neque rebus militiæ geſtis commendatus, vna dicendi gratia fretus in ſua poteſtate populum Romanum habebat, trahebat, vinciebat: nihil denique tot inter laudes de acclamationibus Pericle dicente legimus; at perorantis Ciceronis lepos ac venus in lingua reſidens, aſſenſiones, approbationes, fauſtos clamores, applauſus ab auditoribus, quid facerent pæne neſcientibus exprimebat; ut in defenſione C. Cornelii contigit; in qua tam crebræ, tamque vehementes acclamationes ab admiratione

Pauſan. l. 9. Cic l. 3. de or. Val. Max. l. 8. cap. 9.

Quin. l. 8. c. 3.

ratione tanti leporis excitatæ liquido probãt, quã ſæpe idẽ
in aliis cauſsis & concionibus eueniſſet. Satis multa de bo-
16 no naturæ diximus, ingenio, copia, lepore conſtitutæ: ratio
temporis poſtulat, vt ad alterum eloquentiæ præſidium ve-
niatur, quod artem eſſe dicebam. Alacriorem attentio-
nem à vobis, Adoleſcentes, hæc diſputatio flagitat, quàm
præterita; quòd cum vtilitate veſtra maiore coniuncta, ſtu
dium quoque diligentiamque requirit. Naturam enim, de
qua diſſerui, non ipſi facimus, non eligimus: non ingenii,
non leporis, non vocis noſtræ ſumus artifices; qualiacum-
que hæc donantur à ſummo hominum architecto Deo, cũ
actione gratiarum accipimus: arte vero, ſi diligenter com-
parata bene vtimur, meliorem reddimus naturam, ſi bo-
nam adepti ſumus: diſtortam dirigimus, duram mollimus,
emendamus vitioſam, ſi minime bonam ſumus conſecuti.
Sed quis vmquam arte fuit inſtructior M. Tullio, qui rhe-
toricæ doctrina mentem imbuit, exercuit manum: tum
eiuſdem artis vel ſapore linguam infecit; vel vnguento to-
tum corpus prudenter aſperſit? Græcos primum omnes, *Cic.l.2. de Inuent.*
quicumque de arte dicendi ſcripſerunt ab vltimo princi-
pio huius præceptionis vſque ad ſua tempora conquiſiuit,
euoluit, inſpexit: Latinos item accuratiſsime perlegit: ad
oratorum quoque veterum orationes animum aduertit:
tropos notauit, figuras obſeruauit, deprehendit artificium,
hauſit artem, dicendique præceptis eloquentiæ profuturis
vndique collectis mentem pectuſque compleuit; ſolertis *Orat.2.n.26.*
apis in morem quæ per hortos, prata, ſepes, arbores excur- *Orat.7.n.18.19.*
rens, flores omnes oſculata, dulciſsimos rores confingen-
dis fauis idoneos deguſtat ac libat. Deinde non tanta di-
ligentia contentus, vt ſibi poſteriſque prodeſſet, referta di-
uitiis oratoriarum præceptionum mente, ſtylum manum-
que ad ſcribendum admouit: ſcriptoribus omnibus in unũ
coactis; rhetorum copiis ante oculos expoſitis, è variis in-
geniis excellentiſsima quæque decerpſit; exemplo Zeuxi- *Cic.l.2.de inuent.*
dis Heracleotis pictoris eximii, qui picturus Helenam in *Plin.l.35.c.9.*

templo

templo Iunonis petiit ab ciuibus illius vrbis oſtendi ſibi
pulcherrimas quaſque virgines, ut mutum in ſimula-
crum ex animali exemplo transferret veritatem; atque ex
eis formoſiſsimas quaſque delegit. Addens multa de ſuo,
quæ vel acumine mentis excogitauerat, vel uſu multarum
rerum magiſtro didicerat, ea contulit in communem uti-
litatem ac lucem: & in primis formam illam pulcherrimã
eloquentiæ, quam ex idea, quæ menti illius penitus inſede-
rat, primum in libris de inuentione primis lineis inchoa-
uerat; deinde curſim in partitionibus adumbrauerat; tum
in dialogo de oratore coloribus optimis depinxerat, atque
in claris oratoribus oſtenderat; poſtremum in libro de ora-
tore perfecto manum ultimam adhibens, extrema linea-
menta ponens, numeris omnibus abſolutam ac perfectam
expreſſerat. O felicem ſtylum, tam prudentis ſcientiſque 7
artificis manu ductum, quàm tibi debemus omnes bene di-
cendi ſtudioſi! quibus non vmbram, ſed imaginem elo-
quentiæ; cuius effigies in Ciceronis animo ſolidis expreſſa
membris eminebat, in eo libro præſtitiſti; feliciore nimirũ
euentu, quàm vllius umquam ad viuum retulit effigiem
Apellis penicillus. Sed quid imaginem pictam dico? Fa-
ciem apparere viuam eloquentiæ cum ingenio Ciceronis,
repræſentatam in ſpeculo dicere debuiſſem. Vt enim ſi
oppoſito ſpeculo vultum cuiuſpiam excipias, ille ipſe fa-
cile in alterum ſpeculum obiectum priori regeretur; ſic
eloquentiæ veræ ſpirantiſque facies & forma, primum in-
genij Tulliani ſpeculo neſcio unde mirabiliter excepta, &
impreſſa; poſt in librum de oratore tamquam in ſecundum
ſpeculum reiecta eſt adeo ſolerter, ut eadem eloquentiæ
uiuæ pulcherrima ſpecies eodem tempore tribus in locis
diuerſis inhæreret; in ſe ipſa primum conſiſteret; deinde in
Ciceronianæ mentis ſpeculo conſideret; tum conſpicere-
tur in eo libro, quem unum, amiſſo Cicerone, ſuſpicimus;
quo reliquo fruimur & docemur; in quo ſolo pulchritudi-
nem eloquentiæ cernimus, admiramur, adamamus. Imita-
tus

Digitized by Google

tus eſt quidem M. Tullius in hoc libro Platonem, qui ſuã ideam politiæ copioſo ſtylo, dialogis multis ac libris expinxit: ſed eo Platone ſuperior, quod nullum in oratore formando peccatum quiſpiam vmquam vituperauit; Platonis contra cum alia multa, tum vero maxime coniugiorum liberumque communionem, non modo diſcipulus eius *Ar. l. 2. polit. cap. 2.* Ariſtoteles, ſed etiam ſapientum omnium ſenſus, Chriſtianorumque conſenſus reprehendit. Aemulatus eſt Xenophontem, qui Cyri nomine Principem optimũ ex idea, *Xenoph. in Cyrop.* quam mente conceperat, ſuauiſſimo locutionis genere deſcripſit: ſed hoc vicit Xenophontem Cicero; quod hic noſter veritatis amantiſſimus ſcriptor librum ſuum nulla falſitatis labe fœdauit; ille veris falſa miſcens, hiſtoriam, cuius anima veritas eſt, corrupiſſe Cyri virtutes augendo putatur. Secutus eſt Ariſtotelem, qui ſumma felicitate ingenii nullis mortalium viribus æquanda, mandauit libris ἀναλύσεσι admirabilem illam ac perdifficilem ἀπόδειξιν, *Lud. Nogar. not. ad cap. 1. Ocelli.* quam nos in ſcholis vſitato vocabulo Demonſtrationem nominamus, rationem exquiſitam ipſe M. Tullius appellaret: ſed quem inuictiſſimum ingenio ſuperare non potuit; *Cic. l. 1. de fin. & l. 1. Tuſc. quæſt.* argumenti ſimilitudine quadam, & pæne pari vtilitate propemodum adæquauit. Ille numeris omnibus expleuit artem ſapiendi; coloribus hic omnibus depinxit artem eloquendi: tradidit ille perfectam ideam apodixis, quæ facit hominem certo ſcientem; edidit hic abſolutam formam benedicendi, quæ vere creat hominem eloquentem: ille mentem poſterorum illuminauit; hic linguam locupletauit. Vtinam, Adoleſcentes, æque adamaretis Ariſtotelis ingenium, ac Ciceronis vbertatem: illius fontem, huius amnem; illius doctrinam, huius copiam; illius denique rationes exquiſitas, & huius cultam eloquentiam; eaſque geminas facultates duplicesque virtutes, ita miſceretis inter ſe prudenter, ſtudioſeque temperaretis, vt non minus eloquentia Tulliana ſcientiam Ariſtotelicam ornaret, quàm Peripatetica philoſophia Ciceronianam copiam viciſſim

Digitized by Google

imbueret:næ,mihi credite Iuuenes,nulli mortalium efflo-
reſcentem vel ab ingenio , vel ab oratione laudem inuide-
retis. At quò me deuium trahebat Ariſtotelici ingenii iu-
cundiſſima commemoratio ? Redeat in viam diſputatio 18
de arte rhetorica Ciceronis:qui ſcientiam illam ſuam tan-
to ſtudio comparatam,tanta cura poſteritati traditam,non
in pectore continuit incluſam , vt multi , qui præcipere ſe
poſſe profitentur ac ſciunt;dicere neque ſciunt, neque vo-
lunt:Laniſtarum ſimiles , qui gladiatores ornamenta tra-
ctare docent in palæſtra ; numquam ipſi digladiaturi pro-
deunt in arenam. Non ille multum egebat arte , quam
naturæ bonitas, qua Deus illum cumulauerat , propemo-
dum reſpuebat:artis tamen limam, ad naturam illam opti-
mam,ſi quid opus erat, poliendam, exornandam,perficiē-
dam , in oratione potiſſimum ac pronunciatione deduxit.
Cic.l.de cl. or. Verborum affluentiam iuueniliter effuſam in adoleſcen-
Quin.l.12.c.1. tia,diſciplinæ moderatione coercuit : vocis contentionem
non parum incommodantem valetudini remiſit : præcipi-
tem linguæ volubilitatem , quæ celeritatem ingenij conſe-
qui ſolet,temperauit : itaut laudabiliter Gradarius appella-
L.Sen.ep.40. retur à L.Seneca , Q. Haterium turbidi torrentis incitatiſ-
ſimo curſu præcipitantis ſimilem reprehendente: cuius lau
dis magnitudinem , equorum domitores, & equitandi pe-
riti tranſlatione percepta facile metiuntur . Prohibet me
timor veſtræ ſatietatis,de artis vſu multa diſſerere:vos ipſi
in interpretatione ſelectæ huius orationis,cum admiratio-
ne viſuri eſtis, quàm fuerit in inuentione perſpicax , in di-
ſpoſitione prudens,in elocutione limatus , in ornamentis
copioſus , in inſinuationibus callidus : quanto artificio ſe
excuſaret,ſi quem defenderet , quem alias accuſaſſet ; aut
accuſaret,quem aliquando defendiſſet:qua ratione cauſſas
multis magniſque difficultatibus implicatas enodaret,tue-
Quinct.l.11. cap.1. retur,euinceret;qualem fuiſſe ſcimus illam A. Cluentii,in
Sidon.l.8.ep. qua,cum in ceteris viciſſet alios ; veterum iudicio , ſe ipſe
10.adRurigiũ. ſuperauit. Denique ſummi fuit artificii tegere artem ora-

toriam

toriam in dicendo, tam denſo craſſoque artificii rhetorici velo; vt cum vel ſua ui permouendi, vel offuſis veteratorie tenebris, iudicem torqueret, flecteret, tranſuerſum ferret; ille tamen non rapi, ſed ſequi videretur: vt omnia feliciſſima quadam felicitate, quemadmodum loquitur Quincti- *Quin. l. 10. c. 1.* lianus, *illaborata fluerent*; quæ vix ſingula quiſquam intentiſſima cura longi temporis elaborare potuiſſet: vt quæcumque proferret ornamenta non arte ficta, ſed natura facta; non allata domo, ſed in ſuggeſto nata; non violenter tracta, per vim irruiſſe, ſed precario ducta, ſponte veniſſe putarentur. O vim mirabilem; o ſummam artem? Quo nam digno nomine, Iuuenes, eam compellabo? Calliditatem ne oratoriam, an ſapientem inertiam, an artem artiũ? Non tabulæ, non declamatores, non ſophiſtæ, non rhetores vlli quantumuis exercitati; non oratores multi peruenerunt eò per ingenij magnitudinem, per dicendi ſcientiam, vt artem arte vincerent; artificium artificio diſſimularent, & cum maxime ex arte dicerent, tum artis expertes, vacui rhetorica, neſcii fraudum oratoriarum haberentur; cum orationem fuco rhetorum ac fallaciis oblinerent, tum potiſſimum naturali colore ac ſanguine ſuo perfundere exiſtimarentur ab illis ipſis, qui doctiſſimi, atque acutiſſimi eſſent in eiuſmodi rebus iudicandis. Rem vobis expoſui, vos eam ſuo nomine conſignate; mentemque traducite ad exercitationem, quam tertio loco numeraueram
19 in oratoris eloquentis inſtrumento. Rem curſim expedio notiſſimam, ne longum faciam. Si meditationem vmbratilem ſpectetis, quis M. Tullio paratior & inſtructior venit *Orat. 9. n. 15.* in forum, in curiam, in iudicia; qui ſe muniens atque adornans ad contentiones pugnaſque forenſes adoleſcẽs, quotidie multum Latine, Græce ſepius declamare ſolebat? qui poſt primas cauſſas actas in publico, biennium ſub optimis dicendi magiſtris declamitans, Achaiam, & Aſiam peragrauit? qui Romam alter regreſſus, domeſticamque exercitationem cum vſu forenſi coniungens; ad præturam

vſque Græce declamare conſueuit? qui denique iudiciis per C. Cæſaris dictaturam ſublatis, muto foro, tacita curia, ſexaginta plus minus natus annos, ad priſtinam declamãdi rationem cum Hirtio, Panſa, Dolabella, Volumnio, Caſſio clariſſimisque aliis, & grauiſſimis viris, quos grandes prætextatos vocitabat, ſeſe reuocauit? In ipſa vero tractatione cauſarum, quæ longe fructuoſior eſt exercitatio; triginta & amplius annos, quotidiana pæne dicendi contentione verſatus eſt, hic omnium generum, cauſſarũ & locorum orator, mens curiæ, vox fori, lingua iudiciorũ; omnium gentium defenſor, cunctorum miſerorum, calamitoſorumque patronus. Ecquis igitur neget hunc oratorem exercitatiſſimum fuiſſe, qui vel à prima adoleſcentia non Rhetorum præceptis, ſed ſuis actionibus; non cauſidicis audiendis, ſed cauſſis agendis; non iudicialibus caſibus, ſed victoriis cauſſarum, ad eloquentiæ faſtigium eſt perductus? Poſtremo nec defuit Ciceroni diligentiſsima imita- 20
tio. Quem ſuſpiciebat ob præſtantiam ſingularem; & ceteris oratoribus Græcis, & Latinis exiſtimabat anteſtare, Demoſthenem ſibi ſumpſit viribus omnibus imitandum: non aliud agere, non aliud optare niſi vt illum referat, non tamen ſe aſſecutum modeſtiæ pleniſsimus confitetur: quod an verum ſit, poſtrema oratione viderimus. E clariſsimis quibuſque oratoribus Græcis, quorum extabãt orationes, vnde lumen peteret; virtutes omnes, quæ ſplendidius eminerent excerpſit. Itaque non modo vim Demoſtenis effinxit, qui ferebat palmam; ſed etiam Platonis copiam, iucunditatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiæ; ſplendorem verborum, blanditias, lenitatem, ac ſonitum Aeſchinis, acumen Hyperidis & argutias. Eius orationem perorantis, tabulam quampiam Apellis feliciſsimo penicillo bene pictam, in bono lumine collocatam dixiſſetis, ſi eum in luce Romanæ vrbis dicentem audiuiſſetis. Nec vero in tanta vtilitate percepta de Græcis, Latinos ipſe contempſit; multorum deteſtatus morem, qui domeſtica faſtidiũt:

Cic. l. de cl. or. & l. de or. Quinct. l. 10. cap. 1.

domi

domi nata reſpuunt; exrerna & peregrina, hoc ſolo quòd è longinquo ſint aduecta, mirantur. Cur enim tam accurate reuoluens annales Romanorum; replicans omnem præteritorum temporum memoriam, à primis vſque cunabulis eloquentiæ Latinæ ducto principio, recenſuit, iudicij ſui ponderibus examinauit oratores omnes, qui aliqua in laude fuerunt? Cur ſingulorum virtutes obſeruauit, enumerauit, protulit è tenebris in lucem; niſi vt id libaret, in ſe fingeret, atque imitando exprimeret, in quo quiſque præcelleret? Quamobrem, vt equidem arbitror, oratorum eloquentiſsimorum quorumque Latinorum virtutes effinxit, tametſi diffiteatur ipſe tantum ſe profeciſſe; decerpſit grauitatem Catonis, ardorem Galbæ, ſapientiam Lælii, Philippi aculeos, Lepidi ſtylum, Iulii facetias, Carbonis profluentiam: auidius recentiores æmulatus expreſſit granditatem Sulpitij, vim Antonij, Craſſi leporem, ſuauitatem Catuli, proprietatem Cottæ, ſplendorē Cæſaris, Hortenſii flores & actionem. Atque vt opalus expoſitus ſoli multarum gemmarum colores oſtentat oculis aſpectu iucundiſſimo, ſmaragdi viriditatem, amethyſti purpuram, ignem carbunculi, ſulphuris ardentis flammam, incredibili pariter miſtura fulgentes; ita legenti Ciceronem vel ad ingenii boni lumen; vel ad interpretis diligentis facem, omnium, qui vixerunt ante ipſum, virtutes elucent, oculos feriunt, atque in admirationem ſimul rapiunt, voluptatemque traducunt.

Quinct. dial. de or.

Cic. l. de cl. or.

Pl. l. 37. c. 6.

21 Cum igitur in M. Tullio vigeret imitatio, quæ dirigeret exercitationis curſum: exercitatio, quę dicendi artem exacueret: ars, quæ perficeret naturam: bonitas denique naturæ, quæ ſplendore ingenii, doctrinæ copiis, vbertate verborum, & gratia pronunciandi, tum artem, tum exercitationem, tum imitationem illuſtraret, ſaginaret, impleret, animaret: iure omnes gentes, ætates, ſapientes; infimi, medij, ſummi, non cogitatione ſolum, atque opinione quæ tam multis concepta eſt & conſtat argumentis, ſed etiam voce, laude, conſenſione ſuffragiorū,

elo-

Digitized by Google

eloquentiæ primas illi tribuerunt. Decantatæ ſunt in om-
Quinct.l.3.c.1. nibus ſcholis ſplendidæ illæ deſcriptiones, Quinctiliani Ci
L.12.cap.1. ceronem honeſtantis,quibus eum præcipuum eloquentiæ
L.12.cap.10. lumen; oratorem perfectum; in eloquentiæ faſtigio poſi-
tum;in omnibus, quæ in quoque laudantur,eminentiſſi-
mum eſſe definit. Vulgares,magnificæ illæ voces,quibus
M.Sen.l.1. à Caſſio Seuero *Latiæ facundiæ linguæ; princeps oratorum*
ſuaſ.6. à Sidonio Apollinari;tum *eloquentiſsimus orator* à Macro-
Sidon.l.5. ep. bio dictus eſt. Iactatum inter pueros eſt prouerbium il-
13. ad Pannychium. lud,ab aliquo ſapientiſsimo viro confictum; & ab vniuer-
Macr.l.2.ſat. ſis nationibus,quæ latine ſunt locutæ,probatum atq; vſur-
cap.1. patum; quo diſertiſsimi hominis eloquentiam ſignifican-
tes, per hyperbolen dicunt eum eloquentiorem eſſe M.
Tertull. Apo- Tullio.Paucis veſtrum ignotum eſſe arbitror epigramma
log.cap.11. elegantiſsimi poetæ Catulli, qui Ciceronis non audiuit
modo vocem,ſed etiam patrocinio defenſus, animo grato
Catull.epigr. beneficentiſſimum virum in gratiis agendis,Romanorum
de M.T.C. diſertiſsimum,& optimum patronorum appellat. Laudē 22
accipite,Iuuenes,à S. Hieronymi ſtylo profectam ſane quã
egregiam; tum propter ſingularem viri ſanctitatem ac ſa-
orat.6.n.21. pientiam; quem in Palæſtinæ monaſterio degentem,aſpe-
ro cilicio veſtitum, abſtinentia voluptatum omnium exte-
nuatum,in bibliothecis incluſum, & in libris demerſum
omnes doctrinas helluantem, doctiſsimi quique Chriſtia-
norum, & vero etiam Summi Pontifices, de maximis re-
bus controuerſis,de quæſtionibus difficillimis,de librorum
diuinorum locis obſcuriſsimis,tamquam oraculum quod-
dam animatum conſulebant; tum propter laudis ipſius ge-
nus ampliſsimum; quo ceteris mortalibus M. Tullius an-
S.Hier.in c.3. Ionæ. teponitur. Hic admirans humanæ ſapientiæ,& eloquen-
tiæ poteſtatem,dicere non dubitauit vſque eo progreſſam,
vt ſummi philoſophi atque oratores *velut reges habeantur
hominum, eorumque præcepta, non vt præcepta mortalium,
ſed quaſi oracula Deorum accipiantur*: atque inter eos Pla-
tonem, Ariſtotelem, Demoſthenem, Ciceronemque con-
nume-

numerat. Quàm uere, quàm prudenter, quàm rei congruẽter vir ſcientiſsimus M. Tullium Regem appellauit, cum ex omnium hominum opinione communi in numero regum collocauit? Non ille, dum uiueret, Rex in foro dominabatur, regnabat in Curia, triumphabat in iudiciis; qui de regno fori deiecit: de concionum dominatu depulit; de principatu iudiciorum deturbauit Hortenſium? Qui per orationem ſuam reginam rerum omnium; per eloquentiam dominatricem animorum; per imperatricem voluntatum perſuaſionem, habuit in poteſtate ſua cunctorum affectus auditorum, concionem populi, ciuitatem liberam, Remque publicam Romanorum? Tibi, M. Tulli, perinſignem iniuriam intulit Roma, de qua uiuus uoce, mortuus ſcripto tam bene meritus fuiſti; quæ poſt quadringentos & amplius annos, tuorum oblita beneficiorum, Prohæreſio Rhetori neſcio cui ſtatuam ingentem ex ære poſuit, cum epigrammate falſitatis, turpiſsimæque aſſentationis pleniſsimo, *Regina rerum Roma, Regi eloquentiæ.* Quas ille cauſſas egit? quos nobiles defendit reos? quorum iudicum voluntates expugnauit, ut eloquentia regnare diceretur? Quæ nam præclara ingenii monumenta reliquit poſteris, vt æneum ſignum, & litteræ marmore inciſæ memoriam eius apud poſteros conſeruarent? Quæ ſane cum ſtatua funditus iniuria temporum interijſſet, niſi mentionem aliquam huiuſce nominis, & ſigni feciſſet Eunapius. Non igitur Prohæreſio debebatur illa ſtatua cum inſcriptione tam honorifica, ſed Ciceroni: non ludimagiſtro, ſed ſenatus doctori: non iuuentutis educatori, ſed imperij moderatori: non denique declamatori ad clepſydram, ſed principi oratorum: qui lumen in curia, flumen in foro, fulmen in iudiciis tot annos ingenio, lingua, pectore, unde lumen, flumen, fulmen extiterunt Romanum populum flexit, rexit, ab incendio, tyrannide, ſeruitute uindicauit. Nec debebatur ab urbe tantum, ſed etiam ab orbe terrarum, cui profuit uniuerſo, cui prodeſt, ac profuturus eſt in omne poſte-

Cic. l. de cl. or.

Orat. 4. n. 12.

Eunap. in Prohæreſ.

tum tempus ſcriptis ſuis, quæ iam infinitis propemodum exemplis, induſtria typographorum multiplicata, ſunt in perpetuum duratura. Cui ſigno linguam equidem au- 23
Pl.l.7.c.37. ream addiderim. Etenim ſi Athenienſes Beroſo aſtrologiæ perito, propter quaſdam prædictiones, quas euentus comprobauit, æneum ſimulacrum inaurata lingua ſtatuerunt: nos M. Tullio denegemus, qui lingua flumen aureum fundebat orationis? Quod ipſe ex ore ſummi philo-
Orat.4.n.26. ſophorum Ariſtotelis flumen aureum profluere uidebat, hoc ego, quotieſcumque in manus orationes eius ſumo, quotieſcumque lego, mihi cernere uideor ipſis oculis, à pectore faucibusque decurrere, differens hoc ſolo, quòd illud; aureis rerum ac ſententiarum arenis turgidum fertur: hoc, aureis uerborum undis affluens, aurea figurarum
Eunap.l. de uir.ſophyſt.initio. ubertate ſplendeſcens, auditores, ac lectores inundat. Depone Dio Bythine cognomentum illud Chryſoſtomi, quod ob declamationes quaſdam, uel in conclaui ſcriptas exercendi ſtyli gratiæ, uel in umbra gymnaſii dictas ad oſtentationem ingenii, tibi diſcipuli per aſſentationem impoſuerunt: depone, inquam, quod tuum non eſt, quod tibi minime congruit, ſi cum M. Tullio comparere: Ciceroni renuncia, cuius ab ore fluunt aurea omnia: Ciceroni reſtitue, cui merito debetur Chryſoſtomi cognomen. Niſi forte mauultis, Adoleſcentes, per nouandorum nominum, ac nouis rebus emergentibus imponendorum poteſtatem à ſapientibus tributam, nouum fingi cognomentum; ut uir ſingularis in eloquentia, ſingulari cognomine, recens compoſito, nulli mortalium vſitato cohoneſtetur, ac dicatur uel ab aurea lingua Chryſoglottes, uel ab aureo flumine Chry-
Cic.l.3.de or. Pl.33.cap.4. ſopotamus. Reddat denique Gorgias Leontinus auream illam ſtatuam, quam ſoli ex omnibus illi Delphis Græcia ſtatuerat, Rhetori parum congruentem: oratori eloquentiſsimo ac meritiſsimo Ciceroni ponatur: locetur à vobis in ænea baſi conſtantis imitationis; in eamque maximis litteris incidatur epigramma titulis honorariis locuples ad memoriam ſempiternam

M.

M. TVLLIO CHRYSOPOTAMO REGI ELOQVENTIAE ORBIS VNIVERSVS P.

Non equidem dixi ſcribendum *Eloquentiæ Deo*; quòd fas non eſt homini Chriſtiano, neque diuinitatem cuiquam mortali vel mente, vel oratione tribuere; neque ita loqui, vt præter Deum Vniuerſitatis parentem ac Rectorem, vlli tribui videatur: tametſi Tertullianus vetuſtiſſimus doctor ex eruditiſſimis Chriſtianorum ſcriptorum, irridens Græcos Romanosque veteres idololatras, qui Deorum in numerum referebant, quemcumque cernerent in re quapiã excellentem; ſuis ipſorum telis eos conficiebat, exquiſitaque ratione conuincebat, quæ in Ciceronis laudem commendationemque redundat: Iniquos aiebat in M. Tullium extitiſſe; grauem iniuriam eloquentiſſimo viro factam; quòd non diuinis honoribus affecerint eum, cui deferunt omnes eloquentiæ principatum; hũc quoque poſſe Deum ob eloquentiam fieri, ſi præſtantiſſimis quibuſque in aliquo genere hominibus diuinitas datur. Quo Mercurius artificio; qua ui diuina Hercules; qua ſuauitate dicendi Orpheus præſtiterunt Ciceroni, potius vt illi, quàm hic, vel apotheoſin, vel inter aſtra locum mererentur? Mercurius lyræ parens, hoc eſt inuentor arte compoſitæ orationis, quæ delectat aures, dictus eſt: at M. Tullius eloquentiæ Romanæ parens, ac perfector orationis elegantis, excultæ, numeroſæ, quæ ſuauitate permulcet aures & mentem, eſt habitus. Trahebat Hercules? Trahebat M. Tullius. Ex illius præpotentis hominis lingua pendebant aureæ catenæ multorum aures mortalium captiuorum vincientes? Ex huius ore quoque prodibat aureis nexa verbis, aureis depicta ornamentis oratio, non aures modo, ſed etiam animos illigans ac detinens innumerabilium auditorum. Mulcebat Orpheus ſonis feras? mouebat fidibus ſaxa? detinebat fluuios cantu? Cicero quoque verbis, lingua, voce feri-

Tertull. Apolog cap. 11.

Orat. 3. n. 11.

Orat. 3. n. 13.
Orat. 5. n. 25.

Orat. 3. n. 14.

nos homines delectabat; permouebat obſtinatos; impoten
tes cohibebat. Quod cæleſte diuinumque cognomen cui- 24
quam ob eloquentiam impoſitum eſt; quod non item Ci-
ceroni, ſi cum eo conferatur, & meliore iure debeatur? Pe-
riclem, Adoleſcentes, proferetis; qui propter illam admira-

Plut. in Pericle, & conſol. ad Apoll.

bilem Pitho, de cælo prope delapſam, & in eius labris ſeſ-
ſitantem, qua mulcebat, flectebat, aculeis vulnerabat po-
pulum Athenienſem, Olympius eſt cognomento vocita-
tus. Cur non item M. Tullium appelletis Olympium,
qui propter cæleſtem illam vbertatem ingenij, beatamque
dicendi copiam, Pericli ſimillimus à C. Cæſare iudicatus
eſt, & adæquatus? Qui Periclem Olympium hoc ipſo cœ-
leſti munere ſuperauit; quòd Pitho in illius lingua, quoad
vixit, habitauit; morientis in ore cum illo pariter extincta
eſt: Ciceronis vero lepos & perſuaſio ſic in eius labris inſe-
dit penitus, atque infixa eſt, vt eo mortuo viuere in oratio-
nibus, ſcriptisque libris ſpirare videatur? Tyrtamus Ere-

Cic. l. de or. Plin. in præf. Quin. l. 10 c. 1. Diog. laer. l. 5. in Theophr.

ſius diſcipulus ob ingenium & eloquentiam Ariſtoteli ca-
riſſimus; quòd bene loqueretur, primum diu dictus eſt Eu-
phraſtus: deinde quòd excellenti quodam Orationis nito-
re floreret, quem prope diuinum exiſtimabat auditorum
admiratio; Theophraſti, hoc eſt diuinitus loquentis nomen
inuenit. Id ab Ariſtotele magiſtro confictum, & Euphra-
ſto diligentiſsimo auditori impoſitum, Diogenes Laertius
locupletiſſimus eſt teſtis. Magna, præclaraque laus eſt, di-
gnum nomine prope diuino Tyrtamum à tanto doctore
iudicari; qui non ingenia modo philoſophia ditabat, ſed
etiam linguas rhetoricæ præceptis acuebat. Sed quanto
libentius ac iuſtius, o maxime philoſophorum Ariſtoteles
M. Tullium à diuinitate loquendi Theophraſtum appel-
laſſes, ſi pro Tyrtamo, vel vna cum Tyrtamo Ciceronem
auditorem doctrinæ tuæ diſcipulumque habuiſſes? Si tra-
ctaſſes eius ingenij facilitatem; ſi leporem in ore conſiden-
tem vidiſſes; ſi copiam & vbertatem melle dulciorem de-
guſtaſſes; ſi cultum elocutionis, ſi verborum ſplendorem, ſi

perſuadendi vim auribus excepiſſes? Tyrtamum in foro neſcio quid emere parantem, è pronunciatione peregrinum agnouit, notauit; atque hoſpitem Athenienſis anicula compellauit. *Orat.2.n.35.* Ciceronis contra leniſsimam ſuauiſsimamque litterarum appellationem; integerrimam feliciſsimãque pronunciationem Romanorum propriam, nihil olentem peregrinum, nihil inſolens ſonantem, omnium aures, oris preſſu, litterarum aſperarum fuga, vocalium hiantium vitatione permulcentem, nemo vnquam reprehendit, nemo non probauit: tu poſthabito Tyrtamo, non Ciceronem diuino nomine decoraſſes? Ille in Areopagitarum Senatu *Orat.6.n.25.* ſiue inſolentia loci, ſiue iudicum grauitate permotus; ſiue pudore, metu, memoriæ defectu perturbatus, deficiente ſpiritu, languentibus labris, hærente lingua conticuit: hunc contra numquam imparatum, numquam metuentem, nũquam immemorem: neque curia, neque forum, neque tribunal vidit vnquam: non locus inſolens, non grauitas auditorum, non ſeueritas iudicum, non multitudo populi, non concionis tumultus perturbauit: ſtetit, ſtetit ſemper in gradu fortis; numquam ob metum ex acie deceſsit, ſemper lingua pugnauit inuictus: tu non M. Tullio meritiſsimo, detractum Tyrtamo cognomen Theophraſti tribuiſſes?

Platonem quoque philoſophorum innumerabilium paren-
25 tem, diuini cognomine cohoneſtauit antiquitas vniuerſa: non propter philoſophiæ præſtantiam, in qua multis numeris ab Ariſtotele ſuperatur, ſed propter vbertatem eloquẽ- *Orat.10.n.32* tiæ, ſeu quemadmodum admirans loquitur Quinctilianus, ob diuinam quandam, & Homericam eloquendi facultatem, qua mirabiliter aſſurgit, vt non hominis ingenio, ſed oraculo Delphico videatur inſtinctus. Quam item priſci philoſophi diuinam, & Ioue dignam eſſe cenſuerunt, cum dicebant, ſi Græce Iuppiter locuturus fuiſſet, Platonis eum lingua locuturum. Quis non idem tribuat cognomen Ciceroni, qui Platonem æmulatus in philoſophia; Platonis dicendi copiam expreſsit? Qui virtutibus aliorum clariſsi-

morum Græcorum oratorum, hiſtoricorum, ſcriptorumque omnium, Platonis copiam expoliuit, cumulauit, expinxit? Qui denique quia ſummus eſt orator, Platonis ipſius teſtimonio, ceteros mortales anteit facultate quadam pæne diuina, quæ particula eſt magnæ illius artis excantandi? Prohibeat me quiſpiam dicere, Iouem ſi Latine loqui vellet, non niſi Ciceronis vſurum eloquentia; quando Platonis ſermo non æquatus modo, ſed nitore, cultu, ui, multisque aliis nominibus à Ciceronis elocutione uictus eſt? Varroni licuit Aelij Stolonis ſententia definire, Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui placeret, non idem mihi de Tulliana copia decernere liceat, quæ cum Plauti ſermone comparata, tanta præſtat illi dignitate, floribus, elegantia, quanta conſtantis ætatis elocutio, pueritiæ ſermonem antecellit? Ad Ciceronis conſpectum Plautus, & quiuis alius eiuſdem ordinis ſileat, fugiat, delitescat. Iure igitur Fabius Quinctilianus aſsiduus & accuratus eloquentiæ Tullianæ contemplator, tot tantarumque 26
virtutum, quas partim audiſtis, partim proximis orationibus audietis, admiratione obſtupefactus, eò deductus eſt impulſu veritatis ut diceret exclamando, M. Tullium *dono quodam Prouidentiæ genitum, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.* Quàm Chriſtianæ M. Fabi, tametſi veræ religionis ignarus tantum donum humano generi tributum, non in Fortunam populi Romani, non in fatum ipſius Ciceronis; non in cauſſarum aliquam neceſsitatem, quod impii, dementesque aliqui feciſſent, ſed in Dei præpotentis, atque hominum amantiſsimi curam prouidentiamque retuliſti! quæ perfectam eloquentiæ formam in homine mortali impreſſam voluit, non oſtendere modo, ſed etiam fruendam imitandamque donare mortalibus. Atque vt trecentis ferme ante annis, vtilitati noſtræ proſpiciens, in Græciæ tenebris præſtantiſſimum Ariſtotelis Stagiritæ ingenium, tamquam clariſſimũ lumen, quo noſtræ colluſtrarentur mentes accendit & collocauit: ita ſæ-

Plato in Euthyd.

Quinct. l. 10. cap. 1.

Quinct. l. 10. cap. 1.

Digitized by Google

culo ante quàm Chriſtus Liberator noſter mirabiliter è
cœlo delapſus appareret in terris, legem nouam delatam
item de cœlo, per hominum mortalium potiſſimum lin-
guam, vocem, ſermonem in concionibus publicis, con-
greſſionibusque priuatis peruulgaturus: voluit vt in Italia,
in Latio, Romæ, ſub imperio Latinorum, vir eloquentiſſi-
mus Cicero naſceretur: vt in Romanæ vrbis luce verſare-
tur vnus aliquis, cuius è fluminibus eloquentiæ, deriuatis
per imitationem riuulis; ieiunitatem oris noſtri, ſiccitatem
orationis, & linguam ex inopia verborum areſcentem ir-
rigaremus: vt cum Ariſtotele ſociaretur; ne vel ingenio prę-
ſtantiſſimo diſertiſſima lingua; vel ſummæ dicendi copiæ,
ſumma doctrinarum vbertas in Mundo defuiſſe videretur.
Quàm item vere locutus eſt, Adoleſcentes, Quinctilianus
27 noſter, cum M. Tullium à diuina prouidentia genitum
pronunciauit; quæ tam ſapienter & cumulate rebus omni-
bus inſtrumenta præſtat, & adiumenta, quibus finem ſuum
adipiſcantur! Procreauit Ciceronem Deus aptiſsimæ ad
dicendum naturæ, maximeque idoneum eloquentiæ tum
expromendæ, tum educandæ, tum perficiendæ: muneribus
omnibus eum inſtruxit, quibus illa paratur, augetur, ad
vſum aliorum, vtilitatemque profunditur: fecit ingenio-
ſum ac memorem; bene valentem corpore; lingua prom-
ptum atque expeditum; propenſum ad eloquentiæ ſtu-
dium; ſedulum in meditando; tantum denique ætatis illi
largitus eſt, quantum ad eloquentiam perficiendam ſuffi-
ciebat. Requirat aliquis locum in quo ſe oſtentare poſſet
vniuerſis, & laudabiliter excurrere? Roma eſt à Dei proui-
dentia ſelecta, tunc Orbis terrarum caput; nationum om-
nium domina; cunctarum gentium domicilium; vt nemi-
nem lateret hoc diuinum beneficium, quod in imperij Ro-
manorum arce ſplenderet: neminem fugeret, quod in Re-
ginæ terrarum oculis habitaret: & tam longe lateque fun-
deretur, quàm Reip. pateret imperium; eoſdemque termi-
nos hoc eloquentiæ donum attingeret, quos Romanorum

Digitized by Google

arma perſuaſerant. Optatis tempus accommodatum? Illud elegit, quo Latina lingua de cunabulis, primiſque ætatibus egreſſa, iamque adulta, non floreſcebat modo multorum rhetorum, poetarum, oratorum induſtria; ſed etiam erat maturitatem quandam temporis diuturnitate conſecuta. Deſideratis occaſiones ad dicendum, & opportunitates ad eloquentiam exercendam? At quid magis in tempore: quid opportunius vnquam prudentiſsimus quiſque auſus eſſet optare? Quo tempore compilatæ prouinciæ, regum & conſulum accuſationes, coniurationes improborum ciuium, populares tumultus, cupidi rerum nouarum, libertatis oppugnatores, grauiſsimæ reorum capitalium cauſſæ depoſcebant, prouocabant, excutiebant vniuerſas eloquētiæ vires proborum ciuium: extitit M. Tullius, qui ſolus tot, tam graues, tam difficiles cauſſas ſuſciperet, explicaret, euinceret: libertatem, patriam, Remp. oratione tueretur: atque eloquentiam ipſam in homine mortali perorantem, viribus omnibus armatam, vniuerſis dicendi copijs affluētem, hominibus oſtenderet. Tibi Deus immortalis, qui tanta cura ſingulis mortalibus proſpiciens, Orbi præſides vniuerſo, gratias agere deberem immortales, tuo dignas beneficio: pro munere, quo nos homunciones infantes, elingues, indiſertos cumulaſti; cum M. Tullium in hominum lucem imitandum prodire iuſsiſti: de cuius ore ac pectore, noſtræ vtilitatis gratia, vires ſuas omnes ac theſauros eloquentiæ profunderet. Orationem promerito parem non habet is, qui ne cogitatione quidem doni magnitudinem tui complecti poteſt: æqualem tamen ſtudio, viribus, optatis actionem hanc ſuſcipe gratiarum: quas ore mortali, meo meorumque diſcipulorum nomine debitum confitens ago, te ipſa numquam relaturus, memori mente ſemper habiturus. Vos autem Adoleſcentes, ad 28
imitationem tanti oratoris, tam admirabilis, atque vt ferunt res humanæ, diuini; conſtantem animum ac vires adijcite: præſtantiſsimum eius ingenium, vim, copiam, artem

in-

intuentes in ea oratione, quæ ſibi principatum omnium arrogauit; in qua non inanis vmbra volitat, ſed ſolida forma reſidet; non imago mortua cernitur, ſed germanæ facies eloquentiæ viua ſplendeſcit. Polycletus Sicyonius ſignorum artifex nobiliſsimus, diſcipulis ſuis ac toti poſteritati conſulens, vniuerſam artem, quam profitebatur ac perfecerat, mente conceptam, multis præceptionibus accurate diligenterque explicatam libello complexus eſt, quem regulam, ſeu normam appellauit. *Pl l. 34. cap. 8 Gal. l. 1. de temperam. cap. 9. l. 5 de decr. & Hipp. & Plat. c. 5 l. 2 de cauſ. puſ. cap 13.* Deinde præcepta confirmaturus opere, ſtatuam ex ære fecit, in qua mẽbrorum præcipue ſymmetria ſeruata, chartis inſcriptam artem ita mirabiliter expreſsit, vt ſolus hominum artem ipſe feciſſe, artis opere iudicaretur. Hoc ſignum artifices, quod ex eo tamquam à lege quadam artis, lineamenta peterent, Canona nominarunt. Alterum Polycletum nobiliorum operum artificem mihi videor M. Tullium appellare poſſe; qui quam dicendi artem, quam ideam eloquentiæ, quam oratoris formam mente comprehenſam habebat; quam in tam multis rhetoricis operibus, ac potiſsimũ in libello de oratore perfecto deſcripſerat; eam inde reuulſam, in ſeptimam orationem contra Verrem tranſtulit, infudit, expreſſit adeo perfecte, vt orationum omnium canõ, eloquentiæ norma, magiſtra denique oratorum poſsit merito nominari.

29 Quid enim de ſeptem hiſce libris in Verrem ſentit auctor ipſe librorum? quanti eos facit? quàm luculenter laudat? Eloquentiam ſuam hac illuſtratam accuſatione fuiſſe prædicat: quòd illi ianuam ad gratiam popularem aperuerit; atque aditum ad honores ampliſsimos patefecerit. *Cic. l. 2. off.* Eiuſdem accuſationis impetu ſummum oratorem Hortenſium, qui tum in foro regnare putabatur, fractum, victum, abiectum obmutuiſſe tradit; & pro familiariſsimo reo conſulem deſignatum, ædili deſignato; clarum obſcuro; exercitatiorem, minus exercitato non eſſe auſum reſpondere gloriatur. *Cic. l. de or.* Ex hac perſæpe, cum in libro de perfecto oratore præcepta appoſitis illuſtrat exem-

plis,

pliſ,exempla depromit; quaſi tacite modeſteque ſignificans, ibi perfectiſsimam eloquentiæ formam eſſe vere defixam, vnde ad eam depingendam verbis, exemplorum colores & pigmenta peterentur. Nec vero quiſpiam orationes quattuor in Catilinam obijciat, quòd ſceleſtiſsimus ille, atque audacifsimus parricida Ciceroni conſuli non auſus reſpondere, vim eius, ingenium, eloquentiam reformidauit, fugit, exhorruit: non Philippicas quatuordecim in Antonium ſcriptas & dictas, grauitate cauſſæ, ſenectute oratoris, eloquentiæ maturitate commendatas Verrinis anteponat. Nam etſi mirabiles vtræque ſunt in genere ſuo; nullius imitatione plane conſequendæ: tamen in illis, quòd partim ad ſenatum in curia, partim ad populum in foro ſunt habitæ; neceſsitate cauſſæ adactus repetit eadem orator, eandem tundit incudem deprehenſæ coniurationis, vindicatæ libertatis, ſeruatæ vrbis ab incendio, ciuitatis à cæde, Reip. ab interitu, ſupplicio paucorum. In Philippicis vero, quæ maturam, & decoctam habent eloquentiam, cũ oratoris ætate pariter ſeneſcentem, cum affectu doloris, prope lugentem; idem tractat ac retractat argumentum, vt cauſſa Reique publicæ tempora ferebant; eodem ſæpe reuoluitur, vt hoſtis declaretur Antonius: abſunt verborũ floſculi, qui vel iam ex arbore ceciderunt, vel à re ipſa repudiantur: nulla hilaritas, nullus riſus, nulla lætitia; pro his lacrymæ, luctus, mæror; acerbitasque tanta, vt amputati capitis, & cæſæ dexteræ, quod Iuuenalis opinatus eſt, non alia fuerit cauſſa, quàm

Cic. l. de or. *Pl. l. 7. cap. 30.* *Plut. in Cic.* *Iuuen. ſat. 10.*

> *Conſpicuæ diuina Philippica famæ*
> *Voluitur à prima, quæ proxima.*

Verum hæ noſtræ Verrinæ primum vireſcentem habent ac florentem eloquentiam; vna cum oratoris ætate ſex & triginta annorum, neruoſam, vt ita dicam, & robuſtam; qui planiſsime ſcribit alicubi, tum fuiſſe perfectum quidquid eſſet, quod in ſe haberet, & maturitatem quandam ſuam adeptum, cum ſuſcepit patrocinium Siculorum. Deinde

Cic. l. de cl. or.

cuiuſque

cuiuſque generis ornamentorum, affectuum, doctinarum varietate vel diſtinctæ, vel temperatæ ſic elucent, nihil vt videri, nihil cogitari poſſit illuſtrius. Cuius rei, quem locupletiorem teſtem ipſo M. Tullio requiritis? Hic in oratotis perfecti deſcriptione, cũ aliquot orationũ ſuarum nobiliorum virtutes proprias commendaſſet, diſerte teſtificatus eſt, omnes eas virtutes in Verrinis libris eſſe permiſtas. Expoſcitur, Auditores, ſubtilitas? At quid pōt eſſe diuinatione, (quæ oratio eſt de accuſatore cōſtituēdo) & ea, quæ de frumento diſputat, ſubtilius? Expetitur è doctrinis reconditis, ſeueritatis iudicialis aliquod condimentum? Crebeṙrimis ſententijs vitam & mores informantibus è media philoſophia; fabulis è poeſi; factis ex hiſtoria petitis innumerabilibus omnes ſuauiſſime condiuntur. In affectibus grauioribus permouendis vim, ardorem impetum exoptatis? At profecto quæ valentiſſimum exercitatiſſimumque oratorem Hortenſium perterruerunt; quæ virum prętorium nobiliſſimum ditiſſimumque exilio voluntario ſe mandare coegerunt; perturbationum pleniſſimæ ſunt exiſtimandæ; & poſtrema præſertim, quę in crudelitate, quam C. Verres in nauarchorum innocentiſſimorum ſuppliciis iniquiſſimis; & ciuium Romanorum atrociſſimis cruciatibus exprompſit, amplificanda; interdum ab eorum oculis, quorum nihil intereſt, vim maximam elicit lacrymarum. Vultis ornamenta: quæ in exornationis genere ſolent eſſe frequentiſſima? Verum vbinam eminent ſplendidiora, quàm in actionis ſecundæ quinque libris? Vbi pulchriores laudationes laudæ Siciliæ, quam ipſe artifex ſuo teſtimonio collaudat? Vbi deſcriptiones vrbium, regionum, fontium, templorum, portuum, ſtatuarum, magis res ſub oculos ſubijcientes? Vbi facetiarum vrbaniſſimarum feſtiuitates lepidiores? vbi contentiones elegantiores ſententiarum & verborum? Si quis per eos libros oculis accurate ſpatiari voluerit, tot exornationum lumina mirabilis elegantiæ ſplendore reperiet illuſtria; quot in amœniſſimo prato flores, viſenda colorum varietate depictos Anti

Cic. l. de or.

Digitized by Google

li menſe reperiret. Nec aliunde ſane Quinctilianus diligentiſſimus oratoriarum inſtitutionum, copioſiſſimusque ſcriptor, plura ſchematum, præceptornm, affectuum exẽpla, quàm ex orationibus hiſce decerpſit. Ecquis copiam, vbertatem, & flumina eloquentiæ deeſſe criminetur, vbi ſeptem longiſſimis libris vnius hominis accuſatio continetur? Ecquis tres dicendi characteres, humilem, ſublimem, temperatum requirat, vbi ſunt omnes admirabiliter inuſti? Nam grauitas cauſſæ minime deeſt: in qua voca- 30 tur in iudicium ciuis Romanus nobiliſsimus, vrbanis magiſtratibus honeſtiſsimis perfunctus; ſit reus homo nocentiſsimus, qui nec humano modo, nec vſitato more peccauit: accuſatur criminum atrociſsimorum populi Romani Prætor, nuper ex ampliſsimæ adminiſtratione prouinciæ non tam reuerſus, quàm retractus: poſtulatur de pecuniis repetundis homo pecunioſiſsimus, qui per fraudem, per iniuriam, per vim eripuit Siculis HS millies, hoc eſt vicies quinquies centena millia nummum aureorum; & ornamenta omnia Siciliæ, vndecumque à quocumque ſublata, nauibus inde onerariis aſportata, in ſuam domum atque villam incluſerat: defenditur Sicilia tota, populo Romano prouincia longe cariſsima & fructuoſiſsima, quæ quia legationes honeſtiſsimas, ſingulis è ſuis ciuitatibus Romam miſerat, Romam videbatur eſſe translata. Quid quod alia multa, quæ rem ipſam circumſtabant, ſummum ab ingenio & lingua M. Tullii conatum excutere debuerunt? Petebat enim ædilitatem, aſcenſum ad iactationem popularem, gradumque ad vrbanos magiſtratus aptiſsimum; viamque ſibi ad honores, non commendatione maiorum, quia nouus homo; ſed eloquentiæ virtute, fauoreque populi tunc eloquentiam admirantis apparabat. Accuſabat Q. Hortenſio defendente, conſule iam deſignato eloquentiſſimo oratore: quicum non tam de Siculorum fortunis, ac de capite C. Verris; quàm de gloria dicendi, de eloquentię principatu, de regno fori contendebat: atque in eo theatro

Cic. diuin. in Verr.

Cic. l. de cl. or.

con-

Digitized by Google

contendebat: in quo cũ ſæpe maxima populi Romani ſpectante celebritate, nationumq; exterarum frequentia, ſtrenue laudabiliterq; verſatus approbationes & plauſus excitaſſet: partam dicendi laudem, dicendo quoq; conſeruare atq; amplificare cogebatur. Addebat animos æquitas cauſſæ atq. bonitas, quæ oratori acutiſsimo ad inueniendum ſubminiſtrabat argumenta: tum ad augendum exercitatiſſimo non inanes amplificationes ſuggerebat. Creſcebat impetus animi præſentia Siculorum amiciſsimorum, ac de eo benemeritorum, qui priuatim & publice viri primarii ſuas iniurias iudicio perſecuturi confluxerant: quorum aures teretes, religioſas, & ad iudicandum de facultate dicẽdi peracres; apud eos olim Rhetorica nata eſſe, & ea natio *Prompta gens linguæ* cũ laude diceretur, M. Tullius vehementer explere cupiebat. Neq; vero contemnendũ illud eſt, quod has orationes mirifice commendat: hanc totam accuſationis poſteriorem actionem, quæ quinq; libris commendata eſt, actam non fuiſſe: proinde non factam improuiſo, quod in repentinis cauſsis quandoq; fieri oportebat: ſed elaboratam domi; miro diſpoſitam ordine; limatã iudicio, atq; intimo elucubratam artificio fuiſſe prius, quàm in vulgus ederetur. Quod ſi tam multis nominibus vniuerſa hæc accuſatio celebratur, & poſterior actio præſertim, quæ limatior prodijt ex auctoris officina, qualem cenſetis eã orationem eſſe, quæ locum inter omnes principẽ exiſtimatur obtinere? Si prior actio defenſorem Hortenſium à cauſſa depulit: ſi reum Verrem à ſalutis ſpe deiecit, quæ tamẽ minas continet & terrores, non criminum explicationem, nõ probationem, non exaggerationem; quid futurum fuiſſet, ſi M. Tullius verborum ac rerum flumen in eos effudiſſet? Si hæc tela argumentorum, has faces affectuum, hæc amplificationum fulmina contorſiſſet? Si deniq; hunc poſtremũ arietem cauſſæ labanti nutantiq; admouiſſet; & hanc orationem vltimam, quæ totius eſt accuſationis peroratio, vehementiſsima corporis actione, contentioneq; vocis digna

Sil. Ital. l. 14.

Pl. l. 1. ep. 20.
Plut. in Cic.
Quin. l. 4. c. 3.
Aſc. Pedian. in 3. Verr.

Digitized by Google

verbis digna ſententiis, digna ſcelerum atrocitate pronunciaſſet? Ex hac idem Quinctilianus ſagaciſsimus artificii Tulliani venator ἐνάργειαν, in qua magiſtrum inſigniter eminere putat, cum res ita ſubijcit oculis, vt geri videātur, pluribus probat: ex hac amplificationū inſignium exempla deſumit: in hac plures epilogos obſeruat, vbi ſingulis criminibus ſuas lacrymas dedit. Vos ipſi, me interpretante, viſuri eſtis de induſtria vim pæne omnē atque impetū, ad hanc orationem, tamquam ad vltimā machinā fuiſſe reſeruatā. Cui magnitudo quoque laudi debet eſſe. Nam ſi Plinii temporibus ea Ciceronis oratio ferebatur optima, quæ maxima: ſi M. ipſe Tullius idem iudicium de orationibus Demoſthenis faciebat; colligite vos ratiocinando quem locū huic longiſsimæ, pulcherrimæque orationi, quam laudem, quam admirationem tribuatis: atq; vna ſciſcitari deſinite, cur in huius potiſsimum interpretatione labores huius anni collocare ſtatuerim. Meum igitur erit accuratiſsime ſingula explicare, quæ face videbuntur egere, ſententias, verba, verborum & ſententiarum ornamenta perpendere: regulas imitationis minutiores tradere: permotionem affectuum, numerum oratorium, hiſtoriam, partes, vniuerſum denique artificiū euoluere, totam orationem ſecando, diuidendo, verſando, illorum more, qui ad introſpiciendū naturæ in corporibus humanis inſitum artificium, ea non membratim & articulatim modo, ſed prope minutatim incredibili arte perſecant atque concidunt: eo conſilio, vt quàm prudenter ipſe orationis architectus, ſcientiſsimusque magiſter; eximiam naturam arte ſingulari perpoliuerit, & ad vſum præcepta tranſtulerit, uos imitationis cupidiſsimi uideatis. Veſtræ uiciſsim partes erunt, Adoleſcentes optimi, diligentia, ſtudio, ſedulitate, cupiditati meæ de vobis bene merendi reſpondere: tum aſsiduitate ſcriptitandi, declamādi exercitatione creberrima, lectione Ciceronis accurata cum imitationis ardore coniuncta, meam in vobis erudiendis eludere, præuertere, vincere diligentiam.

Quinct. l. 8. ca. 3. 4.

Pl. l. 1. ep. 20. ad Tacit.

Plut. in Cic.

DE

DE IMITATIONE ET LAVDIBVS M. T. CICERONIS,

Oratio Secunda. Oratio XVI.

1 SVſurrus ille proximis diebus è prima lau-
datione M. T. Ciceronis, aduerſus hunc
optimum ac nobiliſſimum eloquentiæ ſty-
lique magiſtrum exortus; qui nonnullo-
rum auctus ore, per aures multorum per-
uagatus, eundo vires adeptus in rumorem euaſit, publicaſ-
que ſcholas introiens doctiſſimorum virorum animos per-
meauit, Auditores; nolenti mihi licet, & à verborum con-
tentionibus, tum natura, tum inſtitutione vitæ curſim re-
fugienti, non infirmis rationibus, vt in hac ſecunda oratio-
2 ne, qua retractabitur idem argumentum, initium ducerem
ab eorum refutatione, quæ ſunt obiecta, perſuaſit. Cur enim
ipſe negligerem adeo graues iniurias, acerbaſque contu-
melias; tametſi non tam ab iniquo animo profectas, quàm
ab errore mentis impoſitas ei, cui tantum diſertiſſimi Pa-
tauini gymnaſii doctores, qui magiſtro Cicerone profece-
runt in dicendo: tantum hæc ciuitas vniuerſa, quæ Tullia-
næ orationis ſemper amantiſſima fuit: tantum nos omnes
dicendi ſtudioſi, qui præſtantis huius oratoris imitatione
iecimus eloquentiæ fundamenta, debeamus? Controuerſa
quidem res eſt, vtrum vnum an plures imitari benedicen-
di cupidis ad eloquentiæ perfectionem expediat: inter do-
ctiſſimos viros agitata ſæpe quæſtio hæc eſt, necdum ſa-
tis videtur explicata: proinde quia cuique re dubia, licet
opinionem in vtramlibet partem inflectere; patienter to-
leranda eſt, hæc accuſatio, quæ neque Ciceronem ma-
gnopere violauit; neque me pupugit vehementer: & quia

minus placet imitatio multorum, validis quamprimum rationibus aſflicta de veſtris mentibus euellenda. Verum tacitis vocibus, quæ tandem in clamores iniurioſos erupenunt, iactare multis loquendi uitiis M. Tullium eſſe fœdatum; non paucis oratoribus, iudicio veterum, eſſe poſthabitum; etiamnum extare Latinos ſcriptores elegantiſſimos, quorum politiſſima elocutio, maximeque Attica, verboſo atque Aſiatico ſtylo Ciceronis ad imitationem præferatur: quis vel benemerito viro non nihil gratus, vel in Romanorum hiſtoriis mediocriter verſatus; vel amans veritatis conſcientiam identidem mordentis, æquo animo ferat, obliuione premat, ſilensque diſſimulet? Itaque Iuuenes, intelligitis quàm oporteat vos adeſſe animis hodierna die; ne per diſſipatos tumores lucrum fructuoſiſſimæ negotiationis, caputque perdatis: quando, non de augendis eloquentiæ lucris, de quibus prima oratione agebatur; ſed de iam facto lucro defendendo; deque viuo totius huius quæſtuoſiſsimæ mercaturæ, quod in diſcrimen adducitur per aduerſarios, tuendo per me conſeruandoque contenditur.

Ac primum paucis expediamus cõtrouerſiam, quam cum quibuſdam habemus in eloquentiæ ſtudio: Multine ſint, an vnus imitandus. Non aduerſariorum immiſſa tela rationum reformido: non declinatione lateris, hoc eſt diſsimulatione contemnentis ingenii, more quorumdam, qui certamen euitant, ictus eludo; pectore toto, ſtanteque corpore argumentorum haſtas & mucrones excipio, confutationisque clypeo vel frango, vel retorqueo, vel retundo. Locant in acie prima clariſsimorum rhetorum auctoritatem; M. Senecæ, qui florere cœpit ſtatim atque vox Ciceronis extincta eſt: Fabij Quinctiliani, qui poſteriore ſæculo viginti totos annos iuuenibus erudiendis impendit: quorum ille, *Non eſt vnus*, inquit, *quamuis præcipuus imitãdus:* hic uero: *Sed non qui maxime imitandus, etiam ſolus imitandus eſt*. Communiunt teſtimonia dicendi magiſtrorum rationibus, quas ipſi arbitrantur inexplicabiles eſſe: quarum 2

M. Sen. l. 1. contr. in proœmio.
Quin. l. 10. c. 1.

rum prima eſt, Neminem vmquam extitiſſe, qui omnibus eloquentiæ numeris expletus eſſet ac perfectus, quod nobiliſsimus orator M. Antonius ille, qui Ciceronis oriente ſole occidit; & cognouit, & probauit libro ſcripto, quo diſertos ſe vidiſſe multos, eloquentem vero neminem confitetur. Ecquis ſperet à ſe viſum iri talem virum in hac mortalium urbe, in qua, *Nihil eſt ab omni parte beatum*, ſiue factum à natura, ſiue fictum ab arte? *Nihil*, inquit de naturalibus rebus diſſerens M. Tullius, per te ceteris omnibus antelatus, *ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit:* ſubijcitque ualidiſsimam rationem; *Tamquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſi vni cuncta conceſſerit, aliud alij commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur.* Hanc ob rem Zeuxis pictor egregius, vt tu declamatione ſuperiore, tuæ cauſſæ ſecurim inijciens imprudenter dixiſti, picturus Helenam, formoſiſsimas quaſque virgines inſpicere uoluit, non exiſtimans omnia, quæ ad venuſtatem quæreret, uno in corpore ſe poſſe reperire. Quod ſi Natura tam ſolers, haud poteſt uni partes omnes tribuere perfectionis; quis ab arte, cuius uis & ingenium tam longe diſtat ab naturæ ſapientia & poteſtate numeros omnes virtuteſque requirat? Pictura, quæ ſcriptioni ſimillima eſt, à præſtantibus ingeniis ad faſtigium fere perducta peperit excellentes eximioſque pictores: at quem edidit plane perfectum? Apelles, quem ea in arte principem fuiſſe prædicant, Amphioni de diſpoſitione cedebat, Aſclepiodoro de menſuris: Zeuxidi qui numeratus eſt in primis, celeritas defuit: in Protogene, quem ſibi in multis præponebat Apelles, deſiderabatur diligentiæ modus: alios, tametſi de primariis, elegantia; nonnullos affectus; diligentia non paucos; gratia multos in pingendo deſeruit. Quid quod ipſe M. Tullius in oratore perfecto deſcribendo, M. Antonio neganti viſum vmquam eloquentem ſubſcribit, palamque aſſerit in illis ipſis, qui numerabantur inter principes oratorum, aliquid fuiſſe deſideratum: atque amplitudinē Cot-

Cic l. 1. 3. de or. l. de orat.
Quin. l. 12. c. 1.
Hor. l. 2. od. 16
Cic. l. 2. de Inuent.
Orat. 15. n. 16.
Pl. l. 35. c. 10.
Cic. l. de or.

tæ,

tæ lenitatem ſulpitio, grauitatem Hortenſio defuiſſe? Nec minus exultant in ſecunda ratione. Sit, inquiunt, perfectiſ- 3
ſimus aliquis orator, qualem tu cogitatione fingis tuum M. Tullium: pone tibi illum ante oculos: obſerua virtutes eius diligenter: aggredere viribus omnibus imitationem; numquam quod ſequeris conſequère; quod *totum exprimere, quem elegeris, pane ſit homini*, ut Quinctilianus loqui-
Quin.l.10.c 2. tur, *inconceſſum. Numquam enim imitator*, ſi M. Senecæ fidem habes *par ſit auctori*: ſemper in omni te vincitur à ve-
M.Sen.l.1.cō-tr.in prooem. ritate, quemadmodum deficere ſolet ad propoſitum exemplar imaginis ſimilitudo: propterea ſubſidium ab aliis eiuſdem artis & facultatis eſt petendum. Non Cyprianus, non Lactantius, non Auguſtinus ſummo viri præſtantes ingenio; non vllus alius ex iſtis amatoribus Ciceronianæ copiæ, Ciceronem prorſus expreſſit. Denique ſtatuunt in agmine poſtremò tertium argumentum multiplex, quod firmiſſimum arbitrantur. An vero negaturus es, vociferantur, quod M. Tullius primum, deinde Quinctilianus multis
Cic.l.3.de or. Quin l.10.c.2. & l.12.c.10. S.Hier.l.1. apol.adu Ruff bonisque rationibus munit, tum in natura, tum in artibus: nec modo in picturæ ratione, fingendique arte, ſed etiam in poeſi, facultateque oratoria complures Græcos, & Latinos extitiſſe diſſimiles genere, laude pares: & eorum quêque in ſuo genere, ſuiſque temporibus principatum conſenſu omnium tenuiſſe? Cur non eos omnes principes complectitur imitatio tua? Conuicit Eupompum pictura nobiliſſimum hæc ratio, qui diſcipulos monebat ſuos, vt ne vnum quantumuis excellentem in omnibus imitarentur, ſed animum aduerterent ad ea, quibus clariſſimi quique pictores excellerent, & ab iis perfectiſſimam ideam picturæ formamque colligerent. Cur pingendi ſtudioſus
Pl.l.39.c.10.et 11. Quin.l.12.c.10 non admiretur ſimul & imitetur Protogenis curam, Nicomachi celeritatem, Symmetriam Aſclepiodori, diſpoſitionem Amphionis, Ariſtidis affectus: Niciæ lumen, umbras, eminentiam: Parrhaſii lineas extremas: Apellis uenuſtatem & gratiam? Conuicit eadem uis argumenti tam mul-

tos

tos viros probos, qui non vnum in ſtudio virtutum imitatione ſequendum referendumue monuerunt, ſed multos: quibus magiſtris eruditus Antonius vir ſanctiſſimus, virtutumque amantiſſimus, tamquam apis induſtria; quæ non vno flore contenta multos variosque lambit; cuiuſque monachi contubernalis virtutibus inſignibus maxime notatis; ex illis quaſi floribus ſuccum probitatis & ſanctitatis imitatione libabat. Conuicit eos omnes, qui ſtylum artificioſe tractant in ſcribendo. Quis enim in poeſi tam addictus vni Virgilio eſt, vt Horatij doctrinam, elegantiam Catulli, profluentiam Ouidij, Tibulli cultum non magnifaciat? Quis in hiſtoria Salluſtium ita miratur & amat, vt non ſuſpiciat quoque C. Cæſarem, T. Liuium, & Corn. Tacitum; eoſque non imitetur in quo fuerunt excellentes? Cur itidem eloquentiæ cupidus, iiſdem conuictus argumentis, non adamet atque exprimat imitatione vim Cæſaris, aſperitatem Galbæ, diligentiam Pollionis, iudicium Calui, ſubtilitatem Callidii, lenitatem Lælii, Bruti grauitatem, acumen Sulpitii, Meſſalæ dignitatem, copiam Senecæ, maturitatem Afri, Catuli iucunditatem, elegantiam Secundi, vires Africani, ſonumque Trachalli? Veſtrum omnium

Caſſ. l. 5. c. 4. Theod. in relig. hiſt. cap. 9. S. Athan. in vita S. Ant.

Cic. l. 3. de or. Quin. l. 10. c. 2. & l. 12. c. 10. Orat. 15. n. 20.

4 aures, Adoleſcentes, obtudit; & nonnullorum quoque vt reor, onerauit ingenium hic moleſtus interpellator diſputationis noſtræ, laudumque Tullianarum; qui verboſa contentione, victoriam canens ante pugnam, tam multa vobis exemplaria proponit imitanda. Me nihil iſthæc mouent; quamquam inflata ſpiritu, tumore ſonituque Trachalli, quem poſtremo loco nobis obtulit, anhelata videntur: tam facile refutabuntur, quàm obiecta fuerunt: multo paucioribus, quàm iſte, contenti ſumus: vnum ſufficit exemplar optimum imitationi noſtræ. Quare vt meam exponam in hac controuerſia ſententiam: Vnum oratorem in eloquentiæ comparandæ ſtudio cæterorum optimum imitandum eſſe pronuncio; de reliquis bonis, quos contemnere fas nõ

eſt, virtutes eas, quibus eſfloreſcunt, delibandas, tum oppor tunis locis ac temporibus in orationem atque actionem eſſe transferendas. Platoni tot philoſophorum ſectarumque parenti video ſententiam hanc placuiſſe; qui ſcriptum reliquit, nos plura, tametſi parum inter ſe differunt, æque atque vnum bene imitari non poſſe; propterea quod homi nis ingenium vim anguſtam, terminatam, circumſcriptamque imitandi facultatem obtinuit à natura. Platonem magiſtrum optimum Cicero diſcipulus amantiſſimus atque ſtudioſiſſimus eſt ſecutus; qui clariſſimos quoſque oratores, eloquentiſſimosque ſcriptores Græcorum, Demoſthenem, Lyſiam, Hyperidem, Aeſchinem, Democharem, Thucydidem, ac Demetrium Phalereum enumerans, conferens inter ſe, dilaudans; ſub imitationem vnius cadere omnes poſſe liquido negat; propterea quod inter ſe diſſimillimi ſunt: & ad vnum Demoſthenem, quem ipſe cunctorum præſtantiſſimum exiſtimat, imitatione ſequendũ, lectores ſuorum dialogorum ac libellorum cohortatur, dimittit, ſæpeque delegat. Is incitato curſu Quinctilianus in M. Tullij ſententiam; cui ſatis fuiſſet omnia ſic dicere, quomodo ille dixiſſet: nec vnum tantum per omnia ſequendum negauit, niſi reprehendens eos, qui vitia quoque minuta, ſi qua ſunt, exemplaris; vel impetu quodam inconſiderato, vel amore cæco inſtincti, non ea diſtinguentes à vir tutibus, imitantur. Quinctilianus igitur ſtat à nobis: vnius M. Senecæ, qui reſtitiſſe videtur in aduerſariorum caſtris, auctoritatem; non ſatis ſuperque Plato, Cicero, Quinctilianus ſuis preſſam ponderibus, contuſamque fregerunt? Neque vero tantos viros latuiſſe putanda eſt ratio ducta, tum ab imitationis natura; tum ab ingenii noſtri vi definita; quæ multitudinem exemplarium, vno contenta repudiat. Expoſcit neceſſario exemplar imitatio, quod exprimat: hæc vt perfecta ſit, exemplar quoque perfectum imitatori requirit: ſed in vnoquoque 5

Plato dial. 3. de Rep.

Cic. l. de cl. or.

Quin. l. 10 c. 2.

rerum

Digitized by Google

rerum genere, quemadmodum acutiſſimi philoſophi ob- *Ar.l.2.met.t.4*
ſeruarunt, vnum quid eſſe ſolet excellens, ſummum, pri-
mum: quod ſi non eſt cauſa efficiens, vt ignis calidorum,
forma certe perfectionis eſt, & exemplar eorum omnium, *Cic.l.2.de nat.*
quæ generis illius complexu continentur. Talis eſt inter *Deor.*
aſtra luminaque omnia ſol clariſsimum ſidus, qui quia lu- *Boeth.l.5. de*
cet à ſeipſo, cunctaque reſpiciens interdiu maxime omniũ *conſ.phil. me-*
& maximus omnium ſplendet ſolus, nomen ſolis inuenit: *tro.2.*
talis inter animantes homo, dominus earum ac domitor,
mundi miraculum, ſimulacrum Dei: talis inter montes
Olympus; inter flumina Nilus, aut Indus; Oceanus inter *Agell.l.10.c.7*
maria; Cetus inter piſces; Elephas inter quadrupedes; in- *Cic.l.2. de nat. Deor.*
ter volucres Aquila magnitudine præſtantes. Quam ob
cauſſam vnum exemplar, non plura, Deus artifex mundi,
Naturæ obiecit ad imitandum, in vnaquaque ſpecie rerũ:
vnam Naturam pro exemplari perfecto ad exprimendum
Arti propoſuit; tu plures oratores eloquentes, quos imite-
re, legem imitationis violans, cum Deo pugnans, à natura
deſciſcens, artem deſerens, tibi proponendos exiſtimes?
Accedit quod ex Platone ſignificauimus, imitatione mul-
torum obrui ſcilicet animum & ingenium. Habet à Deo
mens noſtra definitam facultatem imitandi, quemadmo-
dum & intelligendi, & agendi: multum acie valet; multum
arte poteſt, ſed non omnia: ſimilis eſt Deo, ſed non æqua-
lis. Cur in hoc mortali corpore incluſa, diuinum ſummi
Rectoris numen intuendo non cognoſcit? Cur non efficit
aliquo medicamento caducum hoc corpus immortale?
Cur in generandis è materia rebus corporatis Naturam
non æmulatur? Quia rerum harum magnitudine uis eius
obruitur; retunditur acumen, & fines ſibi præſcriptos ſen-
tit cum cognitionis & actionis, tum imitationis, quos tran-
ſilire non licet. Quo fit, ut quemadmodum uenator plures
eodem tempore lepores inſequens, nullum capit, & mi-
les ſagittarius in plures ſimul ſcopos iaculans, longiſsime
aberrans ab omnibus, numquam collineat: ſic eloquentiæ

Digitized by Google

ſtudioſus, qui ſibi plures ideas imitaturo propoſuit, nullam infelix, difficultate rei conatus eludente, recidentibus ad nihilum laboribus, exprimat. Præſertim cum non diſſimiles modo ſoleant eſſe oratores boni, quod M. Tullius obſeruauit, ſed etiam virtutes contrarias prorſus habeant & pugnantes. Conferte Demoſthenem & Iſocratem in in diuerſo genere præſtantes, multorum calamis laudatos, quorum extant orationes pulcherrimæ. Quàm ſunt diſſimiles interſe; quàm diuerſi! quàm repugnantes! Alter vt torrens incitatus rapitur; alter vt amnis placidus labitur: ille vehemens ac violentus flectit; hic lenis ac iucundus oblectat: fulmina iacit Demoſthenes; mella profundit Iſocrates: pugnacis militis illius actio eſt, & oratio; pacati ciuis, huius eſt vmbratilis declamatio. Quis imitator amborum, virtutes adeo contrarias vtriuſque vno in ingenio conſociet, atque in eodem pectore pacem cum bello, ſerenitatem cum perturbatione, violentiam cum blanditiis, vmbram cum ſole coniungat? His poſitis cadere, mihi credite Iuuenes, quæ magno verborum apparatu ſunt obiecta, ruere, præcipitare ſuopte pondere, momentis reſponſionum mearum vix tacta videbitis. Atque vt primum ſophiſma diſſoluatur: tu procreatis in rebus, ſiue naturalibus ſiue artificioſis eam requiris perfectionem ſine vllis maculis, næuis, vmbris, quæ Dei opt. max. propria eſt? Dabimus eodem iuuante Deo, dabimus oratorem eloquentem, perfectum vt hominem, qualẽ inter mortales reperiri fas eſt, & quoad ferent humanæ vires: quem M. Antonius, præpropera nimis morte ſublatus è viuis, non aſpexit: quem poſterior ætas & vidit, & ſuſpexit. Eſt Apelles in pictura: eſt in fingendi arte Phidias: eſt inter poetas Græcos Homerus; inter Latinos P. Virgilius princeps; quibus quiſquis par fuerit in vniuſcuiuſque facultate, contentus æqualitate laudis & gloriæ, maiorem minime requiret; & non erit inter oratores, diuinæ prouidentiæ rerum omnium, & humanarum maxime moderatricis beneficio, perfectiſſimus

Orat. 6. n. 5. 6.
Orat. 8. n. 10.
Quin. l. 12. c. 1.

6

vnus

vnus quem miremur & ſequamur? Quod ſi fere ſingulis ætatibus ac ſæculis aliquis inſigniter floruit, qui tenuit in eloquentia primas, vt hiſtorici prodiderunt: erit etiam aliquis vnus, qui ſæculorum omnium, qui ſingularum ætatum, qui cunctorum eloquentium præſtantiſſimus, ac perfectiſſimus habeatur. Si virum talem tamque admirabilem in natura rerum deprehendamus, cur non adamemus, teneamus, imitemur? Erimus ita deliri, vt reperto fonte riuulos conſectemur? vt ſole conſpecto, mentis oculos in minores ſtellas conijciamus? Nec Zeuxis ſi ob oculos Helenam viuam habuiſſet, in qua forma ipſa pulchritudinis reſidere dicebatur; puellas formoſas Crotoniatas, aut Agrigentinas inſpiciendas tanto ſtudio poſtulaſſet; nec Apelles, niſi modeſtia ſingulari fuiſſet ornatus, cedere ſe Amphioni atque Aſclepiodoto dixiſſet: nec M. Tullius, ſi tales oratores illos exiſtimaſſet, qualem nos illum; nō illis quidquam defuiſſe ſcripſiſſet. Ridiculum vero eſt, quod ſecun-
7 do loco proferebatur: non vnum exemplar imitandum eſſe; quia totum exprimi non poteſt; quia vincitur imitator à veritate. Deficit quidem ars in imitanda natura: quam res viuas ac loquentes generantem numquam aſſequitur induſtria mortalium, mortua mutaque fingens ſimulacra: ſed artifex artificem, homo hominem, mortalis mortalem ſæpe imitatione ſequitur ita; vt conſequatur, æquet, ſuperet, & poſt ſe longo relinquat interuallo? Numquam ne ingenioſiſsimi diſcipuli magiſtrorum imitatione ſunt effecti magiſtris meliores? Apelles, Phidias, Homerus, Demoſthenes, Virgilius, Cicero, Auguſtinus, Thomas, nonne ſuos magiſtros ac doctores, in ſua quiſque profeſsione, vicerunt? Numquid honorificum non eſt prima ſequentibus in ſecundis tertiiſque conſiſtere; nobiliſsimumque exemplar imitantibus, nobiliores partes expreſsiſſe? quod Cypriano, Lactantio, & Auguſtino in imitatione Ciceronis euenit? Pari facilitate profligatur vltimum agmen: do libēs, quæ poſtulas; multos extitiſſe pæne pares in diuerſo genere con-

Orat. 4. n. 33.

concedo;nego cunctos imitandos per omnia; nego plures in exemplaria ſumendos;quia id fieri non poſſe iam manifeſto probaui; ſeligo de multis vnum oratorem, quem in eloquentia perfectum vt hominem, & cum aliis collatum ſubductis omnibus rationibus,momentis perpenſis,numeris computatis, ceterorum mortalium, qui ſunt, fuerunt, erunt in aliquo numero ſcribendo, dicendoque principem eſſe definiunt, quicumque nouerunt eum viuentem, aut mortuum in orationibus ſcriptiſque ſpirantem. Tum
Quin.l.10.c.2. Quinctiliano duce atque magiſtro virtutem cuiuſque boni oratoris obſeruo ac noto; quod in quoque optimum eſt colligo, & quoad poſſum facio meum; ingenio ſaginato, memoria conferta,ſtyloque locupletato,tum linguam,tum orationem ad ſummi oratoris imitationem effictam,nouis ornamentorum floſculis aſpergo; telam auream, punctis argenteis aliorum ſcriptorum diſtinguo;nonnullis quoque gemmis illumino; quia neminem ſperno; cunctos approbo;nullius vel adiumenta,vel adiumenta repudio: ſtudium primarium vni magiſtro,duci,exemplari dicaui;ceteris auctoribus bonis eiuſdem diſciplinæ tamquam adiutoribus vtor ad eam eloquentiæ perfectionem adipiſcendam, quã ardenter exopto. Nec Eupompus ibat alia via, qui virtutes omnium pictorum à ſuis alumnis obſeruari cupiebat, vt vnius excellentis exemplaris imitationem, illorum notatis virtutibus expolirent:nec Antonius monachus optimus, eiuſque ſimiles viri ſanctiſsimi ratione alia in uirtutũ Chriſtianarum ſtadio cucurrerunt; qui ſcilicet ad perfectiſsimum exemplar unius Chriſti Liberatoris noſtri, quẽ omnes vt optimæ uitæ formam cœlo delapſam, probitatis normam,uirtutis ideam, & exemplar ſanctitatis atque innocentiæ ſuſpicimus ac ueneramur; ſe conformauerunt prius imitatione, quàm conuictorum ſodaliumque ſuorũ uirtutes notatione colligerent.Idem propemodum decernendum eſt, de poetis ſtudioſorum cœtu; de ſcriptoribus hiſtoriarum;deque ipſo M.Tullio;qui Demoſthenem ora

torum normam à ſe exiſtimatum, pro exemplari ſibi ante oculos poſitum effingere penitus in ſeipſe conatus eſt: tũ imitationẽ ſuam auxit, expoliit, ornauit, à Græcis Latinisque oratoribus lectiſsimis accerſito ſubſidio; non Trachali ſonitum, ſed Aeſchinis; non Callidii, ſed Lyſiæ ſubtilitatem æmulatus: non elegantiam Secundi, ſed L. Craſsi; non aſperitatem Galbæ, ſed Catuli ſuauitatem; non denique diſſolutam, quæ L. Senecæ probata eſt, ſed eruditam Platonis copiam mutuatus. Aduerſariorum haſtas in vnum intortas exemplar imitationis, uel perfregimus, uel repulimus, vobis aſſenſione veſtra tacita, nutibuſque oculorum manifeſtis approbantibus, Auditores. Remouimus quoque impedimenta quæ curſum retardabant orationis meæ, nõ tam inueſtigantis eloquentiſsimum illum uirum in exemplar delectum, quem oratione proxima, partim argumentorum meorum quaſi uenaticis canibus; partim ingeniorũ ueſtrorum uoci meæ præuolantium ſagacitate deprehendimus; quàm repertum & comprehenſum laudum ſuarũ coloribus depingentis. Sed ecce tibi, dum linguæ penicillum, ueris M. Tullii uirtutibus tinctum, de memoriæ deq; ingenii mei pyxide extractum ducere paro per tabulam ueſtrarum mentium paucis ante diebus inchoatam, ut imaginem eloquentiæ Ciceronianæ lineis extremis expoliã, repente Ciceromaſtix alter infeſtiſsimus intercurrit, manumque uoce inuerecunda uerberat. Quid tu pro forma benedicendi proponis his ingenuis adoleſcentibus eum, quem tot infuſcant uitia, deformant maculæ, fœdant errata dicendi? Cohorreo, Iuuenes, ad hoc monſtrum hominis, ad hæc portenta uerborum: uenitque mihi in mentem uecordis illius Largii Licinii, qui librum edidiſſe fertur eodẽ infando contaminatum titulo Ciceromaſtigis: ſed hunc illo deteriorem duco, quòd ille quidem multa Ciceroni falſo affinxit, hic uero quæcumque in illum inuidia criminoſe iactauit, quæcumque iniurioſe confinxit improbitas, quæcumque crudeliter odium excogitauit orationis & eloquentiæ *Agell. l. 17. c. 1*

quentiæ peccata, faſcem in unum omnia colligit, in unum cumulum ore impuriſsimo coaceruat. Excipite, Iuuenes, æquis auribus aceruum contumeliarum & conuiciorum, quæ ore maledico euomunt in Ciceronem, atque eius orationis & eloquentiæ peccata, uitia, maculas uocant: ut obiectorum criminum leuitatem audientes, criminantium improbitatem & amentiam ſtomachemini ſimul & rideatis. Referam ipſis obtrectatorum uerbis, ne grauitatem ictus effugere uidear. Dicunt in dicendo fuiſſe, tumidum, 8
Quin. l. 12 c. 1 & 10. & in dial. de orator. Plut. in Cicer. L. Sen. ep. 100. & 114. & apud Agellium. l. 17. c. 2.
inflatum, parum preſſum, Aſianum: addunt redundantem, ſuperfluentem, ſupramodum exultantem: prætereà nimiũ in repetitionibus, in ſalibus frigidiorem, parum antiquum: cumulant accuſationem ij, quibus uidetur & dicitur fractus, ſolutus, eneruis, elumbis, uiro mollior: non hic finis: adijciunt eius compoſitionem eſſe nimis laſciuam ac nitidam, in exitu lentam, deuexam, & molliter deſinentem; nec aliter quàm ſolet, ad morem ſuum pedemque reſpondentem: notant nimis ſæpe claudere periodos illo fine numeroſo, *eſſe videatur*: & coniuratione Catilinæ commemorata, ſine modo laudes ſuas ex rebus geſtis ac ſine fine prædicare. Nec denique deſunt, quibus viſus fuerit lentus in principiis, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus, tardè commoueri, raro incaleſcere, parum expolitus ac ſplendens. Sit aliquando tandem accuſationis finis, & ad 9
defenſionem integerrimi atque innocentiſsimi uiri mortui, qui uiuens tot miſeris, afflictis, calamitoſiſque hominibus oratione, uoce, patrocinio præſto fuit, ueniamus: quæ uidelicet in eius ampliorem laudem gloriamque redundabit. Quis igitur hoc totum ſiue accuſationis, ſiue obtrectationis genus pertimeſcat, qui tempus, reprehenſores, reſque ipſas obiectas perfecta iudicii lance perpenderit? Dũ M. Tullius opibus, liberis, affinitatibus nobilium ciuium florens, clientelis honeſtiſsimis ſtipatus, auctoritate rebus præclare geſtis comparata fretus, amicitiis principum ciuitatis ſeptus, populari gratia, & eloquentia, quæ duæ res in

ciuitate libera plurimum poſſunt, munitus ac tutus contra obtrectatorum linguas, calumniasque viuebat; ac pæne triumphabat in ea vrbe, quæ de terrarum orbe triumphauerat: nulla eſt eius eloquentiæ audita reprehenſio; nulla erupit criminatio; conticuit omnis inuidorum obtrectatio: laudabatur ore pleniſſimo ſtylus, oratio, compoſitio: ſales, ioci, facetiæ cuique placebant: oratorum magiſter, orandi norma; Romanus lepos, Latina muſa dicebatur. At vbi proſpero felicitatis humanæ curſu nauigantem, ſecunda popularis fauoris aura defecit; & aduerſariorum quorumdam ciuium potentiſſimorum conſpiratione tamquam procella, coorta tempeſtas tranſuerſum egit in exilium; vbi triumuiralis proſcriptionis gladius eius caput amputauit; atque eo vulnere clariſſima lux curiæ, vox fori, vis iudiciorum extincta eſt: tum in adulationem præſentis potentiæ turba aſſentatorum effuſa; tum inuidorum Tullianæ gloriæ conſcelerata factio linguam ad criminandum exacuit: tum obtrectatores eloquentiam exulis atque proſcripti maledictis figere, conſcindere, lacerare cœperunt; & hanc præclaram, quam audiſtis, accuſationem inſtruxerũt, atque adornarunt ſuam. Vos in generoſum leonem mortuum, qui non mordere modo, aut diſcerpere appropinquantem, ſed ne frendere quidem, aut fremere poterat, certatim inſultaſtis. Cur non illum ſtantem ac viuentem accuſabatis? Noui veſtram ignauiam: metuebatis ingeniũ; horrebatis impetum dicendi; formidabatis induſtriam, exercitationemque iudicialem; ceſſiſſetis turpiſſime victi ſuam agenti cauſſam M. Tullio: pro ſe ſuaque eloquentia reſpondente, veſtra loquacitas obmutuiſſet. O prudentiſſimos homines, qui tum omne virus acerbitatis effuderunt, cum nec filius erat patre dignus, nec amici fideles, qui defecerant; nec propinqui, nec neceſſarii calamitati eodem ictu deiecti, qui reum tantorum ſcilicet criminum tuerentur. Atque vt ex arbore cæſa, vel de cælo tacta, mediaque in via iacente viator quiuis impune, ac libere frondes vel-

Quin. l. 12. c. 10

hit, deſtringit ramulos, ligna cædit; quia nemo vetat: ſic inuidorum hæc manus ſibi liberum putabat, de proſtrati fama, quidquid vellet, detrahere: de eloquentia cultum, ſtructuram, ornamenta reuellere. Sed eos ſua feſellit opinio; non arbor fuit, ſed æneum ſimulacrum, quod iacet etiam nunc in libris orationibusque ſcriptis integrum; quod maius apparet, & grandius, quàm cum ſtaret in baſi; cuius magnitudinem metiuntur, artem obſeruant, artificis ingenium intelligunt proſtrati melius, quàm erecti; prudentes & æqui iudices eloquentiæ: præſertim cum obiectorum criminum leuitatem, ſpectante corona ſapientum omnium, expendunt, exterunt, redigunt in nihilum. Sed qui tandem, qualeſue ſunt tam acerbæ criminationis architecti? M. Brutus, Licinius Caluus; Pollio Aſinius pater, eiuſque filius Gallus Aſinius; L. Seneca Neronis educator; Hadrianus Imperator, & alii de plebe infima, populique fæce nõnulli: quorũ partim oderant, partim inuidebant, partim æmulabantur, partim obtrectandi ſtudio concitabantur; nonnullos ignoratio; quoſdam antiquitatis inſanus amor ad vituperandum Ciceronem impellebat. Non inuehar iracunde, non acriter in M. Brutum, qui non inimice M. Tullium amiciſſimum reprehendebat; non vlla maleuolentia ſuffuſus, non inuidia ſtimulatus, ſed cenſoria quadam grauitate monebat, & auſteræ naturæ propenſione, qua res omnes ad viuum reſecabat. Non ſenſerat vmquam Brutus, intorta, contra ſe, tela Ciceronis; non erat expertus in cauſſa propria vehementem eius impetum in iudiciis: mutaſſet ſane quidem ſeueriorem illa ſententiam, ſi fulminibus eius eloquentiæ tactus aliquando fuiſſet; non fractum, ſed integrũ; non elumbem, ſed fortem iudicaſſet. Si tuæ, Brute, orationes extarent; (quæ cur non extent, hic dicere nolo) ſi tamen extarent, non modo te otioſum, & diſſolutum diceremus, vt Cicero: non modo lentitudinem ac teporem illum, quem obſeruauit Quintilianus, ſed alia grauiora vitia notaremus: non improbitate animi, ſed vt te ſuppuderet eo-

Quin. dial. de orator.

rum;

rum; & verecundantem cogeremus; quæ de Cicerone nimis acerbe ſcripſiſti, mitiore interpretatione moderari. *Quin.l.12.c.10*

Quidam oratores eodem tempore extiterunt, qui cum Atticorum videri vellent imitatores, quorum oratio preſſa, integra, limata ſolet eſſe, M. Tullium eloquentia germana profluentem, ut Aſianum, alienigenam, ſuperſtitioſum inſectabantur; ipſi vero interim aridi, exſangues, exſucci fiebant; ſuam imbecillitatem ac ieiunitatem ſanitatis appellatione tegebant; & quia clariorem vim eloquentiæ, ſplendoremque tamquam ſolem ferre non poterant, in vmbra magni ſpecioſique nominis Attici deliteſcebant. Ex hac *Cic.l.de cl.or.* ſchola prodierat Caluus Ciceronis æmulus, qui M. Tulliũ *M.Sen.l.7.cõtrou.4.* ſolutum atque eneruem exiſtimabat. Quî Calue loqui au- *Quin.l.10 c.1.* des, & obijcere Ciceroni quidquam, tu qui nimia religio- *& dial.de or.* ne, quam ſuperſtitionem verius dixerim, ſic attenuabas orationem tuam, vitioſum ſanguinem colligere metuens, vt illa verum ſanguinem ſuccumque deperderet? Merito te ille non exſanguem modo, ſed etiam attritum vocitabat; cuius forenſem ac popularem eloquentiam ſuperſtitioſa lima deterebat. Et quoniam æmulum pariter dices Calui fuiſſe M. Tullium, hic ſileat in hac cauſſa: loquatur vir integerrimus, & æſtimator orationis optimus M. Seneca. Quid ille de Caluo ſenſit? Primum quidem cum Cicerone de principatu eloquentiæ habuiſſe diu litem iniquiſſimam docet; deinde compoſitionem eius rigere; nihil in illa placidum, nihil lene eſſe, omnia excitata, & fluctuantia; non tantum emollitæ compoſitionis eum interdum eſſe, ſed infractæ. Vos homini non æmulo, ſed inuido, ſed audaci uſque eo, vt iuuenis de regno fori cum Cicerone regnante contenderet, fidem eſtis habituri, cum M. Tullio compoſitionem ſtrictiorem, in eaque neruos exanguis ipſe extenuatusque deſideraret? Multo minus eiuſdem ætatis orator Pollio Aſinius audiendus eſt; homo luctari cum mor- *Pl. præfat. hiſt. nat.* tuis aſſuetus, qui parauerat orationes in Plancum, quas uel ipſe, vel liberi poſt Planci mortem ederent, ne reſpondere

Quin.l.12.c.1. poſſet. Hic pluribus in locis inimice, quæ putabat vitia Ciceronis inſequitur; nec ſe gloriæ forenſis æmulum, ſed infeſtiſſimum famæ, ſed inimicum manifeſtum eſſe profeſſus eſt. Cur ipſe ſolus in ſuis hiſtoriis, à Cicerone mortem fortiter obitam negat? Cur in domo Meſſalæ Coruini, cum in conuentu doctorum virorum M. Tullii demortui laudes oratione ſoluta verſibusque celebrarentur, & Sextilius Ena poeta peringenioſus proſcriptionem deploraturus hunc verſum cum ceterorum aſſenſu recitaſſet,
M.Sen.ſuaſ.6
M.Sen.ſuaſ.7

Deflendus Cicero eſt, Latiaque ſilentia linguæ,

Aſinius iniquiſſimo tulit animo, conſurrexit, atque inde ſeſe proripuit? Quid quod Aſinius Gallus Pollionis F. libris ſcriptis, & in vulgus editis patrem cum Cicerone comparauit, æquauit, antepoſuit; eoſque Claudius Cæſar erudita defenſione Ciceronis ac veritatis, ſibi coarguendos confutandosque exiſtimauit? Ecquid mirum Pollioni Ciceronis eloquentiam diſplicuiſſe, cui Cicero ipſe diſplicuit? non probari floreſcentem hanc copiam ei, qui ſiccus erat, plus habebat diligentiæ, quàm naturæ, nimiusque ſemper fuit amator vetuſtatis? multa effutiuiſſe mendacia, quem mendaciorum conuinci non pudebat? Et cum hoſtibus interfectis hoſtes humaniores parcant, iuſta perſoluant, ſepulturam tribuant, & ſupremo cineri dent lacrymas humanitatis; quàm auerſum à Cicerone animum habebat Aſinius, qui laudibus eius, in illa prope ſupremi diei celebritate, in illo cœtu litteratorum, aures fugiens auertit? Et quiſquam in cauſſa M. Tullii credat homini tam infenſo, inimico, infeſto, qui ſæuiens in mortuum, ſtylo cadauer laniauit Ciceronis? Inſequenti ſæculo L. Senecam item liuor infecit, eoque perduxit, vt compoſitionem Ciceronis noſtri lentam deuexam, mollem iiſdem pedibus deſinentem numeriſque concluſam ſimilibus notaret, ac reprehenderet. Quàm melius atque prudentius feciſſes L. Seneca, ſi M. patris ingenioſiſsimi, & eloquentiſſimi Rhetoris inſtituta, monita, veſtigia ſecutus, cum admiratione Ciceronem laudaſſes,
Pl.l.7 ep.4. ad Pontium.
Suet. in Claud. cap.41.
L.Sen.ep.114

daſſes, & exprimere laudabili imitatione conatus eſſes. Cauſſa non me fugit, cum vituperes; te quoque vitium illud multorum occupauit, qui damnant ea, quorum compotes eſſe nequeunt: non dicendi facultas, non ingenium, non induſtria, non felicitas tibi tanta fuit, vt Ciceronis gloriam æquares: maluiſti ſplendorem eius inobſcurare vituperando, quàm ſuperatus confiteri. Parata eſt tibi tua reprehenſio, quæ paullopoſt in tuam eloquentiam cadet: interim memento C. Cæſaris Caligulæ Imperatoris cenſoriam notationem, qui tuam orationem arenam ſine calce eſſe dicebat: quid mirum ſi fluentem ſuauiter certisque numeris oratoriis vinctam orationem non probas? Non latuere fraudes tuæ. Neronem diſcipulum quondam & alumnum tuum, à cognitione veterum oratorum, inter quos M. Tullius erat princeps, auertebas, quò diutius in admiratione tui detineres. Quis igitur, Auditores, non intelligit hominem tam amantem ſui, tam gloriæ cupidum, tam acerbum alienæ laudis obtrectatorem, non potuiſſe vere de illorum, 12 quibus inuidebat, eloquentia iudicare? Fuerunt eadem ætate neſcioqui bonorum temporum locutionem auerſati, vetuſtatisque amantes adeo vt è prioribus ſæculis verba peterent; XII. tabulas loquerentur; Gracchum, Craſſum, Curionem nimis cultos ac recentes exiſtimarent; ad Appium uſque cæcum, Coruncanium, & Menenium Agrippam cogitatione, deſiderio, imitatione reuerterentur. Inſania hæc inuaſit poſt Hadrianum Imperatorem, qui propterea Catonem Ciceroni præferebat. Quamquam doctrinas omnes, ingenuasque artes tenere ſe ac noſſe profitebatur, oratores ac rhetores facile caſtigabat, controuerſiasq; declamabat, germanæ tamen ac veræ faciem eloquentiæ nũquam viderat, qui tam turpiter hoc iudicio peccauerat. Deprauatam iudicandi vim habuiſſe credendus eſt, qui errore perſimili Cæcilium Salluſtio, Ennium Virgilio præponebat; qui de ſcholis, & vero etiam de mundo tollere conatus eſt Homerum, iubens Antimachũ poetam à multis ne nomine quidem cognitum in eius locum ſuccedere:

Suet. in Calig. cap. 53.

Suet. in Ner cap. 52.

L. Sen. ep. 114

Quin. dial. de orator.

Spart. in Hadr.

Dio. in Hadr.

Digitized by Google

qui denique præſtantibus artificibus; quos vel ſuperare, vel æquare non poterat; inuidens ſingulis laudem ſuam, excellentiſſimos quoſque interemit. Ac ne premere Ciceronem vrgereque videatur maieſtatis, & auctoritatis imperatoriæ machina; duos Hadriano pares Imperatores oppono, tamquam geminas M. Tullio defendendo munitiones comparatas; Claudium Cæſarem, cuius ſtylo dixi vindicatum Ciceronem ab Aſinii Galli mendaciis: tum Alexandrum Seuerum, qui tanti M. Tullium æſtimabat; ut cum Latinos auctores legeret, non alios magis, quàm libros de officiis ac de rep. Ciceronis: cuius ſimulacrum in ſecundo larario habuit, vbi Achillis, & magnorum virorũ ſtatuas imaginesque collocarat. Sed iam tandem moleſtiſſimos hos magiſtri noſtri relinquamus obtrectatores; quorum auctoritas adeo labefactata rationibus, ac debilitata eſt; vt eos in hac controuerſia minime pertimeſcere debeamus. Erant vel æmuli, vel inuidi, vel inimici: vel denique ἄμουσοι; hoc eſt ab hac ſuauiſſima muſa Latinorum auerſi, ſiue mentis errore, ſiue morbo animi, ſiue prauitate iudicii, non admodum diſſimiles illius Atheæ Scytharum Regis; qui cum Iſmeniam tibicinem clariſſimum, bello captum, ſuper menſam canere iuſſiſſet, conuiuis, famulis, ceterisque mirantibus hominis artisque præſtantiam; miratus aliorum admirationem iureiurando affirmauit, hinnitum equi ſibi fore iucundiorem. Veniamus ad res ipſas obiectas expendendas, ne ſubterfugere vim accuſationis, difficultatemque diſputationis, imminuta obtrectatorum auctoritate contenti videamur: & in alium diem prætermiſſa diſceptatione de iocis, facetiis, ridiculis, quorum notata reprehenſaque frigiditas, non tenues, nec frigidas accuſationum flammas, vt prima oratione diximus, incendiaque reſtinxit: accuſationem vniuerſam ad tria capita cõmode cenſeo reuocandã: ad loquendi redundantiam: ad nimiam repetitionem: & ad orationis, compoſitionisque ſtructuram. Cum M. Tullium tamquam redundantem eo *13*

Lampridius in Alex. Seuer.

Plut. l. 2. de virt. Alex. l. contra ſent. Epic. & in Apophe.

Orat. 15. n. 9.

ſu-

ſuperſluentem maledico dente carpunt, Auditores, non ſenilis ætatis affluentiam illi condemnant; quod ea poſtremis in orationibus nulla ſit, nulla cernatur: nec ipſi tam cæci ſunt, vt in Philippicis aliquid, quod amputari poſſit, inueniant. Non virilem conſtantis ætatis profluentiam moderatam vituperare debent: quod ad eloquentiæ perfectionem, popularis maxime, pertinere copiam & vbertatem, vt oratione prima ſignificati, poſtrema copioſe luculenterque probabo; ſapientes omnes arbitrantur. Si iuuenilem ætatis primæ floreſcentisque redundantiam notant; inconſiderate nimirum id faciunt; immemores ab omnibus dicendi magiſtris in adoleſcente deſiderari fecunditatem, vbertatem, verborumque luxuriem quandam, vnde aliquid ſtylo reſecetur, vt ad laudabilem mediocritatem eloquentiæ nomine dignam, oratio prudenti coercita amputatione deueniat. Videte quàm meæ cauſſæ confidam: do, concedo, fateor ab adoleſcentis Ciceronis ore, iuuenilem quãdam, admirabilem tamen, quaſi fluminis copiam profluxiſſe: non expecto, vt hæc confeſſio per vim argumentorum extorqueatur: ac eam cohibuit, reſtrinxit, diffluentem extra ripas, alueum intra continuit: ipſe ſuum impetum agnouit; primas actiones paullo licentius effuſas confitetur; ingenio non indulſit, ſed rhetorum Græcorum præcepta ſecutus modum impoſuit, frenum iniecit naturamque coercuit: idque obſeruarunt aliqui de numero accuſatorũ: varietas orationum ipſa demonſtrat. Quàm differunt à primis mediæ? quàm ab vtriſque poſtremæ? Non potuit criminationem emendatio depellere? Vos pſeudoattici, vos aridi & ſicci, vos ſine ſucco & ſanguine, vos inopiæ, ieiunitatis & infantiæ nimium amantes, non intelligitis bonam arborem ac fecundam eam eſſe, quæ flores, frondes, fructus effert temporibus ſuis? An vero peritus agricola fructus vere, flores autumno, frondes hieme requirat? Minime ſane: nec vos ab eloquentia Ciceronis, arboris pulcherrimæ fructuoſiſſimæque ſimillima exigere debetis in

Quin. dial. de orator.

Orat. 15. n. 13. Orat. 18. n. 20.

Orat. 6 n. 12.

Cic. l. de or. & l. de cl. or. Quin l. 12 c. 1. & dial. de or.

ado-

adoleſcentiæ vere floribus ac viriditati frondium aptæ,
factæque, decoctam illam fructuum maturitatem, quæ pro-
pria eſt autumni ſeneſcentis ætatis: non illud graue, ſtrictū,
preſſum dicendi genus in toto vitæ curſu, quo videmus
Philippicarum telam ſupremo vitæ tempore fuiſſe contex-
tam. Si Attici ſunt adeo frugales, vt vos fingitis; ſi num-
quam indulgent ingenio profluenti: ſi numquam liberius
oratione ſpatiantur, quis fuerit vnquam Atticus in omniū
Quin.l.12.c.10 temporum, ſæculorumque decurſu? Non Atticus fuit Hy-
perides, qui plurimum indulſit voluptati? non Lycurgus,
Iſæus, Antiphon, quorum copiam poſteri admirantur: non
Aeſchines his latior, audentior, & excelſior: non denique
Demoſthenes, (quo ne Athenas quidem ipſas magis cre-
ditis fuiſſe Atticas) qui *torrentior Iſæo* dictus eſt, & *torrēs,*
Iuuen.ſat.10. *quem mirabantur Athenæ*; qui cunctos illos vi, ſublimitate,
impetu, cultu, copia ſuperauit adeo, vt manifeſto doceat
Platonis vbertatem ſuam fuiſſe magiſtram. Sed bene ha-
bet: primum vitium in laudem vertitur: ab aduerſariis ma-
le audire non potuit Cicero noſter aliter, quàm nimijs flo-
ribus, vbertate ingenij, copiaque dicendi. Deſinant ergo
præclarum diuitemque fluuium, ſordido vitioſoque nomi-
ne turbidi torrentis contaminare, ne diutius ſuam impru-
dentiam, inſcitiam, maleuolentiamque demonſtrent. At 14
crimen alterum repetitionis diluendum eſt; rerumne an
verborum? vtramque libere obiectant. Rerum quidem:
Plut.in Cic. quòd in omnibus orationibus, libris, epiſtolis poſt conſula-
L.Sen.l. de tum ſcriptis coniurationem Catilinæ retectam, oppreſſam,
breu.uita.c.5. extinctam narret: vrbem ab incendio liberatā; conſeruatā
Quin.l.11.c 1. remp. ſuſtentatum ſua diligentia Romanorum imperium
prædicet: quòd exilium frequentiſſime deploret, atque in-
de ſe humeris Italiæ, quaſi triumphali pompa reportatum
glorietur: quòd hæc omnia tam ſæpe, tot amplificationi-
bus, tam ſine fine, vt loquitur L.Seneca, laudando comme-
moret, vt audientibus nauſeam moueat, legentibus affe-
rat ſatietatem. Grauiſſima eſſet accuſatio hæc, niſi pariter

Digitized by Google

eſſet inuidioſa. Cur qui hæc iactant,non rationes afferunt,
quibus adducebatur M. Tullius,vt ea faceret? Attulerunt
optimi viri, atque amantiſſimi iuris & æquitatis Plutar-
chus, & Quinctilianus: affero & ipſe, clariſſimaque voce
pronuncio,vt omnes veritatem intelligant, hanc non eſſe
iactationem, ſed defenſionem; non arrogantiam,ſed ne-
ceſſitatem;non loquacitatem,ſed officium. Quoties ſena-
tui,populoue Romano ratio reddenda fuit rerum earum, *Cic. orat. pro*
quæ geſtæ fuerant,& gererentur? Quoties ab aduerſarijs, *domo ſua.*
inuidia ſtimulante linguam,oppugnatus laceratusque men
dacijs,ſui defendendi cauſſa coactus eſt in earumdem rerũ
narrationem excurrere? Quoties defendit in iudiciis eos,
qui ſocij fuerant atque adiutores coniurationis obteren-
dæ;vel quorum cauſſa poſtulabat,vt recordatione pericu-
lorum publicorum, quibus reſp. defuncta fuerat & libera-
ta;priuatorum, qui defendebantur, periculum depellere-
tur? Quid cum poſt reditum tum populo,tum ſenatui pro
reſtitutione gratias agebat? Quid cum pro domo ſua pro-
ſcripta,diſturbata,euerſa P. Clodij furore ac ſcelere, recu-
peranda perorabat ad Pontifices, & de Aruſpicum reſpon
ſis in eadem cauſſa diſputabat? Num hæc omnia poterant,
ſine rerum præteritarum, coniurationis, periculorum pu-
blicorum,conſulatus, exilii, reditus commemoratione ac
repetitione tractari? Num non habuit Demoſthenis exem
plum, qui pro Cteſiphonte de rebus à ſe geſtis multa di- *Quint. l. 11. c. 1.*
xit, oſtendens id faciendi neceſſitatem, inuidiamque om-
nem regerens in eum,qui hoc ſe coegiſſet? Quare L. Se- *L. Sen. l. de breu. uita c. 5.*
neca, tu maleuolum animum tuum aduerſus Ciceronem
in hac quoque re prompſiſti; cum ab eo *conſulatum non ſi-
ne cauſſa,ſed ſine fine laudatum* ſcripto tradidiſti. Dum ex-
cuſare videris oratorem,grauiſſime criminaris: dolone, nõ
telo plagam eius nomini famæque ſempiternam impreſ-
ſiſti; tibique ipſi pugnantia loquens, dedecus improbi ca-
lumniatoris inuſſiſti. Si cauſſa ſuberat toties laudandi,cur
vituperando requiris finem? ſi peccauit in laudando, cur

Vuu fa-

Digitized by Google

faciendi cauſſam habuiſſe dicis ? Alterutrum concedas, oportet: aut peccauit, quia ſine fine laudauit; aut nihil peccauit; quia iuſtam habuit laudandi cauſſam; vtroque reſpō ſo te in laqueum induis; vnde non facile te expedias. Cum ergo tam multas, tamque iuſtas habuerit cauſſas ea repetendi, quæ reprehenduntur iniuria; non eſt cur quiſquam aut finem requirat, aut modum. Præſertim cum id tam ſingulari moderatione fecerit, vel in fortunam populi Romani; vel in Senatus prudentiam & curam; vel in diuinam prouidentiam referens res geſtas omnes, nihil ingenio, nihil eloquentiæ, diligentiæ parum, caritati patriæ multum tribuens, vt defenſioni neceſſariæ magis, quàm gloriæ deſeruijſſe videatur. Denique laudi vertitur, quod in vituperationem adducitur. Quanam in re maiorem ille vim eloquentiæ; qua nam vberiorem dicendi copiam exprompſit, patefecit, effudit; quàm in hiſce rebus commemorandis, ac repetendis ? Notate diligenter, Adoleſcentes, quàm ſæpe dicat eadem, ſed non eodem modo: quàm variet ſententiam eandem verbis, locutionibus, figuris, moribus, affectibus: vt alia plane videatur: quàm vbique nouis, & illuſtribus ornata ſchematibus repetitio hæc vincens omnem legentis ſatietatem, in miraculum vſque procedat: vt iure dici poſſit de illa, quod vetus & elegans poeta de Phœnice renouato, quem iridis perſimilis pennarum varietas decorat, canebat;

Auctor carm. de phœnice.

Ipſa quidem, ſed non eadem; quia & ipſa, nec ipſa eſt.

Quàm cernat acutum inuidus, Auditores, vel ex eo poteſtis intelligere, quòd benedicendi magiſtro ipſius æmuli obiecerunt numeroſam quandam clauſulam, in fine periodorum ſæpe repetitam, *eſſe videatur*. O maleuolentiam non ferendam. Quæ mens erat illa veſtra, in tam ſubtili notatione verborum ? Nodum in ſcirpo, pilum in ouo, tenebras in ſole querebatis: ſed vicimus, quòd grauiora, quæ criminaremini, veſtræ diligentiæ nulla in verbis occurrerunt. Non vitium eſt, ſed næuus, qui pulchram faciem de- 15

Quin. dial. de orator.

formare

formare non ſolet: compenſatur frequentia numero ſuauiſſimo, qui cadens in aures veſtras, vobis animo repugnãtibus, eas permulcens oblectabat: eſt dicendi modus modeſtiæ pleniſſimus, Prætoribus vſitatus in pronũciãda ſententia, qui vel *feciſſe videtur*: vel *videtur iure feciſſe*: vel *nõ videtur feciſſe*, dicebant: vos inter tot ornamenta, ſi vitium olebat, non oportebat diſſimulare, reticere, veniam dare? Notarat Aeſchines, & obiecerat Demoſtheni verbi cuiuſdã inſolentiam, quod exciderat in ſummo ardore dicendi; iocatur Demoſthenes ſe purgans, & negat in vno vel uerbo, vel geſtu, Græciæ fortunas eſſe poſitas; ſerio vobis pariter equidem dico, non in hoc *eſſe videatur* Ciceronis laudem, eius gloriam eloquentiæ, famæque ſplendorem eſſe collocatum, vt eo fortaſſe per nimiũ vſum uitioſo, quidquã de clariſsimi uiri exiſtimatione depereat. Metuendum ſcilicet aliquantum eſſet, ſi tota compoſitio uitioſa, ſi in exitu lenta, ſi molliter deſinens eſſet; ſi ſupinus ipſe, otioſus, ſolutus, eneruis deprehenderetur, vt maledicorum uox aliquando fuit: quos non oculos habuiſſe puto, nõ ingenium; uel certe iudicandi uim adeo corruptam ſtupore mentis, adeo deprauatam odii, maleuolentiæ, liuorisque perturbationibus, ut de tanta re ſincerum non potuerint ferre iudicium. Si iſtis ego reſpondero Tullianam compoſitionem eſſe neruoſam, erectam, actuoſam, aſtrictam, incitatam: falli, decipi, errare qui ſecus arbitrantur: dicent audacter, aut me locutum ſimulate, non uere; aut obiectas menti meæ tenebras, qui non diſpiciam ueritatem; aut oculos meos alucinari, qui uideant in oratione ſtyloque Ciceronis eas
16 uirtutes, quas ipſi minime cernunt. Itaque ueniendum eſt ad arietem ualidiſsimum auctoritatis grauiſsimorum uirorum, quos repudiare non poſsint. Prodeat primo loco aliquis è caſtris aduerſariorum, quorum teſtimonium ſolet eſſe firmiſsimum: de ſtylo Ciceronis proferat ſententiam ſuam Aper, qui in dialogo de cauſsis eloquentiæ corruptæ primas habet. Quid hic dicit poſt iudicium eius laudatum,

Io Roſin. l. 9. Rom. antiq. cap. 24.

Cic. l. de or. S. Ambr. l. 2. in cap. 2. Lucæ.

Quin. l. 10 c. 2. Dial. de orat. L. Sen. ep. 114.

quò præcurrebat eiuſdem ætatis oratores? *Primus, inquit, excoluit orationem: primus & verbis dilectum adhibuit, & compoſitioni artem, locosque lætiores attentauit.* Quid hoc loco poteſtis obijcere? cultum, artem, uerborum delectum, hilaritatem compoſitioni, & orationi primus tribuit, uobis auctoribus: & ſtylum compoſitionemque retorto naſo deſpicietis? Inchoatam fortaſſe iactabunt à M. Tullio compoſitionis artem, non illi extremam adhibitam limam, & manum. Prodeat ex eadem obtrectatorum cohorte L. Seneca, qui uelit nolit, aut ſecum ipſe pugnans, aut ſuorum dictorum immemor, quorum mendacem ueteri prouerbio, memorem eſſe oportet; M. Tullium compoſitionis perfectorem eſſe fateatur. Quid ſibi uult ille, cum uerbis perſpicuis, ore rotundo decernit à Cicerone *Romanam eloquentiam extitiſſe*? Poſſunt ne aliud ſonare uerba hæc, quàm eum fuiſſe Latinæ perfectorem eloquentiæ? Nam antequam Cicero naſceretur, in Romanæ urbis foro, de ore Cethegi, Catonis, Lælii, Scipionis, Gracchi, Galbæ, Carbonis, Antonii, Craſsi defluere audita eſt eloquentia, quam nondum perfectam, ſed prope quotidianis creſcere incrementis omnes fatebantur. Hos M. Tullius ætate ſubſecutus eſt: ab eo noua quędam extitit eloquentia: ſi manca illa, hæc perfecta: ſi illorum inchoata erat; hæc prorſus abſoluta. Cur enim ab hoc extitiſſe dicatur, niſi perfectum orationis flumen, à ſummo ingenii fonte manauerit? Præterea, quid eſt exiſtere à Cicerone Romanam eloquentiã; niſi eum eloquentiæ Latinæ, tum auctorem eſſe, ut nos Latini loquimur; tum parentem, ut Græci, qui Latino illi reſpondente uerbo carent? At ſiue parens, ſiue auctor dicatur is, qui genuit hanc recentem & nouam eloquentiã; non dignus erit tanto nomine, niſi quam peperit, aluerit quoque & educauerit eloquentiam; niſi orationem, partũ eloquentiæ, fetum ingenii, ediderit plane perfectam: hæc perfecta eſſe non poteſt, niſi ſit accurato ſtylo compoſita, culta, perpolita. Quam ob rem D. Auguſtinus, cuius acutiſsimum

L. Sen. ep. 40. Quin. l. 4. c. 2. Apul. apol. 2.

tiſsimum

Digitized by Google

tiſſimum capaciſſimumque ingenium incredibilis doctrinarum omnium ſcientia locupletauerat, hunc maximum oratorem, modo *Romani auctorem eloquij*; modo *magnum auctorem eloquentiæ* vocat: ut intelligamus tum locutionis, compoſitionis, ſtyli perfecti; tum vbertatis & copiæ Latinæ fuiſſe parentem: & eum denique, qui diligentia ſtylum; ſtylo compoſitionem; eloquentiam compoſita oratione perfecerit, & ad ſummum gradum, faſtigiumque perduxerit. Accedit iudicium omnium gentium ac nationum latine loquentium per omnes ætates conſequentes; quæ, vt idem Auguſtinus obſeruauit & prodidit, Ciceronis *linguam omnes fere mirantur*: non ſane linguam viuam ac loquentem pronunciantis, quam admirati ſunt ij tantum, qui cum ipſo, & qua ipſe, vixerunt ætate: ſed linguam ſcriptam in chartis demirantur omnes; hoc eſt diligentiſſimo ſtylo compoſitam eius orationem, quæ ſcriptis in codicibus calamo impreſſa; meditatæ ac pronunciatæ dictionis eſt imago perfecta. Atque hæc admiratio ſumma cum voluptate coniuncta; quam elaborata compoſitio, diligens ac numeroſa ſtructura locutionis in legentium animis excitat; incredibilem item relegendi, poſſidendi, atque imitandi cupiditatem accendit: hæc multorum cupiditas, codices abſorbens penuriam induxit; quæ librorum paucitas librariorum ſemper exſuſcitauit induſtriam, vt rem tam pretioſam, admirabilem, & ab omnibus ſtudioſe conquiſitam millies quotannis deſcriberent, ad poſteroſque tranſmitterent. Qua præſtantia ſi careret; nos quoque Ciceronis operibus, vt aliorum multorum veterum, clarorumque virorum libris, careremus.

17 Ac ne perſtringat aliquis me vulgi multitudinisque imperitæ mortalium omnium nitentem iudicio, quod à doctis prudentibusque contemnitur: ſententiam afferam vobis, Adoleſcentes, duorum in diuerſo vitæ genere clariſſimorum prudentiſſimorumque virorum; quorum teſtimonium qui repellit, exiſſe videtur de ſuæ mentis poteſtate. Cæſar Auguſtus adoleſcens ſene

Cice-

S. Aug. l. 4. doctr. Chriſt. c. 17 L. 14. de Tri. cap. 9.

S. Aug. l. 3. confeſſ. cap. 4.

Cicerone floruit, non ſolum ſcientia diſciplinæ militaris, quam exercitibus ducendis imberbis vſu didicit, non præceptis: ſed etiam laude dicendi, quam ſibi ſtudio, ſtylo, crebraque declamatione confecit. Hic iam ſenex ætate indicioque maturus, & auus factus, ad alterum è nepotibus repente ingreſſus, eum Ciceronis opuſculum tenentem manibus deprehendit: puer vel aduentu Cæſaris improuiſo perturbatus; vel quòd tum eum codicem contra præſcriptum pædagogi legeret, in ſinum abdere fruſtra conatus eſt, Cæſare præueniente, qui libellum à nepote extortum ſtans, immobilis, attentiſsime totum fere perlegit; tum obſtupefactus puero reddens exclamaſſe fertur: *Eloquens hic uir, eloquens fuit ò fili, & amator patriæ*. Hic Auguſtus non argumentum admiratus eſt, ſed eloquentiam: non illam viuam, quam ſæpenumero delabentem ex eius lingua, patulis auribus exſorbuerat; ſed mortuam in codice, ſpiritu carentem illo, quem accipit ab actione: compoſitionem, inquam, illam accuratiſsimo penicillo perpolitam obſtupuit. Quid Ciceromaſtix aliquis obijciat? Ab animo ſupino ſine cultu, ſine numeris, ſine nitore dicet effuſam? at in eam Cæſar toto pectore, totoque animo legens incubuit. Negabit Auguſtum eloquentiæ compoſitionisque iudicandæ peritum? at is duodecim natus annos auiam pro roſtris vniuerſo populo Romano probante, maiorum more laudauit. A nouitate rei contendet admirationem obortam? at Cæſar Ciceronem auctorem libelli ſæpe perorantem audierat. Nimius fortaſſe amor aduerſus Ciceronem, adduxit Cæſarem vt obſtupeſcens in illam laudationem erumperet? at Cæſar ingratus M. Tullio, qui cum M. Antonio pro illo pugnam acerrimam Philippicarum telis machiniſque pugnauit, in M. Antonii gratiam, eius proſcriptioni necique conſenſit atque ſubſcripſit. Elegantiſſimæ compoſitionis ſpecies, toties noua, capienſque oculos & animum, quoties aſpecta, legentem detinuit, admirationẽ exciuit, exclamationem excuſsit. Chriſtianum alterum, nõ 18 recto-

Orat. 9. n. 15.

Plut. in Cic.

Quin. l. 12. c 6

rectorem orbis, ſed mūdi contemptorem produco teſtem incorruptum, cui maiorem, ut Chriſtiano, monacho, ſacerdoti fidem eſtis habituri: Hieronymum illum intelligo, doctorem Chriſtianorum eximium in paucis; qui propter ingenium acerrimum, doctrinarum varietatem, omnium linguarum nobiliorum ſcientiam, aſsiduum Ciceronis ſtudium, poteſt optime de M. Tullii ſtylo compoſitioneque iudicare. Rem geſtam narrabo vobis, Adoleſcentes, non omnibus cognitam, ab ipſo Hieronymo fide ſumma deſcriptam, iureiurando prope firmatam, propter admirabilitatem, quam habet, attentione veſtra renouata dignisſimam. Mundanis rebus iam valo dicto, nauigauerat in Palæſtinam ex Italia; ſubſtiteratque ad Ieroſolymam in ſua locupletiſsima reconditus bibliotheca; vbi ſciendi auidiſſimum animum variorum lectione librorum diu noctuque paſcebat. Et ad Ciceronem in primis, quem ab adoleſcentia prima lectitarat, ſuxerat, obſeruarat; priſtinæ memoria voluptatis ſtimulatus animus, manus, oculus identidem recurrebat; etiam poſt ſeueram ciborum abſtinētiam, poſt crebras noctium uigilias, poſt vberes lacrymas, quas iuuenilium erratorum recordatio ex intimis ſenſibus eruebat. Quo fiebat, vt ſacros prophetas legere conanti, ſuauiſsimæ ſententiæ putereut; ſermo incultus horreret exiſtimanti non oculorum alucinantium culpam eſſe, ſed ſolis. Interea grauis & periculoſa febris ſtudioſum Ciceronis inuadit; cuius ardor infuſus venis, uitalem ſpiritum abſumit, grandi macie torret omnia membra; quibus frigeſcentibus reſiduas caloris naturalis ſcintillulas in pectus; corde palpitante, redigit; eoque vitam eius adducit tabifica morbi uis, vt iam iam morituro religioſum funus pararetur: cum ecce tibi poſt longas vigilias conſopitur ſomno; rapitur ſubito, vt ipſe loquitur, in ſpiritu ad tribunal Iudicis clariſsima luce circumfuſum: ſiſtitur; proſtratus ad eius pedes interrogatur de conditione; Chriſtianum ſe eſſe reſpōdit, cui qui præſidebat, *Mentiris*, ait, *Ciceronianus es, non*

Orat. 6 n. 21. Orat. 15. n. 22

S. Hier. ep. 22. ad Euſtoch.

Chriſtia-

Chriſtianus: tum eum flagellis cædi iubet. Hic Hieronymus obſtupeſcere, trepidare, inter verberũ crepitum eiulare: qui circumſtabant, ad genua Præſidentis accidentes veniam adoleſcentiæ precari; Hieronymum hortari, vt profanorum auctorum lectionem minus opportunam intermittat: hic lacrymans ſacramento polliceri: quo iurato, verberatio ſuſpenditur; à iudice dimittitur; ad ſe redit, oculos aperit mirantibus cunctis: ueſtigia plagarum, liuida terga, poſt ſomnum nouus doloris ſenſus, lacrymarum imber expergiſcentis oculos genaſque perfundens, ſatis ſuperq; teſtabantur, non inane ſomnium, ſed uerum fuiſſe uiſum; non ficte, ſed uere minus moderatum Ciceronis amatorẽ vapulaſſe. Quæ res auditu terribilis, aſperaque perpeſſu, 19
non uos, Adoleſcentes, à M. Tullii moderato ſtudio, diligentique lectione deterreat: quòd neque ab Hieronymo monacho ſanctiſsimo grauem aliquã in Cicerone legendo culpam ſuſceptam eſſe coarguit. Deſtinauerat illum Deus melioribus ſtudiis librorum diuinorum: deſignauerat ſacrorum codicum excellentiſsimum interpretem, magiſtrum de primariis Chriſtianorum, doctorem Eccleſiæ ſcientiſsimum; à quo uiuo tamquam ab oraculo quodam, ex uniuerſo orbe reſponſa peterentur: cuius mortui lucubrationes, epiſtolæ, commẽtarii, defenſiones poſteris quaſi lumina clariſsima lucerent, ut lucent ac lucebunt in perpetuum. Et quò citius in eo munere poſſet excellere; neceſſarium erat, ut qui iam cognitione linguarum, liberalium artium, profanarumque doctrinarum inſtructiſsimus erat, totum ſe doctrinæ ſacræ, diuinarumque rerum ſtudio daret, dicaret, conſecraret: proinde ratione illa mirabili, nobisque inſolita feruentiorem iuuenem, cupiditateque ſciendi flagrantem à vilioribus ſtudiis reuocauit, nutricum more, quæ lactentes pueros ad ſolidiorem cibum à lacte retracturæ, vel aculeis ad ubera clanculum admotis, uel ſalutaribus uerberibus ab appetenda mamma repellunt. Si qua culpa fuit, leuiſsima quidẽ certe fuit, uel [illegible] paullo

vehementiore ſtudio valetudini infeſto legeret; vel quòd inopportuno tempore, quo lugenda erant ætatis lubricæ peccata, eos auctores retractaret; vel denique quòd ea lectio, tamquam Sirenum vox, à contemplatione, quàm diuinis in rebus è monaſterij lege ponenda erat, aliqua ex parte retardaret. Sed quò ſpectat hæc longa Hieronymiani iudicij verberumque narratio? Nimirum vt intelligatis, Iuuenes, aſſiduum, acre, pertinax D. Hieronymi ſtudium in Cicerone perlegendo; quem ex eo Deus ipſe propemodum ore proprio Ciceronianum nominauit. Quod quàm vere dictum ſit; teſtis eſt illa ſedulitas, qua puer, adoleſcẽs, iuuenis totum Ciceronem accurate legens, perpendens, introſpiciens, auidiſſime ingenio memoriaque ſuxit, conbibit, exſorbuit; mentique tam alte immiſit, vt poſtea minus de Cicerone cogitans, eius verba, membra, ſententiasque profunderet. Teſtis eiuſdem ſtylus tam ſimilis imitatione Tulliano, quàm qui ſimillimus: quo neſcio an quiſquam è ſcriptoribus Chriſtianis, qui prope ab Cicerone conſtiterunt, eum adhuc exæquauerit. Teſtes interpretationes è Græco, apologiæ, epiſtolæ, libri, qui tametſi poſt illam verberationem, non tam culpæ pœnam, quàm immoderationis interdictionem, ſcripti ſunt & editi; tamen omnes M. Tullium redolent, ſapiunt, loquuntur, vt ipſe paſſim
20 in eis ſpirare videatur. Hoc loco, Iuuenes, opto virum ſanctiſſimum ac prudentiſſimum coram adeſſe: præſentem, honore debito præmiſſo, vobis audientibus interrogarem, ecquid in Cicerone reperiebat, quo tantopere delectatus, ab eo non poſſet auelli? Enixe rogarem; orarem ſummiſſe ne reſponſum veſtris commodis denegaret. Miraturum primum, ſi id facerem, mihi videre videor hominem humaniſſimum interrogationem meam; perinde ac ſi quæreret ex eo, luceret ne ſol in meridie; pulchritudo ne ipſa delectaret: tum reſponſurum plane idem, quod Nicoſtratus reſpondiſſe fertur cuidam ſciſcitanti, cur Zeuxidis picturam attentiſſime diutiſſimeque ſpectaret. Is enim atteam

Digitized by Google

Ael l.14.var. hiſt c 47. pingendi profeſſus diu,cum in Helenam à Zeuxide pictam ad pulcherrimarum virginum formam & exemplar oculis
Orat.15.n.16. incidiſſet,operis pulchritudine captus,totus in eo contemplatione defixus hærebat ſtupefactus. Hunc, neſcio quis prætereiens, cum tam attentum, tamque diu inhærentem conſpexiſſet, ab eo percunctatus eſt, quid nam adeo in ea tabula miraretur:cui Nicoſtratus, *Non id*, inquit, *me interrogares, ſi meos oculos haberes.* Nimirum oculos habebat peritiſſimos; cernebat eas virtutes in opere præſtantiſſimæ artis, quas imperiti picturæ minime agnoſcunt; videbat linearum ſubtilitatem, argutias vultus, elegantiam capilli, membrorum ſymmetriam; notabat ſplendorem, eminentiam, receſſus, venuſtatem: mirabatur in primis vmbras, lumina, mores in quibus artifex ille ceteris præſtitiſſe ferebatur. Similiter Hieronymus, qui tam acutos ac doctos habebat oculos mentis, tamque ſcientes eloquentiæ, ſtyli, cõpoſitionis iudicandæ, iure optimo reſponderet nobis, Non id ex me ſciſcitaremini, ſi meum ingenium, meum iudiciũ, meam ſcientiam haberetis. Nonne videtis, diceret, illuſtre ſtellis cælum? depictum floribus pratum? concinnum figuris aulæum? illuminatum gemmis amiculum? variis apte ſtratum teſſerulis pauimentum? venuſtate gratioſam Apellis tabulam? honeſtæ ſponſæ formoſam faciem pigmentis, cincinnis margaritiſque decoram? irim gemmam ſole percuſſam multos colores in oculos iaculantem? fluuium arenis aureis diuitem, melle dulciorem, numeroſe fluentem, opacatum viriditate riparum amœniſsimum? Nulla eſt in tota compoſitione aſperitas, nullus hiatus, nulla ſalebra: rude, horridum, incultum vitioſum nihil: ſcriptor numquam langueſcit infractus, numquam ſupinus dormit, numquam otioſus oſcitatur. Vt verbis propriis nitet? vt translatis lucet? vt figuris verborum floret, vt ornamentis ſententiarum eminet? Numeris præterea permulcet, concinnitate capit, varietate detinet, nouitate delectat, ſententiis docet, facetijs hilarat legentes. Quid cum delinit moribus, affe-

Pl.l.35.c.9. Quinct.l.12. cap.10. *Orat.1.n.16. 17.*

ctibus ardet, perſuaſione conuincit? Totus denique preſ-
ſus, nexus, uinctus, atque vt ait ille, *Totus teres atque rotun-* Hor. l. 2. ſat. 2.
dus, aſſurgit, inflectit, tonat, fulgurat, ſenſum legentis ani-
mumque permiſcet. O mirabilem orationis telam: non fi-
lis aureis textam, ſed aureis verbis: non acu ferrea pictam,
ſed erudito ſtylo: non manu phrygionis, ſed ingenio Cice-
ronis. Ecquis eſt adeo cæcus, vt tantum lumen non videat?
adeo ſtupidus, vt tantam ſuauitatem non ſentiat? adeo fa-
tuus, vt tantum bonum effugiat, reijciat, aſpernetur? Non
vos, Adoleſcentes, quos recte ſapere, recteque loqui, tam-
quam amantiſsima nutrix alumnos ſuos, exopto; crimi- Hor. l. 1. ep. ad Tibul.
natio tam veſtris progreſsibus infeſta, fallacibus argumen-
tis infatuet. Auertat Deus opt. max. à quocunque veſtrum
tantum errorem, tantam amentiam, tantam imbecillitatẽ
animi, vt ab obtrectatoribus Ciceronis per falſam accuſa-
tionem inuerti ſe ſinat potius, quàm à locupletiſsimis te-
ſtibus, firmiſsimisque rationibus in gradu fulciri, rectaque
ſententia ſtabiliri. Præſcripti temporis anguſtiæ non ca-
piunt integram accuſationis reliquæ confutationem: in ter-
tiam orationem reijcio diluendam: vos certaminis ſpecta-
tores, vos arbitros eſſe volo; quorum bona venia nunc ora-
tionis uela contraho monens etiã atque ut in imitatione
Ciceronis optimi exemplaris, duo quàm diligentiſsime
21 obſeruetis. Primum illud imprimite menti, quod magnis L. Sen. ep. 114 Plut. l. de aud. poetis.
viris L. Senecæ, Plutarcho, Quinctiliano placuiſſe uideo
communiter; Non quidquid in exemplari reperitur, legem Quin. l. 10. c. 1. & 2. dial. de oratoribus.
vobis eſſe dicendi. Nouum aliquid eſſe poteſt atque inſo-
lens; antiquum nimis aliud; raro aliquid aliud vſurpatum,
opportune tamen poſitum ſemel aut iterum: paucula quæ-
22 dam reprehenduntur etiam ab amicis; ſi non vt vitia & ma-
gna peccata, certe vt næui quidam, paruulæ labes, vitiorũ
vmbræ; quas ne perfectorum quidem ingeniorum uitare
poteſt induſtria. Non improbo Pollionis dictum; *Morta-* M. Sen. Suaſ. 7.
lium nulli perfectam contingere virtutem: quod etiam in
oratione longa locum habet: in qua laboro continuato in-

terdum defatigatur ingenium; nonnumquam indulget voluptati, conniuente prudentia; diligentia ſæpe deſerit uel diligentiſsimos, qui etſi ſummi; tamen ſunt homines: non raro dum nolunt nimis eſſe diligentes, ex incuria naturæ mortalis in indiligentiam cadunt. Quis iure ſtomachetur, ſi quam leuiſsimæ labeculæ umbram in Cicerone viderit non inhærere, ſed uolitare: cum animo recurrerit ad Homerum poetarum magiſtrum, ingeniorum fontem, heroici carminis architectum & exemplar, qui doctiſsimis hominibus videtur quandoque dormitare? Quid Demoſthenes omnibus oratoribus Græcis ſine controuerſia præpoſitus? Non modo Demadis, Aeſchinis, Chalci, Pytheæ, quorum linguas cos acuebat inuidiæ, leuiſſarum rerum reprehenſionem ſubiit, ſed ne Ciceronis quidem beneuolentiſsimi capaces, religioſas, auidas aures ſemper implebat. Verum iſthæc, quæ vel vitia ſunt, vel quia vitiorum ſimilia, peccata ducuntur, in tanta uirtutum copia, in tanto luminum ſplendore, in tanta rerum pulcherrimarum affluentia, ſectari, inquirere, imitari, quæ maior poteſt eſſe dementia? Quis veſtrum non effuſiſsimo cachinno derideat ineptiſsimos quoſdam atque ſtultiſsimos Platonis, Ariſtotelisque diſcipulos, qui tumorem humerorum in illo conabantur exprimere, balbæ linguæ uitium in hoc dementer imitantes, infelici ſtudio male pronunciare diſcebant? Quis vos ad hanc ſtultitiam adegit? id labore magno comparatis, quod magiſtri veſtri ſapientes in primis; altero tanto labore depoſuiſſent? Numquid in tam inſignibus philoſophis deerat, quod imitaremini? Cur non conuertebatis animum imitationis appetentem, in copiam dicendi, doctrinarum ſcientiam, morum probitatem? At relin- 22 quamus illorum tam fœdam manifeſtamque ſtultitiam, quorum ſimillimi ſunt, & pari obiurgatione digniſsimi, qui in imitatione Ciceronis, ſi quid vetuſtatem ſapit, obſeruant; ſi quid licenter pro auctoritate, qua pollebat, nouauit, auidius arripiunt; ſi quid ſemel tantum ad uitandam

Hor. in poet. Quin.l.10.c.1. Plut in Demoſt. Sidon.l. 8.ep.1. ad Petron. Cic.l. de or. Quin.l.10.c.1.

Plut.l.de auid. poet.& l. de diſer.adul.&c.

aliçubi ſatietatem eſt adhibitum, oſculantur, & ſibi paſſim excidere patiuntur: vbi longius periodos circumduxerint, & tertio quoque ſenſu pro ſententia ſolemne illud, *eſſe videatur*, collocauerint: ſe maxime Ciceronianos arbitrantur; ſeque meros ac perfectos tanti viri imitatores iureiurando eſſe contendunt. Errant, Adoleſcentes, errant, qui quæ vulgata ſunt in Cicerone, vulgaria putant; quæ parum vſitata, præclara; quæ recondita, ſingularia; tum in his pauculis & verbis, & locutionibus, & numeris poſitam eſſe perfectionem imitationis arbitrantur: repudiatis interea tam amplis verborum vſitatorum theſauris; contemptis vulgatarum translationum copijs; neglecto genere toto dicendi ſplendido, copioſo, magnifico; quod approbationes excitat & admirationes in concionibus. Non eſt nouum hoc vitium imitandi bonis in auctoribus vel ſemel vſitata, vel pro virtutibus vitia ſimilia proximaque virtutibus. Quo tempore Salluſtius omnium ore commendabatur, qui genus ſcribendi Atticum expreſſiſſe Latine putabatur; extiterunt eius imitatores non pauci; quorum aliqui tum ſe Salluſtium conſecutos putabant, cum præciſis concluſionibus, amputatis ſententiis, verbis ante exſpectatum cadentibus obſcuram breuitatem expreſſiſſent. In horum numero fuit Arruntius neſcio quis, belli Punici ſcriptor, qui quæ rara erant apud Salluſtium colligebat omnia, & ijs hiſtoriam ſuam inferciebat: quæ illi exciderant, hic diligenter quærebat. Itaque paginis omnibus poſuit, quæ ille ſemel ſcripſit, *Aquis hiemantibus, famas petit:* *exercitum argento fecit*, id eſt pecunia parauit: & his ſimilia non pauca, quæ legentibus illam hiſtoriam riſum pariter, ſtomachumque commouebant. Improbata ridiculaque Arruntii huius imitatio; vel vt melius dicam imprudentia miſeranda non vos, Adoleſcentes, cautiores faciet in imitatione Ciceronis, atque admonebit, vt præſtantiſſima quæque ſeligatis? Simias Ciceronianas, non imitatores eos appellauerim, qui deteriora, qui reprehenſa, qui vitiis finitima, pro

Quin. l. 10. c. 1. et 2. dial. de or.

Quin. l. 10 c. 2. L. Sen. ep. 114.

pro veris, germanis, manifeſtiſque virtutibus imitatione conſectantur: quemadmodum Sidonius Apollinaris ſuorum temporum diſertiſſimus Iulium Ticianum Simiam oratorum nominatum tradit, quod veternoſum dicendi genus imitaretur. Vt enim beſtia illa turpiſſima, vt loquitur Ennius, ineptias hominum, actiones ridiculas ac deformes exprimit, quibus ſpectantium riſum mouet; non concinnas, ſerias, decoras, quæ laudem ex admiratione prouocarent; ſic ineptiſſimi Ciceronis aliorumque bonorum oratorum imitatores, qui de venis aureis, & argenteis optimorum auctorum, orichalcum atque ſtannum effodiunt: de fluminibus eloquentiæ pro gemmis arenas, pro margaritis calculos expiſcantur: de fontibus ingeniorum pro pura, & clara, turbidam & inquinatam hauriunt aquam: imprudentiæ ſtultitiæque ſuæ debitas meritasque perſoluūt pœnas; cum ipſi poſt tot labores tamque longos, imitatione vitioſa fruſtra ſuſceptos, in bonis eloquentiæ ſe parum habere cōperiunt; & omnium, qui eos dicentes audiunt, vel quæ ſcripſerint, legunt, tamquam ridiculæ ſimiæ, maxima irriſione luduntur. Poſtremo, Iuuenes, valeat apud vos grauiſſima Platonis auctoritas tantum, quantum valere debet apud benedicendi ſtudioſos; qui quamcumque imitationem, & eam potiſsimum, quæ pertinet ad corpus, ad vocem, ad cogitationem; qualis eſt eloquentiæ; teneris ab annis inchoādam, tenera in ætate continuandam perficiendamque decernit, vt perducatur in morem, atque in naturam conuertatur. Nouerat vir prudentiſſimus teneritatem ætatis adoleſcentis, ceræ mollis, cretæ commutabilis, arbuſculæ flexibilis eſſe ſimillimam, quæ formam omnem tractantis arbitrio concipiunt. Nec fugerat eumdem, quod ego quoque vos præmoneo, quantaque poſſum maxima contentione animi prædico; quotidie ſenſim ætatem ad imitationem, ad diſciplinam, ad eloquentiam obdureſcere. Vnde manant illæ querelæ Lucretii, miſeriam ſeneſcentis ætatis multis verſibus deplorantis, quòd in ea præter alia, 23

Sidon. l. 1. ep. 1 ad Conſtan.

Enn. apud Cic. l. 1. de nat. Deor.

Plato dial. 3. de Rep.

Lucr. l. 3.

Clau-

Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque?

Nonne videtis arbores, quantumuis fecundas ac fructuoſas; quæ vere florentes, oculos ac nares oblectabant; quæ veſtitæ frondibus æſtate, ramorum uireſcentium vmbraculis feſſos recreabant; quæ maturis fructibus oneratæ cultores ſuos autumni tempore paſcebant; horrida niuibus ac frigoribus hieme, denudatas his omnibus ornamentis, boniſque priuatas vix vitam poſſe tueri? Talis eſt vita mortalium; quæ doctrinis, bonis artibus, eloquentia floreſcit in adoleſcentia, in iuuentute quoſque viriditatis oblectamentis capit; fert fructus in ætate virili: ſed in ſenectute languēte corpore, ingenio claudicante, vacillante memoria, balbutiente lingua, mente quoque interdum delirante, ſpoliata flore, fronde, fructu, nec quidquam de nouo parare ſibi diſcendo poteſt; nec parta ſuperioribus ætatibus ab obliuione defendere. Quamobrem vos, iſtam veſtram ætatem vireſcentibus annis, viribus integris, vegeto corpore florentiſſimam; veſtram iſtam ingenii, memoriæ, linguæ bonitatem ac ſanitatem felicisſimam; ad Ciceronis imitationem, qua veſtræ præſtantia naturæ perficietur, & eloquentia comparabitur, cum pari ardore animi, contentione corporis, & mentis induſtria conuertite. Quod eo vos conuenit præſtare diligentius, quòd in hac paucorum dierum interpretatione mea, tantam ex orationis Verrinæ guſtu, voluptatem hauſiſtis; tantam ſuauitatem ex ornatisſima, numeroſisſima, maximeque Attica compoſitione ſenſiſtis; tantum lumen ad introſpiciendam penitus eloquentiæ Tullianæ vim admirabilem vobis illuxit, vt iam experiendo fruendoq; docti posſitis intelligere, nihil à me dictum oratorie, nihil confictum artificioſe, nihil caliginis oculis veſtris offuſum, ſed latine, proprie, ac vere me eſſe locutū, cum difertisſimi oratoris ingenium, eloquentiam, orationis compoſitionem accuratam, ſtylumque prædicarem.

DE

DE IMITATIONE ET LAVDIBVS M. T. CICERONIS,

Oratio Tertia. Oratio XVII.

NEmini ueſtrum, Auditores, dubium eſſe video, quin probra calumniæque grauiſsimæ 1
quibus inuidi laudis alienæ, virtutum obtrectatione famam aucupantes M. Tullium oratorem optimum omnium iniurioſius onerauerunt, à me tertiam exigant de tanti herois imitatione & laudibus orationem. Nam etſi prudentes viri cum eo magnos oratores aliquando, tamquam minores ſtellas cum Lucifero, non criminandi, aut obſcurandi; ſed hone-
Quint.l.10.c.1. ſtandi, uirtutisque indagandæ gratia contulerunt: tamen alii quidam tum imperiti, tum audaces homines, non tam oratores, quàm declamatores è ludo, cauſsidici, proclamatores, ac rabulæ de foro extiterunt, qui vel inſano amore ſui cæcati, uel in radio ſolis alucinati non cernentes ueritatem; uel etiam odio ſtimulati cum Cicerone propalam inimicitias exercentes illi ſeipſos arrogantia intoleranda prætulerunt. Nec deſunt ætate noſtra Ciceronis aduerſarii, qui ſcriptores Latinos poſteriorum ſæculorum, quibus Romanus ſermo deprauari cœptus erat: eloquentia plane corrupta; Latinæ linguæ nitor euanuerat, ſibi nobisque poſthabito Cicerone, ſequendos per imitationem in ſcribendo proponunt. Sed idem eloquentiſsimus orator ſuarum magnitudine ac mole uirtutum ingenium laudatoris, utcumque dicere conantis obruit; atque in eas detrudit anguſtias, ut cum T. Liuio ueſtræ, Patauini, decore ciuitati-
Liu. apud M. Sen. contr. 7. ſingulari, ſplendoreque hiſtoriæ Romanæ clariſsimo exclamare cogatur, ad Ciceronis laudes *opus eſſe laudator*

Ci-

Cicerone. Itaque quantum accuſatoribus, æmulis, cæteris reſpondendi me neceſsitas adigit atque impellit ad dicendum, tantum laudationis difficultas à meditato conſilio retrahit atque repellit. Quid agam in re tam ancipiti Iuuenes? quò defenſionis huius rationem conferam? unde in laudatione tam difficili aliquid capiam auxilii? Noui locum præſidio firmum; prouideo campum, in quo oratio mea tuto poſsit excurrere: uenit mihi in mentem naturæ quadam lege, rerum quarumcumque, ſiue ſint illæ à naturalibus cauſsis procreatę, ſiue artis induſtria confictæ, collatione inter eas facta, quàm ſubito diſcrimen appareat, quàm clare perfectarum pulchritudo, cum imperfectarum deformitate; ſplendor illarum cum harum obſcuritate; virtutes cum vitiis comparatæ, non oſcitanter intuentibus eluceāt. Quare lætus expeditam hanc inibo rationem: in Lydio lapide comparationis ſincerum, expurgatum, & purum putum aurum eloquentiæ Ciceronis, ab impuro, fucato, adulterino cęterorum oratorum ſcriptorumque diſtinguam; ſpectantibus vobis, atque mirantibus tanto fuiſſe quoſdam mentis & intelligentiæ ſtupore captos, vt clariorem meridiana luce differentiam non viderent; ſolemque ipſum inter expalleſcentes fugientesque ſtellas non agnoſcerent. Nec vero me quiſpiam iure prohibeat M. Tullium ſplendidiſſimum Eloquentiæ ſolem appellare. Quis enim neget illi congruere magis vno verbo mutato, quàm Epicuro Philoſopho tanta præſtantia nominis indigniſſimo, elogium illud quod Lucretius infatuatus eius inſulſa opinatione de fœdiſſimæ voluptatis inter humana bona principatu, buccis inflatis extulit aliquando?

Ar. sect. 22. probl. 11. & l. 2. & 3. rhetor.

Pl. l. 35. c. 8.

2

Qui genus humanum eloquio ſuperauit, & omnes
Præſtinxit ſtellas exortus vti æthereus ſol.

Lucr. l. 3.

Mira res: quæ quia noſtris quotidie oculis obijcitur, non multos in admirationem rapit: idem ſol, oculus cęli, dux temporum, mundi lampas, perennis luminum fons, omnes ſtellas illuminat pariter & obſcurat. De ſua luce dat cun-

Digitized by Google

ctis ſideribus ſplendorem illum, quo puriſſimum, vbi inhærent, cœlum exornant; quo nobis mortalibus humi ſtratis inter nocturnas tenebras illucent. Eripit idem interdiu magnitudine ſui candoris ac luminis iiſdem ſplendendi facultatem; ut in ardenti radio, quamquam illuminata, non cernantur. Mirus ſimiliter Cicero; qui cultior, limatior, illuſtrior ex Aſiatica peregrinatione regreſſus in vrbem; tamquam ex Orientis horizonte ſol ad meridianum ſummum verticem ſublatus; vbi fulgentibus inſtructus armis in curiam, in forum, in conſeſſus iudicum venit, ſtetit, ſplẽdorem vocis, lucem actionis, flammas orationum iacere cœpit; confeſtim ardentibus præceptorum, exemplorum, admirationum radiis incendit animos, excitauit æmulationem, ſtudia omnium æqualium inflammauit: cum primum illam admirabilem eloquentiæ ſpeciem in mentibus hominum conſidentem, in optatis incluſam, in libris depictam exprompſit viuam, edidit omnium opinione maiorem, obſtupefacto populo Romano loquentem exhibuit: omnes æquales benedicendi ſtudioſos imitatione ſui reddidit eloquentes. Cur *quidquid habuit eloquentia Romana*, vt M. Senecæ verbis vtar, *quod inſolenti Græciæ vel opponat, uel præferat circa Ciceronem effloruit?* Cur eloquentia ipſa, ut planius loquar, ætate Ciceronis ad ſummum gradũ perducta, Romæ in faſtigio laudis & imperii collocata eſt; niſi quia ipſe, quà docendo, quà dicendo ſui temporis oratores omnes erudiit? Non enim eloquentia ſe ipſa perficere potuit; non ſuis viribus adoleſcere, quæ vita, & mente caret: homines ingenioſi fuerunt, qui natam lacte primorum elementorum aluerunt; qui manſis cibis verborum infantem educauerunt; qui ſolidioribus præceptorum nutrimentis adoleſcentem corroborauerunt: vnus homo M. Tullius ſingularis inter omnes, ea primum in ſe perfecta, deinde in aliis multis perficienda, ad firmitatem conſtantis ætatis maturitatemque prouexit. Non ſunt occulti tam multi de arte dicendi libri, vel ab adoleſcente Cicerone

M. Sen. l. 1. cõtrou. in præf.

con-

conſcripti: non eſt obſcura Q. Hortenſii nobiliſſimi orato- *Cic l. de cl. or.*
ris diligentia, Ciceronis æmulatione renouata & aucta: non
latent aliorum nobilium adoleſcentium ex eius imitatione
accenſa ſtudia dicendi: non ſunt ignotæ perpetuæ decla-
mandi exercitationes, in honeſtiſſimorum hominum con-
uentibus eloquentiæ gratiæ poliendæ, & augendæ ſuſce- *Orat. 15. n. 19*
ptæ. Quibus omnibus bonis artibus, aliiſque multis adiu-
mentis, de quibus longinquitate temporis, hiſtoricorum-
que paucitate celati ſumus, Romanos qui ad eloquentiam
nitebantur, humaniſsime non labori parcens, non tempo-
3 ri, non commodis vllis, officioſus inſtituit. Verum hic ſol
animatus, qui tot oratores eruditionis ſuæ luce compleuit;
eoſdem eloquentiæ magnitudine, ac prope dixerim immē
ſitate obruit, texit, obſcurauit. Vicit omnes, Auditores, in
dicendo; vicit omnes in ſcribendo. Si mentiri videor, cum
exclamo ſuperatos omnes in dicendo; reuocate cogitatio-
nes veſtras ad eos ſapientiſſimos viros, quos oratione pri- *Orat. 15. n. 21.*
ma produxi; quibus M. Tullius & iudicatus eſt, & pronun-
ciatus, perfectus & eloquentiſſimus orator; princeps orato-
rum; Romanorum diſertiſſimus; optimus patronorum;
præcipuum eloquentiæ lumen & magnus auctor: in elo-
quentiæ faſtigio poſitus, in arce collocatus; eloquentiæ, fo-
ri, atque hominum propter eloquentiam rex & triumpha-
tor; cognominum Olympii, Theophraſti, Diuini, aliorum-
que omnium, quæ claris & inſignibus eloquentia uiris vm-
quam attributa ſunt, appellatione; ſtatuis item, quæ diſertis
hominibus in eloquentiæ argumentum fuerunt umquam,
aut uſquam poſitæ, digniſſimus. Addite nobiliſsimi muni-
cipii teſtimonium, elegantia ſumma paucis in marmore
inciſum eulogium (quod adhuc viſitur effoſum è ruinis) *Adolph. Occo. in Inſcript.*
ad commendandam immortalitati memoriam gloriam- *Hiſp. 35. n. 4.*
que propagandam in tempus ſempiternum municipis
ſui.

M. T. CICERONI M. F. ROMANAE FACVNDIAE PRINCIPI QVAEST. AEDI. COS. PROCOS. IMPERATORI P. P. ARPINATES.

Interrogate Vipſanium Meſſallam, nobiliſsimum uirum, & diſertiſsimum oratorem, cur in dialogo quodam, ubi Caluo, Aſinio, Cæſari, Cælio, Bruto Ciceronem comparaſſet: vbi Demoſthenem primas tenentem Atticis oratoribus Aeſchini, Lyſiæ, Hyperidi, Lycurgo proxime ſequentibus præpoſuiſſet, hanc tulerit ſententiam memorabilē? *Sic apud nos Cicero quidem ceteros eorumdem temporum diſertos anteceſsit.* Percunctamini, tum ex litigatoribus omnibus illius ſæculi, cur M. Tullium non modo ſibi patronū ſuarum cauſſarum, ſed etiam dictur um poſtremo loco depoſcerēt: tum ex aliis cauſſidicis, boniſque oratoribus, cur illum poſtremas agere cauſſæ partes, ſibique præterri, tamquam primas obtinentem in dicendo paterentur. Omniū reſponſionem hanc fore arbitror, omniumque uocē unā: ad M. Tullium tamquam ad Colophonum, ad Triariorum ad fulminatricis legionis ducem poſtremas grauiorū cauſſarum partes in iudicijs fuiſſe delatas, uocem eius, ac motum animorum tranſuerſos rapientem iudices, tamquam ultimam oratoriam machinam, ad uictoriam obtinendā, reſeruatum: quòd alii pugnarent quidem, hic uero profligaret aciem ac uinceret: illi tonarent, hic fulmina iaceret: defenſionum muros illi ſuarum refutationum quaſi ſcloppis, aut æneis colubris uerberarent, hic orationum ſuarum grandioribus tormentis, bombardiſque proſterneret: illi denique iudicum ceterorumque auditorum pectora, cuniculos animorum, ac receſſus intimos, rationum ſarmentis, probationum tædis, ſulphurato ſuaſionis puluere complerent ac refercirent, Cicero poſtremus admoto permotionis igne, ſubiectis facibus ardentium affectuum, adhibita flamma perſuaſionis, crearet perturbationis incendium, & arcem obfirmatæ uoluntatis impetu flammarum euer-

Quin. dial. de orat.

Orat. 3. n. 34.

Digitized by Google

teret, funditusque conuelleret. Non hic ſubſtitit orator
4 præpotens: quos ingenio, lingua, uoce dicendo uicerat; iudicio, manu, ſtylo ſcribendo quoque ſuperauit. Teſtis excitetur Aper, Ciceronis aſperrimus aduerſarius; qui velit nolit, cum æqualibus ſuis nulla re magis præcurrere, quàm ſcribendi iudicio perſpicue confitetur: ab eo primo ſcilicet omnium, orationem excultam ſtylo, delectum habitum verborum, artem adhibitam compoſitioni, locos attentatos lætiores, optimas inuentas eſſe ſententias planiſſime affirmat victus conſcientia veritatis. Teſtis aduocetur Quinctilianus ſeueriſſimus ſtyli cenſor, qui altero ab obitu Ciceronis ſæculo floruit, docuit, oratores omnes florentis illius æui, ponderibus ſcriptarum orationum examinauit; qui poſt iudicium cenſoria ſeueritate factum, Ciceronem propter feliciſſimam potiſſimum facilitatem orationis præferens omnibus, non immerito ab hominibus ætatis ſuæ regnare in iudiciis dictum eſſe pronunciat. Teſtes proferantur orationes eius, tam arte perfectæ, elaboratæ induſtria, iudicio perpolitæ; quæ tamquam toreumata quædam alterius Phidiæ, aut Mentoris, aut Polycleti doctioris manu tornata; quà verborum figuris cælata pulcherrimis; quà ſchematibus aſpera ſententiarum mirabilibus, quà ſuauitate læuia molliter fluentium numerorum: quà ſententiarum emblematis ornata clariſſimis, non modo legentes mirifice delectant, ſed etiam Tulliani ingenii lumine, ſplēdore limatiſſimæ compoſitionis ad Cleanthis, Ariſtophanis, & Demoſthenis lucernam elucubratæ; cuiuſcumque generis ornamentorum fulgore, ceterorum oratorum orationes inobſcurarunt; tum eruditiſsimo mucrone tam nobilis cælatoris, & acumine Ciceroniani ſtyli confoderunt, ex omnibus bibliothecis eiecerunt, atque ex vniuerſo mūdo fugauerunt. Quæro ex vobis, Oratores qui de principatu cum Cicerone contendebatis, vbi ſunt orationes veſtrę?
5 quibus in tenebris deliteſcunt? quàm latebroſis receſsibus reconduntur? Poſcit, inſtat, urget mea vox & oratio. Proferte

Aper apud Quin. dial. orat.

Quin. l. 10. c. 1.

Orat. 7. n. 25.

Digitized by Google

ferte veſtras lucubrationes de latebris, vt eas cum Tullianis coram æquiſsimis iudicibus, in hoc prudentium virorum conſeſſu conferamus. Cur non exhibetis tam vehementer flagitanti? Non extare, neſcioquis inſuſurrat. At ego rurſus ſciſcitor, ſcriptæ ſint à vobis, necne, poſt cauſſas actas, vt à M. Tullio, veſtræ orationes. Si non ſcripſiſtis: quæ cauſſa vos detinuit, ne ſcriberetis? ſtyline labor, an fuga laboris, an vſus ſcribendi perexiguus retardauit? Non aliam iuſtam afferre poteſtis, in communi oratorum omnium conſuetudine ſcribendi temporum illorum. Itaque M. Tullius, qui ſcripſit, uos ſtyli laude, patientia laboris, exercitatione ſcribendi ſuperauit. Clanculum murmurat alius, omnes ſcripſiſſe. Cedo ſcriptas: prodeant, efferantur. Scripſerunt fortaſſe: ſed non ediderunt. Cur compreſsiſtis veſtrorum partus ingeniorum? cur tantum bonum generi mortalium inuidiſtis? equidem noui cauſſam: politæ, ſplendentes, exornatæ Ciceronis orationes, mihi credite, uos deterruerunt ab edendo. Sed quid ego partus iſtos ſuffocatos ſuſpicor? Recordatio mihi ſuggerit editas fuiſſe; lectas ab vtroque Seneca, viſas à Plinio, perpenſas à Quinctiliano: bene habet: cæca illa nubes inanium ſuſpicionum diſpulſa eſt. Erraſſe me fateor: obliuio me fefellit. Verum defectus memoriæ meæ, Iuuenes optimi, non iſtorum meliores efficit orationes Tullianis. Cur enim non apparent hoc tempore? cur ætatem Quinctiliani non prætererierunt? aut ſi deſcenderunt ad propiora nobis ſæcula, cur hæſerunt in via? cur non ad noſtras vſque manus peruenerunt? Cum Ciceronianis collatæ diſplicebant, contemnebantur à peritis artis oratoriæ, negligebantur à librariis; qui ſi doctis probari vidiſſent, utique multis deſcriptis exemplis ad poſteros eas tranſmiſiſſent. Perierunt igitur illæ, quod parui tum à doctis, tum ab indoctis, præ Tullianis, æſtimarentur: conſeruatæ ſunt hæ, de tot bibliothecarum incendiis ereptæ: per tot decurſum ſæculorum ad noſtram vſque ætatē, inter tot vrbium depopulationes, prouinciarum vaſtitates re-

Pl. l. 1. ep. 20. ad Tacit.

regnorum euerſiones, religionis mutationes, integræ ferme delatæ; quòd cunctis gentibus, etiam barbaris, qui Latine intelligerent aliquid; imago ſolida & illuſtris in illis eminens atque elucens eloquentiæ ueræ, probaretur. Neque
6 vero quiſpiam putet, me generali hac & confuſa contentione contentum, ſingulare certamen commiſsionemque defugere. Cupio producere omnes in arenam; vel quos priſcis temporibus ſcriptores cum M. Tullio comparauerunt; vel qui ſe Ciceroni ſuperbe, & impudenter antepoſuerunt. Cum ſingulis componam Ciceronem, qui ſolus poſſet cum vniuerſis pugnare victurus; uobis ſpectatoribus atque arbitris depugnabit; à vobis tamquam à Munerariis laudem palmamque relaturus. Vnde nam ſumam initium? à Cæſtio? Declamator hic latrans ad clepſydram, homo nullius ingenii, Ciceroni infeſtus adeo, vt iactaret eum neſciſſe litteras, auſus eſt mortui Ciceronis, qui iam mordere non poterat, orationibus reſcribere, quibus magnus orator nobiles reos ſuo patrocinio ac voce defendit. Hunc qualem audiſtis (ò ſtuporem hominum non ferendum) Ciceroni quidam palam prætuliſſent, niſi lapides timuiſſent: quidam vero clam & aliud agentes prætulerunt, cum eius orationes ediſcebant, in ſcholis recitabant, Tullianis neglectis omnibus præter eas, quas Cæſtius refutaſſet. Non amens ego ſi hunc homuncionem cum Cicerone cōmiſero? Cū cycno coruū; hirundinē cū luſciniam; cū elephanto formicam; viliſsimū Myrmillonem, cum fortiſsimo duce componam? Generoſus ille canis ab Rege Albaniæ dono miſſus Alexandro Magno uictori totius Orientis, ad lepores, damas, ceruos dormiens; minores feras apros, vrſos contemnens; maiores tantum belluas, leones, elephantos aggrediebatur, fatigabat, occidebat: M. Tullius eloquentiſsimus orator cum Cæſtio garrulo, rauco, nullius nominis proclamatore de eloquentiæ laurea cōtendat? Non equidem committam, ut iure coarguar, ſi Ciceronem tam uili dimicatione dedecorem. Satis eius conſiden-

M. Sen. l. 3. contr. præf. & ſuaſ. 7.
Quin. l. 10. c. 5.
Pl. l. 8. c. 40.
Plut. l. de an. induſtria.

fidentiam retudit Caſsius Seuerus orator bonus, atq; amã-
tiſsimus Ciceronis, qui in Milonem impudenti ore decla-
mantem dicterio pupugit, riſum ſcholę totius in eum exci-
tauit, obmuteſcere coegit, ut Caſsio non reſponderit, qui
ſe Ciceroni reſponſurum profitebatur. Deinde ſerio iocãs
ad prętores in ius vocauit, ingrati poſtulauit, ad tribunalia
traxit, & tum demum amicis interuenientibus promiſit ſe
non amplius illi moleſtum futurum, ſi Ciceronem diſer-
tiorem, quàm ſe, coram urbano Prętore iuraſſet. Denique
prorſus eius audaciam fregit M. Cicero filius, patris iniu-
rias ulciſcens egregie. Nam cum Aſiam obtineret, &
apud eum imo in loco cęnaret Cęſtius, atque à ſeruis in-
tellexiſſet eum eſſe, qui patrem ſciſſe litteras negaret, fla-
gella protinus efferri iuſsit, & patri, vt oportuit, de corio
Cęſtii ſatisfecit. I nunc Cęſti, diſce tu, quas Cicero litteras
ignorauit, & plagis doctior factus, dedoctos errorem de Ci-
ceronis principatu doce iterum catulos tuos contra fures
Ciceroniani honoris ac dignitatis latrare; non contra domi- 7
num eloquentię. Licinium Caluum non me pudebit in
Cic. l. de cl. or. l. 15. ep. vlt. Quin. l. 10. c. 1. 2 & dial. de or. M. Sen. l. 7. contr. 4: theatrum eloquentię cum Cicerone comparandum intro
ferre, quòd in foro, toto uitę, breuis tamen, tempore, uel
cum hoc ſummo oratore, uel contra eum pro cauſſarum
varietate verſatus; Ciceronis ipſius calamo laudatus, mul-
torum calculis inter bonos oratores numeraretur. Hic acer
rimus reprehenſor Ciceronis, quòd uideret ſe multis, non-
nullorum iudicio pręferri, diu cum eo de eloquentię prin-
cipatu litem habuit iniquiſsimam. Etenim quanam in re
poterat ille ſe Ciceroni præponere, qui nullam habebat
uirtutem qua ſe ſaltem exæquaret? Actionis dignitate? Sed
nulla neque dignitas, neque uenuſtas actionis elucere po-
terat in Caluo, qui ſtatura paruus, motuq; uiolentus exce-
debat ſubſellia ſua, tum impetu elatus in aduerſariorum
Quin. l. 11. c. 3. partes excurrebat, quod hominis uel parum mente ſani,
uel parum uerecundi putabatur; & unde numquam non
frigide, nec ſine auditorum riſu iocisque redibatur. Cicero,

vero

uero iuſta corporis magnitudine; facieque uſque ad ſenectutem decora ſpectandus; ſtatarius potius erat, quàm lineas curſor tranſiliebat: nec in pronunciatione tantum, ſed etiam in motu gradarius, ita vehementer dicebat, vt & decorum grauiſſimi ſenatoris modica iactatione corporis retineret: & vi totius oris, in quo nihil vultuoſum: magnitudine canoræ vocis, in qua nihil iniucundum; militari firmitate laterum, in qua nihil remiſſum; cęterorum membrorum cum rebus & affectibus congruente geſtu, in quo nihil inconcinnum aut ineptum, ita viriliter mouebatur, vt alios commoueret: ita flectebatur in omnem modum, vt animos ſpectantium flecteret; ita perſtabat in gradu, vt ſtantes in ſententia de ſtatu conſtantiaque deijceret. Num bonitate naturæ Caluus ſe putabat antecellere? Sed, qui Ciceroni non pepercit, Aper diſerte tradit Caluum intellexiſſe quid melius eſſet; nec voluntatem quin ſublimius & cultius diceret, ſed ingenium ac vires defuiſſe: M. vero Tullius quantum ingenii vi, naturæque viribus valeret, tum prima oratione audiuiſtis: tum Aſinius infenſiſſimus Ciceroni, inter occultam famæ detractionem, veritate confeſſionem exprimente, de eius ingenio prædicare ſuperuacuum eſſe ſcripſit, *cui Natura pariter & Fortuna fuiſſet obſecuta*. Num denique ſuum ſtylum, orationemque ſcriptā exiſtimabat eſſe meliorem? At deceptus Atticorum æmulatione, Galbam, Carbonem, alioſque antiquos horridos, impolitos, rudes imitatus, ingenium ſuum lætiora parturiens, ſtylumque deprauauit. Quo factum eſt, vt Cicero ſincerus eius laudator notaret in eo nimiam in ſcribendo religionem, qua plus æquo attenuans orationem, verum illi ſanguinem extrahebat: vt M Seneca non iniquus cenſor deprehenderet compoſitionem eius modo rigere, & nihil habere placidum, nihil lene; modo fluctuare, & non tantum mollem eſſe, ſed infractam: vt Quinctilianus magnam de eo ſpem ſi diutius vixiſſet, conciperet, ſi quid tamen potius adiecturus, quàm detracturus orationi fuiſſet:

Aſin apud M. Sen. ſuaſ. 7.

M. Sen. ſuaſ. 7.

Orat. 7. n. 2.

Digitized by Google

vt Aper pronunciaret, ex vna & viginti orationibus, quas
reliquit, vix in una, aut altera ſatisfacere ſibi: nec ceteros ab
hoc iudicio diſſentire. Quamobrem ſiue errore iudicij, ſiue
vetuſtatis amore, ſiue ingenii viriumque imbecillitate, ſi-
ue, vt reor, horum omnium conſpiratione, factus eſt horri-
dior, tenuior, atque aridior, quàm eloquentiæ veræ leges ac
præcepta depoſcunt. Cicero contra veteribus incunabula
crepundiaque relinquens infantis, balbutientis, ac puerilis
eloquentiæ; veros Atticos copia cultuque florentes æmu-
latus, bono ſanguine venas implebat: orationis membra
ſucco ſaturabat, vt toris exurgerent, vt nerui tegerentur,
vt non eminerent venæ, ſed caro; non oſſa, ſed ornamenta
numerarentur: compoſitionem ita temperabat, vt nec dif-
flueret immodica mollitudine, nec aſperitate nimia rige-
ret: ſtylum ita in oratione ſaginanda regebat, vt gracilita-
tem & adipem vitaret; optimum dictionis habitum inter
extrema compararet. Qua moderatione conſecutus eſt, vt
orationes dictæ, præſentibus placuerint: ſcriptæ poſteris
ita probentur, vt nobis quoque legendo ſcriptores alios
Pl.l.37.cap.5. feſſis ſmaragdorum more oculos menteſque reficiant. Et
S.Iſid.l.16. quiſquam non intelligit, diuinæ prouidentiæ nutu, paruum
orig.cap.7. ſtatura caluum cum M. Tullio, tamquam pumilionem cũ
gigante contendiſſe: vt appareret, quo ille modo Tulliani
corporis vmbra tegebatur totus atque obſcurabatur, eo-
dem non magnam eiuſdem eloquentiam Ciceroniani ma-
gnitudine ingenii fuiſſe preſſam, obrutam, ſuperatam. Hic
Iuuenes, excitate animum ad nobilius iucundiuſque ſpe- 8
Lamprid. in ctaculum: proſtrato Caluo, atque elato per libitinenſem
Commodo. portam, procedit in certamen C. Cæſar Dictator, non tam
Pl.l.8.cap.20. nomine elephantus, quàm animo; Ciceroni tamquam Rhi-
Quin dial.de noceroti natura hoſti, nec propter dignitatem à pugna re-
orator. pellendus; nec propter æquitatem cauſſæ in pugna metuẽ-
orat 5.n.25. dus. Non diſſimulabo vires eius ac virtutes, M. Tullio co-
gnitas, ſpectatas, laudatas; quorum commemoratio in Ci-
ceronis laudem, cum pugnatum fuerit, redundabit. Tanta

uis

uis animi, id acumen ingenii, tanta concitatio actionis in eo fuit, vt eodem ardore dixiſſe videatur, quo bellauit. De ſplendore orationis, de uerborum elegantia, de nitore latinitatis omnibus noto, quid attinet dicere? Vox magna, forma generoſa, memoria prompta, litteratura inſignis, copia doctrinarum ad ſummum ingenium accedebat. Multa ſunt hæc, eximia, magna: ſed tamen exacuit cornua ſaxo Rhinoceros, & uicimus. Nolite exiſtimare mihi verbum hoc excidiſſe: repeto voce clariore; uicimus. Maiora ſunt illa omnia ſpe, quàm re: inchoauit eloquentiam Cæſar, nõ perfecit: naturæ bonitatem exercitatio quotidiana in medio curſu defecit: laudatorum eius illa vox vna fuit omniũ & ſententia, ſi foro vacaſſet tantum, non alium futurum fuiſſe Ciceroni parem: à magnitudine rerum agendarum eſſe, vt minus eloquentia profecerit, quàm prope diuinum eius ingenium poſtulabat: bellicæ gloriæ dominatusque cupiditate abſtractum à laude dicendi perficienda: proinde ſcriptas orationes minores quoque fama fuiſſe; quæ, Tullianis ſplendeſcentibus adhuc, multis ante ſæculis diſperierunt. At Cicero vel pari, vel meliore natura tamquam nauigio uectus, incredibilis exercitationis, diligentiæ, contentionis remigio quotidie magis magisque forum premens: in hoc vnum animo & pectore incumbens; ad gloriã dicendi viribus omnibus nitens; quà flabat popularis aura fauoris, quà ſe ventus vrbanæ felicitatis oſtendebat, non dolones tantum explicans, ſed magna vela pandens omnia, quod curſu incitato ſequebatur, eſt vel maxime dicendo ſcribendoque conſecutus. Quid quod ipſe Cæſar veritate conuictus manus dedit, coronam Ciceroni impoſuit, cum ſcripſit, vt noſtis, vim Theramenis, & leporem Periclis ſummorum oratorum expreſſam à Cicerone fuiſſe? *Orat. 15. n. 15* Itaque C. Cæſar habeat ſibi ſuam gloriam adumbratam, & falſam, armis oppreſſæ libertatis: M. Tullius honore ſolido ac vero, præmio ſempiterno virtutis fruetur ob patriam voce liberatam. Iactet ille Rhenum, Nilum, Ocea-

num, Inſulas, prouincias, barbaros ſua dextra ſubiectos; ia-
ctabit hic honeſtius vindicatas prouincias; Reges, conſu-
les deſignatos, ciues nobiliſſimos; miſeros homines, inno-
centes reos innumerabiles in iudicijs à mortis faucibus, ab
exilio, ab extrema calamitate ſua lingua defenſos. Ille de
fuſis exercitibus, de victoriis partis, de quinque triumphis
actis ſcientia militari, fortitudine bellica, virtuteque impe-
ratoria glorietur: hic de cauſſis actis, de iudicialibus victo-
riis, de libris immortalitati conſecratis, arte rhetoricæ, ful-
minibus eloquentiæ, ſtylo manuque gloriabitur: & de illo
Pl.l.7.c.30. potiſſimum in toga triumpho, quem omnium triumpho-
rum maximum, tu Cæſar, tu ipſe, tuo ſtylo iudicaſti. Ma-
gnum duces à te Cn. Pompeium Magnum, de orbe toto
quondam triumphantem in Pharſaliæ campis eſſe deui- 9
ctum: maius ducit Cicero te C. Cæſar, te Magni victorem
à ſe fuiſſe Romæ ſuperatum. Quæ præſtigiæ tibi mentem
eripuerunt in cauſa Ligarii? quæ te arma vulnerarunt? cu-
Orat.4.n.11. ius te impetus tormenti proſtrauit, vt qui obfirmato ani-
mo non parcendi veneras ad audiendum Ciceronem offi-
cii gratia; qui penitus infixas animo retinebas iniurias; in-
ter audiendum millies colorem mutares, è ſella reſilires,
ſupplices libellos in ſolum abijceres, vim afferri tibi tacite
querereris: vt obſtinatione voluntatis fracta roganti obſe-
quereris, flagitanti concederes, cogenti obtemperares, niſi
maximæ, atque inuictiſſimæ Ciceronis eloquentiæ? Neque
vero mihi quiſpiam obijciat eloquentiæ Cęſarianæ victo-
Orat.3.n.24. rias; quibus vel milites tumultuantes oratione ſedauit, vel
Orat.5.n.29. minus obedientes in officio continuit; vel metuentes, ad
præliandum verborum flammis accendit; uel barbaros ad
deditionem perſuaſione coegit. Multum quidem iſtud
fuit; ſed maius quiddam, Ciceronem eloquentia C. Cæſari
obſtinato ueniæ dandæ neceſſitatem impoſuiſſe; ab eo im-
petraſſe atque extorſiſſe dicendo, quod nullius amici gra-
tia, nullorum propinquorum lacrymæ, nullæ denique pre-
Pl.l.35.c.10. ces potuerunt. Repetite memoria nobilem illam Parrha-

ſii

ſii & Zeuxidis pictorum præſtantiſſimorum contentionē: qua Zeuxis uuas ita feliciter pictas detulit in ſcenam, ut ad eam aues aduolarent; Parrhaſius vero linteum depictum tanto artificio repræſentatæ veritatis, vt Zeuxis volucrum iudicio tumidus tandem remoto linteo flagitaret oſtendi picturam. Hic errore intellecto Zeuxis, ingenuo pudore ſuffuſus, palmam conceſſit Parrhaſio; quòd ipſe alites expertes rationis & ingenii; Parrhaſius autem ſe hominem, ingenioſum, artificem. quod eſt laudabilius, feſelliſſet. Vos Cæſaris patroni cedite pariter, cedite: munitus ille auctoritate imperatoria; nobilitate, ingenio, fortunis, honoribusque ſuperior facile impoſuit ac perſuaſit, quod uoluit, militibus & barbaris rudibus artis, ignaris eloquentiæ, parum cautis ad eiuſcemodi machinas atque præſtigias: at Cæſarem ingenio atque ætate parem, rhetorica inſtructiſſimum, in foro, iudiciis, curia uerſatum diu, peritiſſimum oratoriarum fraudum, inſinuationum, cuniculorum, inſidiarum; ſcientiſſimum denique magiſtrum dicendi uictum eſſe, captum, coactum à Cicerone, multo fuit Ciceroni glorioſius. Sed iam videre mihi videor Pollionem Aſinium
10 octoginta natum annos, venientem ad pugnam ingeniorum; quem excluderem ſane quàm libenter ab arena, niſi multorum patronorum comitatu ſeptus ſibi aditum aperiret. Nomen illud Aſinii male ſonans, animal cogitationi uiliſſimum exhibens, illi quoque male ominatur: fuſtuarium tacite poſcit: meretur: concedetur. Hic enim audaciſſimus orator ille eſt, qui Catonem magiſtrum morum, probitatis exemplar, uirtutum Romanarum lumen adoleſcentulus eſt auſus accuſare: hic flumen lacteum T. Liuii ciuis ueſtri, Patauini Adoleſcentes, olfaciens naſo cenſorio, Patauinitatem quandam ſe in eo deprehēdiſſe arbitrabatur: hic acerbiſsime obtrectans omnibus bonis conſecutus eſt hanc egregiam ſcilicet laudem, ut iam obtrectatores recte ſpecioſo nomine Polliones & Aſinii vocitentur. Vtinam haberemus defenſionem à Claudio Imperatore ſcriptam qua

Hor. l. 2. od. 1. Val. l. 8. c. 14. Pl. l. 7. cap. 30. Quin. l. 10 c. 1. 2. & dial. de orat. M. Sen. l. 4 cont. præf. & ſuaſ. 7. L. Sen. ep. 100. orat. 16. n. 11.

Quin. l. 1. c. 5.

S. Hier. Apol. 1. in Ruff. & ep. 89. ad Aug.

Galli

Galli filii Pollionem patrem Ciceroni præferentis retundebat audaciam: næ labore nos multo careremus; & ille petitis inde argumentorum fuſtibus ſtrenue vapularet. Verum quidnam patroni eius afferunt laudis, quod non præclare in ipſius caput, uituperationemque regeratur? In agendo ne plurimum valuiſſe? Si tantus orator erat, quantus dicitur, cur in declamando Cæſtio, cur Porcio Latroni poſtponitur à Caſsio Seuero, M. Seneca comprobante? Maior in vmbra uis, quàm in ſole; plus in concertatione ludicra ingenij, quàm in forenſi contentione requirebatur? Antiquitatis amantiſsimum dicent? Atqui non eſt hæc laus, ſed vituperatio: protendiſſe in ſuperiora ſæcula longiſſimas aures ſuas: inter Menenios & Appios ſtuduiſſe uideri: Pacuuium & Attium ſubrancidos poetas non in tragœdiis tantum, ſed etiam in orationibus expreſsiſſe. Quid mirum compoſitione durum, ſiccum aſperum extitiſſe? triſtes ac ieiunos imitatores eius fuiſſe? iudicio Quinctiliani tantum à nitore & iucunditate Ciceronis abeſſe, vt videatur ſæculo prior? orationes eius tam vetuſtam redolentes antiquitatem, Tullianis ſtātibus, euanuiſſe? Nam quod paſsim diligentiam ſummam in oratione ſtyloque commendant; id cauſſam iugulat, & eius obſcurat ingenium; præſertim cum doctis uiris etiam nimia uideatur. Quis enim ignorat ingenii mediocris argumentum eſſe diligentiam? ingenii tenuitati ſolere curam uenire ſubſidio? naturæ imbecillitatem vna induſtria fulciri? Quam ob rem L. Seneca non amiciſsimus Ciceronis, ſubductis omnibus rationibus iure uictum pronunciat Pollionem; cuius *compoſitio ſalebroſa, exiliens, & ubi minime expectes, relictura, nō deſinit, ſed cadit.* Abeat his rationibus verberatus Aſinius; & arrogantem iſtam de eloquentiæ principatu cogitationem abijciat. Nos, prætermiſſo Bruto, Cœlio, Meſſala, & aliis, ne longum faciamus; Q. Hortenſium præſtantiſsimū, iudicio Ciceronis, omnium Latinorum oratorem publica imagine decoratum ob eloquentiam, honore ſummo produ-

L. Sen. ep. 100. 11

Tac. l. 2. ann.

Digitized by Google

ducamus in hoc theatrum eloquentiæ. Virtutes eius eximias enumerarem ſigillatim, ac pro meritis laudarem hominem naturæ muneribus florentiſſimum; niſi M. Tullius æmulorum largiſſimus laudator, amiciſſimi æmuli locupletiſsimam laudationem poſteritati reliquiſſet. Illud vos auetis ſcire, quid nam effecit, vt cum Cicero maturitatem ætatis & eloquentiæ tulit in forum, ne retineret ille dominatum iudiciorum, oratorum principatum, eloquentiæ regnum, quod omnium ſuffragiis obtinebat. Nemo enim non prodidit à Cicerone regno ſpoliatum Hortenſium ui dicendi, ſecundum à Cicerone uixiſſe. Grauitatem Hortenſio fama eſt defuiſſe, tum in actione, tum in oratione; limatius in eo fortaſſe iudicium deſiderabatur, quo neque acumini præſtantis ingenii, neque memoriæ granditati reſpondebat. Arripuerat adoleſcens genus orationis Aſiaticum adoleſcentiæ conceſſum magis, quàm ſenectuti; quòd adoleſcentibus aptius videbatur, in ſenibus grauitatem non habebat: ſententioſum, floridum, argutum, ſententiis non tam grauibus & ſeueris, quàm concinnis & venuſtis. verbis volucre atque incitatum, non ſolum flumine orationis, ſed etiam exornato & faceto genere verborum. Hoc genere florens clamores faciebat adoleſcens, ſtomachantibus ſenibus, mirabantur adoleſcentes, multitudo mouebatur, cuius iudicio primas tenebat. Sed cum iam ætas, honores, & ſenior auctoritas grauius quiddam, requireret, idem remanebat, & non decebat idem; quemadmodum æſtate, autumnoque flores pro fructibus in arboribus vt intempeſtiui, & locum fructuum occupantes minime probantur. At M. Tullius Attico propius, quàm Aſiatico dicendi genus mente atque oratione complexus ab ineunte adoleſcentia; uel ex vtroque genere temperatum, tum illius ieiunitate, tum huius loquacitate repudiata, ſic ſe geſsit, ut ætatis decoro ſeruato placeret ſemper omnibus, & ætate progrediente matureſceret. Quis non videt nulla ætatis parte grauitatem ei deſideratam? quis non animaduertit

Orat 6 n 6.
Orat. 8. n 10.
Orat. 25. n. 14.

Quin l. 11. c. 3.
Agell l. 1. c 5.
Cic. l. de or.

conſulares orationes prioribus grauiores: Philippicas ætatis vltimæ ceterarum eſſe grauiſsimas? Iure Sidonius Apollinaris uir ſuorum temporum longe diſertiſsimus atque eruditiſsimus laudans Claudianum neſcioquem ueterum eloquentium comparatione; diſcrimen hoc duorum ſummorum noſtrorum oratorum acu tetigit, ſimulque quantum præſtaret Cicero declarauit, cum ſcripſit, *Vernat vt Hortenſius, perſuadet vt Tullius*. Peccauit & leuitate geſtus: nam manus eius actuoſas nimis inter dicendum, argutiaſque digitorum; in quibus ſingulas cauſſæ partes conſtituere ſolebat; maledictis appellationibuſque probroſis populus Romanus notauit, irriſit, inſectatus eſt: tum actio tota corporis, cuius venuſtatem affectauerat; ſcenicæ ſimilior, quàm oratoriæ, multos ad ſpectandum potius, quàm ad audiendum inuitabat; atque in primis Roſcium & Aeſopum claros fabularum actores, qui poſtea geſtus ipſius referebant in ſcena. Nec defuerunt oratores, qui tamquam in hiſtrionem multa iactarent in illum grauia in ipſis cauſſis & iudicijs; quale fuit illud L. Torquati mordacis hominis, qui coram iudicibus eum geſticulariam & Dionyſiam notiſsimæ ſaltatriculæ nomine appellauit. Sed quis vmquã in M. Tullio vel obſeruauit tale aliquid, vel reprehendit? Huius omnis actio, motus corporis, ac geſtus menti, rebus, eloquentiæ congruens: grauitate decorus; non exprimens verba ſcenico more, ſed rem vniuerſam & ſententiam, nõ demoſtratione, ſed ſignificatione declarans; grata oculis venuſtate conditus, ab armis potius & palæſtra, quàm ab hiſtrionibus & ſcena petitus erat. Non argutiæ manuum viſebantur; non mollitia ceruicum; non articulus ad numerum cadens; non frequens aut longus inceſſus; non excurſio immoderata: ſed erectus ſtatus, aut uirilis laterum inflexio, toto trunco moderata; militaris in contentione brachii, tamquam teli proiectio, in remiſsione contractio, & aliæ, quas prætereo, uirtutes efficiebant omnem eius actionem pleniſsimam dignitatis. Ille ſtudium ardentiſsi- 12

Sid. l. 4. ep. 3. ad Claudian.

Cic. diu. in Verr.

Agell. l. 1. c. 5.

Val. Max. l. 8. cap. 10.

Quin. l. 4 c. 5.

Cic. l. 3. de or. l. de or.

mum benedicendi, quo fuerat incenſus à puero, ſtylique exercitationem aſſiduam poſt conſulatum valde remittens; vel quòd contemneret eos, qui conſules non fuiſſent; vel quòd ſatis honoris & gloriæ popularis ſibi videretur adeptus; uel q̄ naturæ præſidiis, exercitationibusque præteritis valde confideret; vel denique quòd laborem ingraueſcente ætate defugeret; ſui diſſimilior quotidie fiebat; & tantum quaſi de veteris picturæ colore detrahebat; quantum non exiſtimator doctus & intelligens, ſed quiuis è populo rudis & ſomniculoſus poſſet agnoſcere. Ciceronem contra ſtudio flagrantem; proſpicientem in poſterum; nominis immortalis appetentem; aſſidue cùm genere omni meditationis, tum potiſſimum ſtylo polientem ingenium, naturæque bonum augentem, tamquam auroram ad ſingulos paſſus lumine creſcentem, vel ſolem orientem, Hortenſio occidente, radijs beneficentiæ ſuæ, prouinciarum afflictarum, miſerorum calamitoſorumque hominum cōmodis conſulentem, omnes adoleſcentes ac ſenes cum admiratione ſuſpiciebāt; quotidie plus venerabantur, & in dies magis diligebant. Anteponebat Lucianus Demoſthenem Pericli, Demadi, ceteriſque clariſſimis oratoribus Græciæ, quorum nullum extabat ingenii ſimulacrum poſteritati manſuriſque litteris relictum; quòd eloquentiam eorum fama tantùm, quæ vires acquirit eundo: & hiſtoricorum fides, quæ ſæpe fallit, celebraret: nullum eius in orationibus, quæ ſunt actionum habitarum monumenta, probabile argumentum cerneretur: non ego ratione eadem præferam Hortenſio Ciceronem; quòd illius nullam orationem videamus, vnde magnitudinem eloquentiæ conijciamus; huius vero permultas legamus, oſculemur, admiremur ſcriptas ad legem artis, compoſitas ad regulam prudentiæ, perpolitas ad vnguem diligentiæ; in quibus ipſum Ciceronis loquentis ingenium eminere, lucere, ſpirare cōſpicimus? Quod ſi dicas multas & Hortenſium edidiſſe, lectas à Quinctiliano fuiſſe: quid reſponderis cum obiecero

Orat. 6. n. 6.

Quin. l. 11. c. 3.

teſtimonium eiuſdem exiſtimantis intra famam, reſtitiſſe? non expectationi, non opinioni, non gloriæ reſpondiſſe? melius illum dixiſſe, quàm ſcripſiſſe? Non utraque laude Q. Hortenſius agendi, & ſcribendi, ut M. Tullius, floruit, Adoleſcentes: aberat à ſcriptis tuis ſpiritus, animus ille quo dicens adoleſcentibus placuerat: nihil admirationis reti- nuerunt apud poſteros accuratius omnia perſcrutantes; proinde cuncta penitus cum Hortenſii laude euaneſcente miſerabiliter interierunt. Ciceronis autem orationes im- mortali ingenio, ſtylo ſempiterno, non atramento vetuſta- ti obnoxio, ſed colore quodam æterno conſcriptæ referũt eius imaginem ſolidam animi; faciem eloquentiæ ſpiran- tem; viuam pronunciantis vocem: propterea poſteris om- nibus doctis atque idiotis placuerunt; verſanturque ad- huc manibus noſtris cum voluptate maxima; tum, vt mea fert opinio, quoad humanum genus incolume manſerit; quamdiu ſteterit vſus litterarum; quouſque viguerit homi num memoria, deſcribentur, legentur, probabuntur. Quid ergo miramini, Iuuenes, hoc oriente ſole Tulliano, non modo Romani cæli ſtellas eloquentes, vt principio dice- bam, eſſe præſtinctas, ſed etiam Hortenſium, quaſi Luci fe- rum eius ſolis prænuncium, inobſcurari cœptum eſſe, dein quotidie magis atque magis opprimi, & abſcondi viſum, tum demum in tenebris propemodum latuiſſe? Vtinam vos omnes ad vnum in oratorio Romanæ vrbis amphi- 13 theatro ſpectatores vna mecum fuiſſetis, tamquam perpo- lita ſpecula, cum ille radios ſuos eloquendo quoquouer- ſus iaciebat: næ formoſiſſimam imaginem eloquentiæ no- bis quoq; imprimere potuiſset. Deſineretis mirari cur à C. Cæſare, cuius oculos quamquam liuidos atque inimicos, lux illa toties in ſe conuerterat, oblectauerat, recreauerat; ſit M. Tullius, vt victor omniũ, meruiſſe Lauream linguæ iudicatus. Deſiſteretis obſtupeſcere, cur Ciceronis poſteri

Pl. l. 7. cap. 30. Cic. l. de cl. or.

vniuerſi exiſtimauerint hunc Romanæ copiæ principem, Latinarum litterarum parentem: eloquentiæ nouæ flori-

dioris

diotis inuentorem, veteris inchoatæ perfectorem eſſe con-
ſecutum: ut Cicero iam non hominis, ſed eloquentiæ no- *Quin l.10.c.1.*
men habeatur. Atqui iure optimo vox, ſenſus, conſenſuſ-
que omnium definijt atque decreuit nomine Ciceronis,
non hominem quempiam mortalem eloquentem ſignari;
ſed eloquentiam ipſam propemodum ex idea mente com-
prehenſa tandem aliquãdo ſub oculos aureſque delapſam
in oratore ſummo collocatam: merito M. Tullium, non di
ſertiſſimum Romanorum, eloquentiſſimum oratorum,
Latinæ copiæ parentem: ſed eloquentiam ipſam appellan-
dum omnes cenſuerunt. Cur enim licuit Græcis Anaxa- *Plut. in Pericle*
goram, quòd primus mentem, quaſi cuſtodem rerum om- *Laer. l.2. in Anaxag.*
nium, materiæ præpoſuiſſet Νοῦν appellare: licuit Abderitis *Ael. l. 4. uar.*
Democritum ciuem ſuum, quòd philoſophiæ gratia mul- *hiſt. c. 20.*
tas prouincias peragraſſet φιλοσοφίαν; aliis, quòd quinque *Laer. l.9. in Democr.*
doctrinas bene noſſet πένταθλον nominare: licuit ijſdem *Idem l. 9. in*
Abderitis Protagoram ſophiſtam ciuem item ſuum, & à *Protogora.*
quibuſdam σοφίαν propter quandam opinionem adum- *Ael. l.4 uar.*
bratæ ſapientiæ dictum; quòd à mente rebuſque diſputa- *hiſt. cap. 20.*
tiones ad verborum, vocum, nominumque contentiones
traduxiſſet, λόγον vocitare: licuit poetæ neſcio cui Vale-
rium Catonem, quòd poetæ boni ſpecimen dediſſet, nomi
ne Sirenis decorare, verſu illo vulgato pariter & probato, *Suet. l. de cl.*

Cato Grammaticus Latina Siren: *Gramm. c.12.*

non licuerit Romanis, Latinis, nobiſque omnibus, qui tot
accepimus beneficia, Ciceronem qui eloquentiam reuo-
cauit ad vitam, auxit, perfecit, ad ſummum gradum perdu
xit, tum etiam nouam quandam eius rationem inuenit, in
ſe ipſe depinxit, expreſſit, mortalibus oſtendit, honorificũ
14 tribuere cognomentum Eloquentiæ? O M. Antoniste di- *Orat. 16. n. 2.*
ſertiſſime orator appello, qui voce ſcriptoque negabas ui-
uens vllum à te viſum, aut auditum eloquentem: vtinam
proſcriptio Mariana tuis ceruicibus pepercisset, nec Antro
nij conſcelerata manus ante præſtitutum à natura diem, *Orat. 3. n. 29.*
tenue vitæ filum tibi gladio ſecuiſſet: vtinam paullo diutius

uixiſſes, retexuiſſes, mihi crede, negationem tuam flammis libellum illum tuum tradidiſſes; uel certe nouo libro palinodiam canens, te ipſe ſtylo mutato refelliſſes. Acne cum mortuo loquar diutius, quàm par eſt, cogitatione fingamus eum in uiuis eſſe, Romæ verſari, curiam adire quotidie, forum terere, iudicijs omnibus intereſſe, quibus Cicero perorabat; quid eum tum cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe; quàm uariis animi commotionibus agitatum, atque affectū fuiſſe putatis? Mihi videre videor M. Antonium, modo ſtupefactum admirari hunc ſolem eloquentiæ de repente naſcentem, atque ad meridianum apicem ſummæ perfectionis, cum tam claro ſplendore gloriæ ſenſim aſcendentem: modo frequentiſſime audientem exhorreſcere, cum illa venuſtiſsimę dignitas actionis, quà lucendo, quà fulgurando feriebat oculos; cum ille nouus Sirenis cantus, dulcior Orphææ liræ ſonus, Romanus lepos, Latina muſa mulcens aures detinebat; cum aculei, tela, tonitrua, fulmina perorationum animum perterrebant. Alias hærentem pendere totum ab ore dicentis attentiſsimum; non vultum, non animum auertere; non oculos, non palpebras, non labra, non manus commouere; vix reſpirare, vt viueret; qui viuebat orantis ſpiritu, reficiebatur melle verborum, ſententioſę orationis pabulo paſcebatur: aliàs M. Tullio dicente, metuere uehementer ne deſineret; iiſdem affectibus, quibus ille, commoueri. Nonnunquam obijcitur menti meæ lætitiæ magna perfuſus exultare gaudio; geſtire uoluptate: quòd tandem aliquando reperiſſet illum eloquentem, non diſertum, quem tam anxie quęſierat, tanta ſagacitate inueſtigarat, tanto labore fuerat inſecutus. Interdum audire videor conuerſum ad ſodales exclamantem in ipſa concione, quod multis poſt annis Plotinus cognito Ammonio magiſtro dixiſse fertur, *Hunc ipſum, o Amici, quærebam;* complectar arctiſsime, utraque manu tenebo, nec elabi patiar; non ille ſua ui perſuadendi, non eloquentia ſua diuina mihi perſuadere poterit, ut ſe dimittam antequam omnia

Porph. in uita Plot. cap. 1.

cx

ex illo dicendi ſuxero documenta. O M. Antoni, te iterum compello rediuiuum; ſi tam multos tamque varios affe-ctus in pectore tuo concitat ille, quàm ego mente conci-pio; ſi te detinet obſtupefactum in audiendo; ſi tu vides, non in eius labris Pitho ſuperſtitioſam perſuadendi Deã; ſed in facie, faciem eloquentiæ; vim in pectore; ſuauitatem in ore, totoque in corpore totam integramque eloquentiã habitare; confitere tandem manu te comprehendiſſe tuum illum eximium, quem animo formabas, eloquentem; ve-nerare vt Regem oratorum; da illi palmam, capiti impone diadema laureatum, in prima honoris ſede, vel in currus
15 triumphalis ſella collocato. Neque vero putetis, Adoleſcẽ-tes, per oratoriam ſuperlationem à me dici, iure M. Tul-lium eloquentiæ cognomine decoratum; integram in eo ſeſſitare vim, ſpeciem, copiamque dicendi; proprie, ſince-re. Latine loquor. Quid enim eſſe cenſetis eloquentiam? *Cic.l. de cl. or. Orat.3.n.3.* Si ſapitis, non quamcumque vim dicendi, ſed illam maxi-me ſcilicet, cuius poſſeſſore publice dicturo, locus in ſub-ſelliis occupatur; complentur templa, fora, tribunalia; coro-na multiplex circumſtat; erecti omnes expectant: quo ſur-gente ad dicendum, ſignificatur à concione ſilentium, ala-critas, attentio: quo dicente crebræ aſſenſiones, multæ ad-mirationes fiunt. At quis vmquam, (vt de minoris momẽ-ti rebus taceam) vel maiore, vel pari cum admiratione plauſuque, pluribus aſſenſionibus, ſecundiſque clamoribus dixit, quàm Cicero? Liuius veſter Patauini, crudelitatem *Liu. apud M. Sen. ſuaſ.7.* M. Antonii triumuiri deteſtans, qui caput Ciceronis, inter geminas manus, in roſtris locari iuſſit, teſtificatus eſt in eo loco fuiſſe poſitum, vbi conſul, conſularis, & eo ipſo anno, *quanta nulla vmquam humana vox, cum admiratione elo-quentia auditus fuerat.* Teſtificatur & Quinctilianus in de-*Quin.l.8.c.3.* fenſione Corneliana populum Romanum admirationem ſuam, non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu ſigni-ficaſſe: neque ſponte voluntateque plauſiſſe, ſed obſtupe-factos qui aderant, & magnitudine admirationis captos

atque

atque obrutos, quaſi delirantes, nec ſentientes quid facerent, in illum voluntatis affectum erupiſſe. Delectatione quoque trahit auditores quocumque libet eloquentia vera, ſuiſque numeris expleta. Sed cui tanta vis iucunditatis affuit? quæ nam Herculis aurea catena; quæ ferrea Mercurij; quæ magnetis Lucretij; qui cæleſtis lepos Periclis Olympii; quæ Platonis ars excantandi; quæ Sirenum blanditiæ; quæ teſtudo Amphionis; quæ Atticæ Muſæ vox; quod mel Homerici Neſtoris vmquam fuit, quod cum Tulliana ui ſuauiter trahente comparari poſſit & æquari? Grauiorum item affectuum permotionem ab eloquentia germana requiritis. At quis magis habuit has perturbationes auditorum in ſua poteſtate, quàm Cicero, cui propterea, vt dixi, poſtremæ partes agendarum cauſſarum deferebantur? qui commiſeratione ita dolenter vtebatur, vt vel pueros infantes in manibus tenens, vel nobiles reos excitans, vel paruulos filios reorum extollens in epilogis, forum, tribunalia, conciones, plangore, lacrymis, lamentationeque compleret? à quo Demoſthenem ipſum fulmina vibrantem, hac excitandarum lacrymarum, & commouendæ miſerationis facultate, iudicio Quinctiliani, conſtat eſſe deuictum? Poſtremo dicetis, & iure, perfectam eloquentiam eſſe, quæ dicendo flectit animos; quæ flectendo voluntatibus perſuadet; quæ de iudicibus, deque omnibus auditoribus reportat perſuaſione victoriam. Verum Cicero noſter quàm flexit, quàm perſuaſit; qui toties obfirmatorum animorum obſtinationem fregit, duritiemque molliuit? qui cauſſas tam multas inexplicabilibus inuolutas, circumſeptaſque difficultatibus inuictas aliis, ingenio, lingua, voce explicuit orationiſque contentione peruicit? qui tam ſæpe, nitentibus contra ipſum patronis, opibus, auctoritate, gratia florentiſſimis, aduerſariis eloquentia diſertiſſimis, ſtrenue fortiterque decertans obtinuit, quod volebat? Cur elegantiſſimus poetarum Catullus ſibi vtiliſſimam expertus eius defenſionem ac vim perſuadendi, optimum prædicat patrono.

Orat.3.n.12. — *Cic.l.de cl.or.* — *Quin.l.10.c.1.* 16 — *Catull.epigr. de M.T.Cic.*

Digitized by Google

tronorum? Cur à Quinctiliano dicitur extorquere cauſſas, *Quin.l.10.c.1.* iudices rapere, tranſuerſoſque agere; tantam in omnibus, quæ dicit, auctoritatem habere, vt auditores diſſentire pudeat, nec aduocati ſtudium, ſed teſtis, aut iudicis afferat fidem? cur Sidonius Apollinaris ſuam cuique oratori virtutem aſſignans; *Sidon.l.4.ep.3. ad Claudian.* cum Aeſchini blanditias, iram Demoſtheni, flores Hortenſio, Curioni incitationem, æſtus Cethego, ſuaſionem Catoni, diſſuaſionem Appio tribuiſset, poſtremo loco perſuaſionem M. Tullio reſeruat? ſed quid ego diutius in leuioribus hiſce probationibus immoror? Prodeant, loquantur, teſtificentur illi ipſi, qui perſuaſione Ciceronis expugnati, victi, proſtratique fuerunt. Teſtis C. *Cic. diuin. in Verr. & l. de orat. Plut. in Cic.* Verres ciuis genere nobilis, Prætor quondam Siciliæ, repetundarum reus; qui videns in iudicio de accuſatore deligendo, perſuaſum à Cicerone fuiſse iudicibus, eumdem à Siculis expetitum accuſatorem eſse oportere; cernens Q. Hortenſium familiariſsimum amicum, patronum ſuum diſertiſsimum in prima congreſsione perterritum, dicere recuſantem obmutuiſse: præſentiens ac diuinans iudicibus perſuaſum iri, quæcumque uellet accuſator, exilio voluntario quamquam damnatus, iudicii ſeueritatem, & dānationis pœnas euaſit. Teſtis L. Sergius Catilina Verre nobilior homo audaciſsimus, qui coram à Cicerone conſule *Cic. l. de or. Pl. l. 7. c. 30.* grauiter accuſatus in ſenatu conticuit; & partim metuens *Cic. or. 2. catil.* eius ingenium, partim perſuaſione victus eiuſdem excedere ſuadentis ex vrbe, ſeſe Feſulas in caſtra Manliana proripuit. Teſtes liberi proſcriptorum à Sylla, viri nobiliſsimis parentibus, auis, maioribus nati, ſed lege proſcriptionis à *Cic. or. in Piſ. Quin. l. 11. c. 1.* Rep. ſummoti: quibus tractandorum animorum ſummus artifex, obiecta publici boni ſpecie, ſic magiſtratibus honoribusque abſtinendum perſuaſit, ut eos id petere puderet, quod gerere fuiſset honeſtiſsimum. Teſtis Romana plebs vehementer irata Roſcio Othoni Trib. pl. quòd lege lata diſtinctam ab equitibus in theatro ſedere iuſsiſset; quæ Ciceronis oratione caſtigata, monita, placata, non modo tu- *Pl. l. 7. c. 30. Plut. in Cic.*

multuari

Digitized by Google

mulctari deſtitit, ſeque diſcriminis ignominia notatã æquo animo tulit; ſed etiam legis auctorem, quem alias ſibilis & aduerſa acclamatione dedecorauerat, honore dignitati debito, Ciceronis ſuaſu, venientem in theatrum excepit.
Orat. 4. n. 5. Teſtis idem Romanus populus vniuerſus, cui Cicero legem agrariam à P. Rullo Trib. pl. latam utiliſsimam illi, diſsuadens, vt alimenta vitæ conſtantiſsime repudiaret perſuaſit. Teſtis denique C. Cæſar, qui perſuaſione Ciceronis in cauſsa Ligarii ſe victum, vt audiſtis, expugnatumque cognouerat, in Anticatone tanti viri copiam, facultatem, perſuadendique uim admiratus, eum Pericli ſimillimum ſcripſit, non ſolum ob leporem, qui in eius labris ſedere di-
Orat. 15. n. 15. cebatur; ſed etiam, ut arbitror potiſsimum, propter illam Pitho, quam ſuadam, ſeu perſuaſionem melius interpretère; quæ nihilo minus in lingua Ciceronis, quàm in ore Periclis habitabat. O perſuaſionem inuictiſsimam, quæ uoluntates expugnauit; quæ nihil non impetrauit; quæ uictores omnium, triumphantesque ſubegit? Vobis igitur tot locupletiſsimis grauiſsimisque teſtibus non erit perſuaſiſsimum M. Tullium perſuaſionis ſummum architectum ac magiſtrum fuiſse, digniſsimum eloquentiæ cognomento, qui res adeo difficiles, arduas, aduerſantes commodis, honori, uoluptati; quæ tam perdite mortales amant, tam auide concupiſcunt, tam ardenter inquirunt, tam caute pertinaciterque conſeruant; innumerabili hominum multitudini, populo integro, quem dominatus orbis ſuperbiſsum faciebat, oratione perſuaſit? At hic dum prope à littore, iacere anchoram paro, ut oratio mea conquieſcat, hoſtis neſcio quis occultiſsimus Ciceronis occurrit, & per ſimulationem publicæ utilitatis, tum ſecum ipſe, tum cum ſectatoribus commurmurans, L. Senecam, Corn. Tacitum & alios eiuſdem uel ætatis, uel ſæculi ſcriptores potiſsimũ imitandos eloquentiæ gratia proponit. Non negamus, inquiunt, Ciceronem bonum eſse ſcriptorem, elegantem, copioſum, Reip. temporibus, concionibus, ingeniis aptiſsimum;

mum;ſed hos exiſtimamus hoc tempore meliores. Eruditiſſimo noſtro ſæculo copia moleſta eſt; multa paucis comprehenſa probantur impatientibus noſtrorum principum auribus:preſſum, ſententioſum, ſtrictum & vere Atticum dicendi genus amatur;quo multa breui tempore dicuntur: non tot horæ dantur oratori,quot ætate Ciceronis, vt eloquentiæ flumen ſuis gurgitibus redundare; vt eloquentis voci pandi vela maiora poſſint. Addunt mutari ſingulis ætatibus non modo veſtes,arma,rationem ædificandi,bellandi,comedendi,ſalutationes, mores; ſed etiam dicendi ſpeciem, ſermonem, eloquentiam quæ moribus aptanda eſt;cuius non vnus eſt vultus,ſed plures formæ:nec ſtatim deterius eſt,id quod eſt diuerſum. Singula ſæcula pepererunt ſuos oratores, & viros eloquentes prioribus genere diſpares,laude pares. Quot,vt omittantur Græci,mortuo Cicerone floruerunt eloquentiſſimi uiri à M.Seneca laudati Porcius Latro, Vatienus, Arellius, Aſprenas, Gallio, Silo,Geminus,Paſſienus? Quot recenſet poſtea Quinctilianus æquales ſuos Iulium Secundum, Vibium Criſpum, Aufidium Baſſum, Trachallum, M. Aprum, Domitium Afrum,Iulium Africanum?Non optimi oratores tot panegyricorum auctores, qui collecti in vnum manibus omniū conteruntur;Plinius,Gallicanus,Eumenius,Auſonius,Pacatus,Mamertinus?Præclara ſcilicet oratio veræ ſtudioſorum elequentiæ,qui ex altera parte reſpondent Cœlio,Caluo,Pollioni.Hadriano,multiſque alijs,quos refutaui,priſcorum oratorum ſcriptorumque amatoribus, qui Lucilium Horatio; Lucretium,& Ennium Virgilio; Cæcilium Salluſtio; Catonem Ciceroni anteponentes, tantum non Oſca lingua loquebantur.Balbutientem illi pueritiam eloquentiæ Latinæ adamabāt: hi ſenectutem deformem rugis ſuauiantur;tanto deteriores illis,quanto melior eſt,atque optabilior adoleſcentia virens, florens, ſpei plena,progrediens ad perfectam ætatem;quàm ſeneſcens ætas languida,debilitata, quæ vt ab ætate conſtanti; ſic ab eloquentiæ perfe-

L.Sen.ep.114.
Aper apud Quin.dial.de orat.
M. Sen.libris controu.
Quin.l.10.c.1. dial. de orat.

ctione recedit. At videte manifeſtum errorem: confiten-tur omnes ſæculo illo, quod Ciceronem proxime eſt con-ſecutum, eloquentiam iam fuiſſe corruptam: deplorant cõ-munem hanc humani generis calamitatem, quicumque ſa piunt aliquid in hoc genere doctrinæ. Quærit Lucilius è

*L.Sen.ep.*114. L.Seneca quo modo in quædam vitia orationis, ingenio-rum facta ſit inclinatio; reſpondet ille, talem hominibus orationem eſſe, qualis eſt vita; genus dicendi publicos mo-res imitari: laſciuiam orationis, argumentum eſſe luxuriæ publicæ; corruptis moribus Ciuitatis non poſſe locutionem

Quinct.l.6. in proœmio. dial de orato. incorruptam eſſe. Scripſit ætate ſequenti Quinctilianus librum de cauſſis eloquentiæ corruptæ: dialogus extat, quẽ quidam Cornelio Tacito tribuunt, anno cxx. poſt mortem Ciceronis editus, vbi Maternus Meſſallam rogat, vt cauſſas reddat, cur in tantum ab eloquentia veterum ipſi receſſe-rint: reſpondet ille neminem ignorare, deſciuiſſe eloquen-tiam à vetere gloria deſidia iuuentutis, & negligentia pa-rentum, & inſcitia præcipientium, & obliuione moris an-tiqui. Quæritur Plinius minor immodicis laudibus audito-

Pl.l.2.ep.14 ad Maſium. Agell.l.17.c.1. rum adoleſcentes in dicendo deprauari; moriſque huius peſtilentis & iam inueterati auctorem fuiſſe Largium Li-cinium: qualem hominem Deus bone? qui Ciceromaſtigis flagellum aduerſus Ciceronem intorſit. Ad prauitatem in-flexam eloquentiam eo ſæculo teſtificantur illi ipſi, qui mi-nus eo tempore, quàm ceteri peccabant: & vos mente, cu-piditate, imitatione recurritis in ſæculum illud infelix; noſ-que omnes eadem malæ conſuetudinis corruptela depra uari, detorqueriq; per imitationem ſuadetis? An ignoratis dicendi formam & eloquentiam nationis alicuius ſuas æta- 18
tes habere, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, ſenectu-tem? Non id notiſsimum in Græcorum eruditiſsima lin-gua; quæ Demoſthenis tempore viſa eſt omnibus recte iu-dicantibus, ad ætatem conſtantem perueniſſe; deinceps ſe-nuiſſe? Quid in Italorum lingua elegantiſsima, quam Etru-ſcam vocant, arbitramur accidiſſe? Nonne eadem trecen-

tis

tis ante annis, quo ſæculo Dantes, Villanus, Petrarcha, Boccaccius, Paſſauantius vixerunt, ac limatiore, quàm ceteri ſtylo ſcripſerunt, eſt ſuam ætatis maturitatem conſecuta? Latina pariter elocutio, & eloquentia, in Latio nata, Romæ infans educata, per omnes gradus ibidem ab elegantibus poetis, & ab oratoribus diſertis, verborum copia bonorum & præceptis, ad ætatem grandiorem firmioremque perducta: quo tempore florentem, virilem, conſtantemque ætatem, quæ optima omnium ingenii fructus effert neque acerbos, neque nimis decoctos; habuiſſe iudicata eſt? M. Seneca magno vir iudicio, qui Cicerone mortuo ſtatim hæc ornamenta dicendi tractare cœpit in vmbra palæſtræ: qui ſenſit eloquentiam ab ætate conſtanti recedentem, vergere nonnihil in ſenectutem; libere fatetur, & ingenue prædicat, vt initio dixi, circa Ciceronem eam effloruiſſe eo uſque, vt per eam Græciæ natio Romana præferretur: *Orat. 17. n. 2.* hoc eſt ad abſolutionem ſummam, perfectionemque veniſſe. Quis vmquam ab eo tempore negare eſt auſus illud tempus, eloquentiæ Latinæ ſæculum aureum fuiſſe? Cur igitur iſti ad argenteum, aureo contempto, tanta cupiditate delabuntur? cur tam inſipienter neglectis frugibus glande veſcuntur? cur denique pro norma dicendi, pro canone eloquentiæ, pro primo imitationis exemplari, ſecunda tertiaque exempla ſequuntur? Qua re ſunt hi ſcriptores hac ætate meliores, quàm Cicero? Num quia nullus eſt æuo noſtro, copioſo dicendi generi locus? At laudationes uiuorum & mortuorum, nunc quoque ſunt, vt fuerunt ſemper *Orat. 5. n. 13.* in vſu: nulla in vrbe non ſunt conſilia, ſenatus, conuentus ciuium, in quibus de communibus publicisque rebus deliberatur oratione perpetua: Venetiis, vrbium ſubiectarum Imperio Veneto oratores, Principi recens creato compoſita oratione gratulantur: Romæ ad electum Pontificem ex orbe toto publice gratulationes à Regum, Rerump. Principumque legatis habentur. Videtis ipſi Patauii cauſſas in iudiciis Romano more cauſidicorum contentione tra-

Digitized by Google

etari: noui ego Mediolani coram Senatu, qui uiris peritiſ-
ſimis iuris conſtat, iuriſconſultos oratione continuata reis
de capite, de repetundis, de ui, ceteriſque litigatoribus ad-
eſſe: Romæ item aduocati coram ſummo Pontifice multas
eodem dicendi tenore cauſſas agunt. Quid Venetiis illius
æmula vrbe? Clariſsimos uiros è flore nobilitatis in iudi-
cijs, in Senatu, in publico patriciorum conſilio certiſsimũ
eſt longiſsimis orationibus, ſi res poſtulet, ſine definitione
temporis perorare. Quid de concionibus dicam, quæ de
rebus diuinis à religioſis oratoribus, habentur ad populum
Chriſtianum, in vniuerſo propemodum orbe terrarum?
Copia, vis, vbertas, & eloquentiæ flumina, maxime ſcilicet
in hiſce orationibus è loco ſuperiore profunduntur. Nec
vero Tullianæ cauſſæ quidquam obeſt; quòd vernacula lin
gua multis in locis orationes habeantur: nam in quacum-
que lingua Ciceronianæ vis, ſplendor, impetus eloquentię;
quæ non ſola elocutione Latina continetur, per imitatio-
nem eminere, ſplendeſcere, clamores & admirationes po-
teſt efficere. Num ſcriptores argentei ſæculi ſunt aptiores
noſtro tempori ſtylo Ciceronis; quòd ille non in omni di- 19
cendi forma præſtiterit? At M. Tullius in triplici characte-
re floret, in infimo, medio, ſummo: non extra ripas effluit in
epiſtolis, dialogis, philoſophicis quæſtionibus: Philippicis
nihil omnino detrahi poteſt; adeo ſunt ſtructæ ſententiis,
nexæ verbis, omni luxurie circumciſa preſſæ, limatæ, per-
politæ; denique tam Atticę, quàm quę maxime: quas qui
fuerit imitatus, numquam tamquam verboſus, effuſus,
Aſianus ab vllis quantumuis eruditis, occupatis, impatien-
tibus auribus repudiabitur. Tacitum porro cuius laude vir-
tutis anteponitis M. Tullio? Qua fit orator dilucidus atque
perſpicuus? At ille paſsim adeo eſt obſcurus, vt egeat in-
terprete diligenti: Cicero vero noſter, vt ceteris omnibus
virtutibus, ita eſt hac laude clariſsimus: ſic loquitur, vt ne-
mo latine ſciens legendo curſim non intelligat. Cur loqui-
mur atque ſcribimus, niſi vt intelligamur? Cur à natura

ſermo

Digitized by Google

ſermo eſt inſtitutus, niſi vt mentis noſtræ loquentis in abdito ſenſa dilucide interpretetur? Egregia ſcilicet laus interpretis erit, vt alium interpretem expoſcat. Num præferunt elegantia, cultu, nitore? Si negauero virtutes eas adeo inſigniter in eo lucere, vt cum Tullianis conferri poſſint; ſi dixero, tantum ab illius magni viri ſplendore, munditia, culturaque orationis, quantum tempore, diſtare; Taciti defenſores falli me, vel fallere vos, dictitabunt. Conijcite vos quid ſentire, quid arbitrari debeatis ex opinione veterum; quibus tam parum placuit, vt vix lacunarum plenus, fœdatus maculis, truncus membris à vetuſtate confectrice rerum euaſerit: tametſi M. Claudius Tacitus Imperator, qui ad eum ſuum genus referebat, deſcribi, & in omnibus bibliothecis collocari iuſſerat, ne periret. Neque vero, Iuuenes optimi, quòd modos dicendi quoſdam nouos multis, antehac inauditos, abſtruſoſque protulerit, Ciceroni præſtare putandus eſt. Non vobis imponat nouitate. Quis hanc legem tulit, vt omnia vulgata, vulgaria ſint; vt omnia inaudita, præclara cenſeantur? Vbi poſt aliquot annos Taciti locutiones reconditiores ita fuerint vſu tritæ, vt Ciceronis epiſtolæ, quæ quotidie declarantur à ludimagiſtris, quotidie memoriæ commendantur à pueris; tunc apparebit vtræ meliores, Tullianæ ne an Cornelianæ ſint; vtræ ſplendidiores ad elegantiam, accommodatiores ad eloquentiam. Num denique præponitur Ciceroni, quòd valde aptus videatur hiſtoriæ contexendæ? Vtinam haberemus Ciceronis librum de rebus geſtis in conſulatu, & alterum de conſiliis ſuis, quos ambos nobis inuidorum improbitas ſuppreſſit: intelligeremus inde profectò quàm ipſe quoque eſſet idoneus hiſtoriæ conſcribendæ. Narrationes tam iucundæ, probabiles, accuratæ; deſcriptiones locorum, rerũque geſtarum, quibus orationes ſunt reſperſæ, declarant abunde, qui Ciceronis combiberit ſtylum, non admodum illi opus eſſe Tacito ad conficiendam hiſtoriam. Erat hiſtoricus Liuius veſter, & lactea claritate dulciſſimus; optabat

Orat. 1. n. 8.

Fl. Vopiſc. in Tac.

Aſc. Ped. in orat. in toga cand.

Boeth. l. 1. de muſ. cap. 1.

Orat. 18. n. 9.

ſui

ſui ſimilem eſſe filium, cui præcepta bene ſtudendi dabat. Quos ſcriptores legendos illi proponit? Demoſthenem ac Ciceronem; tum illis quemque ſimillimum. Nouerat doctus pater Ciceronis lectione filii ſtylum ad omne ſcriptionis genus poſſe ditari: nouerat eatenus quemque ſcriptorem fore vtilem adoleſcenti; quatenus Ciceronis imitatione ſcripſiſſet. Et quamquam nec Liuio, nec Cæſari, nec Salluſtio nobiliſſimis hiſtoricis Tacitum antefero, tamen eum æſtimo tanti, vt per me licet alter Thucydides habeatur; qua laude ampliſſima poteſt eſſe contentus. Sed idem plane iudiciũ de hoc Latino Thucydide facio, quod M.Tullius de Græco: Rerum geſtarum eum pronunciatorem ſincerum & grandem eſſe; imitandum ſi ſcribere hiſtoriam, non ſi dicere cogitemus: orationes interpoſitas laudabiles eſſe quidem, ſed non imitabiles: ad eloquentiã veram comparandam, quæ clamores facit, vtilem eſſe parum. Si laudationem funebrem, qua Virginium Ruſum co honeſtauit; ſi alias orationes, quas in foro dixit haberemus, aut ſententiam mutarem, aut moderarer; ſed illæ nuſquam apparent: neque tantum ex annalibus, & hiſtoriis ſplendoris erumpit, vt Ciceronis gloriam obſcuret, & eripiat illi delatum omnium conceſſu principatum. Maior eſſe poteſt de L.Seneca contentio, qui Ciceroni propior ætate fuit; qui plura, quàm Tacitus, & vberiore ſtylo ſcripſit, orationes, 20 epiſtolas, dialogos, naturales quæſtiones, & poemata; qui quo florebat tempore, & paullo poſt mortem, propter nouam dicendi ſcribendique rationem adoleſcentibus perplacebat: habebatur in delicijs eius oratio ſententioſa, dulcis, copioſa; qui laudatus eſt, non ab hiſtoricis modo, ſed etiam à magiſtris Chriſtianorum. Sed non ego eum Cicerone comparabo, ne ſim in Ciceronem iniurioſus; non illum vituperabo multis abundantem ornamentis, ne concitem in me fautorum odium, & patronorum: non de ingenio, de doctrina, de ſcriptis ſententiam feram, quod in iuuene non nihil arrogantiæ ſapere videretur. Mitto uos

Liu. ep. ad fil. apud Quin.l. 10.cap.1.

Cic.l.de cl.or. Quin.l.10.c.1.

Pl.l.2.ep.1.ad Vocon.

ad

Digitized by Google

ad Suetonium, ad Quinctilianum, ad Agellium, vbi C. Cæſaris Caligulæ Imperatoris, ipſius Quinctiliani, & aliorum eruditiſſimorum uirorum iudicium reperietis; inter quos conuenit, locutionem eius eſſe corruptam; & eo pernicioſiorem legentibus, quòd dulcibus vitiis abundet; rerum pondera minutiſſimis ſententijs frangere potius, quàm connectere: nimis amantem ſui, tempori, corruptisque moribus ſeruientem, non ingenio ſuo, ſed alieno peccare iudicio. Vos igitur, prudentes Iuuenes, hunc tam graui cenſura notatum Ciceroni, quem ipſe ſummum, inter reprehendendum, oratorem appellat, à quo Romanam eloquentiam extitiſſe confitetur, in imitatione veſtra præferetis? Nihil de Latrone, de Apro, de Afro, de Trachallo, de reliquis dicã à M. Seneca, & Quinctiliano cõmemoratis, quorum barbara, feratumque nomina vos ab imitatione deterrent, quòd maximam partem, declamatores ſunt è ſchola, non oratores. Panegyricorum vero auctores, ſi quid habent elegantiæ, ſi quid nitoris, ſi quid artificij, ſi quid laudis, totum id habent ex imitatione Ciceronis: ex eo fonte deriuarunt illi ſuos riuulos: ex eo ſole mutuati ſunt illi ſplẽdorem: ex eius officina per imitationem illi ſua tela prompſerunt. Nam quod dicunt moribus eloquentiam eſſe accommodandam, tam falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. Si mores corrupti ſint, effeminatique deliciis; ſi quotidie magis atque magis otio, deſidiaque langueſcant & infringantur; tu quoque mollitie dicendi tuum ingenium, linguã atque ſtylum effemines? Aſſentatorum id eſt, & in adulationem effuſorum hominum; qualis L. Seneca fuit, qui delicatis auribus, luxuriaque diffluentibus hominibus, oratione pariter luxurioſa, compoſitioneque laſciuiæ plena, non vt perſuadeant, ſed vt placeant, blandiuntur. Non in eorum numero vir fortis atque ſtrenuus Quinctilianus, qui dum corruptum, & omnibus vitiis fractum dicendi genus, ad ſeueriorem formam, hoc eſt ad Ciceronianam reuocare contendit, odium in ſe commouit improborum adoleſcentum,

Suet. in Calig. cap. 52.
Quin. l. 10. c. 1. & l. 12. c. 10.
Agell. l. 12. c. 2.

Digitized by Google

tum,qui Senecæ magis amabant vitia, quàm virtutes imi-
tabantur. Itaque Iuuenes ornatiſſimi, ſequimini clariſſimi 21
Rhetoris exemplum: conuertite in M. Tullium animum,
oculos,ſtylum,& imitationem : colligite flores tũ ex vtro-
que & Seneca & Plinio;tum è Tacito & aliis, ſi qui ſunt bo
ni ſcriptores, quos illa tulit ætas, quam argenteam uoco:
delibate quidquid eſt elegantiæ, quidquid leporis, quid-
Orat.16.n.7. quid argutiarum,vt oratione proxima me facere ſignifica-
bam. Non equidem eos ſcriptores negligo; non contem-
no,non repudio tantos viros; abeſt à me tam immane ſce-
lus:vt par eſt lego, magnifacio, complector: vnum exem-
plar nihilominus per omnia ſequendum vobis prædico Ci-
ceronem; cuius imitationi ceteri tamquam adminiſtri de-
ſeruiant: ille vnus eloquentiæ doctor,ille magiſter locutio-
nis;ille perfector ſit orationis;hi proſcholi,ſubdoctores,hy-
podidaſcali doctori primario ſtyli veſtri moderatorique
ſuas mediocres fortunas ſubminiſtrent. Illius vnius elo-
quentiæ ſpeciem toto pectore adamate; formam vtraque
manu in vobis exprimite: porrigant hi pingentibus vo-
bis colores ſecundarios. Arido denique palato ſanguinem
ſugite ſententiarum Tullianarum; ſitientibus faucibus ſor-
bete doctrinæ ſuccum;ore aperto vitalem ſpiritum leporis
haurite;dilatato gutture bibite verborum fontes, excipite
amplificationum flumina, quibus imbuatis ingenium, lin-
guam ſtylumque ſaginetis, atque orationem auctam ani-
metis: horum uero riuulos ſummis labris interdum attin-
gite, ut iucunda varietate compoſitionem aſpergatis.
Quid?ſcriptores ij,quos commemoraui,uelint nolint, be-
neficio,lectione,ſubſidio potiſsimum Ciceronis effecerũt,
ut uiui,cum dicerent, auditoribus probarentur; mortui cũ
leguntur,à poſteris laudentur; uos laudem uobis aliquam
viuis conficere, vos mortuis gloriam nominis parare poſſe
ſperatis,ſine diligentiſſima notatione, ſtudio, & obſerua-
S.Hier.l. de ſcript. eccl. tione Ciceronis? Lactantius Firmianus Criſpi Cæſaris ma
giſterio nobilis, tantam inter Chriſtianos ab imitatione

M.Tulii

Digitized by Google

M. Tullii gloriam eſt adeptus, vt Chriſtianus Cicero dicatur; S. Hieronymus maximam quoque culti ſtyli commendationem ex illo pertinaci ſtudio Ciceronianorum operum, cuius cauſſa vapulauit, eſt omnium iudicio conſecutus: vos falſa perſuaſio, ſine geminis alijs lectionis & imitationis M. Tullii conſcendi poſſe ad eloquentiæ faſtigium veſtris viribus, aut oratorum minutorum imitatione, credulos nimis confidentesue decipiet? Lectitatis aſſidue, conteritis, admiramini merito quidem ac iure, quinque orationes ad eloquentiæ ſpecimen editas Romæ, Petri Ioannis Perpiniani præſtantis oratoris, qui paucis ante annis mortuus in ordine noſtro Lutetiæ Pariſiorum, vbi concurſus, aſſenſiones, clamores Hiſpanus homo faciebat, viuet in memoria poſterorum ſempiterna: quod elegantia locutionis, ſuauiſſimo numero, claritate dicendi ſingulari, Ciceronem referre, loqui, ſpirare videatur. Quibus hic gradibus ad tam excelſam eloquentiæ ſedem aſcendit? Quibus facibus tantam nomini ſuo gloriam accendit? Quibus adiumentis dulciſſimam illam ſtylo molliſſimo effuſam orationis profluentiam comparauit? Attentiſſima lectione operum, ardentiſſimo ſtudio orationum, abſolutiſſima Ciceronis imitatione; quam vobis ſum hortator, auctor, impulſor vt ametis, oſculemini, complectamini: memores illius aureæ ſententiæ Quinctiliani cum adhortatione coniunctæ; quę digniſſima eſt, vt non cedro, non marmore, non ęre inſcribatur; ſed in adamante, vel etiam in immortali mente penitus inſculpatur: *Hunc igitur ſpectemus; hoc propoſitum ſit nobis exemplum: ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* *Quin. l. 10. c. 1.*

DE IMITATIONE ET LAVDIBVS M. T. CICERONIS,

Oratio Quarta. Oratio XVIII.

ARduum opus aggredior, Auditores; remque omnino magnam ac metuendam conor, & neſcio an vllam periculoſiorem, à quo tempore docere ac dicere cœpi, difficiliorem nuc ſuſceperim: qui ſolemni obligatus & ſæpius iterato promiſſo conſtituerim, in hoc ampliſſimo doctiſſimoq; gymnaſii Patauini theatro, nō Myrmillonem cū Samnite, Threcē cum Hoplomacho: Secutorem cum Retiario committere: ſed M. T. Ciceronem oratione proxima Latinorum oratorum ex contentione regem declaratum, cum Demoſthene Græcorum item principe, ad ſingulare certamen de principatu componere. 1 Iam nunc enim mente, & cogitatione proſpicio, quantum ea res vniuerſa ſit in agendo laboris & diſcriminis habitura, propter ipſius controuerſiæ difficultatem inexplicabilem propemodum atque inenodabilem; quæ diſertiſſimū & ingenioſiſſimum quemque non defatigare modo, ſed etiam debilitare poſſet ac frangere. Prouidet etiam animus hoc ipſo dicendi principio, non leuem inuidiæ flammam exarſuram è tantorum virorum inter ſe comparatione; quæ ſemper eſſe ſolet odioſiſsima; quòd ex ijs qui comparantur, nemo non habeat ſui ſtudioſos, ſuarumque laudum fautores: timet offenſionem Græcorum, quorum ſapientiſsima natio, quæ in Patauino bonarum artium domicilio, locum habet honeſtiſsimum, ægre latura videtur Demoſtheni M. Tullium anteponi. Vereor denique nonnullam arrogantiæ ſuſpicionem, ac prudentium virorum re-

reprehenſionem ex eo prouenturam, quòd quam ſententiam de duorum horum clariſsimi nominis oratorum principatu, doctiſsimi uiri ſæculis antegreſsis ferre non ſunt auſi; iuuenis obſcuri nominis, hoc primum anno in publicum Patauij prodiens, confidenter ipſe pronunciem. Sed in tanta rei difficultate, ac metu periculorum, vt me ſubire aleam cogit confirmata promiſsione neceſsitas; vt impellit gratus in Ciceronem animus atque amor, pro viribus ac veritate iuſtam, integram, abſolutam exigens laudationem; ita res illa conſolatur ac recreat formidantem; quòd vos audire de rebus controuerſis diſputantes conſueuiſtis, vt nihil præiudicati vobiſcum afferatis in concionē; nulla veſtræ mentis definitione præuer tatis oratorem; ſed ab eo quæſtionis enodationem, argumenta, probationes expectetis, ad finem vſque ſuſtinentes aſſenſum; & tum demum ſolidis rationibus, veritatique cognitæ perſpectæque cedatis. Itaque ſi, quam Deus beneuolentiam veſtram ad me patienter & humaniter audiendum, iam mihi conciliauit, & conſuetudo veſtra pollicetur, retinebitis: ſi, quā attentionem in tribus prioribus orationibus mihi præſtitiſtis, in hac quoque poſtrema conſeruabitis: ſpero fore vt vobis aſſentientibus atque approbantibus, M. Tullio ſtet ſuum decus, ſua laus, ſuus honos ſingularis per meam orationem ſtabilitus; tum in eloquentiæ vniuerſæ principatu per virtutem propriam conſtitutus, veſtro omnium iudicio, ſuam in prima ſede retineat dignitatem. Atque vt videatis quàm æquitati cauſſæ, quàm beneuolentiæ pruden-
2 tiæque veſtræ confidam; non refugiam audire patienter, quid homo natione Græcus, domo Athenienſis, profeſsione Rhetor, in hac ingreſsione mea a se diſputandum eſſet dicturus, non ſine ſtomacho, ſi hic adeſſet, & coram uobis loqui ſineretur: non grauabor ipſe vicem eius, partes, vocemque ſuſcipere; qui ſic opinor vociferaretur. Quid tu, Iuli, ſono Italus, ſermone Latinus, amore Ciceronianus Demoſthenem noſtrum voce vexas, verbis violas, oratio-

ne laceſsis? aut hanc iniurioſam illi comparationem; inuidioſam tibi contentionem inſtituis? ſine loco ſuo principem Græcorum oratorem, M. T. Ciceronis tui iudicio, teſtimonio, litteris conſignata ſententia, quam Quinctilianus ac ceteri Latini rhetores probauerunt. Eſt tuus iſte Cicero principatu contentus Latinorum oratorum, quibus eum tribus orationibus, & maxime poſtrema prætuliſti. Do amplius, vt à meditata pugna deſiſtas: ſit per me Cicero Demoſtheni par, pro ſua humanitate ſingulari, Demoſthenes auctore me, pacis ergo, M. Tullium æqualem patietur, ſinet, feret non grauate. Mundus duos ſoles ferre non poteſt ex naturæ vetantis lege; duos reges Aſia non tulit ob Alexandri Magni ſuperbiam, atque intolerandam cupiditatem dominandi: libentiſsima feret mortalium vniuerſitas duos eloquentiæ ſoles, Orientis alterum, alterum Occidentis, quos multos ab hinc annos iucundiſsime aſpexit: non repudiabit dicendi regnum duos reges alterum in Græcia, & alterum in Italia; Græca illum lingua dominantem, hunc Latina; quibus tot annos & ſæcula paruit. An vero non omnes Latinorum ſcriptores, ac magiſtri primarii, geminos hoſce oratores in ſumma æqualitate poſuerunt? Græcos auctores comprimo, ne rideantur; veſtros doctores produco, ne reijciantur. Quid T. Liuius urbis huius ſplendor ampliſsimus ſenſit, cum filium cariſsimum paternis monitis ad eloquentiam informabat? Demoſthenem ac Ciceronem legendos pariter, imitandoſque propoſuit: necnon eos, qui fuiſſent amborum imitatione ſimillimi. Quid omnes pueri filii Romanorum, uel à parentibus inſtituti, uel eloquentiæ cupiditate inſtincti optabant ætate Iuuenalis, & quinquatribus ſibi precabantur à Minerua, niſi

Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis?

Quid Iuuenalis ipſe poeta veſter, cenſor omnium acerrimus, de vtroque cenſet? pares ingenio facit, pares eloquentia, pares funere.

Cic. l. de or. l. de cl. or. l. de opt. gen. Quin. l. 10. c. 1.

Plut. in Apopht. Diod. Sic. l. 17.

Liu. apud Quin. l. 2. c. 5. & l. 10. cap. 1.

Iuuen. ſat. 10.

Idem ſat. 10.

Eloquio

Eloquio ſed uterque perit orator: vtrumque
Largus & exundas læta dedit ingenij fons.

Quinctiliani ſummi inter uos rhetoris iudicium liquet omnibus; qui modo virtutes eorum pleraſque ſimiles exiſtimat, conſilium, ordinem, diuidendi, præparandi rationẽ, & quæ ſunt inuentionis omnia: modo, tantum faſtigium eloquentiam à Demoſthene atque Cicerone accepiſſe; quantum ab Homero, & Virgilio poeſim, arbitratur. Non diſſentiunt Chriſtianorum magiſtri doctiſſimi. Tu ipſe retuliſti oratione prima validiſſimum argumentum Tertulliani contortum aduerſum idololatras, qui præſtantiſſimũ quemque in arte aliqua Deum per apotheoſim declarabãt: Ciceronem quoque coli diuinis honoribus potuiſſe, qui tam excelleret eloquentia. Cur Demoſthenem prætermiſiſti, quem eodem loco Tertullianus vt Ciceroni parem dicendi facultate mirabili, nominatim Deum, ſi vera eſſet hypotheſis, ſimiliter fieri debuiſſe contendit? S. Hieronymum æque Græcæ linguæ peritum, ac Latinæ protuliſti, qui M. Tullium propter eximiam & inuictam eloquentiæ vim, collocat inter hominum reges, & oracula: cur te fugit Demoſthenes, quem in eadem cum Cicerone, & Ariſtotele dignitate coniunxit? Num putas latere me, pulcherrimum in Ciceronem eulogium omnium Latinorum conſenſu conformatum, æqualem cum Dimoſthene continẽs laudem; quod Hieronymus idẽ, etſi tanto propenſior in M. Tullium, quàm Demoſthenem, quanto natione Latinis propior, quàm Græcis: tamen amantiſſimus veritatis memoriæ prodidit poſterorum? *Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus orator, tu illi ne ſolus.* Denique Sidonius Apollinaris eloquentiæ ſidus in Galliis ætate ſua, cur Ioannem rhetorem diſertiſſimum, qui maxima cum gloria Gallicanam iuuentutem erudierat, ſtatuis & imaginibus, vt alterum Demoſthenem, aut alterum Tullium ducit eſſe digniſſimum; niſi quia vtrumque oratorem in pari gradu facultatis poſitum vel à natura, vel ab induſtria in pari laude collo-

Quin. l. 10 c. 1.
Idem. l. 12. c. 11
Orat. 15. n. 23
S. Hier. ep. 2. ad Nepot.
Sid l. 8. ep. 2. ad Ioann.

collocabat? Quid quod Plutarcho, Luciano, Suida, Libanio, ceteriſque Græcis auctoribus prætermiſſis, quos vobis ſuſpectos teſtes fore intelligo, poſſem luculentiſſimo teſtimonio Latinorum, Ciceroni Demoſthenem anteponere? Hic iam, Auditores, Athenienſis huius rhetoris, Demoſthenisque patroni tam ſagacis, qui de noſtro armamentario tot tela, tot arma deprompſit, linguam reprimendam puto tantiſper, dum ego Ciceronis patronus, clientis mei cauſſam pro iure ac veritate defendo. Nihil occultabo, nihil ſupprimam, nihil diſſimulabo eorum, quæ dicturus erat: prouideo, præſagio, diuino, quæ in Demoſthenis commendationem aſſidua meditatione comparauerat. Niſi me hic præuertere voluiſſet, laudaſſem illum, vt alio loco ac tempore, quantum à nemine ſæculo noſtro, vel memini, vel legi fuiſſe laudatum. Addidiſſem communibus eulogiis, quæ protulit; Demoſthenem ac Ciceronem eſſe duo lumina ingeniorum, quorum alterum Athenas, Atticam, Græciam, Orientem; alterum Romam, Latium, Italiam, Occidentem illuſtrat: duo fulmina, non belli, vt apud Virgilium Scipiones, qui in Hiſpania pro patria occubuerunt, ſed fori ac iudiciorum, vbi omnia miſcebant, inflammabant, proſternebant: duo flumina copiæ, maxima totius orbis, quales Nilus & Indus; quæ per ipſorum linguas, & ora continenter ab ingenii montibus, à memoriæ fontibus defluxerunt: geminos vertices quibus oratorius ſtylus eloquentiæ cæleſtis, vtrinque fulcitur; quibus cælum ſcriptæ orationis, ornamentorum diſtinctum ſtellis nititur atque conuertitur: gemina labra facultatis dicendi, quibus lepos, & perſuaſio multo magis, quàm in ore ac lingua Periclis, inſidebat: geminos denique oculos rhetoricæ, quorũ acies in inuentione, ſplendor in elocutione, venuſtas in geſtibus varia ſupellex in memoria, rerum ordo in diſpoſitione, lacrymæ in fletibus, hilaritas in iocis, ardor in perturbando, poſtremum intentio, remiſsio, coniectus, *gratia viuax* in pronunciando, faciem eius artis pulchram, formoſam ac venu-

Virg. l. 6. Aen.

Orat. 16 n. 5.

S. Chryſ. in c. 2 Iſa.

Hor. in poet.

venuſtam reddiderant vſque eò, vt pereuntibus omnium rhetorum libris, oratorum omnium orationibus, ipſa duorum horum dicendi magiſtrorum erudita tum vſu, tum præceptis, aſpectu ſuo quemque facere potuiſſet eloquentem. De Demoſthene, quem equidem Phœnicem æui ſui vocitare conſueui, nominatim dixiſſem, cum Philippo Macedoniæ rege, non pugilem eum aut athletam; qualis Iſocrates videbatur in vmbra ſcholæ deliteſcens, ſed militem ſtrenuum fuiſſe, *Orat. 6. n. 4.* pugnacemque in ſole ac puluere certaminis bellatorem: cum Leoſthene commendaſſem eius orationem, quæ ſola viua dici poteſt, non malleo fabricata: cum Pythea & Chalco, quamquam inuidis ac maledicis hominibus, eandem olere lucernam vigiliarum, curæ, diligentiæ: cum Aeſchine inimiciſsimo aduerſario celebraſſem vim inuictam pronunciandi. Quoniam vero Græci Demoſthenis laudatores, vel ante natum Ciceronem vixerunt, qui poſt trecentos circiter annos à nato Demoſthene Latium illuminare cœpit; vel Ciceronis ſcripta non viderunt; vel ſi qui legerunt, amore capti nationis in re cõtrouerſa palmam oratori Græco putantur detuliſſe: Latinos ſcriptores protuliſſem minime inuidos gloriæ tam benemeriti viri, qui virtutes eius animo candido obſeruauerunt, & ſtylo ſincero laudauerunt. Quàm amans De- *Quin. l. 10. c. 1.* moſthenis Quinctilianus, qui Græcorum oratorum longe *Pl. l. 9 ep. 26.* principem vocat, & pæne legem orandi? quàm Plinius mi- *ad Luperc.* nor, cui uiſus ille norma eſt, & regula oratoris? Quanti *Val. Max. l. 8. cap. 7.* æſtimatur à Valerio Maximo, qui Demoſthenis nomine commemorato maximam eloquentiæ perfectionem audientis animo cenſet oboriri? Quàm alte impreſſus animo Hieronymi; qui illum propter impetum contortarum *S. Hier. ep. 8. ad Demetriad.* vibratarumque ſententiarum ſæpe demiratur? Omitto de M. Tullio dicere, qui modo illum pæne perfectum oratorem, cui nihil admodum deſit, modo vnum eminere inter *Cic. l. de cl. or. l. de or. & c.* omnes in omni genere dicendi prædicat: modo ſummam ei vim dicendi concedit; alias cum adeo dicere Attice ſcri-

bit,

bit, vt ne Athenas quidem ipſas magis Atticas putet: alias ad eum ex tota Græcia concurſus audiendi gratia fieri conſueuiſſe: alias oratione pro Cteſiphonte nihil perfectius fieri potuiſſe: denique hunc habet in oculis, in ore, in pectore, legendo, laudando, colendo; cuius diligentiam ſtrenuam in abradendis naturæ vitiis cum omnibus Græcis Latiniſque ſcriptoribus ferens in cœlum obſtupeſcit. Quis igitur audiens me tam magnifice de clariſsimo Græcorũ oratorum principe ſentientem, ac loquentem; tam ingenuo pectore, copioſaque lingua laudes eius conglobantem, exiſtimet à me aut odio Græcorum; aut beneuolentia Latinorum; aut maledicendi ſtudio, aut obtrectandi libidine tantam hodierno die fuiſſe contentionem inſtitutam: & non potius, ut uere eſt, arbitretur me amore veritatis, vtilitatiſque veſtræ cupiditate adductum in tantum veniſſe diſcrimen; metuẽtem ne dum Demoſthenem alienæ linguæ oratorem meliorem putaretis; & cum iactura temporis, impenſa pecuniarum, labore maximo fructum aliquem ex eius ſolius imitatione quæreretis; Ciceronem noſtratem vtiliorem, obuium, facilem ſemper in promptu faſtidioſe ſperneretis? Quo loco vos iterum rogo, ſi quam opinionem in hac difficillima controuerſia, iam mentibus veſtris comprehendiſtis, vt eam tantiſper ſtum pet oro, deponatis: ſi eam vis argumentorum conuellet, ſi qua exquiſita ratio labefactabit, ſi veritas extorquebit, ne repugnetis, animiſque veſtris eam aut libentibus, aut æquis remittatis: tum autem cum ego mea dicam, & confirmabo; cum aduerſaria redarguam, & euertam; ne ipſi, quæ contraria ſunt taciti cogitationi veſtræ ſubijciatis; ſed ad extremum expectetis, & me meum ordinem ſeruare patiamini: cum perorauero, tum ſi quid erit præteritum, ſi quid omiſſum, ſi quid non abunde probatum, aut non ſtrenue refutatum, à me requiratis. Multum obeſt veritati cognoſcendæ præiudicata opinio: multum contra prodeſt auditorum in iudicando mora, iudicium ad finem uſque ſuſtinens, aſſen- 6

ſumque

ſumque ſuſpendens: multa dicuntur in curſu orationis ab oratore, quę minus expectabat auditor; qui, ob ea, ſe tacita reprehenſione ſæpe coarguit dicens ſibi ipſi, quod eſt turpe, *Non putaram.* Opinor vobis auditum Pauſonis excellentis pictoris factum; qui cum in puluere ſe volutantem equum pingendum recepiſſet, currentem pinxit: in officinam ingreſſus, qui picturam eam faciendam locauerat mirari, dolere, vociferari non id voluiſſe; contra Pauſo ſubridere, pactam pecuniam poſcere, perfectum opus laudare; *Plut. l. de orat. Pythia.* tandem cum ille ſtomachans, artificium non caperet, pictor inuertit tabulam; & equus calcibus aerem verberans *Lucian. in encom. Demoſth.* apparuit, qui antea feſtino nimis homini; pictoriſque vltimam manum præuertenti currere putabatur. *Ael. l. 14. Var. hiſt. cap. 15.* Vos pariter monet, Adoleſcentes, Pauſo; vobis ſingulis totius controuerſiæ iudicium ad extremum reſeruandum ſuadet. Nam ſi cuius oculis vetus aliqua fingit opinio Demoſthenem currentem, iacentem in puluere Ciceronem; ſi tabulam orationis meæ lineis extremis abſolui permiſerit; ſi quæ pro Cicerone dicuntur fulciri, comprobari, muniri; quæ aduerſus eumdem intorquentur, refelli, infringi, retorqueri patienter audierit, is profecto tabulam inuerſam intuens viſurus eſt, iacente Demoſthene, M. Tullium tamquam generoſum equum ex Olympico puluere victorem exultare, atque erecta ceruice *Virg. l. 3. Geor.*

Greſſus glomerare ſuperbos.

Qua nam enim re iure poſſunt Ciceroni Demoſthenem *Quin. l. 12. c. 6*
7 anteferre? Quòd anno duodeuigeſimo ineunte tutoribus *Plut. in Dem.* litem intendens primam cauſſam egerit; Cicerone ſexto *Agell. l. 15. ca. 28.* & vigeſimo Quinctij defenſione primum lumen Romanis oſtendente? Potuit, vt equidem arbitror eadem plane ætate, qua Demoſthenes, vel etiam minore id ipſum facere M. Tullius: non os deerat, non ingenium, non exercitatio: defuit cauſſa, neceſſitas, voluntas. Noluit famam præcocis *Adag. col. 1037.* ingenij, non boni ominis apud ſapientes: repudiauit commendationem audaciæ puerilis, quæ in ætatem inſequen-

tem ad infamiam redundaret: neglexit illas laudes, quibus auditores in adoleſcentibus partim blandiendo, partim aſſentando vt animos addant, non fructus, ſed flores: non rem, ſed ſpem; non maturitatem, ſed expectationem; non eloquentiam, ſed conatum laudant. Noluit prudens adoleſcens metuens futuros euentus plus exiſtimationis obijcere periculo, quàm laboris exponere gloriæ conſequendæ. Voluit denique paullo grandior venire in publicum ita præparatus, inſtructus, meditatus, vt pæne certus de victoria forenſem laudem ex actione gloriamque decerperet. Deinde quantula eſt ad eloquentiæ principatum, iſthæc acerba & immatura gloriola ex intempeſtiua in publicum progreſſione collecta? Num quicumque vel æquali, vel minore ætate cauſſas egerunt, habiti ſunt principes oratorum? Octauius, qui poſtea Cæſar Auguſtus dictus eſt, in prætexta duodecim natus annos auiam pro roſtris more maiorum laudauit: Aſinius pater anno ætatis viceſimo, ſiue vt alij malunt, altero & viceſimo, magno totius concurſu ciuitatis Catonem, Cicerone, Caluo, Scauro defendentibus accuſauit. C. Cæſar vno, & viceſimo Corn. Dolabellam conſularem, & triumphalem repetundarum reum fecit; Caluus non multo ætate antecedens Vatinium: & alij multo ante quæſtoriam ætatē grauiſſimas in iudiciis cauſſas ſuſceperunt: quem horum præpropera hæc ad dicendū feſtinatio, præmaturaque in foro iactatio prouexit ad eloquentiæ principatum? Quid quòd dubitari ſolet vtrum illæ orationes ab ipſis, qui dixerunt, an à Ludimagiſtris ſint compoſitæ, tum memoriæ commendatæ ab adoleſcentibus, qui nihil de ſuo, præter pronunciationem vociſque ſpiritum (vt in laudatione Claudii Nero Imperator) adhibuerint? Et dubitatum eſt de primis illis, vt ita dicam, pupillaribus Demoſthenis; ſuſpicati ſunt multi ſcriptas ab Iſæo vehementiſsimo oratore, nobiliſsimoque magiſtro dicendi, quo tum vtebatur adoleſcens. Libanius certe Græcus interpres, & amantiſſimus tui, Demoſthenes, ab Iſæo

Quin. l. 12 c. 6. & dial. de or.

Libā. in Dem.

recognitas, emendatas, perpolitas minimè diffitetur. Nũc & gloriare de puerilibus orationibus, in quibus non niſi puerilem es laudem conſecutus: Nam ſi primam orationem forenſem in ætate matura tuo, non Iſæi compoſitam ingenio; tuo, non alieno limatam ſtylo, ſeptimo & viceſimo ætatis anno traditam Euctemoni ac Diodoro ad accuſandum Androtionem iactas; id ſine laude facis compoſitus M. Tullio; qui P. Quinctium, vt audiuiſti, te minor anno, non accuſauit, ſed defendit & ſua, non aliena voce defendit. *Plut. in Dem. Agell. l. 15. c. 28.*

8 Ex hac prima impreſſione repulſi maiorem impetum in Ciceronem faciunt, per acceptam à Platone philoſophorum & oratorum parente diſciplinam, è cuius ore ac pectore Demoſthenes verborum granditatem, dicendique copiam, cum rerum ubertate, doctrinarumque ſcientia cõbiberat. Do verum id eſſe, quod Ciceronem ſecuti multi Demoſthenis ſtudioſiſſimi prodiderunt, auditum ab eo Platonem; tametſi non defuerunt, qui rem dubiam putauerunt. Sed quàm diu potuit aures illi dare, qui vix egreſſus è pueritia, cum Calliſtratum oratorem præſtantiſsimũ tum gloria florentem, concurſusque ad ſe audiendum facientem, ſemel audiens admiratus, eloquentiæ captus amore, poſthabitis aliis diſciplinis uni dicendi arti cognoſcendæ ſub Iſæo magiſtro ſe impendit, vnius eloquentiæ ſe meditationi dicauit? Philoſophiam à limine ſalutauit; non ingredi per tempus licuit in adyta, non in penetrales intimoſque receſſus, ubi ſapientiæ theſauri reconduntur. At Cicero noſter lux doctrinarum, nullius artis neſcius, philoſophus pariter & orator, Platonis æmulus, vt alias docui, tametſi non hunc audijt uoce docentem, ut fortaſſe Demoſthenes: legit tamen ſtylo lectores erudientem; euoluit, expendit, latinè multa uertens ſuxit, deníque totum, quantus eſt, auidiſsime ingenio ac memoria deuorauit. Quod ſi Demoſthenem Platonis ſtudio non uicit, ſed æquauit; (quamquam Demoſthenem uictum arbitror) eo certe

Cic. l. 1. de or. Quin. l. 12. cap. 10. dial. de or. orat. 10. n. 33.

orat. 4. n. 29.

Orat. 15. n. 11

 ſu-

ſuperauit, quòd Ariſtotelis peripateticorum antiſtitis, quē
Orat. 19. n. 14. magiſter eius Plato propter ingenij magnitudinem gymnaſij
32. 33. ſui mentem; propter ingentem amorem ueræ ſapientiæ, philoſophum ueritatis; propter inexhauſtam ſciendi cupiditatem librorum helluonem nominabat, philoſophiā adamauit, nec leuiter aſpexit, ſed diligenter introſpexit. Quid, quòd præſtantiſſimos quoſque uel acumine, uel eruditione philoſophos ætatis ſuę conſuluit, audiit, expreſſit? Philonem Academię principem adoleſcens doctorem habuit
Cic. l. de cl. or. Romæ; totumque ſe ei tradidit admirabili quodam ad
Plut. in Cic. philoſophiam ſtudio concitatus: poſt cum ſtoico Diodoto noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione uerſatus eſt diu, qui apud eum & habitauit, & mortuus eſt. Tum ſex menſes Athenis cum Antiocho ueteris Academiæ nobiliſſimo & prudentiſſimo philoſopho fuit; philoſophięque ſtudium à prima cultum adoleſcentia, numquā intermiſſum, ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore,
Agell. l. 19. cap. 14. & doctore renouauit. Poſtremo P. Nigidio, cuius apud
Plut. in Cic. Agellium eſt adeo frequens & honorifica mentio, non tam magiſtro, quàm ſocio philoſophici ſtudii multos annos eſt uſus. In quo quatenus profecerit, declarat Gręci philoſophi cognomentum, quod à Romanis eſt adeptus adoleſcēs: patefacit doctiſſimorum uirorum, in omni poſteritate iudicium, qui doctrinam eius tanti æſtimarunt, quanti prima eſt oratione probatum: ſignificant orationes omnium
Orat. 15. n. 12. doctrinarum diſtinctę notis, omnium liberalium artium reſperſę floribus, ut Plutarchus ęgre ferens Demoſthenē ſuum in hoc ſuperari, non animo amico notauit. Denique tam multi docent libri conſcripti tum ingenii, tum eloquētię monumenta; in quibus nemo non admiratur omnium ſcientiam doctrinarum; nemo non omnes philoſophię partes illuſtratas agnoſcit ab eo, qui rebus obſoletis nouitatē dedit, nouis auctoritatem, obſcuris lucem, ueteris gratiam, probabilitatem omnibus, & qui tam multa ſcripſit, quàm
Cic. l. de or. multa nullus orator, ne in Gręco quidem otio ſcripſiſſe

per-

perhibetur, Dialecticam in topicis illuſtrauit; moralem in
libris de finibus, de gloria, de officiis, de amicitia, in quæ-
ſtionibus Tuſculanis, in Hortenſio: politiam in libris de *Cic. l. 2. de offic.*
Rep. de legibus, in epiſtola ad Q. fratrem de prouinciæ
Aſiæ gubernatione: naturæ totius cognitionem in libris de *Seru. l. 5. an.*
fato, diuinatione, vniuerſitate: de auguriis, natura Deorũ:
in quæſtionibus Academicis: œconomiam in dialogo de
ſenectute, & in libris œconomicon, quorum è tertio Ma- *Agell. l. 15. c. 5. Macr. l. 3. ſat. cap. 20.*
crobius recitat teſtimonium. Calluit ne ius ciuile veſter
Demoſthenes? aut parum, aut nihil. At noſter Cicero per-
calluit. Mutium iuriſconſultum clariſſimum audiit Romæ: *Plut. in Cic.*
cœpit ætate procedente de iure ſcribere aliquid: ſcripſitq; *Quin. l. 12. c. 3.*
librum de iure ciuili in artem redigendo, quem nobis hoc *Agell. l. 1 c. 22. Cariſ. l. 1.*
tempore maxime neceſſarium, & ab iuriſconſultis pruden
tibus expetitum, iniuria temporum intercepit: tum habita
pro L. Murena oratio ſatis legentibus oſtendit, quantos
habuiſſet in iuris legumque ſcientia progreſſus. Nouit poe-
ſim Demoſthenes? Nihil extat ſcriptum vnde eum artis
poeticæ facultate inſtructum fuiſſe conijciamus. Sed M. *M. Sen. præf. l. 3. contr.*
Tullius eo uſque profecit in ea, vt puer verſu tetrametro
Pontij Glauci nomine poema condiderit; vt adoleſcens *Plut. in Cic.*
Romanorum omnium poetarum optimus iudicaretur: vt *Cic l. 1. ep. 17. ad Attic.*
quingenta carmina nocte vna profuderit: vt poſt conſula-
tum quoque tam magnas inter tempeſtates, quibus eius
magnitudo fluctibus inuidiæ iactabatur, poemata ſcripſiſſe
reperiatur. Tenebat ne Demoſthenes peregrinæ alicuius
nobilis atque eruditæ linguæ cognitionem & vſum, vnde
nouatum rerum in dies magis, animus eius ſcientia tum le-
gendo doctorum ſcriptorum libros, tum loquendo cum
ſcientiſſimis nationis illius uiris paſceretur? Minime vero;
quòd Græcis litteris & libris ſapientiam vniuerſam inclu-
ſam teneri fere omnes, & Athenienſes potiſſimum arbitra
rentur. Verum Cicero tam bene tenuit Græcorum linguã
Romanis externam & aduentitiam, ſed eruditiſſimam, tũ
magiſtrorum opera; tum familiari Græce loquentium con-

ſue-

ſuetudine: tum optimorum quorumque poetarum, oratorum, philoſophorum, rhetorum, hiſtoricorum lectione cōparatam; vt in Achaia, Sicilia, Aſia, Cilicia, quotieſcumque prouincias illas adijt, cum incolis Græce expeditiſſime loqueretur. Platonis, Xenophontiſque diſputationes, Arati de ſtellis verſus, Demoſthenis & Aeſchinis orationes inter ſe contrarias in Latinum conuerterit: librum de conſulatu ſuo Græce ſcripſerit, & Athenas ad Pomponium Atticū amiciſſimum miſerit: & quod eſt omnium maximum, tum Romæ, tum Rhodi cum auditorum admiratione ſæpiſſime declamaret. Vident ergo Demoſthenis patrocinio profuiſſe nihil, auditi Platonis mentionem intuliſſe; cum intelligant M. Tullium illi magiſtrorum ſapientia & numero, ſtudij diuturnitate, doctrinarum multitudine, varietate diſciplinarum, in omnibus artibus progreſſu, ſcriptis libris, & carminibus ſcientia linguarum eruditarum victorem anteiſſe.

Orat.7.n.11. Plut. in Cic. Cic.l.1.ep.17. & 18. ad Attic.

10 Machinam impingunt aliam ſpe maiore, petitum argumentum ab aduerſario contorquent; ſed, vt equidem ſpero, non euentu feliciore, quàm ſuperiora. Demoſthenem præſtantiorem iactant actionis ui, impetuque dicendi. Probant Aeſchinis inimiciſſimi oratoris atque exercitatiſſimi teſtimonio, qui pulſus in exilium ab eius eloquentia, Rhodiis ſua primum oratione lecta, deinde Demoſthenis, mirantibus illis atque laudantibus dixiſſe fertur. *Quanto magis admiraremini ſi illum audiſſetis?* Quibus verbis ſignificauit aduerſarii Demoſthenis actionem opinione omnium vehementiorem incitatioremque fuiſſe: non inter ſe voce, ſed vt loquitur S. Hieronymus, fulminibus contendiſſe. Si dixit Aeſchines ea verba, quæ referuntur, Auditores; ea dixit arbitratus ſua permultum ad exiſtimationem intereſſe, Demoſthenis impetum amplificare verbis, cui non par ipſe fuerit, cui non ſuis armis reſtitiſſet: quò facilius vel ignauiam tegeret, vel culpam minueret; vel exilii calamitatem excuſaret. Sed à Plinio minore verba Græca referente didici θηρίον ab Aeſchine Demoſthe-

Orat.8.n.11.

Orat.4 n.15.

Pl.l.2.ep 3. ad Nepot.

nem

nem appellatum, cum, nec ſine ſuſpirio, dixit exclamans, quemadmodum Hieronymus interpretatur ad verbum, *Quid ſi ipſam beſtiam ſua verba reſonantem audiuiſſetis?* *S. Hier. ep. 103. ad Paulin.* Quæ laus eſſe poteſt in hac forma loquendi? Declarat illa quidem in agendo Demoſthenem fuiſſe vehementem, fortem, ferocem; ſed tamen iniucundum, inhumanum, ferum, qui tamquam aliqua bellua fremeret, ac frenderet. Non id inimice dictum, non criminoſe; ſed vere. Numquid non audiuiſtis ſæpe, quot & quantis vitiis eſſet eius naturalis actio corporis, & vocis pronunciatio fœdata? quoties, antequàm diligentia, pertinaci, mirabili, & ſine exemplo, linguę geſtusque prauitates correxiſſet, à populo repulſus fuiſſet, atque in deſperationem pæne coniectus? Cur Argas, ſiue *Plut. in Dem.* Agras eſt ab Athenienſibus cognomento dictus; niſi propter duritiam in dicendo, qua non mediocriter obtundebantur? Non talis Cicero noſter, qui numquam adeo vitio-
11 ſam intulit in forũ actionem; numquam tam deprauatam pronunciationem, vt exſibilaretur; qui noua quadam ratione ſupra fidem humanam, tam prudenter ſuauitatem cũ impetu; vim cum iucunditate; flammas cum melle temperauit, vt non minus oris, geſtus, omniſque cuncti corporis, & membrorum ſingulorum motus auditorum oculis gratus accideret; non minus vocis ſonus; appellatio litterarũ, verborum impreſſio, totius conformatæ ratio pronunciationis iucunda concionis auribus affluerer, cum arderet, fulguraret, fulmina iaceret; quàm cum aſſentando, mulcendo, laudando blandiretur. Humaniſsimum hominem vox ſuauiſsima & maxima, non beſtiam ferina & aſpera ſonabat in pronunciando: non feritas, non immanitas, non furor belluæ, ſed hominis ratione præditi, compotis ſui, vis; ardor, impetus apparebat in agendo. Senſerat hanc differentiam, & acu tetigerat Sidonius, qui de ſuo Claudiano ſcripſit, *Iraſcitur vt Demoſthenes, perſuadet vt Tullius.* *Sid l. 4. ep. 3. ad Claudian.* Notabat immoderatam Demoſthenis impotentis iracundiã, feratum ſimilem ab Aeſchine ſignificatam: commendabat

per-

perſuaſionem humanam Ciceronis; quæ non iræ, nō alius
effrenatæ perturbationis furore, ſed argumentorum ui, ſed
amplificationum impetu, ſed affectuum vehementiū qui-
dem, at moderatorum permotione nitebatur. Hanc per-
ſuaſionem tu ſine fulminibus fuiſſe dicas? Te Papiri Pæte
Orat.4.n.15. compello, qui ſæpe flammas & fulgura videras; qui ſonitū,
& tonitruum audieras actionis Ciceronianæ: te voco teſtē,
qui ſcriptis litteris verborum, quæ vibrabant ex ore M.
Tullii, fulmina mirabaris: teſtificare, quod verum eſt, ab
aquila generoſi animi, non ab alicuius belluæ furore ſub-
miniſtrata fuiſſe. Vos item C. Verres, & L. Catilina, vos ge-
minos exules appello, qui tacti M. Tullii fulminibus, vt
Aeſchines, & ſemiuſtulati Roma profugiſtis; ambo dicite
pro veſtra nobilitate generis ingenue, beſtiæ ne iracundia
fulmina illa, quæ vos ictos, afflictosque proſtrauerunt, iacta-
uit; an hominis iuſtitiæ Reique publicæ amantiſsimi, intra
rationis gyrum incluſa vis emiſit? Non ea poteſtis ignora-
re quibus interfuiſtis; non obliti eſſe, quæ præſentes audi-
ſtis, vidiſtis & cū ſummo dolore veſtro ſenſiſtis; non debe-
tis negare teſtimonium, quod veritatis indagandæ neceſ-
ſitas exigit, quod oratoris Romani laus poſtulat; quod di-
gnitas eloquentiæ Latinæ depoſcit. Verum, quia non ſunt
negaturi, ſi producantur, non amplius vrgebo; ſed illis re- 12
ſpondebo, qui cum Aeſchinis teſtimonium abiectum fra-
ctumque videant, proferunt è claſſe Latinorum Quinti-
lianum, cuius hæc verba ſunt, quæ ſententiæ ſuæ reliquit
de principatu Demoſthenis monumenta. *Cedendum ve-
ro in hoc quidem, quòd ille, & prior fuit, & magna ex parte*
Quin.l.10.c.1. *Ciceronem quantus eſt, fecit.* In hoc loco, nec ea quæ ante-
grediuntur, nec ea quæ ſequuntur, quibus Demoſtheni Ci
cero præfertur, intuentes, exultant, canunt victoriam, &
triumphant. Miror equidem hoc ſolo primas alicui deberi,
quòd magni viri fuerit magiſter. Si recta hæc eſt argumen
tandi forma; detur principatus Calliſtrato, detur Iſæo, de-
tur Pericli, detur aliis Græcis tum rhetoribus, tum oratori-
bus,

bus, quos Demoſthenes vel præceptores habuit, vel imitatione diligenter expreſſit, quia priores fuerunt, & magna ex parte Demoſthenem, quantus eſt, effecerunt. Nullus per uos fuit vmquam magiſtro ſuo ſuperior ac maior: non Pythagoras, non Socrates, non Ariſtoteles, non Hieronymus, non Auguſtinus, non Boethius, non Thomas. Cicero per vos neque Catonem, neque Lælium, neque Cottam, neque Plotium Ludimagiſtrum, neque alios quibus partim Latinitatis, partim eloquentiæ vel mutis, vel loquentibus doctoribus eſt vſus, anteceſſit. O peruerſam argumentandi rationem: o logicæ ſubtilitatis notabilem ignorantiam. Iugulatur cauſſa veſtra per ea, quæ ſubijciũtur. Cum enim ad imitationem Græcorum, non vnius Demoſthenis, ſe M. Tullium contuliſſe dixiſſet, quidnam infert? quid deducit? quid concludit? Audite quæſo diligenter, verba perpendite, ſenſumque memoriæ commendate: videtur, inquit, *effinxiſſe vim Demoſthenis:* ecce fulmina, vis, impetus Demoſthenis expreſſus à Cicerone, quod negabatur: par ergo Cicero, non illo minor, cuius vim effinxit. Quod ſubditur iam maiorem Demoſthene facit: *Copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis.* Horum quoque primariam vniuſcuiuſque virtutem expreſſit: quibus verbis innuitur primum Demoſtheni copiam, & iucunditatem, vel defuiſſe, vel neutram inſignem in eo floruiſſe, quando tribuitur illa Platoni, hæc Iſocrati conceditur. Nec ſuſpicio temeraria eſt, nec infirma coniectura; quòd illud decãtari ſentio de locutione Demoſthenis; aſtrictam eam eſſe, denſam, & nihil illi detrahi poſſe; qui loquendi modi, tametſi laudem tribuunt, præſeferunt tamen ſiccitatis ac ieiunitatis, quæ copiæ eſt inimica, ſignificationem non exiguam. Suauitate carere Demoſthenis orationem ſatis ſuperque ſenſit, & manifeſto ſcripſit M. Seneca, qui Calui oratoris compoſitionem ad exemplum Demoſthenis *rigere* dixit, *nihil in illa placidum, nihil lene* ineſſe. Quid eſt rigere, niſi aſperum eſſe, niſi durum? quam aſperitatem ac

Quin. l. 10. c. 1.

M. Sen. l. 7. contr. 4.

duritiam in actione quoque atque pronunciatione, vt dixi-
mus Athenienſes, Argi cognomine impoſito notauerunt.
Plane demõſtratur iiſdem verbis, Ciceronem eo Demoſt-
hene maiorem videri, quòd non vim vnam, quam Demoſt
heni ſolam aſſignat, habuit Cicero; ſed alias duas virtutes,
quibus Plato, & Iſocrates inſignes erant, Demoſthenes
carebat: quam ob cauſſam iure toties Quinctilianus lecto-
Quin.l.2.c.5. l.10.cap.1. res ac diſcipulos ſuos ad Ciceronem mittit, & ad aman-
dum, legendum, imitandum cohortatur. Nam cum alii
vociferantur in primo gradu ſtatuendum eſſe Demoſthe- 13
nem; quòd primas illi Cicero ipſe deferat; quòd qui ſe ſua-
que glorioſe prædicando iactare ſoleat, illi ſe numquam
antetulit; quòd denique ab aliis ea tribuantur eulogia De-
moſtheni, iam à me commemorata, quibus princeps decla-
ratur; falluntur ac vehementer errant. Non equidem nego
Demoſtheni primas à Cicerone concedi cum Græcis ora-
toribus comparato, quòd meliorem non legerit oratorem;
ſed quòd perfectum omnibus numeris iudicarit, ſibique
prætulerit inuenies nuſquam. Quoties ipſe conqueritur, vt
optime noſtis, ab eo non expleri ſuas aures: non ſibi plene
Orat.16.n.21. ſatisfacere: dormitare non numquam; non eſſe plane per-
fectum? Quòd ſe non illi præpoſuit, id modeſtiæ fuit, quã
viri prudentis officium ab eo requirebat: quòd nec eum-
dem ſibi ipſe antepoſuit, argumentum eſt probabile ſatis,
ſperaſſe bonitate naturæ, diuturna exercitatione, ſtudio-
que diligenti ſe ad illius æqualitatem peruenturum. Mi-
ror autem patronis eius veniſſe in mentem laudum ac
prædicationis amorem, quem obiicerent Ciceroni: quaſi
vero Demoſthenes innocentiſſimus hac qualicumque cul
pa caruiſſet. Non hi nouerunt corruptæ mortalium natu-
ræ ſitim, quæ auidiſſima famæ, cupidiſſima honorum, appe-
tentiſſima gloriæ, quacumque ratione poteſt laudes aucu-
patur; earumque dulcedine mirandum in modum delecta-
tur: vt vere ille ſcripſerit,

Perſ.ſat. 1. *At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.*

Non

Non meminerunt eſſe proditum (& ob id leuiculum Demoſthenem appellatum) quòd illo ſuſurro delectari ſe diceret aquam ferentis mulierculæ, vt mos in Græcia eſt, inſuſurrantiſque alteri, *Hic eſt ille Demoſthenes*. Non legerunt Diogenis libertatem, hanc in eo cupiditatem voluptatemque caſtigantis, qui medio foro, coram multitudine circumfuſa, ad peregrinos quoſdam de facie cognoſcēdi Demoſthenis cupidos, intento in illum digito, conuerſus, *Hic eſt*, inquit, *ille orator Athenienſium*. Quæ vero laudes Demoſtheni tribuuntur & merito, non illum anteferunt Ciceroni: ſed, ſi principem faciunt, vel cum Græcis eum comparant, vel M. Tullium excipiunt: vel eulogia verbis illis, *pæne, quaſi, fere* moderantur ita ſapienter, vt ea vere dixiſſe videantur. Quis enim tam multa recolens, quæ quatuor orationibus diſputata ſunt, non intelligit eaſdem laudes Ciceroni meliore iure deberi? Si ille dicitur ad prædicationem & laudem, eloquentiæ uis; & hic dicendus eſt eloquētiæ vox: ille orandi lex: hic lux; ille oratorum dux; hic rex: ille orationis norma; hic forma: ille dicendi regula; hic exēplar: ille Atticorum ſermo; hic Romanorum lingua: dicatur denique ille altera Cynoſura; qua duce tuto ad Elyſios eloquentiæ campos nauigemus: hic Helice nominetur, ſidus numero ſtellarum maius atque illuſtrius: cuius lumine ac ductu citius tutiuſque tum inter periculorum ſyrtes, tū inter ſcopulos difficultatum, gemino ſcribendi dicendique remorum ordine, proſpero ſecundarum acclamationum vento feremur ad eloquentiæ perfectiſſimæ vellus aureum comparandum; & tandem tranquilliſſimum humanæ felicitatis portum, in fortunatis immortalitatis Inſu-
14 lis, gloriæ famæque pleniſſimum capiemus. Non equidem, vt iam pluribus & ſæpius docui, Demoſthenem eſſe magnum oratorem nego; quem tot laudum floribus exorno; cum Cicerone multis in rebus adæquo; veſtra imitatione digniſſimum iudico: ſed cum M. Tullio compono: tum inquiro diligenter vter eorum, ſupputatis ac perpenſis am-

Cic. 5. Tuſc. Ael. l. 9. uar. hiſt. cap. 17.

Laer. l. 6. in Diog.

borum uirtutibus, ſit in eloquentia præſtantior, & principis omnium eloquentium nomine dignus cenſeatur. Atqui ex diſputatis coniecturam ducitis, quid ſentire debeatis; quando cunctos aduerſariorum ictus in ipſos regeſſimus; omnia patronorum tela retudimus, vniuerſum argumentorum impetum inanem fecimus. Nihil ego definire volo, ne videar iniurioſus in eum, cui non parum me debere profiteor; fideliter referam, quid veteres de re tam controuerſa opinentur. Vos oro, tanto ut diligentius attendatis, quanto magis ad nodum difficultatis, multis inexplicabilem appropinquamus. M. Seneca L. philoſophi pater, exercitatiſſimus rhetor, & in iudicio de eloquentibus ferendo prudentiſsimus memorabilem, nec ab omnibus animaduerſam, in hac lite ſententiam protulit, cum ſcripſit, ætate Ciceronis Romanam eloquentiam efflorniſſe adeo, vt tunc haberet, *quod inſolenti Græciæ, aut apponeret, aut præferret.* Nouerat hic magnus dicendi magiſter beneficio Ciceronis & opera tantum incrementum ad eloquentiam Latinam acceſsiſſe: ſciebat in Græcia Demoſthenem in primis eloquentiſsimum floruiſſe viuentem; & mortuum in epiſtolis orationibusque ſplendeſcere: putat eloquentiã Romanam Tulliani temporis æquari poſſe cum Græca, tum vero etiam Græce præferri: quis non intelligat eius opinione Demoſtheni M. Tullium antelatum? Eludetur hoc M. Senecæ teſtimonium, quòd ſit hominis amiciſsimi. Producatur Cæſtius; quem à Ciceronis filio bene uerberatum, ob linguæ contumelioſæ non ferendam arrogãtiam aduerſus M. Tullium, eidem aſſentari quis credat? Hic in doctorum virorum conuentu declamando ſuadens Ciceroni potius eſſe fortiter moriendum, quàm, ſi M. Antonius hac conditione vitæ parcens proſcriptionem reuocet, Sciptas orationes, præclaræ monumenta linguæ, comburendas; vnde nominis immortalitas, æternitas ingenii, vita memoriæ pendebat, hoc uſurpat argumentum: *facturum illum iniuriam populo Romano, cuius linguam in tan-*

M.Sen.l.1. contr. praf.

Orat.17.n.6.

M.Sen.ſuaſ. vlt.

tum extuliſſet, vt inſolentis Græciæ ſtudia tanto antecederet eloquentia, quanto fortuna. Potentiſſima rerum omnium veritas ab infenſi declamatoris conſcientia iudicium illud excuſſit, quo non obſcure M. Tullius eloquentia Demoſtheni præſtare decernitur. Et hoc nihili fiet Cæſtii dictũ, quòd ſit hominis Latini. Quò me conuertam, Auditores, ſi Latinorum teſtimonia repelluntur? Confugiam ad Græcos, in hac cum Græcis contentione: quos neque teſtes recuſo, neque iudices reformido. Plutarchum aduoco, qui dum cautiſſimus ne Latinis cauſſam, ne Ciceroni palmã, quod iuſtitiæ conſcientia præſcribebat, adiudicaret; negat ſe Latinam percallere linguam, negat eorum eloquentiam ſe velle conferre, ſententia pronuncianda ſuperſedit; minus animaduertens, & Demoſthenis cauſſæ diffidere ſe oſtendit, & eum tacito præiudicio condemnat. Excito iudicem, à quo aberit omnis iniquitas & iniuria iudicij, quia vir optimus, & æquiſſimus: aberit aſſentationis ſuſpicio, quia natione Græcus: aberit metus erroris, quia peritiſſimus eloquentiæ, clariſſimusque orator Plutarchi præconio laudatus Apollonius Molon. Non ille iudicabit ex aliorum teſtificatione, quæ fallere poteſt ac ſolet, ſed ex auditione, quæ non decipit: non è lectione orationum ſcriptarum, in quibus magna deſideratur pars auctoris, qui legitur potius quàm auditur: ſed ex voce perorantis: non Romæ nec in Italia, ne qua vis adhibita iudici putetur, ſed Rhodi in Aſia, quò M. Tullius poliendus perficiendusque nauigauerat: non denique clanculum, in tenebris, in abdito, ne quis fraudem vllam ſuſpicetur: ſed propalam, in meridiana luce, præſente cœtu multorum optimorumque rhetorum ac philoſophorum. Cum ergo M. Tullius in Apollonij (quem Romæ puer audierat) ſchola, conuentuque præſtantiſſimorum ingenioſiſsimorumque virorum, non Latine, ſed Græce declamaſſet, quò facilius ac verius iudicium fieret: qui aderant admirati omnes certatim M. Tullium laudibus ornarunt, onerarunt, cumularunt: hic verborum ſplendorem,

Plut. in cõpar. Dem. & Cic.

Plut. in Cic.

Cic. l. de cl. or. Quin. l. 12. c. 6.

tem, ornamentorum venuſtatem, totius elocutionis ele-
gantiam; ille numerorum ſuauitatem, claritatem vocis, le-
porem pronunciandi; alius ingenij copias, vbertatem lin-
guæ, memoriæ felicitatem, & impetum actionis prædica-
bat. Sed Apollonius magiſter omnium, qui memor indolis
atque ſpei, penitus introſpexit naturæ vim, ingenii bonita-
tem, memoriæ theſaurum, linguæ fecunditatem, artis indu-
ſtriam, & in agendo gratiam illam, quam alias verbis inex-
plicabilem diximus; primum attentiſsime audire, notare
progreſſus factos, pendere ab ore, non oculos auertere, non
digitum mouere, excipere omnia verba, ſyllabas, ſonos,
motus; voluptate cum admiratione certante: deinde vin-
cens delectationem admiratio deduxit eò, vt obſtupefa-
ctus atque horreſcens non amplius intelligeret, quid iuue-
nis eloquentiſsimus diceret: tum fine dicendi facto, diu
tacitus, tamquam à ſe ipſo abſens, abalienatus à ſenſibus,
in cogitationem profundam altè demerſus, dolenti ac ge-
mitum comprimenti ſimilis conſedit: poſtremo cum Ci-
cero ſilentium humaniter interrumperet, ad ſe rediens (at-
tendite ſententiam iudicis in re tanta Iuuenes) exclama-
uit, *Te quidem M. Tulli collaudo & admiror, ſed Græcorum*
fortunam miſeror, quòd videam eruditionem & eloquentiã,
qua nos conſolabamur vna, per te nobis ereptam Romam com- 16
migraſſe. O præclarum iudicium neque adulatione, neque
iniuſtitia, neque fraude violatum. Non hic Demoſtheni
præpoſuit Ciceronem, qui per Ciceronem iuuenem adhuc
cenſuit Græciam vniuerſam dicendo victam, & omni lau-
de ſpoliatam eloquentiæ? Quid Apolloni poſt aliquot an-
nos dicturus facturusque Romæ fuiſſes? De eo tam præcla-
re ſentis Rhodi, cum audis Græca declamantem lingua,
quæ quantumuis perito peregrina erat, non natiua, vel ap-
pellatione litterarum inſolenti, vel vocum inuſitatarum
ſonis; quæ res Theophraſtum Græcum oratorem ac phi-
Orat. 2. n. 35. loſophum nobiliſsimum Athenis cum anicula loquentem
hoſpitem declaratũ: audis iuuenem patum exercitatum,

qui

qui nedum annum triceſimum attigerat; nec publice niſi duas nobiles cauſſas egerat: audis diſcipulum proficiendi cupidum, qui Rhodum ſe contulerat, vt veſtra doctrina, vobis doctoribus, in veſtratum ſcholarum tamquam fornacibus recoqueretur: proinde tibi primis duntaxat lineamentis inchoatam eloquentiam conſpiciendam exhibuit: quid Romæ ſenſiſſes? quàm obſtupuiſſes? vt mente captus penitus obmutuiſſes, ſi Latino ſermone, quem cum lacte nutricis ſuxerat; cuius dulciſsimus ſapor illi natiuus erat; cuius ſuauiſsimus ſonus, erat vernaculus audiuiſſes, non declamantem ad exercitationem atque ſpecimen ingenii; ſed ſerio, victoriæ gratia perorantem; non iuuenem, ſed virum, prætorem, conſulem, ſenem; ſed exercitatiſsimum in omni genere cauſſarum in foro, curia, iudiciis; ſed magiſtrum voce & exemplo totius Romanæ iuuentutis? Si ſpectaſſes illam copioſam & vehementem eloquentiam, quæ iam cum ætate maturitatem habebat; extremis perfectam lineis, vltima perpolitam manu, vel fluminis amplificationum maximarum & pulcherrimarum gurgitibus redundantis ſimilem in Verrem, Hortenſium, Piſonem effuſam; vel in Catilinam, Vatinium, Antonium voce tonantem, fulgurantem, flammas & faces fulminibus emittentem, at-
16 que incendio perturbationum omnia permiſcentem? Impetum ſuſtineo laudationis, quam vna cum Apollonio partim admiratio, partim amor exprimebat: & vocem orationemque conuerto ad reliquam partem contentionis. Non mihi ſat eſt demonſtraſſe quibus in rebus Demoſthenes M. Tullium vincere conatus; refutatione fuerit eluſus, & contra ſuorum opinionem ſuperatus: cupio præterea videatis, quibus in rebus inuictus Cicero Demoſthenem longe lateque in Græcia dicendi gloria ſplendentem, clarioribus ſuarum virtutum radiis obſcurauit. Primas vnius, cum alterius principatu; naturæ bonitatem cum natura; motum cum motu; copiam cum vbertate; cauſſas cũ cauſſis comparabo. Proxima comprobatum eſt oratione, defect-

Digitized by Google

ri M.Tullio primas inter Latinos oratores,ab omnium hiſtoricorum doctorumque virorum conſpirante conſenſu. Fertur item à multis Demoſthenes Græcorum princeps oratorum vixiſſe: Cicero ſtudioſiſsimus eius,multis illum anteponit:idem ſignificare videntur,qui M.Tullio parem faciunt: ſed non video Græcorum ſcriptorum vnam vocem, vnumque conſenſum in eius principatu Græciæ ſtatuendo; quem perſpecta probataque præſtantia Ciceronis à Latinis vniuerſis obtinuit. Demadem naturali promptũ
Orat.6.n.6. ingenio,forenſibus præliis inuictum, longas Demoſthenis lucubrationes æquantem ex tempore præſtitiſſe illi fatebantur omnes,qui eadem ætate viuebant,& vtrumque audientes conferebant. Eumdem Theophraſtus interrogatus,quid ſibi de vtroque videretur,reſpondit ſibi videre ſupra Athenas,cum Demoſthenem Athenis dignum iudicauiſſet. Qualis & quantus Phocion? Hunc maiore ui dicendi præditum, & plures ſententias paucioribus verbis veſtientem Demoſthenes metuebat, & dictorum ſuorum ſecurim aſſurgere dictitabat amicis, cum ille ad dicendum
Orat.3.n.4. aſſurgebat.Quis Demoſtheni tribuit vmquam præconium illi par,quo Periclem antiquitas omnis decorauit? Aequauit fortaſſe fulminibus Periclea;non lepore illo ſuauiſsimo in labris habitante,quo quadraginta totos annos populum Athenienſem in ſua poteſtate habuit, & Herculis æmulus tamquam aurea catena auriculis immiſſa, quocumque libuit ad nutum ſuum voluntatemque pertraxit. Argumentum Luciani, Demoſthenem Pericli præponentis, quòd dicendo ſolum, non ſcribendo valuiſſet Pericles,cuius nullæ viderentur orationes;cadit,ruit, diſsipatur; cum
Pl.l.1.ep.20. ad Tacit. Plinius minor Periclis bene longas orationes à ſe lectas fateatur. Nec Ciceronis auctoritas Demoſthenis fulcit regnum,quem non Pericli,non Demadi,non Phocioni prætulit,ſed Hyperidi, Iſæo, Lyſiæ, Aeſchini,& aliis quibuſdã æqualibus horum ætate,facultateque dicendi. Itaque cum Demoſtheni Theophraſtus Demadem, cuncti Periclem,

ipſe

ipſe ſibi Phocionem præſtare profiteatur, nemo iure poteſt illi deferre Græciæ principatum; & multo minus vel anteferre M.Tullio, vel æquare. Nec vero dignitatem hanc ſum-
17 mam illi uis ingenii, totiuſque naturæ bonitas, ſolum ac fundamentum eloquentiæ, cum Tulliana collata conceſſerit. Reducite animum ad ea, quæ de Ciceronis ingenio mirabili, naturæque ipſius præſtantia prima oratione diſſeruimus: reuocate memoriam, non ad M.Senecæ, Quinctiliani, Hieronymi, Sidonii amantiſſimorum Ciceronis præconia; ſed ad Aſinii Pollionis infenſiſſimi confeſſionem, qui ſcripſit Ciceroni fuiſſe naturam obſecutam: componite cū ijs, quæ de Græci huius oratoris naturalibus donis prædicantur: fatebimini profecto Naturam illi nouercam ſane quam auaram; noſtro liberalem, benignamque matrem extitiſſe. Qualenam eſt Quinctiliani iudicium Demoſthenis perſtudioſus in ipſa compoſitione amborum atque pugna? *Curæ plus*, inquit, *in illo, in hoc naturæ*. Non premit aduerſarios; Latinus eſt Quinctilianus: Græcus excitetur; producatur Suidas; iuratus interrogetur ſeueritate iudiciali: Quid decernis de ingenio Demoſthenis? quid pronuncias? *Diligentior*, inquit, *quàm ingenioſior*. Conſentit adeo cum Quinctiliano, vt cum eo coniuraſſe videatur. Et ſane, vt laudare ſatis numquam poſſum; & vobis auditoribus meis prædicare diligentiam, curam, ſedulitatem, conatumque illum inuictum Demoſthenis, quo linguæ, pectoris, humeri, pronunciationis, & actionis vitia tollebat: ita, quemadmodum aduerſus Pollionem diſputans argumentabar, inficiari non queo, quin imbecillitatem, labem, vitia naturæ cura diligens arguat; quæ ſubſidium, medicinam, emendationem illi ſtudet à labore, diligentia & exercitatione comparare. Quare calculis in os coniectis arduus aſcenſus; difficillimorum aſperrimorumque verſuum crebra pronunciatio; declamatio in littore maris ad fluctus obſtrepentes; in ſubterraneam cauernam incluſio; dimidia parte caput abraſum; ſpeculum obiectum meditanti; mu-

Orat. 15. n. 7. & ſeq.

Quin. l. 10. c. 1.

Suid. V. Demoſth.

Orat. 17. n. 10.

Orat. 2. n. 37. & ſeq. orat. 8. n. 16. & ſeq.

ero ferreus pendens in humerum è lacunari; hiſtoria Thucydidis octies deſcripta; lucubratio lucernam olens; caſtigata victus ratio plus olei, quàm vini conſumens; decem millium drachmarum merces vni hiſtrioni data; canum ringentium obſeruatio; tot præceptores, tot artes, tot vigiliæ fabrum ferrariorum antelucanam vincentes induſtriã, quid aliud erant, niſi (quod Plutarchus negare non eſt auſus) teſtes egentis, mancæ, vitioſæque naturæ & argumenta corrigendæ? Non negligens Cicero fuit; ſtuduit, audiit magiſtros, conſuluit actores ſcenicos, declamitauit; ſed non illi fuit opus tot adminiculis, remedijs, adiumentis, qui facile ingenium, expeditam linguam, decoram actionẽ erat à prouidentia diuina conſecutus. Quid quod puſilli animi fuiſſe Demoſthenes perhibetur? Audite, Iuuenes, & obſtupeſcite. Legatus ad Philippum Macedoniæ regem verba faciens repente conticuit. Non ſatis excuſas, ſi dicas, aut fulgore maieſtatis regiæ fuiſſe perſtrictum: aut irati regis oculos aſpectumque trucem minus ferre potuiſſe: aut eius ingenium in vmbram perturbationis alicuius incurrens paſſum eſſe defectionem; præſertim cum artis oratoriæ rex peritiſſimus haberetur: aut denique memoriam vel metu, vel inſolentia loci conturbatam, fidem depoſita negando turpiter fefelliſſe. Quidquid inopinati ſilentij cauſſa fuerit, cum dedecore orator obmutuit in dicendo, quod M. Tullio generoſo & animoſo contigiſſe nunquam, perſuaſiſſimum habetote; ſiue cum diceret in foro, præſente populo Romano orbis domitore: ſiue in iudicijs, in quibus adoleſcens defenſione Sex. Roſcij contra ſe Syllæ dictatoris potentiam prouocauit: ſiue in Senatu multis regibus ac Philippis comparando. Quòd ſi Cyneas ad Pyrrhum è Romana legatione rediens, eum Senatum, qui vix Italiam tenebat imperio, regum conſeſſum ſibi viſum, Pyrrho retulit; quid ætate Ciceronis occupato orbe terrarum, auctis opibus, eloquentia florente iudicaſſet? Dixit ergo M. Tullius in eo Senatu millies, in quo videbat inimicos, infenſos, iratos

Plut. in Dem.

Agell. l. 8. c. 8. 18

M. Sen ſuaſ. 7.
Plut. in Cic.

Plut. in Pyrrho.

tos Catilinam & ſocios, Piſonem, Cæſarem, Gabinium & horum ſimiles: videbat diſertiſsimos, & ſcientiſsimos oratores, quales erant Hortenſius & C. Cæſar: videbat viros grauiſsimos maieſtate cenſoria metuendos & Areopagitis æquales Catonem & Brutum: adde regibus æquandos opibus Craſſum & Lucullum: adde alios bellica gloria, præliis, victoriis, regnis deuictis, & triumphis clariſsimos Pompeium & Cæſarem, omnes Philippo regi vel pares, vel etiã ſuperiores; nec tamen aut immemor, aut alucinatus, aut perterritus, in perorando conticuit. Non negat ipſe; neq; ego diſsimulatione tego; cùm dicere inciperet, in cauſſis præſertim grauioribus, ſe commoueri ſolitum & timere: quod initio dicendi L. Craſſo, M. Antonio fori principibus æuo ſuo, bonisque omnibus vſuuenit oratoribus: ſed vbi pectus dicendo nonnihil calefecerat; commotio illa; quam cauſſæ grauitas, iudicii magnitudo, euentus expectatio, cõcurſus hominum excitauerat; ingenii & animi compreſſa magnitudine ſemper ita conſidebat, vt numquam ipſe neque officium, neque cauſſam, neque locum taciturnitate deſereret. Grauior comparatio ſequitur in affectibus permouendis; in quibus illud eſt apud dicendi magiſtros cum primis laudabile; vt non modo grauioribus odij, inuidiæ, miſericordiæ perturbationibus iudicũ auditorumque ceterorum animi concitentur: ſed etiam interdum, & in tempore ab intentione rerum, moderata dicacitate, facetiis riduculisque laxentur; à ſeueritate cauſſæ paulliſper (utique temperanter) ad hilaritatem riſumque traducantur; quo tum à ſatietate renouantur, tum à defatigatione reficiuntur. De priore genere motus, non eſt quod dicam amplius: ſatis ſuperque probatum eſt, in M. Tullio tantam vim inſediſſe perturbandorum animorum, vt, ſi potiſſimum orationes amborum inter ſe conferas; & Tullianarum epilogos cum lacrymis commiſerationis perfluentes; tum flammis aliorum affectuum exardeſcentes ſpectes, Demoſthenem à Cicerone facile ſuperatum fateare. Quis in altero

Orat. 15. n. 24.
Orat. 9. n. 3. 4.

Cic. l. de cl. or. & l. de orat.
Quin. l. 6. c. 3. & l. 10. cap. 1.

genere, quo hilarantur auditores ambigat de victoria Ciceronis? Plutarchus diligentiſsimus Demoſthenis laudator, *Plut. in Dem.* modo vt durum & auſterum in dicendo notatum eum tradit; modo triſtitiam & acerbitatem eidem obiectam non diffitetur: Quinctilianus non illi voluntatem ad facetias & ridicula defuiſſe, ſed naturæ felicitatem animaduertit: Cicero, qui quoad poteſt Demoſthenem excuſare ſolet, quoad licet in eius laudibus ſe alucinari patitur; Lyſiam & Hyperidem ſatis, Demadem præter ceteros facetū exiſtimari, Demoſthenem minus haberi ſcribit; quem poſtea *Cic. l. de or.* ne ſine ſale prorſus ac ſapore relinquat, facetum affirmat, *Quin. l. 6. c. 3.* dicacem negat; dat illi, quod eſt maioris artis, quàm ingenii; tollit quod eſt acrioris ingenij, quàm artis; confirmans quod modo definij, plus in eo diligentiam facultatis, quàm naturam facilitatis poſuiſſe. Sed Ciceronem hac varia laude hilarandi Latinis Græciſque oratoribus omnibus, vtique Demoſtheni præſtitiſſe, perſuadent tam multa ridicula tribus libris à liberto collecta, quæ tum ex ingenio, tum ex arte finxit, quæque vel ex tempore, uel meditatus, vel *Orat. 15. n. 9.* laceſsitus, vel per occaſionem, aut publice, aut priuatim iecit: confirmant cauſſæ grauiſsimæ iocis ac facetiis obtentæ; probat denique Quinctilianus litem dirimens tam multis conuictus argumentis, cum pronunciat: *Salibus certe, & Quin. l. 10. c. 1.* *commiſeratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus.* Iam vero notiſsimam celeberrimamque diſputatio- 19
nem ingrediamur effuſo curſu animorum, de ipſa vtriuſq; oratoris dicendi ratione, quæ totius contentionis cardo putatur; & unde iudicium pendet de amborum eloquentiæ principatu. Qui Demoſthenis partes tuentur, Aſianum Ciceronem vocitare ſolent: eius copioſum dicendi genus vitioſum eſſe decernunt, quòd vt contrarium opponitur Attico præſtantiſsimo, quo Demoſthenem, ipſius Ciceronis teſtimonio, florere atque eminere conſtat: eiuſcemodi verbis ſine firma probatione tamquam victores ante pugnam,

gnam, in ipſa velitatione triumphant. Quæ iam pro M. Tullij defenſione diſputata ſunt atque ſtabilita, repeti oratione ſupervacaneum eſt: vos ea memoria huc diſputationi profutura reuocate. Demoſthenes Atticus eſt, Atticus & Cicero: vehementerque probo iudicium æquiſſimum Quinctiliani cenſentis illum denſiorem eſſe, concludere aſtrictius, acumine pugnare ſemper: hunc copioſiorem, pugnare latius, frequenter & pondere: nihil Demoſtheni *poſſe detrahi*: *nihil adijci* M. Tullio. Subſcribo tanti viri ſententiæ; qui pauciſſimis poſtremis verbis Ciceronem in eloquentiæ copioſo genere perfectum eſſe decernit. Quid enim à magiſtro philoſophorum Ariſtotele definitur eſſe perfectum, niſi id, cui nihil deeſt eorum, quæ ipſius naturæ conueniunt? Si M. Tullio nihil addi poteſt ad copiam: habet omnia, quæ illi debentur; nihil eorum illi deeſt, quæ generi copioſo dicendi conueniunt: itaque perfectus eſt cenſendus. Atque vt hoc plane intelligatur à vobis, Auditores, veſtra cum bona venia paullo ſubtilius eſt philoſophandum. Virtutem omnem in mediocritate quadam, quæ inter extrema duo contraria vitia ſit interiecta, collocatam eſſe, notius eſt, quàm vt à me vel auctoritate, vel ratione debeat confirmari. Quo fit, vt terminis vtrinque præſcriptis à viro prudenti definiatur adeo, vt eos virtutis laude retenta, minime poſſit tranſilire. Nouerat ille, qui feliciter dixit,

Quin. l. 12. c. 10
Idem l. 10. c. 1.
Ar. 2. cæli. t. 23

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum. *Hor. l. 1. ſat. 1.*

Verum hæc mediocritas tantopere commendata, quæ dicta eſt aurea, cæleſtis, ac diuina, propterea quod virtutis anima ſit ac vita: non in indiuiduo puncto poſita eſt: latitudinem aliquam habet; in qua poteſt huc atque illuc excurrere laudabiliter intra virtutis gyrum, lineas non tranſiliẽs vitiorum. Illud addo perpendendum accuratius, in liberalitate, magnificentia, fortitudine, nonnulliſque alijs harum ſimilibus virtutibus, cenſeri laudabilius atque hone-

ſtius,

ſtius, dummodo fines non egrediatis, ad largitionem, ad
audaciam accedere, quàm retro pedem ad contraria refer-
re: virtutemque heroicam non paruitate animi, ſed magni-
tudine; non anguſtijs pectoris, ſed amplitudine faciendo
potius, quàm deficiendo comparari. Similis eſt eloquentiæ 20
ratio; quæ ſi virtutis nomen retinere: ſi laudem à viris pru-
dentibus ſibi conciliare; ſi plauſus & approbationes in con-
cionibus excitare velit, ita mediocritate ſe temperet; atque
inter infantiam, & loquacitatem ſe cõtineat; vt neque hinc
in Aſiaticam redundantiam, inanemque profluentiam re-
prehenſam iure, corruens demergatur: neque illinc in bre-
uitatem ieiunitatemque delapſa, in ſiccitate quadam me-
rito damnata miſerabiliter adhæreſcat. Quod ſi fines non
excedens; quatenus lex mediocritatis patitur, copiam po-
tius, quàm inopiam, vt de liberalitate dicebamus, amore,
conatu, vſuque proſequatur; nec eam à quoquam iure vi-
tuperari; nec quidquam ea præſtantius atque glorioſius re-
periri poſſe contendo. Mortales enim omnes, qui ſapiunt
aliquid, nec peregrini plane ſunt in artium ſtudio libera-
lium hanc dicendi rationem probant; hanc maxime lauda-
bilem cenſent, quæ copia, quæ vbertate, quæ verborum af-
fluentia bonorum continetur: hanc vel primam eſſe, vel in
primis virtutibus eloquentiæ, vel ipſam eloquentiam arbi-
trantur. Cur Zeno Cittieus, à quo Stoicorum diſciplina
Sext. Empir. c. 28. adu. math. propagata eſt, cum deduxerat pugnum, & manum dilata-
orat. 6. n. 2. uerat, ſimilem illius palmæ dicebat eloquentiam, niſi quia
latiorem in ea dicendi rationem requirebat? Cur rhetores
omnes & optimi quique ſcriptores vbertatis, copiæ, & elo-
Orat. 10 n. 18. *Orat. 15. n. 10.* quentiæ nominibus eandem vim dicendi ſignant; in adole-
Orat. 6. n. 12. ſcente redundantiam malunt, quàm ieiunitatem, & defini-
tionem illam à Cicerone traditam communi conſenſu re-
Cic. in partit. cipiunt eloquentiæ, quà copioſe loquens dicitur eſſe ſapiẽ-
tia? Copia Platonis ab omni antiquitate ita laudata eſt, vt
Plut. in Cic. propter eius vbertatem, Iouem ſic locuturum fuiſſe dice-
Orat. 15. n. 25. rent philoſophi, ſi Græce loqui voluiſſet; vt inde illi cogno-

men

gnomen diuini, tantæ dignitatis inhæſerit: vt ſummæ laudi Ciceroni detur, quòd eius copiam & granditatem expreſſerit. Quid quod viri ſapientiſſimi in celebrandis eloquentibus oratoribus atque ſcriptoribus eas translationes vſurpant, eas rerum ſimilitudines adhibent, quæ copiam ac profluentiam auribus animoque repræſentent? Fonti redundanti ſapientem virum ſimilem ac parem Salomon facit; Vlyſſem niuibus hibernis Homerus: Pindarum amni pluuiis aucto Flaccus; torrenti Demoſthenem Iuuenalis; currenti flumini Germanicum Cæſarem Ouidius. Fluuio Ciceronem & Lactantiũ, Rhodano Hilarium, lacteo fonti Liuiũ, puriſſimo Cyprianũ Hieronymus æquat: Nilo fluuiorũ totius Africæ maximo de catadupis præcipitanti Chryſoſtomũ Suidas anteponit. Poſtremo Plinius ſecundus nobilis rhetor, orator, ſcriptor diſſerens multis aduerſus quẽdam ſiccæ ieiunitatis amatorem; cum docuiſſet in delectando perſuadendoque copiam dicendi, ſpatiumque deſiderari; non amputatam orationem, & abſciſſam, ſed latam & magnificam tonare, fulgurare, omnia miſcere, qui paupertate orationis materiam non implet, eum imbecillitate; qui redundantia excedit, uiribus peccare; vitiumque hoc eſſe maioris ingenii, ſi non limatioris: concludit tandem, ſi detur electio, malle ſe orationem illam hibernis niuibus ſimilem apud Homerum, id eſt crebram, aſſiduam & largam, poſtremo diuinam ac cæleſtem. Quòd ſi tot ſcriptorum auctoritate, tot rationum firmamentis, tot ſæculorum conſenſu comprobatum eſt, illud eloquentiæ genus colligere laudes, admirationem habere, permouere animos, quod fonti ſimile, par fluminibus, æquale torrentibus, copioſum eſt, & rebus, verbis, amplificationibus abũdans: ſi M. Tullium hanc eloquendi rationem latiorem, ampliorem, & heroicæ propiorem eloquentiæ, complexũ eſſe conſtat; Demoſthenem vero preſſiorem, aſtrictioremque, ſiue iudicio ſenſuque ſuo, ſiue ingenii naturali ieiunitate ſecutum adeo, vt illi nihil detrahi ſine damno poſſit; quis

Orat. 4. n. 22.

Pl. l. 1. ep. 20. ad Tacit.

quis tam cæcus arbiter in eloquentia fuerit, vt non adiu-dicet Ciceroni primas; & cum Lactantio Firmiano vete-rum Chriſtianorum Cicerone pronunciet; M. Tullium 21

Lactant. de opific. cap. 20.

eſſe *Unicum exemplar eloquentiæ*? Neque vero commemo-res ornamenta ſententiarum & conformationes, quibus quia præſtabat omnibus antegreſſis oratoribus Demoſt-

Cic. l. de or.

henes à doctis, & ab ipſo Cicerone eſt omnium princeps iudicatus: nam & M. Tullius æque vt ille ualuit ſchemati-bus, quæ non tam in uerbis pingendis, quàm in illuminan-dis ſententiis pondus habent: tum aliud ornamentorum genus addidit, quod in feſtiuitatibus, concinnitateque uer-borum eſt ſitum: ut nihil perfectionis, neque à fulgore gem marum, neque à nitore margaritarum, neque à floſculo-rum gratia, neque à colorũ uarietate deſideraretur in eius oratione, qui ſimilis ubique ſui reperitur, totus elegantiæ, totus ingenii, totus copiæ, totus ornatus, totus lingua, totus eloquentia. Quid quod tam multis ingenii, doctrinæ, facul-tatisque dicendi copiis atque opibus, inſignis quędam pro-uidentię diuinæ nutu felicitas acceſsit; quæ ſplendorem re-rum, & magnitudinem cauſſarum illi, quàm Demoſtheni, ſubminiſtrauit ampliorem? Plurimum enim amplitudine

Quin. dial. de orat.

rerum adiuuatur eloquentia, prouocatur ingenium, animi uis excitatur: præclaram, & perilluſtrem orationem tum fa-cimus, cum cauſſam parem inuenimus. Non Demoſthe-nem orationes illuſtrarunt illę, quas aduerſus tutores ſuos compoſuit; ſed quas pro Olynthiis, pro Creſiphonte, & in Philippum Regem dixit. Ciceronem noſtrum non ma-gnum & glorioſum oratorem effecerunt, Quinctius, Fon-teius & Archias: ſed gloriam illi dederunt ampliſſimam Sextius, Cornelius, Milo; L. Murena conſul deſignatus, rex Deiotarus defenſi; Verres Siciliæ depeculator accuſatus, Catilina patriæ proditor eiectus, Antonius alter Philippus, uel Philippo deterior, hoſtis declaratus: Pompeius Ma-gnus, & C. Cæſar Dictator alis eloquentiæ geminis expli-catis, ingeniique effuſo uolatu laudati, Sicilia uindicata,

con-

coniurationes extinctæ; Ptolemæo Aegypti regi tutor da-
tus, in Reip. hoſtes exercitus immiſſi, famam eius ad ſem-
piternam temporis memoriam propagauerunt. Atque vt
nobiles & generoſos equos ſpatia, circi, curricula probant,
& ad curſum accendunt; ſic oratores campus aliquis pa-
tentiſsimus, atque theatrum populo celeberrimum plauſu
clamoribuſque ſæpe fauente, qualis Roma erat, incitat, eri-
git; vbi clientelæ, tribus, municipiorum & prouinciarum
legationes, partes Italiæ periclitantibus reis aſſiſtebant;
quò concurrebat populus frequentiſſimus, exiſtimans ſua
intereſſe, quid iudicaretur. Quòd ſi frigidos, ignauos, iner-
tes oratores hæc ſtudia multitudinis accurrentis excitare
poſſunt atque incendere; quid generoſiſſimo naturæque
muneribus ornatiſſimo Ciceroni fecerunt? Faces eius ani-
mis, ardorem ingenio, lateribus firmitatem: pectori, linguæ,
voci, vim, copiam, claritatem addiderunt. Ex his adiumen-
tis multa Demoſtheni affuerunt; fateor; ſed quid erat At-
tica cũ Italia cõparata? quid Athenæ cũ Roma? quid Athe-
nienſium ciuitas cũ Rep. Romanorũ? quid denique finibus
anguſtis circumſcripta ſub illorum ditionem regio, cum
latiſſimo huius per orbem terrarum vniuerſum imperio?
Magnitudinem rerum, multitudinem grauiſſimarum cauſ-
ſarum, amplitudo Romani imperii M. Tullio tanto dedit
ampliorem, quàm ſua patria Demoſtheni; quanto fuit A-
22 thenienſium reſp. maior Romanorum. Nihil dicam de
quæſtura Sicilienſi, de ædilitate, prætura, conſulatu ſummo
apud Romanos honore; quas dignitates nõ maiorum me-
ritis, non generis nobilitate, non pecuniarum largitione, vt
multi; ſed eloquentiæ beneficio, vt pauci, eſt anno ſuo con-
ſecutus; quod Demoſtheni non legimus contigiſſe. Poſ-
ſem & de rebus foris fortiter geſtis dicere, quibus Demo-
ſtheni perſpicuum eſt præſtitiſſe. Nam ille priuatus in A-
thenienſium exercitu militans, in pugna quadam cũ Phi- *Plut. in Dem.*
lippo Rege feliciter ac fortiter adeo ſcilicet pugnauit, vt
clypeo, (in quo *ἀγαθῇ τύχῃ Bonæ Fortunæ* minime illi bonæ,
erat inſcriptum) abiecto: quod eo tempore turpiſſimum

Digitized by Google

tem, ornamentorum venuſtatem, totius elocutionis elegantiam; ille numerorum ſuauitatem, claritatem vocis, leporem pronunciandi; alius ingenij copias, vbertatem linguæ, memoriæ felicitatem, & impetum actionis prædicabat. Sed Apollonius magiſter omnium, qui memor indolis atque ſpei, penitus introſpexit naturæ vim, ingenii bonitatem, memoriæ theſaurum, linguæ fecunditatem, artis induſtriam, & in agendo gratiam illam, quam alias verbis inexplicabilem diximus; primum attentiſsime audire, notare progreſſus factos, pendere ab ore, non oculos auertere, non digitum mouere; excipere omnia verba, ſyllabas, ſonos, motus; voluptate cum admiratione certante: deinde vincens delectationem admiratio deduxit eò, vt obſtupefactus atque horreſcens non amplius intelligeret, quid iuuenis eloquentiſsimus diceret: tum fine dicendi facto, diu tacitus, tamquam à ſe ipſo abſens, abalienatus à ſenſibus, in cogitationem profundam alte demerſus, dolenti ac gemitum comprimenti ſimilis conſedit: poſtremo cum Cicero ſilentium humaniter interrumperet, ad ſe rediens (attendite ſententiam iudicis in re tanta Iuuenes) exclamauit, *Te quidem M. Tulli collaudo & admiror, ſed Græcorum fortunam miſeror, quòd videam eruditionem & eloquentiã, qua nos conſolabamur vna, per te nobis ereptam Romam commigraſſe.* O præclarum iudicium neque adulatione, neque iniuſtitia, neque fraude violatum. Non hic Demoſtheni prærpoſuit Ciceronem, qui per Ciceronem iuuenem adhuc cenſuit Græciam vniuerſam dicendo victam, & omni laude ſpoliatam eloquentiæ? Quid Apolloni poſt aliquot annos dicturus facturusque Romæ fuiſſes? De eo tam præclare ſentis Rhodi, cum audis Græca declamantem lingua, quæ quantumuis perito peregrina erat, non natiua, vel appellatione litterarum inſolenti, vel vocum inuſitatarum ſonis, quæ res Theophraſtum Græcum oratorem ac philoſophum nobiliſsimum Athenis cum anicula loquentem *Orat. 2. n. 35.* hoſpitem declararũt: audis iuuenem parum exercitatum,

qui

qui necdum annum triceſimum attigerat; nec publice niſi duas nobiles cauſſas egerat: audis diſcipulum proficiendi cupidum, qui Rhodum ſe contulerat, vt veſtra doctrina, vobis doctoribus, in veſtrarum ſcholarum tamquam fornacibus recoqueretur: proinde tibi primis duntaxat lineamentis inchoatam eloquentiam conſpiciendam exhibuit: quid Romæ ſenſiſſes? quàm obſtupuiſſes? vt mente captus penitus obmutuiſſes, ſi Latino ſermone, quem cum lacte nutricis ſuxerat; cuius dulciſsimus ſapor illi natiuus erat; cuius ſuauiſsimus ſonus, erat vernaculus audiuiſſes, non declamantem ad exercitationem atque ſpecimen ingenii; ſed ſerio, victoriæ gratia perorantem; non iuuenem, ſed virum, prætorem, conſulem, ſenem; ſed exercitatiſsimum in omni genere cauſſarum in foro, curia, iudiciis; ſed magiſtrum voce & exemplo totius Romanæ iuuentutis? Si ſpectaſſes illam copioſam & vehementem eloquentiam, quæ iam cum ætate maturitatem habebat; extremis perfectam lineis, vltima perpolitam manu, vel fluminis amplificationum maximarum & pulcherrimarum gurgitibus redundantis ſimulem in Verrem, Hortenſium, Piſonem effuſam; vel in Catilinam, Vatinium, Antonium voce tonantem, fulgurantem, flammas & faces fulminibus emittentem, atque incendio perturbationum omnia permiſcentem? Im-
16 petum ſuſtineo laudationis, quam vna cum Apollonio partim admiratio, partim amor exprimebat: & vocem orationemque conuerto ad reliquam partem contentionis. Non mihi ſat eſt demonſtraſſe quibus in rebus Demoſthenes M. Tullium vincere conatus, refutatione fuerit eluſus, & contra ſuorum opinionem ſuperatus: cupio præterea videatis, quibus in rebus inuictus Cicero Demoſthenem longe lateque in Græcia dicendi gloria ſplendentem, clarioribus ſuarum virtutum radiis obſcurauit. Primas vnius, cum alterius principatu; naturæ bonitatem cum natura; motum cum motu; copiam cum vbertate; cauſſas cũ cauſſis comparabo. Proxima comprobatum eſt oratione, defect-

ri M. Tullio primas inter Latinos oratores, ab omnium hiſtoricorum doctorumque virorum conſpirante conſenſu. Fertur item à multis Demoſthenes Græcorum princeps oratorum vixiſſe: Cicero ſtudioſiſsimus eius, multis illum anteponit: idem ſignificare videntur, qui M. Tullio parem faciunt: ſed non video Græcorum ſcriptorum vnam vocem, vnumque conſenſum in eius principatu Græciæ ſtatuendo; quem perſpecta probataque præſtantia Ciceronis à Latinis vniuerſis obtinuit. Demadem naturali promptũ

Orat. 6. n. 6. ingenio, forenſibus præliis inuictum, longas Demoſthenis lucubrationes æquantem ex tempore præſtitiſſe illi fatebantur omnes, qui eadem ætate viuebant, & vtrumque audientes conferebant. Eumdem Theophraſtus interrogatus, quid ſibi de vtroque videretur, reſpondit ſibi videre ſupra Athenas, cum Demoſthenem Athenis dignum iudicauiſſet. Qualis & quantus Phocion? Hunc maiore ui dicendi præditum, & plures ſententias paucioribus verbis veſtientem Demoſthenes metuebat; & dictorum ſuorum ſecurim aſſurgere dictitabat amicis, cum ilic ad dicendum

Orat. 3. n. 4. aſſurgebat. Quis Demoſtheni tribuit vnquam præconium illi par, quo Periclem antiquitas omnis decorauit? Aequauit fortaſſe fulminibus Periclea; non lepore illo ſuauiſsimo in labris habitante, quo quadraginta totos annos populum Athenienſem in ſua poteſtate habuit, & Herculis æmulus, tamquam aurea catena auriculis immiſſa, quocumque libuit ad nutum ſuum voluntatemque pertraxit. Argumentum Luciani, Demoſthenem Pericli præponentis, quòd dicendo ſolum, non ſcribendo valuiſſet Pericles, cuius nullæ viderentur orationes; cadit, ruit, diſsipatur; cum

Pl. l. 1. ep. 20. ad Tacit. Plinius minor Periclis bene longas orationes à ſe lectas fateatur. Nec Ciceronis auctoritas Demoſthenis fulcit regnum, quem non Pericli, non Demadi, non Phocioni prætulit, ſed Hyperidi, Iſæo, Lyſiæ, Aeſchini, & aliis quibuſdã æqualibus horum ætate, facultateque dicendi. Itaque cum Demoſtheni Theophraſtus Demadem, cuncti Periclem,

Ipſe ſibi Phocionem præſtare profiteatur, nemo iure poteſt
illi deferre Græciæ principatum; & multo minus vel ante-
ferre M. Tullio, vel æquare. Nec vero dignitatem hanc ſum-
17 mam illi uis ingenii, totiusque naturæ bonitas, ſolum ac
fundamentum eloquentiæ, cum Tulliana collata conceſ-
ſerit. Reducite animum ad ea, quæ de Ciceronis ingenio
mirabili, naturæque ipſius præſtantia prima oratione diſſe- *Orat. 15. n. 7.*
ruimus: reuocate memoriam, non ad M. Senecæ, Quincti- *& ſeq.*
liani, Hieronymi, Sidonii amantiſſimorum Ciceronis præ-
conia; ſed ad Aſinii Pollionis infenſiſſimi confeſſionem, qui
ſcripſit Ciceroni fuiſſe naturam obſecutam: componite cũ
iis, quæ de Græci huius oratoris naturalibus donis prædi-
cantur: fatebimini profecto Naturam illi nouercam ſane
quam auaram; noſtro liberalem, benignamque matrem
extitiſſe. Qualenam eſt Quinctiliani iudicium Demoſthe-
nis perſtudioſus in ipſa compoſitione amborum atque pu- *Quin. l. 10. c. 1.*
gna? *Curæ plus*, inquit, *in illo, in hoc naturæ.* Non premit
aduerſarios? Latinus eſt Quinctilianus: Græcus excitetur;
producatur Suidas; iuratus interrogetur ſeueritate iudi-
ciali: Quid decernis de ingenio Demoſthenis? quid pro- *Suid. V. De-*
nuncias? *Diligentior*, inquit, *quàm ingenioſior.* Conſentit *moſth.*
adeo cum Quinctiliano, vt cum eo coniuraſſe videatur. Et
ſane, vt laudare ſatis numquam poſſum, & vobis auditori-
bus meis prædicare diligentiam, curam, ſedulitatem, co-
natumque illum inuictum Demoſthenis, quo linguæ, pe-
ctoris, humeri, pronunciationis, & actionis vitia tollebat:
ita, quemadmodum aduerſus Pollionem diſputans argu- *Orat. 17. n. 10.*
mentabar, inficiari non queo, quin imbecillitatem, labem,
vitia naturæ cura diligens arguat; quæ ſubſidium, medici-
nam, emendationem illi ſtudet à labore, diligentia & exer-
citatione comparare. Quare calculis in os coniectis arduus
aſcenſus; difficillimorum aſperrimorumque verſuum cre-
bra pronunciatio; declamatio in littore maris ad fluctus *Orat. 2. n. 37.*
obſtrepentes; in ſubterraneam cauernam incluſio; dimidia *& ſeq.*
parte caput abraſum; ſpeculum obiectum meditanti; mu- *orat. 8. n. 16. & ſeq.*

tos Catilinam & ſocios, Piſonem, Cæſarem, Gabinium & horum ſimiles: videbat diſertiſsimos, & ſcientiſsimos oratores, quales erant Hortenſius & C. Cæſar: videbat viros grauiſsimos maieſtate cenſoria metuendos & Areopagitis æquales Catonem & Brutum: adde regibus æquandos opibus Craſſum & Lucullum: adde alios bellica gloria, prælíis, victoriis, regnis deuictis, & triumphis clariſsimos Pompeium & Cæſarem, omnes Philippo regi vel pares, vel etiã ſuperiores; nec tamen aut immemor, aut alucinatus, aut perterritus, in perorando conticuit. Non negat ipſe; neq; ego diſsimulatione tego; cum dicere inciperet, in cauſis præſertim grauioribus, ſe commoueri ſolitum & timere: quod initio dicendi L. Craſſo, M. Antonio fori principibus æuo ſuo, bonisque omnibus vſuuenit oratoribus: ſed vbi pectus dicendo nonnihil caleſecerat; commotio illa; quam cauſſæ grauitas, iudicii magnitudo, euentus expectatio, cõcurſus hominum excitauerat; ingenii & animi compreſſa magnitudine ſemper ita conſidebat, vt numquam ipſe neque officium, neque cauſſam, neque locum taciturnitate deſereret. Grauior comparatio ſequitur in affectibus permouendis; in quibus illud eſt apud dicendi magiſtros cum primis laudabile; vt non modo grauioribus odij, inuidiæ, miſericordiæ perturbationibus iudicũ auditorumque ceterorum animi concitentur: ſed etiam interdum, & in tem- *Orat.15.n.24.* *Orat.9.n.3.4.*

21 pore ab intentione rerum, moderata dicacitate, facetiis ridiculisque laxentur; à ſeueritate cauſſæ paulliſper (utique temperanter) ad hilaritatem riſumque traducantur; quo tum à ſatietate renouantur, tum à defatigatione reficiuntur. De priore genere motus, non eſt quod dicam amplius: ſatis ſuperque probatum eſt, in M. Tullio tantam vim inſediſſe perturbandorum animorum, vt, ſi potiſſimum orationes amborum inter ſe conferas; & Tullianarum epilogos cum lacrymis commiſerationis perfluentes; tum flammis aliorum affectuum exardeſcentes ſpectes, Demoſthenem à Cicerone facile ſuperatum fateare. Quis in altero *Cic. l. de cl. or. & l. de orat. Quin. l. 6. c. 3. & l. 10. cap. 11*

genere, quo hilarantur auditores ambigat de victoria Ciceronis? Plutarchus diligentiſsimus Demoſthenis laudator, modo vt durum & auſterum in dicendo notatum eum tradit; modo triſtitiam & acerbitatem eidem obiectam non diffitetur: Quinctilianus non illi voluntatem ad facetias & ridicula defuiſſe, ſed naturæ felicitatem animaduertit: Cicero, qui quoad poteſt Demoſthenem excuſare ſolet, quoad licet in eius laudibus ſe alucinari patitur; Lyſiam & Hyperidem ſatis, Demadem præter ceteros facetũ exiſtimari, Demoſthenem minus haberi ſcribit; quem poſtea ne ſine ſale prorſus ac ſapore relinquat, facetum affirmat, dicacem negat; dat illi, quod eſt maioris artis, quàm ingenij; tollit quod eſt acrioris ingenij, quàm artis; confirmans quod modo definij, plus in eo diligentiam facultatis, quàm naturam facilitatis poſuiſſe. Sed Ciceronem hac varia laude hilarandi Latinis Græcisque oratoribus omnibus, vtique Demoſtheni præſtitiſſe, perſuadent tam multa ridicula tribus libris à liberto collecta, quæ tum ex ingenio, tum ex arte finxit, quæque vel ex tempore, uel meditatus, vel laceſsitus, vel per occaſionem, aut publice, aut priuatim iecit: confirmant cauſſæ grauiſsimæ iocis ac faceriis obtentæ; probat denique Quinctilianus litem dirimens tam multis conuictus argumentis, cum pronunciat: *Salibus certe, & commiſeratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus.* Iam vero notiſsimam celeberrimamque diſputationem ingrediamur effuſo curſu animorum, de ipſa vtriuſq; oratoris dicendi ratione, quæ totius contentionis cardo putatur; & unde iudicium pendet de amborum eloquentiæ principatu. Qui Demoſthenis partes tuentur, Aſianum Ciceronem vocitare ſolent: eius copioſum dicendi genus vitioſum eſſe decernunt, quòd vt contrarium opponitur Attico præſtantiſsimo, quo Demoſthenem, ipſius Ciceronis teſtimonio, florere atque eminere conſtat: eiuſcemodi verbis ſine firma probatione tamquam victores ante pu-

Plut. in Dem.

Cic. l. de or.

Quin. l. 6. c. 3.

Orat. 15. n. 9.

Quin. l. 10. c. 1.

19

gnam,

ſignam, in ipſa velitatione triumphant. Quæ iam pro M. Tullij defenſione diſputata ſunt atque ſtabilita, repeti oratione ſuperuacaneum eſt: vos ea memoria huc diſputationi profutura reuocate. Demoſthenes Atticus eſt, Atticus & Cicero; vehementerque probo iudicium æquiſſimum Quinctiliani cenſentis illum denſiorem eſſe, concludere aſtrictius, acumine pugnare ſemper; hunc copioſiorem, pugnare latius, frequenter & pondere; nihil Demoſtheni *poſſe detrahi; nihil adijci* M. Tullio. Subſcribo tanti viri ſententiæ; qui pauciſſimis poſtremis verbis Ciceronem in eloquentiæ copioſo genere perfectum eſſe decernit. Quid enim à magiſtro philoſophorum Ariſtotele definitur eſſe perfectum, niſi id, cui nihil deeſt eorum, quæ ipſius naturæ conueniunt? Si M. Tullio nihil addi poteſt ad copiam; habet omnia, quæ illi debentur; nihil eorum illi deeſt, quæ generi copioſo dicendi conueniunt: itaque perfectus eſt cenſendus. Atque vt hoc plane intelligatur à vobis, Auditores, veſtra cum bona venia paullo ſubtilius eſt philoſophandum. Virtutem omnem in mediocritate quadam, quæ inter extrema duo contraria vitia ſit interiecta, collocatam eſſe, notius eſt, quàm vt à me vel auctoritate, vel ratione debeat confirmari. Quo fit, vt terminis vtrinque præſcriptis à viro prudenti definiatur adeo, vt eos virtutis laude retenta, minime poſſit tranſilire. Nouerat ille, qui feliciter dixit,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quint. l. 12. c. 10
Item l. 10. c. 1.
Ar. 2. cœli. t. 23
Hor. l. 1. ſat. 1.

Verum hæc mediocritas tantopere commendata, quæ dicta eſt aurea, cæleſtis, ac diuina, propterea quod virtutis anima ſit ac vita; non in indiuiduo puncto poſita eſt: latitudinem aliquam habet; in qua poteſt huc atque illuc excurrere laudabiliter intra virtutis gyrum, lineas non tranſiliés vitiorum. Illud addo perpendendum accuratius, in liberalitate, magnificentia, fortitudine, nonnulliſque alijs harum ſimilibus virtutibus, cenſeri laudabilius atque hone-

ſtius,

ſtius, dummodo fines non egrediatis, ad largitionem, ad audaciam accedere, quàm retro pedem ad contraria referre: virtutemque heroicam non paruitate animi, ſed magnitudine; non anguſtijs pectoris, ſed amplitudine faciendo potius, quàm deficiendo comparari. Similis eſt eloquentiæ ratio; quæ ſi virtutis nomen retinere: ſi laudem à viris prudentibus ſibi conciliare; ſi plauſus & approbationes in concionibus excitare velit, ita mediocritate ſe temperet; atque inter infantiam, & loquacitatem ſe cōtineat; vt neque hinc in Aſiaticam redundantiam, inanemque profluentiam reprehenſam iure, corruens demergatur: neque illinc in breuitatem ieiunitatemque delapſa, in ſiccitate quadam merito damnata miſerabiliter adhæreſcat. Quod ſi fines non excedens; quatenus lex mediocritatis patitur, copiam potius, quàm inopiam, vt de liberalitate dicebamus, amore, conatu, vſuque proſequatur; nec eam à quoquam iure vituperari; nec quidquam ea præſtantius atque glorioſius reperiri poſſe contendo. Mortales enim omnes, qui ſapiunt aliquid, nec peregrini plane ſunt in artium ſtudio liberalium hanc dicendi rationem probant; hanc maxime laudabilem cenſent, quæ copia, quæ vbertate, quæ verborum affluentia bonorum continetur: hanc vel primam eſſe, vel in primis virtutibus eloquentiæ, vel ipſam eloquentiam arbitrantur. Cur Zeno Cittieus, à quo Stoicorum diſciplina propagata eſt, cum deduxerat pugnum, & manum dilatauerat, ſimilem illius palmæ dicebat eloquentiam, niſi quia latiorem in ea dicendi rationem requirebat? Cur rhetores omnes & optimi quique ſcriptores vbertatis, copiæ, & eloquentiæ nominibus eandem vim dicendi ſignant; in adoleſcente redundantiam malunt, quàm ieiunitatem, & definitionem illam à Cicerone traditam communi conſenſu recipiunt eloquentiæ, quà copioſe loquens dicitur eſſe ſapiētia? Copia Platonis ab omni antiquitate ita laudata eſt, vt propter eius vbertatem, Iouem ſic locuturum fuiſſe dicerent philoſophi, ſi Græce loqui voluiſſet; vt inde illi cognomen

Sext. Empir. c. 28. adu. math. orat. 6. n. 2.

Orat. 10 n. 18. Orat. 15. n. 10. Orat. 6. n. 12.

Cic. in partit.

Plut. in Cic. Orat. 15. n. 25.

Digitized by Google

gnomen diuini, tantæ dignitatis inhæſerit: vt ſummæ laudi Ciceroni detur, quòd eius copiam & granditatem expreſſerit. Quid quod viri ſapientiſſimi in celebrandis eloquentibus oratoribus atque ſcriptoribus eas translationes vſurpant, eas rerum ſimilitudines adhibent, quæ copiam ac profluentiam auribus animoque repręſentent? Fonti redundanti ſapientem virum ſimilem ac parem Salomon facit; Vlyſſem niuibus hibernis Homerus: Pindarum amni pluuiis aucto Flaccus; torrenti Demoſthenem Iuuenalis; currenti flumini Germanicum Cæſarem Ouidius. Fluuio Ciceronem & Lactantiũ, Rhodano Hilarium, lacteo fonti Liuiũ, puriſſimo Cyprianũ Hieronymus æquat: Nilo fluuiorũ totius Africæ maximo de catadupis præcipitanti Chryſoſtomũ Suidas anteponit. Poſtremo Plinius ſecundus nobilis rhetor, orator, ſcriptor diſſerens multis aduerſus quẽdam ſiccæ ieiunitatis amatorem, cum docuiſſet in delectando perſuadendoque copiam dicendi, ſpatiumque deſiderari; non amputatam orationem, & abſciſſam, ſed latam & magnificam tonare, fulgurare, omnia miſcere, qui paupertate orationis materiam non implet, eum imbecillitate; qui redundantia excedit, uiribus peccare; vitiumque hoc eſſe maioris ingenii, ſi non limatioris: concludit tandem, ſi detur electio, malle ſe orationem illam hibernis niuibus ſimilem apud Homerum, id eſt crebram, aſſiduam, & largam, poſtremo diuinam ac cæleſtem. Quòd ſi tot ſcriptorum auctoritate, tot rationum firmamentis, tot ſæculorum conſenſu comprobatum eſt, illud eloquentiæ genus colligere laudes, admirationem habere, permouere animos, quod fonti ſimile, par fluminibus, æquale torrentibus, copioſum eſt, & rebus, verbis, amplificationibus abũdans: ſi M. Tullium hanc eloquendi rationem latiorem, ampliorem, & heroicæ propiorem eloquentiæ, complexũ eſſe conſtat; Demoſthenem vero preſſiorem, aſtrictioremque, ſiue iudicio ſenſuque ſuo, ſiue ingenii naturali ieiunitate ſecutum adeo, vt illi nihil detrahi ſine damno poſſit;

Orat. 4. n. 22.

Pl. l. 1. ep. 20. ad Tacit.

quis tam cæcus arbiter in eloquentia fuerit, vt non adiu-
dicet Ciceroni primas; & cum Lactantio Firmiano vete-
rum Chriſtianorum Cicerone pronunciet M. Tullium 21
Lactant. de opific. cap. 20. eſſe *Vnicum exemplar eloquentiæ*? Neque vero commemo-
tes ornamenta ſententiarum & conformationes, quibus
Cic. l. de or. quia præſtabat omnibus antegreſſis oratoribus Demoſt-
henes à doctis, & ab ipſo Cicerone eſt omnium princeps
iudicatus: nam & M. Tullius æque vt ille ualuit ſchemati-
bus, quæ non tam in uerbis pingendis, quàm in illuminan-
dis ſententiis pondus habent: tum aliud ornamentorum
genus addidit, quod in feſtiuitatibus, concinnitateque uer-
borum eſt ſitum: ut nihil perfectionis, neque à fulgore gem
marum, neque à nitore margaritarum, neque à floſculo-
rum gratia, neque à colorũ uarietate deſideraretur in eius
[illegible] oratione, qui ſimilis ubique ſui reperitur, totus elegantiæ,
totus ingenii, totus copiæ, totus ornatus, totus lingua, totus
eloquentia. Quid quod tam multis ingenii, doctrinæ, facul-
tatisque dicendi copiis atque opibus, inſignis quędam pro-
uidentię diuinæ nutu felicitas acceſsit; quæ ſplendorem re-
rum, & magnitudinem cauſſarum illi, quàm Demoſtheni,
ſubminiſtrauit ampliorem? Plurimum enim amplitudine
Quin. dial. de orat. rerum adiuuatur eloquentia, prouocatur ingenium, animi
uis excitatur: præclaram, & perilluſtrem orationem tum fa-
cimus, cum cauſſam parem inuenimus. Non Demoſthe-
nem orationes illuſtrarunt illę, quas aduerſus tutores ſuos
compoſuit; ſed quas pro Olynthiis, pro Cteſiphonte, & in
Philippum Regem dixit. Ciceronem noſtrum non ma-
gnum & glorioſum oratorem effecerunt, Quinctius, Fon-
teius & Archias: ſed gloriam illi dederunt ampliſſimam
Sextius, Cornelins, Milo; L. Murena conſul deſignatus, rex
Deiotarus defenſi; Verres Siciliæ depeculator accuſatus,
Catilina patriæ proditor eiectus, Antonius alter Philippus,
uel Philippo deterior, hoſtis declaratus: Pompeius Ma-
gnus, & C. Cæſar Dictator alis eloquentiæ geminis expli-
catis, ingeniique effuſo uolatu laudati: Sicilia uindicata,
con-

coniurationes extinctæ, Ptolemæo Aegypti regi tutor datus, in Reip. hoſtes exercitus immiſſi, famam eius ad ſempiternam temporis memoriam propagauerunt. Atque vt nobiles & generoſos equos ſpatia, circi, curricula probant, & ad curſum accendunt; ſic oratores campus aliquis patentiſsimus, atque theatrum populo celeberrimum plauſu clamoribuſque ſæpe fauente, qualis Roma erat, incitat, erigit; vbi clientelæ, tribus, municipiorum & prouinciarum legationes, partes Italiæ periclitantibus reis aſſiſtebant; quò concurrebat populus frequentiſſimus, exiſtimans ſua intereſſe, quid iudicaretur. Quod ſi frigidos, ignauos, inertes oratores hæc ſtudia multitudinis accurrentis excitare poſſunt atque incendere; quid generoſiſſimo naturæque muneribus ornatiſſimo Ciceroni fecerunt? Faces eius animis, ardorem ingenio, lateribus firmitatem: pectori, linguæ, voci, vim, copiam, claritatem addiderunt. Ex his adiumentis multa Demoſtheni affuerunt, fateor; ſed quid erat Attica cũ Italia cõparata? quid Athenæ cũ Roma? quid Athenienſium ciuitas cũ Rep. Romanorũ? quid denique finibus anguſtis circumſcripta ſub illorum ditionem regio, cum latiſſimo huius per orbem terrarum vniuerſum imperio? Magnitudinem rerum, multitudinem grauiſſimarum cauſſarum, amplitudo Romani imperii M. Tullio tanto dedit ampliorem, quàm ſua patria Demoſtheni; quanto fuit A-

22 thenienſium reſp. reſp. maior Romanorum. Nihil dicam de quæſtura Sicilienſi, de ædilitate, prætura, conſulatu ſummo apud Romanos honore; quas dignitates nõ maiorum meritis, non generis nobilitate, non pecuniarum largitione, vt multi; ſed eloquentiæ beneficio, vt pauci, eſt anno ſuo conſecutus; quod Demoſtheni non legimus contigiſſe. Poſſem & de rebus foris fortiter geſtis dicere, quibus Demoſtheni perſpicuum eſt præſtitiſſe. Nam ille priuatus in Athenienſium exercitu militans, in pugna quadam cũ Philippo Rege feliciter ac fortiter adeo ſcilicet pugnauit, vt clypeo, (in quo ἀγαθῇ τύχῃ *Bona Fortuna* minime illi bonæ, erat inſcriptum) abiecto: quod eo tempore turpiſſimum *Plut. in Dem.*

Cic.l.2.de or. *Sextus l.4.c.3 Pyrrh.hypot. cap.24.* *Plut.in Cic.*

erat, aufugerit: at Cicero priuatus primum bello Marſicō ſub Sylla meruit, tum proconſul in Cilicia ductor exercitus ſtrenue feliciterque pugnauit, hoſtium copias fudit, profligauit, multos occidit, aliquot caſtella munitiſſima expugnauit; re bene geſta, triumpho digna, vt fieri ſolet ab exercitu eſt imperator appellatus; rediens pacata prouincia victor, ſine dubio triumphaſſet armatus, niſi in ea turbulentiſſima tempora reditus eius incidiſſet, quibus ciuilium bellorum flammæ palam erumpere cœperant, quæ poſt in maximum incendium exarſerunt. Vel certe petendo triumpho prudenter abſtinuit, altero glorioſiore contentus, quē togatus egerat è maxima ſplendidiſſimaque victoria, quam retulerat, non tam ex hoſtibus deuictis, quàm è ciuibus liberatis, non manu, ſed lingua; non enſe, ſed voce; non telis, ſed uerbis; non fortitudine militari, ſed ingenio forenſi; qua denique non auxit imperium, ſed interiturum ſeruauit; non præliando, ſed eloquendo. Tacitus hinc parumper demiſſo capite Demoſthenes recedat, atque in ſubterraneam illam ſuam cauernam ad lucubrandum, victus ſeſe recondat: ſileant hoc loco patroni Græci oratoris; & vna cum cliente faceſſant; tum ex occulto pompam Tulliani triumphi proſpectent, quo nullum maiorem, magnificentioremue ciuitas Romana ſpectauit. Non de illo poſteriore loquor, cum ab exilio voluntario Senatus decreto reuocatus, à Brunduſio vſque Romam agmine perpetuo regionum, municipiorum, præfecturarum, coloniarum publice gratulantium; effuſione hominum ex oppidis, concurſu patrumfamilias cum coniugibus ac liberis ex agris; obuiam egreſſo Senatu, Roma ipſa prope conuulſa ſedibus procedente, humeris Italiæ eſt in patriam reportatus. De priore triumpho ſermo eſt, quem primus in toga poſt hominum memoriam egit M. Tullius. Non maximum omnium, celeberrimum, glorioſiſſimumque fuiſſe probabo Ciceronis ipſius triumphantis teſtimonio, qui M. filium docet nullius triumphum imperatoris cum hoc eſſe confe-

Cic.or.in Piſ. & poſt red. in ſen.

Orat.4.n.31.

Cic.l.1.offic.

rendum;

rendum; ſed C. Cæſaris Dictatoris hoſtis quondam ipſius, qui non voce euaneſcente dixit, ſed ſtylo ad immortalem poſteritatis memoriam ſcripſit, M. Tullium adeptum eſſe lauream omnium maiorem triumphorum. Sed vbi? quomodo? quando? Cum inuenta deprehenſa, patefacta Catilinæ nobiliſſimi ſceleratiſsimique hominis coniuratione, vigilantia, diligentia, conſilio Conſulis Ciceronis; eius eloquentia ſceleris atque incendii architectus in exilium eſt eiectus ex vrbe; comitum eius pernicioſa ſentina reip. exhauſta, peſtis compreſſa eſt ne latius ſerperet; & nouem domeſticorum hoſtium perditiſsimorum pœna, reſp. eſt conſeruata. Cum Senatusconſulto ſupplicatio ad Deorum templa conſulis nomine decreta eſt, quòd vrbem incendiis, cæde ciues, Italiam bello liberaſſet. Cui vmquam poſt vrbem conditam tantus honos eſt delatus, vt qui re bene geſta bello dabatur, huic vni rep. domi conſeruata conſtitueretur? Quantum vero illud eſt vt primus obtinuerit togatus, quod ceteri omnes armati meruerunt? Iure L. Gellius vir prudentiſsimus in Senatu dixit, à Rep. Coronam ciuicam M. Tullio deberi. Iure Plinius maior tum admiratione obſtupefactus ad M. Tullium conuerſus, tum gratulans exclamat; *Salue primus in toga triumphum, linguæque*
23 *lauream merite.* Præſtat ergo triumphis aliorum, quia auctore Cæſare, plus eſt ingenio & eloquentia terminos imperii retinuiſſe, quàm armis & fortitudine propagaſſe: præſtat, quia primus togatus triumphauit, non armatus. Atque vt mirabile fuit Cn. Pompeium equitem non ſenatorem triumphare; mirabilius fuit ad honorem Ciceroni togatum triumphaſſe. Præſtat, quia coronam lauream, maximum triumphantis inſigne, è victoria bellica triumphaturis Imperatoribus debitam, hic vrbano conſilio, & vi dicendi promeruit. Non ne iure dixit id, quod inuidi criminabantur,

Cedant arma togæ: concedat Laurea linguæ?

ceſſerunt armati togato, conſcelerati probo; loquaces elo-

Cæſar. in Anticat. apud. Pl. l. 7. cap. 30. Plut. in Cic.

Cic. orat. 3. in Catil. et in Piſ. Quin. l. 2. c. 16.

Cic. orat. in Piſ

Pl. l. 7. cap. 30.

Cic. orat. pro lege Manil.

Digitized by Google

quenti; conſiliis, diligentia & oratione ipſius de manibus audaciſsimorum ciuium delapſa arma ipſa ceciderunt. Vincit aliorum triumphos, quòd triumphantes Imperatores deuictæ prouinciæ prælis, ac notatæ victoriis, honorifica cognomina Dalmatici, Aſiatici, Macedonici, Africani dederunt; at hic extinctor coniurationis, omnium aſſenſu creator vrbis, Reip. liberator, conſeruator imperii ſæpe eſt appellatus; & quod eſt omnium maximum cognomẽtum, Q. Catulo principe Senatus, & Catone viro grauiſsimo totius Ciuitatis pronunciantibus, primus omnium Romanorum *Pater patriæ* dictus eſt; quod cognomen in eo reſedit, & ab eo poſtea manauit ad Imperatores; quo denique nullum vnquam aut maius ad dignitatem, aut honorificentius ad laudem, aut ſplendidius ad gloriam eſt ab humano mortalium ingenio excogitatum. Superat denique inuſitata pompa, nouaque forma triumphos armatorum. Hic pro curru, ſunt roſtra; pro corona gloria; pro ramo lauri, perſuaſio; pro ſceptro eburneo, auctoritas; pro veſte purpurea, patriæ caritas. Quattuor equi generoſi trahunt currum, patres, equites, plebs, exteræ gentes: via triumphali magiſtratuum omnium, & honorum vrbanorum; ad Capitolium immortalis nominis ac famæ. Qui vincti ante currum Duces? Vel improbi ciues eloquentia proſtrati, quales fuerunt Verres, Antonius, & Catilina: vel oratores in forenſi dicendi contentione victi, Hortenſius, Caluus, Cæſar, & Aſinius. Quæ ſimulacra oppidorum? Grata memoria prouinciarum omniũ, quæ parebant Imperio Romanorum, quas Cicero vel patrocinio, vel communibus in totam remp. beneficiis ſibi deuinxit. Qui legati in equis & tribuni? Ingenium, Iudicium, conſilium, memoria, lingua, vox, & quæcumque alia pars animi & corporis, quæ perorantì deſeruiit. Qui clamor militum? Acclamationes admirantium auditorum, & vniuerſi populi Romani iurati voces ex ipſa concione teſtificantis, ipſius vnius opera Remp. à tyrannide liberatam. O præclariſsimum triumphum

Plut. in Cic. Pl. l. 7. cap. 30. Cic. in Piſ.

Cic. orat. in Piſ.

phum

phum nouitate primum,admirabilitate maximum, ſplendore nulli conferendum?Quid mirum à Curione vocatum *Cic.l.1.ep.14.* Ciceronis conſulatum ἀποθέωσιν : ab ipſo M. Tullio diem *ad Attic.* illum,quo populus acclamauit , non vnius diei gratulatio- *Cic.or.in Piſ.* nem,ſed æternitatis,& immortalitatis inſtar exiſtimatum? Et quiſquam negare audeat, oratorem tam glorioſe triumphantem eloquentiæ beneficio Demoſtheni,inglorio, cui

24 nihil ſimile obtigit,eſſe præferendum ? De moribus nihil diſputo:ne me quæſo patroni Demoſthenis laceſſant ; ſileant,obmuteſcant. Dicam ſi me prouocent, ob pecuniam acceptam auaro animo damnatum ab Areopagitis,è cuſto- *Plut.in Dem.* dia profugiſſe in exilium : conferam cum Cicerone , qui Proconſul in Cilicia muneribus repudiandis ſibi prouin- *Plut.in Cic.* cialium amorem mirifice conciliauit,& auaritiæ maculam nomini Romanorum impoſitam , ſua liberalitate deleuit: qui ſi patria exceſſit,non damnatione fuit eiectus, ſed ſpõte ſua profectus in exilium , vt furori cedens inimicorum, abitu ſuo flammam ciuilis belli fumantem iam & apparentem extingueret.Itaque bis patriam remque publicam *Cic. orat. pro* vir amantiſſimus communis boni ſeruauit; tum conſul,cũ *domo.* togatus armatos vicit eloquentia, Catilinam improborum ſodalium manu comitatum vrbe iubens erumpere: tum priuatus,cum cedens conſulibus armatis,excitatum ad defenſionem ſuam tumultum opportuno diſceſſu conſopiuit. Atque hoc tantum bonum tamque inſigne commodũ ſeruandæ patriæ per eloquentiam illud eſt,quod Ciceronis *Plut.in Cic.* infantis nutrici ſpectum apparens , ab illa præmonuit ali, atque educari reipublicæ : quod viſum diuino permiſſu obiectum , prædictionemque non falſam fuiſſe putat Tertullianus,inter eas numerans,quas euentus certiſſimus cõprobauit. *Tertull. l. de an.cap.46.* Dicam,ſi me vellicent,de morte tam timide atque ignaue obita , ut quemque honoris amantem pudere conueniat. Se ipſe, ne aliena manu caderet , ſucto veneno, quod in annulo paratum habebat , miſerabiliter occidit. *Pl.l.30.c.1.* Tu ne , qui Platonis auditor fuiſſe diceris , ignorabas indi-

gnum,

Plato in Phæd. *Cic.l.de ſen.in ſomn.Scip.* *Macr.l.1.c.13* *L.Sen ep.24.* *Ar.l.3.eth.c.7. l.5 c.11.l.9.c.4* *Sect.30.probl. 1.*

gnum,iniquum,impium eſſe, Dei ſummi Imperatoris in-
iuſſu de ſtatiône vitæ,præſidioque decedere ? Sapienti ac
forti eſt exeundū de vita,non fugiendum. Numne doctri-
nam Ariſtotelis æqualis tui, tum efflorеſcentis ad ſapien-
tiæ gloriam inaudieras, iniuſtitiæ, & ignauiæ, & inſaniæ
damnantem eos,qui ſibi mortem ipſi conſciſcerent ? Et
meritiſſimo.Non iniurioſus in remp. qui ciuem eripit rei-
publicæ ? Non timide mortem exhorreſcis, qui mortem
anteuertis? Vitę calamitates,aduerſamquę fortunam igna-
uus ferre non potes;qui pectore atque animo infirmus re-
dimis morte miſeriam. Sapienter Poeta non ignobilis

Martial l.11. epigr 57.

Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

L.Sen ep 24. *Martial.l.2. epigr.80.*

Quòd ſi non extimeſcis ſuperſtitis vitæ miſerias ; quæ te
rapit inſania vt mortem morte deuites? quæ maior eſſe po-
teſt amentia,quàm,vt optime idē dixit, *Ne moriare mori?*
Sed vt ſe geſſit Cicero noſter iniquiſſime proſcriptus, &
quæſitus ad necē? Satellites accedentes vidēs, intelligēsq;
ſupremam illam eſſe horam,nec mortem poſſe differri, le-
cticarios conſiſtere iubet ; caput emittit è lectica; ceruices
non porrigit modo,ſed offert,tremēti ac dubitanti, *Quid,*
inquit, *Si ad me primum veniſſetis?* ictum denique præſtan-
tiſſimo ſuſcepit animo, ac tulit : omnibus hiſtoricis atque
ſcriptoribus Græcis ac Latinis Plutarcho, Liuio, Quincti-
liano, Seneca vtroque, Aufidio Baſſo, Cremutio Cordo cō-
ſtantiam eius fortitudinemque laudantibus, præter vnum
Pollionem, qui quidquid potuit de Tulliana fama detra-
xit.Hic, Auditores, receptui canere parantem acerbiſſima 25
Ciceronianæ cædis recordatio perculit animum, pectuſque
dolore pariter, & ira cumulauit. Satis diu ſibi vixit ille vir
memorabilis, ſatis gloriæ numeros expleuit omnes optimi
patriæque amantiſsimi ciuis ; triennio quoque vitæ De-
moſthenem vicit : occubuit eo anno, tertio & ſexageſimo
qui κλιμακτῆρ multis ſine ferro, ſine ui ſolet eſſe funeſtus.
Occidit antequam videret oppreſſam patriam tyrannide,
quam ſæpe conſeruauerat ; non denique hauſit dolorem,

Plut. in Cic. *Quin l.12.c.1.* *L.Sen.l. de trā quill.cap. 15.* *M.Sen.l.ſuaſ. 7.*

quem

quem acerbiſsimum hauſiſſet, ſi Romanum imperium in tres partes diſciſſum vidiſſet, quod integrum ipſe per induſtriam & eloquenriam retinuerat. Non accuſo mortem, Sapienti vitæ mortalis finem: nō ſolus eam ſubijt indigniſſimam anteacta vita calamitatem: clariſsimis viris comitatus obijt, quos non triumuiralis modo, ſed etiam Mariana, Cinnana, Syllanaque proſcriptio ſuſtulerat. Iraſcor, doleo, miſeror caput illud ingenii, conſilii, & eloquentiæ pleniſſimum, à Popilio tam impudenter abſciſſum; à Fuluia tam crudeliter vexatum; ab Antonio tam ignomiuioſe in roſtris expoſitum ad ludibrium. O Popili, te ſatellitum ducem appello; ò furcifer mortalium omnium ingratiſsime; Ciceronis interfector; quo animo, qua fronte, quoue ore M. Tullij patroni tui caput amputandum petijſti? Non tibi veniebat in mentem illius diei, quo die te parricidij reū ipſe patrocinio ſuo, de accuſatorum rabie, deque poteſtate iudicum eripuit? Non te illius humanus oculorum coniectus, vultuſq; permouit? nō decora ſenis forma permulſit? non conſtantia flexit? non fortitudo molliuit? Lacrymas non videras, quæ virum talem dedecebant; ſi vidiſſes, nihil ne te fera bellua, lenijſſet? An non ſeruare debueras, qui te ſeruauerat? non illud referendæ ſeruatori gratiæ tempus erat, quo vitam reddere poteras ei, à quo pridem acceperas? Sed tu carnifex, Antonio proſcribente longe ſceleſtior, improbior, immanior, humanitatis quidquam exhibeas? Ille fuit offenſus, tu defenſus: Cicero quantum in eo fuit proſcripſerat prius Antoniū lingua; quàm proſcriberetur; ſenatum, populum, conſules in eū incitauerat; exercitum conſcripſerat, armauerat, immiſerat: tibi contra periclitanti aſtitit; te tuorum inimicorū oppreſſum accuſatione, teſtibus, oratoribus defendit, liberauit, conſeruauit. O miſerum Ciceronem: ſeruaſti, qui te occideret; tua tibi nocuit humanitas; tua lingua, tuendo Popilium, periiſti. Quid mirum, qui filius patrē necauerat, clientem non patrono pepercisſe? Quamquā, ſi quid-

M. Sen. l. 7. Contr. 2.
Plut. in. Cic.

Pl. l. 7. c. 30.

ſi quidquam ratio valeret in tam cæco ingrati animi vitio, non minus patrono debebat vitam, qui illum in vita retinuerat; quàm parenti, qui primum in hanc vitam immiſerat. Tu vero Fuluia, noui ſceleris inuentrix, opifex inſolitæ crudelitatis, inauditæ magiſtra ſæuitiæ, quæ gremio 26

Plut. in Cic. S. Hier. l. 2. apol. ad Ruff. Io. Zon. t. 2. in Auguſto.

complexa caput Ciceronis, acu diſcriminali linguam eloquentiæ ferina rabie pungebas, perforabas, transfigebas: quo veneno tam cito oblita eras te eſſe mulierem? caput mortui non perhorreſcis? cum lingua tuis confoſſa vulneribus ſtillat ſanguinem in ſinum tuum, manus, veſteſque cruentat; non metuis, ne guttæ illæ cruoris tam iniuſte profuſi tanquam venenatæ, pectori tuo aliquam peſtem infundant? flammas, fulgura, faces è fulminatrice lingua non pertimeſcis? Vicit in illa, vicit timorem furor; naturam audacia; ſexum immanitas. Deſinat mirari Hieronymus crudelitatem Herodiadis, quæ, quod Ioannes in-

S. Hier. l. 2. apol. adu. Ruff.

ceſtas nuptias iure coarguiſſet, acu ſimili, per ludum & irā, auream innocentiſſimi viri linguā in abſciſſo capite tranſuerberauit, vulnerauit, excarnificauit: à M. Antonij vxore Fuluia, Romana furia, tam inſolitum ſæuitiæ genus ex hiſtorijs Herodias Iudæa didicerat. Hyperidi claro in primis Oratori linguam exciſam mortuo prodiderunt hiſto-

Plut. in Dem.

rici: linguam ſtylis ferreis configi, confodi, tranſadigi ad explendum odium, ſaturandamque ſæuitiam, non vllis in annalibus, memoria, monumentis legit: nouam ſatiandæ crudelitatis rationem, & in mortuum inſultandi prima inuenit Fuluia, docuit, exercuit. O dignam immaniſsimo viro vxorem Fuluiam: O dignum crudeliſſima coniuge 27
Antonium. Non ſat fuit cupiditati tuæ, Ciceronem è viuis eſſe ſublatum? vt certior de morte fieres, caput reciſum, à Popilio perlatum, iratis, trucibus oculis retortiſque ſpectaſſe? Fuluiæ vxori tui ſimillimæ feritate, ad ludum, ad voluptatem, ad ſatiandam ſanguinis ſitim in gremium tradidiſſe? Cur illud in roſtris iuſſiſti collocari, niſi vt tuũ furorem, tuum ſcelus, tuam rabiem populo vniuerſo pu-

blice

Digitized by Google

blice pateſaceres? Non te ſubijt ac retraxit recordatio M. Antonii clariſſimi oratoris aui tui, cuius tu ſucceſſor es indigniſſimus generis, & nominis heres; cuius caput Mariana proſcriptio in eodem loco, Romano populo gementi, & Marium Cinnamque deteſtanti propoſuit? O ſpectaculum non hominibus modo, ſed etiam ſaxis & feris luctuoſum. Stabat Ciceronis mortuum pallidumque caput in roſtris; vbi quondam Senatus princeps, rex fori, conſul Remp. priuatus conſules, reges, multorum ciuium capita ſeruauerat: hiabat indecore mutum illud os, vnde tamquã ex officina tot tela deprompſerat, atque in improbos ciues intorſerat eloquentia: cruoris riuus è lingua, Fuluiæ ſtylis perfoſſa, crudelitateque muliebri lacerata manans, roſtra forumque fœdabat; vnde toties verborum flumina, vel ad innocentum defenſionem, vel ad laudem proborum eruperunt. Tacet os perſuaſionis tabernaculum; friget lingua ſedes leporis; ſilet vox muſarum ſonus, quæ populi Romani aures, animos, pectora iucunde pariter & vehementer ferientes, aculeis hilarabant, & voluptate perſuadebant. Cic. l. 3 de or.

Abſtulit vna dies æui decus; ictaque luctu
Conticuit Latia triſtis facundia linguæ. Caſſ. Seu. apud M. Sen. ſuaſ 6.

Sed quid ſcelus ſcelere cumulas Antoni, cum manus ambas auulſas à corpore capiti ſpectandas adiungis? Dextera illa vicaria linguæ, miniſtra ingenii, monumentorum æternorum opifex, per te cum lingua conſociatur ad probrum. Fruſtra reciſa eſt: iam eloquentiæ famula immortali calamo æternitati commendauit eloquentiam; inſculpſit in memoria poſterorum imaginem viuam ingenii penicillo feliciore, quàm Apellis: in monumentis ac tabulis non marmoreis, aut æneis, ſed adamantinis incidit ſtylo ſempiterno gloriam ſuam, & dedecus tuum: manum abſcidiſti; non deleuiſti Philippicas; integræ ſtant adhuc, leguntur; & diſrumparis licet, in omni poſteritate legentur, tuæ teſtes improbitatis ac ſceleris. Hoc feciſti miſeranda illa ſocietate manus & linguæ; vt dubitemus, vtri plus ab humano ge- M. Sen. ſuaſ 6. Plut. in Cic. Iuuen ſat. 10.

nere debeatur; linguæ ne, quæ præſentibus voce profuit; an dexteræ, quæ poſteris ſcriptura proſpexit. Quid populus Romanus ad hoc miſerabile lugendumque ſpectaculum capitis, linguæ, dextræ cogitauit, dixit, fecit? Num hiſcere non eſt auſus? num ſatellites huc atque illuc volitantes, truculentos militum vultus, armorum fulgor, proſcriptionis terror, Antonii furor eum ab officio deterruit? Minime vero: conſcientia debiti pectora confirmauit; formidinem pietas ſuperauit. Exhorruit primum, & obſtupefactus hæſit: deinde fremebundus ingemuit; ecquis tantam atrocitatem ſceleris ſine indignatione, ſine ſuſpirio aſpicere potuiſſet? tum ſolutis omnium pectoribus atque oculis in lacrymas, fletui laxauit habenas; & vbi mortui lingua ſua flumina verborum effuderat ad populi publicam priuatamque ſalutem; gratus populus beneficentiſſimo patrono riuos rependit lacrymarum: ploratu, ſi nihil aliud, vt in tantis anguſtiis ac periculis, iuſta perſoluebat; & tacite damnabat Antonium, qui communem parentem, ſingulorum patronum, patrem patriæ, ſeruatorem vrbis, imperij columen euertiſſet; & fori vocem, eloquentiæ linguam, litterarum decus, doctrinarum lucem extinxiſſet. Iure lugebas Romane popule, tam de te publice priuatimque benemeritum oratorem ac ciuem: atque vt pro dignitate, pro meritis, pro calamitatis magnitudine flere diutius poſſes ac lacrymari; diuina prouidentia rerum humanarum ſcientiſſima moderatrix, paullo poſt obitum ipſius, in villa Academia, calido sfontes perquam ſalubres oculis aperuit; vnde non tam lippientibus oculis opera Ciceroniana lecturis medicina peteretur; quàm lacrymarum calidus humor comploratibus, fletusque ſuppeteret. Nos quoque Iuuenes optimi, Romanorum exemplo commoti, pro modulo noſtro, pro humanitate, quam Chriſtiana pietas non exuit, magiſtri de nobis optime meriti, per illam linguam & dexteram, quæ nulli parcentes labori dictandi ſcribendique tamque multa poſteritati mandantes, nobis profuerunt;

M.Sen.ſuaſ 6 (margin, beside "re potuiſſet")

Pli.l.31 c 2. (margin, beside "Academia")

28 (margin, beside "Iuuenes optimi")

Digitized by Google

fuerunt; grata memoria virtutem & eloquentiam proſequamur. Monumentum fieri vellem quam ampliſſimum ad eius gloriam, pro mortali conditione, ſempiternam; quod qui uiderent & audirent, eorum numquam gratiſsimus ſermo conticeſceret: niſi ipſe, vt ſapientes viri opinantur; ſibi monumentum ære perennius ſuis manibus toto orbe terrarum extruxiſſet: in quo pro lapidibus & ſaxis ſunt epiſtolæ, dialogi, quæſtiones, orationes, libri collocati; cuius ſimulacrum eſt ingenium eius in libris illis expreſſum; vbi litteræ chartis inſcriptæ omnes, ſunt eloquentiæ teſtes ſempiternæ; in quo denique virtus eius non ſepulta eſt, ſed impreſſa, non incluſa, ſed eminens intuentibus elucet. Deleuit funditus vetuſtas edax rerum Artemiſiæ Carum Reginæ Mauſoleum marito extructum, propter præſtantiam inter ſeptem miracula Mundi numeratum: pyramides Regum Aegyptiorum tam immanibus ſubſtructionibus erectæ vix vestigia ſuæ magnitudinis reliquerunt: Cæſarum obeliſci iacent in parietinis, ruinis, cineribusque Romanæ vrbis toties à barbaris concrematæ: Hadriani moles ad Tiberim nomen vtcumque retinet, formã exuit monumenti. Hoc Tullianorum ſcriptorum nobiliſſimum monumentum ſtetit fremente Antonio; ſtabitque propter excellentiam operum, quæ minime vetuſtate conſeneſcũt quoad genus humanum litteras amabit, humanitatem colet, ſuſpiciet eloquentiam; atque in eo numquam memoria Ciceronis, neque obliuione eorum, qui viuunt, oblitterabitur, neque reticentia poſterorum morietur. Excitemus igitur illi, cogitatione ac mente, quando aliter non poſſumus, molis ingentis cenotaphium, triplici ordine columnatum, opere Corinthio: locemusque in hac vrbe virorum eloquentiſſimorum parente, in hoc ipſo domicilio ſtudiorum, in ampliſſima ſchola dicendi. Statuatur in faſtigio deprompum ex Alexandri Seueri Imperatoris Larario ſimulachrum illius, quem in eloquentiæ faſtigio collocauit antiquitas: incidatur in baſi Lydii marmoris litteris

Pl. l. 31 c. 2.

Martial. l. 5. epigr. 1.

Lampr. in Alex. Seuero.

Orat.15.n.23. aureis, vel epigramma nobiliſsimum, quod illi prima oratione vindicauimus ab iniuſto poſſeſſore Prohæreſio; vel eulogium elegantiſsimum, quo Arpinates ſumma breuitate magiſtratus omnes, honoreſque complexi nomen eius æternitati conſecrarunt, vt oratione proxima dixi; quod
Orat.17.n.3. paucis mutatis in rem noſtram ſic habet:

M. T. CICERONI M. F. HVMANAE
FACVNDIAE PRINCIPI
QVAEST. AEDI. PRAET. COS. PROCOS.
IMPERATORI P. P. STVDIOSI ELOQ.

Mos veterum laudabilis fuit, vt id, in quo quiſque præcelleret, argumento aliquo vel inſtrumento ſignificaretur, quod manu ſtatua contineret: quod & in ſepulcris factitatum obſeruauimus. Itaque plectrum Orpheo; baculum
Sid.l.4.ep.3. ad Claud. Aeſculapio, radium Archimedi, Euphrati horoſcopium, circinum Perdici, Vitruuio perpendiculum, Zeto pondera, menſuras Euclidi tribuerunt. Quid in manu Ciceronianæ ſtatuæ ponemus niſi linguam auream Beroſo quoque iniquo poſſeſſori ereptam? Notius eſt, quàm vt probari
Orat.1.n.44. oporteat, tum linguam apud veteres Aegyptios, vt inſtrumentũ ſermonis & eloquentiæ, ſic argumentum eſſe: tũ eã Ciceroni maxime ſcilicet conuenire, qui vindex & perfector Romanæ linguæ fuit; qui lingua ipſius eloquentiæ iudicatus eſt: aurea debetur ei qui flumen aureum orationis ore profunderet: nec niſi manu præferenda eſt ab eo, qui artis lima manuque perpoliuit naturalem dicendi vim & facultatem; qui denique viuens, poſterorum commodis cõſulens, cum lingua pronunciante, manum ſcribentem æter- 29
nitati, coniunxit. Apte deinde ponantur in primo ordine, cuncta ſiue ſymbola, ſiue hieroglyphica, ſiue argumenta nomines, quibus præſtantes eloquentia, & oratione tum heroes, tum homines aliquando decorati fuerunt; quòd par eſt eum, qui omnes dicendi ornamentis anteiuit, omnium inſignibus honeſtari. Quare conferat ad ornandum M. Tullii cenotaphium Hercules catenulas aureas è lingua

per-

perforata pendentes; Mercurius caduceum, lyram, catenã ferream; Orpheus plectrum; testudinem Amphion, Plato cycnum, Iſocrates ſirena, coruum Diodorus; & quidquid aliud ſimile mortalis homo eſt vmquam benedicendo conſecutus. Tum oratores Græci Latinique & quicumque alii qui vel dicẽdo, vel ſcribẽdo victi ſunt à Cicerone cõferant aliquid ad ornatum eiuſdem funebris molis: & munere tributoque, pendendo ſe uictos ſuperatosque fateantur. Itaque Gorgias auream ſtatuam ſolidam ex Apollinis Delphici templo: Beroſus illud ſignũ inaurata lingua ex Athenienſi gymnaſio: Ennius ſimulacrum marmoreum è ſepulcro Scipionis Africani ſenioris: Hortenſius ex Romana curia; Pollio Aſinius è bibliotheca publica à ſe primum inſtituta: Prohæreſius è Romano foro: Demoſthenes imaginem ex ære de Tuſculano Bruti, ſi mouere loco nobilem illam ſtatuam ab Athenienſibus poſitam non licet; & reliqui omnes oratores, & eloquentes ſtatuas æneas, & marmoreas; imagines vel in tabulis, vel in clypeis, ex omnibus ſepulcris, monumentis, lararijs, atriis, templis, gymnaſiis, bibliothecis ad exornandos reliquos duos ordines cenotaphij comportent. Denique pro luminibus, Ciceronis libri, quæſtiones, epiſtolæ, dialogi, poemata, & orationes inter ſigna ſtatuantur, quæ non minus animo, quàm oculis ingentes cerei ſplendeſcunt: pro epigrammatis, laudationes omnes ſoluta vinctaque numeris oratione ſcriptæ poſt eius mortem, affigantur. Adſit & muſicus chorus: in quo Mercurius, Orpheus, Amphion, ſymphoniaci cum Sirenibus; voces cum fidibus ad harmoniam miſceantur; laudeſque illæ canantur omnes, quas vel oratione, vel verſu ſtudioſi Ciceronis aliquando pronunciarunt: quarum prædicationem, quorumuis muſicorum vocibus ſuauiorem; quouis concentu dulciorem Themiſtoclis iudicio, mortales omnes libentiſſimis auribus excipiunt. Num deerit orator in hoc exequiarum cogitatarum apparatu, qui de loco ſuperiore muſicorum inter quieſcentes voces, M. Tulli, quem

Orat. 3. n. 11. ſeq.

Orat. 6. n. 6. Plut. in Cic.

Or. 15. n. 23. Pl. l. 7. c. 37. Pl. l. 7. c. 30 Tac. l. 2. annal Eunap. in Proher. Cic. l. de or.

Cic. orat. pro Archia.

honorare ſtudemus, virtutes & eloquentiam oratione præ dicando commemoret? Oratorum principi, dignus ipſius claritate nominis in ſupremi diei celebritate, deeſſe non debet orator. De Latio ne laudator accerſetur Hortenſius à Cicerone ſecundus, Ciceronis amiciſſimus, cui virtutes eius erant plane perſpectæ? Non feret Demoſthenes Hortenſium ſibi tamquam Ciceroni facultate dicendi propiorem anteferri: munus hoc honeſtandi ſui victoris enixe depoſcet. Excitetur itaque Demoſthenes ex Attica, qui non tam de integro laudet M. Tullium, quàm præconium hoc ampliſſimum quatuor effuſum orationibus collaudet: voſque pro me iam feſſo, ſuis vibratis contortiſque ſententiis ad ſummi oratoris imitationem cohortetur. Fingite animis veſtris hic cenotaphium effictum ſpectantem ac mirantem adeſſe; uoſque auditores his verbis ſenili grauitate dignis affari. Trecentos plus minus annos, Adoleſcentes, ſine controuerſia ſuperans omnium inuidiam, meorum Græcorum gloriam illuſtrans, in eloquentia tenui primas; quo tempore gaudebam præſenti gloria principatus; fruebarque ſpe retinendæ in poſterum omne tempus dignitatis; quam inuicta diligentia, cum mea natura difficili ac repugnante præliatus comparaueram: cum ecce tibi, diuinæ prouidentiæ nutu; Solis naſcentis obeuntiſque curſum æmula ſolis eloquentia ſecuta, cum bellicæ fortitudinis lau de, cum ſapientiæ ſplendore, cum optimis quibuſque artibus, ex Oriente in Occidentē; è Græcia in Italiam: ex Attica in Latium, ex Athenis Romam immigrauit: tum coronam, palmam, ſceptrum inſignia principatus, mihi ſpoliato erepta, detulit eloquentiæ Regi Ciceroni. Non queror iniuriam, quæ nulla mihi facta eſt; non iraſcor M. Tullio, cui ad ſummam nitenti laudem, rerum arbiter Deus eximia naturæ bonitate, ſingularique felicitate temporum fauit: mei me miſeret, qui de glorioſo inglorius, de primo ſecundus factus ſum: miſeret me regionis, patriæ, nationis, quibus tantum decus ereptum eſt. Sic voluit cęli terrarumq;

mo-

moderator æquiſſimus, qui res humanas pro ſapientiſſimo arbitratu, mutatis aliquādo momētis miris modis iuſtisq; diſpēſat. Fateor equidē à veſtro Cicerone me victū felicitate ingenii, facilitate naturæ, ſcientia doctrinarum, iucundiſſimæ orationis hilaritate, dulciſſimæ compoſitionis ſuauitate, florentiſsimis verborum exornationibus, commiſerationis permouendæ facultate, multitudine ſcriptorum operum, cauſſarum & animi magnitudine; rebus domi foriſq; geſtis, triumphis, morumque probitate, quæ tanta fuit, ut M. Catonē ſuſpirans beatum putaret, quòd ab eo rem improbam nemo petere auderet; & pro patriæ libertatiſque defenſione, fortiter mortem opperiens, ictum ferrumque recipiens occumberet. Molem hanc cenotaphii, quam opere magnificam, ornamentis locupletem, honoribus ſplendidam magiſtro finxiſtis; extructam marmore atque ære, tum vero etiam adamante, ſi fieri poſſet, in omnibus atriis gymnaſiorum, oculis obiectam ſtudioſorum adoleſcentiū inſiſtere ſempiterno tempore peruellem: vt perpetuo ſplēdor illius debitæ meritæque gloriæ, veſtros ceterorumque animos ad æmulationem laudis, imitationem eloquentiæ, virtutiſque corriperet. Libenter equidem omnes meas ſtatuas, omniaque meorum honorum inſignia detuli ad pedes eius: victus dedo manus: victorem eum mei, victorem in me totius Græciæ, Regem eloquentiæ, principem omnium oratorum agnoſco, confiteor, veneror, & quoad licuerit prædicabo. Me ille modeſtiæ plenus & humanitatis; vt legebat, amabat, imitabatur adoleſcens, & iuuenis; ita ſæpe ſuos diſcipulos, auditores, amicos ad imitationē mei propellebat rationibus; & adhortationibus petitis è meis laudibus incitabat. Par eſt, vt, quando me ille ſenior multis nominibus ſuperauit; non exornator ego qualis hic iuuenis præceptor veſter, qui quattuor orationibus tamquam totidem equis currum laudationis eius ad honoris verticē pertraxit; ſed vt hortator & impulſor uos ad perfectam tanti herois imitationem extimulem. Magna res eſt eloquen-

Pl. præf. natur. hiſtor.

Quinct. in proœm. inſtit.

Digitized by Google

tia partibus omnibus abſoluta; qualis in M. Tullio cernitur expreſſa; ſed ad eam perueniri natura humani ingenij non prohibet. Ipſe mortalis homo, conditionis humanæ, quales vos eſtis, conſecutus eſt, quod ſequebatur; cur vos eodem peruenturos deſperetis? Maiores ſuos Pericles vicit, ego meos; me multorum victorem M. Tullius ſuperauit: quin exiſtat aliquis aliquando, qui Ciceronem longo poſt ſe relinquat interuallo? Naturæ bonitatem, ingeniumque Tulliano præſtantius adeſſe oportere, dices: quis negat? ſed tam anguſti animi Deum, tam definitæ poteſtatis exiſtimas, vt de theſauris ſuis non queat ingenium Ciceroniano melius, acutius, copioſius procreare? Quod ſi tibi tantum bonũ nõ contingat; nonne altius aſcendes ſumma petens; quàm ſi deſperatione conſequendi primas, in imis ſemper ignauus, iners, ſomniculoſusque ſubſiſtas? Itaque Iuuenes optimi, ſpes adipiſcendi in eloquentia principatus ad prima ſequenda vos excitet: perfectiſsimum Ciceronis exemplar ad imitationem eius inuitet: orationes, preces, adhortationes amantiſsimi præceptoris veſtri vos ad huius facultatis ſtudium, quod lectione, ſtylo, declamatione continetur, impellant: mea denique vox & auctoritas tam multis induſtriæ laboribus, & cauſsis agendis comparata, plus aliquanto valeat (per veſtram præclaram indolem vos obteſtor) apud animos veſtros, ad hæc omnia diligenter complectenda; quàm taciturnitas valuiſſet.

DE

DE PHILOSOPHIAE AVDITORIS OFFICIO ET LAVDIBVS

Ariſtotelis. Oratio XIX.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Nemo adeo ferus eſt, vt non miteſcere poſsit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem. *Hor.l.1.ep.1.*

1 ETſi Poeta bonus, perelegans, & non leuiter philoſophia tinctus, patienti philoſophiæ moralis auditione vehementioribus perturbationibus efferatos homines, fieri mites, ac manſuetos depoſita feritate morum exiſtimat: liceat mihi tamen, Viri ornatiſſimi, per humanitatem veſtram, eoſdem verſus, quibus Horatius cum Mæcenate ſuo philoſophatur, accommodare meis auditoribus, quos video in hac prima ingreſſione noſtra ad docendum pariter & diſcendum, lætos, alacres, frequenteſque concurriſſe. Quamquam enim nec de moribus diſputaturus ſum; nec de ſanandis animis præcepta triennio proximo daturus; nec feritatem vllam, aut immanitatem eos exuere eſt neceſſe; quos Natura fecit homines, ingenuos patria, genus nobiles; humanos educatio; voluntas denique virtutis amantes; doctrinarumque ſtudioſos: tamen naturali quoque philoſophiæ, quam profiteor, congruere poteſt, quod ſit animi cultura: quippe quæ ſpeculatrici parti, quaſi fertili agro, qui ſine cultione fructuoſus eſſe non poteſt, ea mandat doctrinæ ſemina; quæ fructus adulta ferunt vbertimos. Auditoribus item meis conuenit, quod attenta eiuſdem philoſophiæ auditione miteſcere poſſint: cum nihil dubitent viri prudentes, vbi philoſophiæ naturalis Doctori patientes ac propitias aures triennio commodauerint, quin præceptis eius expoliti, ornati, exculti, & ea

cognitione quaſi manſuefacti prodeant è ſchola moribus elegantioribus atque humanioribus induti, & ijs multis magniſque ornamentis affluentes, quibus philoſophia hæc noſtra inſigniter efflorèſcit. Date igitur mihi hanc veniã, Adoleſcentes optimi, quos in poſterum alloquetur mea vox, & oratio; quando patientes aures commodare culturæ, nihil eſt aliud, quàm bonum ac diligentem eſſe diſcipulum; vt de officio boni Auditoris Philoſophiæ vobiſcum agam in hoc initio dicendi, quod ſane profuerit in toto curſu docendi. Peruellam equidem aures veſtras oratione mea, non alter Apollo, de quo cum Poëta ſummo dicere poſſitis,

Mihi Cynthius aurem
Vellit, & admonuit;

Virgil. Ecloga. 6.

at certe quidem veſtrûm omnium amantiſſimus Magiſter aurem peruellam, & admonebo vos officii veſtri; vos inquam quos ex iſtâ veſtra alacritate conijcio vehementer inflammatos eſſe cupiditate philoſophiæ comparandæ. 2
Iam vero duę ſunt rationes, ac viæ quibus poteſt in animos hominum influere philoſophia. Quarum altera perdifficilis, ardua, & paucorum trita ſolo, per inuentionem propriam eſt, ſine mortali magiſtro, Natura duce, menti lumẽ ingenio præferente, ſenſibus omnibus, ac potiſſimum oculis ſequeſtribus, ex huius ampliſſimæ, ac pulcherrimæ Vniuerſitatis aſpectu, cæli, ſiderum, elementorum, animantiũ, ceterarumque rerum, quæ ſub ſenſum cadunt, admiratione primum, deinde contemplatione; notatis & inter ſe collatis per experimenta, & comparatis euentis, effectis, motibus, affectionibus, & proprietatibus rerum; ex quibus hic quaſi Naturæ venator acerrimus cauſſas inueſtigat, quarum cognitio, ipſiſſima ſcientia rerum eſt, & Philoſophia; quaque pæne beari hominem exiſtimat ille vates magnus in paucis, cum exclamat,

Ariſt. l. 1. Poſter. t. 1. L. 1. Metaph. cap. 1. Max. Tyr. ſerm. 28.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas!

Ariſt. l. p. Poſter. cap. 2.

Virgil. l. 2. Georg.

Altera via facilior, latior, planior, multorum ſignata veſtigiis,

giis, & vſu quotidiano iam trita, per diſciplinam eſt; & doctoris vocem; quæ rerum ſcientiam effectorum, cauſſarumque cognitionem ab antiquioribus magiſtris doctrina traditam in animum vacuum, foribus aurium patefactis importat. *Ariſt.l.de ſenſu & ſenſib.c.1* Duo hinc oriuntur genera ſtudioſorum, amatorūque Sapientiæ; quorum alteri ſuopte ingenio philoſophiā addiſcere conantur: alteri Doctoris opera, & magiſterio ſapientis vtuntur. Illi vt optimi ſunt, & Heſiodi ab Ariſtotele, Baſilioq; laudati Poetæ teſtimonio ingenioſiſſimi, quod acie mentis, & ingenii felicitate, nullius adiumento fulti doctoris, cauſſas occultiſſimas inueſtigando deprehendūt; *Ariſt l. 1. ethi. cap.4. S.Baſil.l. de vtilit. ex doctr.Gentil.* ita quoque pauciſſimi. Horum vero, qui viam alteram multorum curſu frequentatam ingrediuntur, ingens eſt multitudo; qui quia per diſciplinam, quæ ſcientia eſt voce præceptoris accepta erudiuntur, & diſcunt, maxime proprio nomine diſcipuli nuncupantur: tum vero quia doctorem audire coguntur, ab audiendo vocantur item Auditores. In horum ergo numero vos eſtis, Iuuenes optimi;
3 cum gymnaſium noſtrum initis me audituri, nomen datis in eorum ſodalitatem, qui philoſophiam auribus internunciis tranſmittunt in animum: atque vt vno verbo dicam, eſſe profitemini tum Diſcipuli, tum Auditores. Hinc intelligitis plane, boni Auditoris officium eſſe, ſi modo nomini vult reſpondere ſuo, quod ab audiendo ducitur, attente ac diligenter audire doctorem: veſtras item eſſe partes, qui auditores appellamini, docenti Magiſtro patientiſſimas aures, attentiſſimasque præbere. Poſitum ſit igitur primum præceptum, à diſcipulo diſcendi cupido magiſtrū audiri oportere. Defluxit hoc monitum ab ipſo fonte diuinæ ſapientiæ (quæ vtinam guttam ſui vel minimam mētibus noſtris identidem inſtillaret) manauit è doctrina ſapientiſſimi mortalium Salomonis; à quo facet Auctor ecclesiaſtici ſcripta nobis ad perpetuum documentum reliquit hæc aurea verba digna memoria veſtra ſempiterna; *Eccleſ.6.* quæ Poeta ipſe noſter Horatius propemodum legiſſe, atq;

inde ſuos in verſus tranſtuliſſe videtur: *fili ſi audieris mihi, diſces, & ſi accommodaueris animum tuum, ſapiens eris; ſi inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam; & ſi dilexeris audire ſapiens eris.* Hac imbutus cæleſti doctrina S. Benedictus cum monachis alumnis ſuis nobilioris philoſophiæ præcepta daret (veritas vbicomque occurrit, & à quocumque porrigitur obuijs manibus excipienda eſt) pulchetrimam illam ſolebat dictitare ſententiam: *loqui, & docere Magiſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit.* Quidquod omnium philoſophorum, theologorumque idem fuit ſenſus, eadem vox & opinio? Vt enim Doctoris inſigne atque argumentum Linguam eſſe putauerunt, potiſsimũ orationis inſtrumentũ, quo vocẽ in verba conformat: quo verba in aures audientiũ infundit, quo res ipſas propemodũ, in animũ oratione, quaſi onuſto vehiculo trãſmittit: ita diſcipulorum inſigne ſenſerunt aures eſſe; quas illis Natura tribuit tamquam inſtrumenta diſcendi. Cur enim Ariſtoteles acutiſsimus indagator humanæ naturæ, atque ingenii ſcripſit auditum ſeruire diſciplinæ? Cur Quinctilianus non ignobilis educator Iuuentutis definit Magiſtrorum officium eſſe docere, diſcipulorum vero præbere ſe dociles? Cur Plinius Naturam vt ſæuam noſtri generis Nouercam accuſans, & miſeriam animalis ceteris imperaturi deplorans, queſtus eſt, *Hominem ſcire nihil ſine doctrina?* Cur veteres ſapientes aurem memoriæ conſecratam eſſe voluerunt? Nimirum vt intelligamus aures ita proprias eſſe diſcentis, vt ijs vel obſurdeſcentibus, vel occluſis voci Doctoris ſapiens eſſe non poſsit. Huc item ſpectat Plutarchi viri eruditiſsimi effatum, *Hunc aurium ſenſum plus Rationi deſeruire, quam affectibus.* Huc pertinet indictum ſilentium à Pythagora diſcipulis pro eorum ingenio, minimum in biennium, ad ſummum in quinquennium. Cur enim philoſophus ille prudentiſsimus, maximũ Italicæ nationis & Etruriæ lumen, tot annorum taciturnitatem

S. Bened. in Reg. cap 6.

4

S. Greg. Naz. orat. 7. de compoſ. diſp. rat. Elias cretenſ in eius cõmẽt.

Ariſt l. de ſenſu & ſenſib. c. 1

Quin. l. 2. c. 9.

Plin. l. 7. in Praſ

Pier. Valer. l. 33. Hierogl.

Plut. l. de Audit. off.
Diog. laer. l. 8. in Pythag.
Plut. l. de curioſit.
[illegible]abr. l. 1 of

[illegible]

tatem à ſuis auditoribus exigeret, niſi ut eos audire cogeret, & officii bonorum diſcipulorum admoneret? Quis credat virum talem, tamque ſapientem voluiſſe ſuos alumnos, tamdiu plane mutos in honeſtiſsimo cōtubernio viuere, nihil à doctiſsiſſimo præceptore ſciſcitari; nihil inter ſe diſcendi gratia conferre? Veriſimile eſt, ſignificare voluiſſe placere ſibi, atque illis vtilius fore, plus vt audirent, quàm loquerentur, in initio præſertim diſciplinæ. Suffragatur meæ coniecturæ cum Zenone Plutarchus, qui propterea ſcribit Naturam vnicuique noſtrum geminas dediſſe aures, unam linguam, quòd loqui pauciora, quàm audire debeamus. Suffragatur Baſilius doctrina, & ſanctitate Magnus, qui rem magis explicans ad meam ſententiam, obſeruat hanc à Natura ſeruatam eſſe inter linguam & aures dupli proportionem, vt cauſſa diſciplinæ quaſi ſimplum loqui, & duplum audire debeamus. Suffragatur Thomas Aquinas, qui Magiſtrum Albertum Magnum taciturnus audiens, Pythagoreorum ſilentium æmulatus, Bos mutus, non ſine iocoſa contumelia dictus eſt: à quo tamen aliquādo mugitum talem ac tantum editum iri prædixit Albertus, ut eo terrarum orbis reſonaret uniuerſus. Sed quid ago coniecturis? Taurus apud Agellium vir eruditione non uulgari, plane tradit in principiis tantum diſcendi ſilentiū alumnis imperatum à Pythagora; quo tacendi tempore ab audiendi ſedulitate ſtudioque uocabantur ἀκουστικοί: tum eruditis iam ſilentio, factam dicendi, quærendi, ſcribendique poteſtatem; exinde Mathematicos ab ijs artibus, quas
5 diſcere, & meditari cœperant, uocitatos. Neque uero tantum audire diſcipulus debet, ſed etiam patienter. Ita monitor noſter non inſuſurrat modo nobis, ſed & inclamat,

Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Patientiæ coniuncta eſſe ſolet Attentio, ſine Attentione Magiſtri vox ferit aures, non animum; & ſententiarum, quaſi pretioſarum mercium, quas uehebat, facit in portu iacturam: uel certe præteruolans auditum inani ſono miſerabiliter

Hieron. in c. 3. Eccleſ. Sid. Apoll. l. 7. ep. 9. ad Perpet. in conc.

Plut. l. de Audit. off.

Diog. laer. l. 7. in Zenone.

S. Baſil. l. de vera virgin.

Laur. Sur. in vita. S. Th. 7. Mar.

Agell. l. 1 c. 9. Clem. Alex. l. 5. Strom.

Hor. l. 1. ep. 1.

Digitized by Google

Plin.l.11.c.37. Nemeſ. de Nat. Hom. ca. 10. rabiliter euaneſcit. An vero temere, Natura homini tantum aures immobiles affixit? Tacite clamat, opinor, ſapiens ac benigna Mater, tantam eſſe oportere hominis in audiendo patientiam, & attentionem, quanta conuenit adeptioni ſapientiæ, cuius in famulatu ſenſus eſt aurium. Perſuadeat vobis hanc patientiam audiendi, atque dicendi, Præſtantes Iuuenes, Cleanthes ille philoſophus æque doctrina nobilis, ac patientia. *Diog. laer. l. 7. in Cleanthe.* Cum enim propter famem, ſitim, frigus, æſtum, onera, labores, atque adeo propter verbera, quæ patientiſſime in audiendo Zenone tolerabat æquo animo, ne tanti Magiſtri voce, ac diſciplina careret, Aſinus à condiſcipulis eſſet appellatus; ne tantulum quidem eo conuicio perturbatus, aut commotus, facete pariter & ſapienter reſpondit: Aſinus quidem ſum, ſed qui Zenonis ſarcinam ferre poſſum. Quis veſtrum non miretur huius philoſophi tolerantiam ſecunda acclamatione digniſſimam? Vocem illam contumelioſam honori ſibi duxit, ſe collaudatum exiſtimans, quod patientia diſcendi beſtiæ illius patientis & auritæ naturam vel æquaſſet. *Suidas. verbo. Ammonianus. Pier. Valer. l. 12. Hierogl.* Ab opinione Cleanthis prope abfuit ſiue Ammonianus vt tradit Suidas; ſiue vt alij primarius quondam in Alexandrina ſchola Magiſter Ammonius, Plotino, Olympio, Herennio, Origene, atque alijs diſcipulis ingenioſiſſimis clarus; qui ſuis auditoribus Aſellum in Gymnaſio tamquam condiſcipulum aliquando fertur adhibuiſſe. Cur hoc Deus bone? Quid ſpectabat Ammonius? Num vir prudens ac moderatus, in adoleſcentes ingenio florentes, & magnæ ſpei atque exſpectationis iniurioſus fuit? Minime vero. Non ignorabat apud Hebræorum ſapientes hoc animal, quod acerrimi ſit auditus ob aures longiſſimas ſymbolum eſſe, non ſtultitiæ, neque tarditatis, vt ineruditorum vulgus arbitratur, ſed ſapientiæ: videbat illud inopiæ, laborum, plagarumque patiens eſſe; atque inde tacite monebat ſuos illos auditores acutos, atque acres ad intelligendum, oportere, ſi proficere vellent, tum eſſe patientes in diſcendo, tum attentos in audiendo.

diendo. Doctrina ipſa quam adamatis, quam expetitis à no
6 bis hanc patientem attentionem Adoleſcentes, à vobis apprime depoſcit, tum etiam vt debitam exigit & extorquet. Peruenit ad aures fortaſſe quorũdã veſtrum, id quod opportuniore loco tradam copioſius: Ariſtotelis libros, qui bus philoſophia ſubtilior, & interior reconditiorque doctrina comprehenſa eſt ἀκροαματικοὺς à priſcis fuiſſe nuncupatos ab audiendo; quod à Magiſtro cariſſimis diſcipulis accuratiore ſtudio tradita, & ab illis diligentiore pariter & attentiore auditione fuiſſet excepta. Numerantur inter eos, qui analytici dicuntur, explicandi nobis hoc anno: mirabile opus, quo Mentis humanæ in ratiocinando uis, & abſtruſum argumentandi artificium euoluitur. Numerantur qui de rerũ naturaliũ principiis, & affectionibus tractãt, anno proximo interpretandi, quos περὶ τῆς ἀκροάσεως φυσικῆς videmus inſcriptos, hoc eſt de naturali auditione; quod auctore Pſello non ignobili de Græcis interprete Ariſtotelis, ſunt adeo difficiles ad intelligendum, vt ſine viua voce, atque opera interpretantis Magiſtri vix percipi poſſint. Numerantur & libri de Anima, metaphyſici, & alij ſequentibus item annis explanandi. Conficitur his rationibus non eos, auditores eſſe vocandos, neque in diſcipulorum carorum loco, ac numero habendos, qui vel alternis diebus veniunt in Gymnaſium audituri Doctorem; vel alternas ſcholas excepturi. Non illos, qui de media interpretatione recedentes, quaſi faſtidientes ac nauſeantes deſerunt Magiſtrum in ſuggeſto docentem. Hi filo explicationis toties interrupto, de tenebricoſo atque implicato labyrintho quæſtionum difficillimarum egrediantur? Non item auditoris boni tuentur partes; qui frequentia Gymnaſium terunt, oſcitantes tamen, ac dormitantes audiunt præceptorem; quibus hora videtur annus, & ſchola numquam finem habitura. Non diſcipulos philoſophorum hos omnes, ſed inquilinos voco cũ Seneca; peregrinos & hoſpites
7 ex meo ſenſu. Quid de ijs dicemus, qui verecundia in ado-

Cic.l.5. de fin. Plut.in Alex. Agell.l.20.c.4. Simpl.l.4.phyſ. t.87.

Pſellus in l.1. phyſ.

L.Sen.ep 108.

leſcente

leſcente tantopere ab omnibus commendata ſpoliati; qui modeſtia vitæ ornatu maximo abiecta atque cõtempta, docentem philoſophiæ Magiſtrum; non tam nauſea ex doctrina, vel ſtomacho affecti, quàm iuuenili petulantia, ſibilis, vocibus iuconditis, ſupploſione pedum, ſubſelliorum pulſu, & turbulento ſtrepitu interpellant ac perturbant? Hos ego intolerandos iuuenes, auditores nominẽ? hos diligã? hos ferã? Illos illos amabo atq; in oculis feram: illos vere meos Adiutores potius, quàm Auditores appellabo, qui frequentes adſunt, hoc eſt, quotieſcumque docetur; & docentem non oſcitanter, ſed attente: non turbulenter ſed patienter audiunt: illos denique qui non faſtidioſe ad ſcholas nauſeant, ſed amanter in eum aures, animum, ingenium, alacres erecti, vigilantes defigunt, atque intendunt. Quamobrem, Adoleſcentes optimæ ſpei, qui adeſtis, ut tã moleſtam præceptoribus; tam cum philoſophorum optimorum doctrina pugnantem, tam à recta ratione alienam, tam à chriſtiana modeſtia abhorrentem conſuetudinem, indignam nobilitate veſtra, indignam moribus, indignam ingenio, ne in Gymnaſia noſtra introducatis rogo vos atque obteſtor per ingenuitatem veſtram, generiſque nobilitatem: ante denuncians præterea tales hoſtes philoſophiæ, ſcholarum perturbatores, ac diſciplinæ noſtræ domeſticæ euerſores, à Moderatoribus noſtris nulla eſſe ratione
ferendos. Magnum quiddam præſcribere videor vobis au- 8
ditoribus meis cum iubeo vos non modo Magiſtrum audire, ſed & patienter, & attente. Verum id parum eſt, ac fere nihil, ſi non id animo diſcendi faciatis. L. Seneca philoſophus leporis cuiuſdam non ingrati plenus, de morum diſciplina diſſerens, *peccari aliquid*, inquit, *diſcentium vitio, qui propoſitum afferunt ad præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium*. Mutatis verbis equidem peccari dicam à philoſophiæ naturalis auditoribus, ſi non afferant ad doctores ſuos aures, ſi non ingenium, ſi non fidem, ſi nõ parendi uoluntatem. Peruellem, Adoleſcentes, non modo

L. Sen. ep. 108.

vos

Digitized by Google

vos audite præceptorem, ſed etiam auſcultate Doctori, ſed dicto audientes eſſe Magiſtro. Rurſus peruello vobis auriculam: iterum admoneo vos partium veſtrarum: requiro in vobis præter auditionem, patientiam, attentionem, de quibus multa dixi; virtutes illas, quæ per aures apud Theologos ſignificantur, obedientiam, & fidem. Illam quidem expeto, quod etſi non ſum docturus vos agere, ſed intelligere ac ſapere; tamen ad recte intelligendum quædam interdum imperantur à Gymnaſiarcho ſine quibus manca erit, & imperfecta diſciplina. Nam imperantur diſputationes, & concertationes: imperantur ſcholarum auditarum repetitiones: atque in eum finem modo hos, modo illos vel audita repetere, vel propugnare theſes, vel oppugnare Magiſter ſcholæ præfectus iubet. Id autem qui fieri poteſt ſine parendi voluntate? Præclare Plutarchus omni varietate doctrinæ refertiſſimus auctor, cùm auditorem formaret bonum, hoc præceptum ponebat in primis, ut ſeſe accommodaret, ſubderet, & quaſi conformaret dicenti, quẽadmodum in ludo pilæ, qui excipit, ſe concinne corporis motibus aptare ſolet, iacienti. Quod obedientia fieri debere quis non videt? Fides vero, quam ſecundo loco efflagito, plus momenti habet ad diſcendum. Neminem reperies, qui didicerit quidquam, & fidem docenti Magiſtro non habuerit. Vnaquæque Ars & Doctrina, ſua quædam habet principia, & quaſi fundamenta, quibus vniuerſa illius ſcientia nititur; vnde cognitio deducitur ac fluit; quæ nec probari poſſunt in ea, nec debent. Hæc tamquam elementa niſi credantur à diſcipulis numquam perdiſcent ea, quæ deriuantur ab illis, ac pendent. Si puerulus plane rudis litterarum pædagogo dicenti atque aſſerenti primum elementum A vocari, ſecundum B dici, fidem habeat nullam; eodem loco erit poſt menſem, quo tum erat, cum traditus eſt in pædagogi diſciplinam Idem in grauioribus artibus ac doctrinis vſuuenit, idem in ſcientia noſtra rerum naturalium: in qua quædam principia vt certa, vt probata, vt

Plut. l. de Audit. off.

Ariſt. l. 1. Poſter. c. 1. & 23.

Kkkk per-

perſpecta ſumuntur ad alia inde conſequentia demonſtrãda, quæ humana fide credenda proponuntur, quia nituntur auctoritate dicentis, non ratione demonſtrantur. Conueniunt in hoc ſapientum omnium ſententiæ; philoſophi omnes vna voce conſentiunt, *Addiſcentem credere oportere.* Præfert huic ſententiæ facem Heſiodus poeta vetuſtiſſimus, cuius auctoritate ſententioſis comprehenſa verſibus viri Magni Baſilius, & Ariſtoteles ad ſua corroboranda ſunt vſi

S. Baſil. l. de vtil. cap. e libr. gentil. Ar. l. 1. eth. cap. 4.

Optimus ille quidem qui per ſeſe omnia nouit.
Proximus huic fuerit, qui credit rectè monenti:
At qui nec ſapit ipſe, neque audierit ſapientem
Vtilis hic nulla eſt omnino in parte putandus.

Merc. Triſm. in Poem. c. 10.

Sequitur cum ſua lampade Mercurius ille, propter maximam ſapientiæ opinionem τρισμέγιστος appellatus, qui ſcriptum reliquit, *Diſcentem conſentire dicenti, & conſpirare debere: ac celeriorem, acutioremque habere auditum lingua voceque dicentis.* Illucet ut ſidus Ariſtoteles peripateticorum Princeps; cuius eſt illa memorabilis vox: *oportet addiſcentem credere.* Perfert & ſuum lumen Philo diſciplina Platonis eruditus, & eius eloquentiæ feliciſſimus imitator, qui ſcripſit *erudiri non poſſe, qui non crederet.* Quid vero Pythagoras? Num ipſe ſolus cum tot philoſophis non conſpirat? Nolite putare, Auditores, virum cordatum, Italiæ ſplendorem, familiæ ducem, optimum iuuentutis educatorem: cum ita inſtituebat diſcipulos ſuos, vt apud eos ſine ratione valeret auctoritas, & ratum haberent quod ipſe probaſſet; aliud voluiſſe, ſpectaſſe, ſenſiſſe niſi quod alii philoſophi cenſuerunt; nimirum ſtudioſorum philoſophiæ iuuenum munus proprium, atque officium præcipuum eſſe, præſertim in initio diſcendi, credere Magiſtro docenti. Quod hic plane conſecutus eſt, ſi quiſquam alius. Quærentibus enim in diſputando quare aliquid ita eſſet, diſcipuli reſpondere ſolebant *Ipſe dixit.* Hanc porro laudabilem credulitatem, ac neceſſariam fidem duæ res addiſcen-

Ariſt. l. 1. Elench cap 2.
Philo l. de Præmio & Pœna.
Philoſtr. l. 1. de vita Apollon. cap. 1.
Cic. l. 1. de Nat. Deorum. [illegible] l. 11. c. 1.

tium inimicæ funditus euertunt: Primum aduerſa rebus tractandis, animo fixa ſententia: deinde præiudicata de aliqua ſecta, vel de philoſopho ingenioſo & famæ clarioris opinio. Dici vix poteſt Auditores, quam abroget Magiſtro fidem, contraria de ſe quapiam ſententia, quæ priuſquam expendatur à præceptore penitus in animo diſcendis inſederit. Hanc merito philoſophi non ſcientiam, ſed ignorantiam, eamque prauam ac pernicioſam appellauerunt. Duplex enim ignorationis ratio deprehenſa eſt in nobis ab Ariſtotele. Naturalis altera eſt, & ab initio vitæ comes noſtra, quæ quia ſcientiæ doctrinarumque vacuitas quædam eſt, aptius inſcientia quàm ignorantia nominatur. Ob eam, quæ non alia noſtra culpa, niſi quod homines nati ſumus, mentes noſtras occupauit, nemo nos iure reprehenderit. Præſertim ſi, vt Apelles facto recte monuit in arte ſua, continenter aliquid addiſcentes noui, *nullam diem ſine linea* præterire ſinamus, & vacuitatem illam doctrinis impleamus. Quin etiam vacuitas hæc accommoda ſcientiæ comparandæ viſa eſt Ariſtoteli, quo loco facultatem intelligendi, cum ad diſcendum defertur, vult eſſe vacuam ab opinionibus omnibus ſententiiſque philoſophorum, & quorumcumque mortalium; quemadmodum pictoris tabula, cum illi pingenda proponitur, læuis eſſe ſolet; & omnibus lineis coloribuſque nudata. Verum altera ignorantia mentibus noxia, veritatis inimica, inauſpicato acquiſita ea eſt, quæ per doctrinæ ſpeciem prauis opinionibus, veroque contrariis nixa, quorumdam in animis, velut marina concha ſcopuloſis ſaxis, inhæreſcit adeo, atque infixa eſt, vt cum neque ex aditu, neque ex receſſu poſſit auelli, veritatem in arcem animi diſcentis ingredi parantem impediat, repellat, extrudat: vel iam ingreſſam, quod locum, vbi veſtigium ponat non inuenit, retrorſum pedem referre turpiter cogat. Opinio, inquam falſa, veritati contraria per anteoccupationem mentis arcem aggreſſa & ingreſſa, praua illa ignorantia eſt, quæ mentes veſtras nudas, vacuas ac

Ariſt. l. 1. Poſt cap. 12.

Plin. l. 35. c. 10.

Ariſt. l. 3. de An. tex. 14.

Quin.l.lib. 1. in Prooemio: Hor.l.1. ep. 2. S.Hier.ep.7. ad Lat.

liberas vobis concupiſco. Aegre reuellitur, vbi mentem, à prima ætate potiſſimum occupauit. *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Tenaciſsimi ſumus eorum quæ primo didicimus.* Atque ut recentes teſtæ ſaporem, odoremque primi liquoris, & lana colorem quo primum infecta eſt, retinent diutiſſime: ſic nos opiniones ſiue veras, ſiue falſas, ſiue probabiles, quas imbibimus à pueritia, & amamus, & tuemur, & mordicus retinemus. Quo fit ut in his erudiendis Magiſtri labor ſit grauiſſimus; quia dedocendi ſunt ut doceantur; quemadmodum & ipſi, ut diſcere poſsint, dediſcere debent. Quapropter Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt duplo maiorem ab ijs quos alius inſtituiſſet, ſolitum exigere mercedem, quàm ſi rudes traderentur. Iterum clamo, Difficile eluuntur errores, qui iam animo inſederunt: & niſi eluantur nullum in eo veritas poteſt habere locum. Dum hærent. Magiſtri doctrina, quantumuis plauſibilis excluditur. Eſt animus noſter, ut Platoni placuit, quaſi liber quidam; in quo uerba ſcribuntur, uel ut Ariſtoteli, perſimilis tabulæ pictoris. Cum diſcimus aliquid, eius rei ſcientia propemodum in animo ſcribitur, ac pingitur. Quod ſi iam animus, cum ad nouum præceptorem adijcitur, uel opinionibns falſis, uel contrariis, uel certe ualde diuerſis ab ijs, quas de nouo docendus eſt, ſit ut ita dicam conſignatus, coloratusque, nulla ui, nulla ratione, mihi credite, poteſt eas tamquam nouas lineas, nouosque colores ſuſcipere, formoſiſsimamque in ſe ueritatis imaginem exprimere; niſi prima illa picturæ quamuis inchoatæ atque deformis lineamenta, ſumma ingenii contentione deleantur. Ardebat ſtudio ſuæ doctrinæ cum Principibus communicandæ Plato: pulcherrimam Philoſophię 12 ac Politiæ formam, quam mente ipſe conceperat, in Dionyſio iuniore Syracuſanorum Tyranno cupiebat imprimere: Patria, ſchola, diſcipulis relictis, iam ſeneſcens infido ſe mari committit alacer, & rei perficiundæ ſpe bona plenus nauigat in Siciliam uſque. Quid poſt hæc? offendit hominē

Quin.l.2. c. 3.

Plato in Philebo.

Ariſt.l.3.de An.t.14.

Plut.l.cũ Prin. max. philoſop

peſſima illa, de qua diſſerimus, ignorantia deprauatum: cõperit animum eius tamquam librum contrariis inſcriptũ, anticipatumque dogmatibus, quæ ne à Socrate quidem, ſi reuixiſſet, obliterari potuiſſent. Igitur ſpe deiectus: re infecta, mœrens, ac dolens amici cæcitatem renauigauit Athenas. Cognita eſt eadem difficultas Gregorio illi, cui doctrinæ ſacræ magnitudo Theologi cognomentum tribuit inter Græcos magiſtros Chriſtianorũ. *Minoris*, inquit, *eſt negotij rudi adhuc animæ veritatem primum inſtar ceræ nondum ſignatæ imprimere, quàm ſuper litteras, hoc eſt prauas doctrinas ac dogmata pium ſermonem ſcribere, ita vt poſteriora cum prioribus confundantur, & perturbentur. Neque enim vt planam, & tritam viam calcare præſtat, quàm aſperam, nullisque pedum veſtigijs impreſſam: aruumque colere iam ſæpe aratro proſciſſum, & emollitum: ita commodius quoque fuerit animum pingere, cui vitioſa iam aliqua doctrina impreſſa ſit, improbaque litteræ conſignata. Alioqui pio ſcriptori duplex hic labor ſuſcipiendus erit, vt & priores formas deleat, & probatiores, digniores que quæ maneant, ipſis ſubſtituat.* Hæc ille vir eloquentiſſimus cum philoſophis recte conſentiens. Quamobrem illud ab auditoribus meis peto, quod Antiſthenes philoſophus quærebat à ſuis: qui mala dediſcere exiſtimans eſſe diſciplinam maxime neceſſariam, Pontico adoleſcenti, quanam re ſibi opus eſſet, vt eius auditor fieret, ſciſcitanti reſpondit. *Libro nouo, ſtylo nouo, nouaque tabella;* ſignificans hoc argumento, vt integri ac rudes auditores ſui Mentem afferrent magiſtro philoſophorum aliorum doctrina carentem. Quod ſi non ab omnibus hoc obtinere poſſum; quæſo à vobis vt ſaltem cũ in ſcholam eſtis pedem illaturi, gemmam Galactitem, quę memoriam adimit, appenſam aureo circulo pendentem ab vtraque aure feratis: hoc eſt vt tantiſper dum me Philoſopho maximo lucis aliquid dantem auditis, veterum opinionum voluntaria quadam obliuione capiamini. Nec minus fortaſſe obeſt ſectarum profeſſio, atque amor philoſophi

S. Greg. Naz. in Apolog. 1.

Diog. laer. l, 6. in princ.

Plin. l. 37. c. 10.

13

phi

phi vnius, cui ſis addictus, non quia te vera docet, ſed quia placet, etiamſi falſa te doceat. Hinc orta ſunt illa Latinorum, Græcorum, Arabum, Auerroiſtarum, Alexandreorũ non nomina ſed portenta. Siccine Alexandro addictus es, vt ſi melius Latinus interpres ſenſerit, tu ſentire nobis cũ Latinis? itane te delectat Auerroes Arabs, vt ſiqua in re deceptus ille fuerit, & veritas à Græcis ſteterit, Auerroiſta malis eſſe quàm Græcus? Miror te voluntate duci, non conſilio: miror te ſapientię velle videri ſtudioſum, & veritatem in contraria ſecta ſplendeſcentem aſpernari: miror, & miſeror. Etenim vt recte M. Tullius animaduertit, *qui certis quibuſdam deſtinatiſque ſententijs* (addo ego ſectis, & ſectarum auctoribus) *quaſi addicti, & conſecrati ſunt, non modo iniquo animo ferunt ſe redargui, refellique, ſed etiam ea neceſsitate conſtringuntur, vt quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſſa defendere.* Quare nec Græcos me auctore Latinis, aut Arabibus: nec Arabes Græcis, aut Latinis; nec Latinos Arabibus, aut Græcis anteponetis, niſi veritas ipſa coegerit anteferendos. Valeat apud vos perſuadendos poetæ noſtri auctoritas, qui veritatis amore de ſe ipſe dixit,

Cic. l. 2. Tuſc. quæſt.

Hor. l. 1. ep. 1.

Nullius addictus iurare in verba Magiſtri.

Valeat inſtitutum M. Tullii non mediocriter laudandum, qui nullius vnius diſciplinæ legibus adſtrictus, quid eſſet in quaque re maxime probabile, maxime requirebat. Valeat Ariſtotelis honeſtiſſima oratio, qui non modo cuicumque mortalium, quamquam amiciſſimo, pro veritate tuenda reſiſtendum à bono philoſopho pronunciat, ſed etiam ſuã ipſius, ſi res poſtulat, mutandam eſſe ſententiam. Valeat eiuſdem Philoſophi mos, qui vel Platoni Magiſtro cariſſimo, cui viginti annorum debebat diſciplinam; cuiq; mortuo præter ſcriptam laudationem, & verſus; aram tamquã Deo poſuit, amoris, honoris, & grati animi argumentum, multis in controuerſiis veritatem præferendam putauit. Valeat Platonis ipſius quaſi Prætoris edictum, qui planiſſime

Cic. l. 4. Tuſc. quæſt.
Ariſt. l. 1. eth. cap. 6.
Ammon. in vita Ar.
Olymp. in Gorg. Plat.
Anthol. Græc. Epigr.
Beſſar. l. 1. adu. cal. Plat.

me

me non vno in loco lectorem monet, ne Socratem, quem Magiſtrum adeo ſuſpexit, dilexitque vt in eum omnem doctrinæ ſuæ laudem referret; tantillum curet, ſed Veritatem: ne Socrati credat, ſed fidem habeat veritati. Valeat tũ Natura hominum quos ad veritatem indagandam fictos, factosque eſſe, quòd verum inueſtigando vel aſſequantur ſæpenumero, vel proxime accedant, eſt Ariſtotelis & Ciceronis opinio: tum Philoſophiæ, ſapientiæque à vobis adamatæ uis, & conditio, quam non niſi veritatis contemplatricem ille, veri indagationem atque inuentionem hic eſſe definijt. Valeat denique exemplum Anaxagoræ, cui mortuo propter veritatis amorem, atque ſtudium Ara veritatis, vna cum altera Mentis poſita eſt. Quod ſi qua ſecta vo-

Plato in Phædone. Idem l. 10. de Rep. Ariſt. l. 1. Rhet cap. 1. M. T. Cic. l. 1. offic. Ariſt. l. 2. Metaph t. 3. Cic. l. 1. offic. Aelian. l. 8. Var. Hiſt. c. 19

14 bis ſequenda eſt; ſi quo nomine nuncupandi eſtis; ſi qua ſchola ineunda; ſi cuius denique Magiſtri in verba iurandum; me ſuaſore atque hortatore, veri amantium ſit veſtra ſecta: peripateticorum appellatio; ſchola Lyceum: Magiſtra veritas; Lux & Dux veritatis Ariſtoteles. Atque vt in Academia Platoni Magiſtro fuit Ariſtoteles inſtar omnium diſcipulorum, & Antimacho Clario Poetæ ipſe Plato inſtar omnium auditorũ, ita vobis diſcipulis in hoc Lyceo ſit idem Ariſtoteles inſtar omnium magiſtrorum. An vero Platonem, cum in varia ſtudia diſtractus, modo ad condenda heroica poemata, modo ad tragœdias conſcribendas iuuenis raperetur, ſemel auditus Socrates per illam ſuam, dulcem pariter, & ſalubrem Sirena reuocauit è curſu; deſertisque reliquis ſtudiis ad frequentandam domum ſuam traxit, coegitque vt ſe philoſophiæ penitus, vno Magiſtro Socrate, erudiendum daret: vos Ariſtotelis fama exciti, ſapientiæque illius ſplendore perſpecto, prægustato ſucco, cognita vtilitate non abijcietis alia ſtudia? non ſectarum, ac philoſophorum ceterorum inſanum amorem deponetis? non huic vni Magiſtro, ueritatis amiciſsimo, quemadmodum intellexiſtis, omnium qui ante ipſum fuerunt ingenioſiſſimo, vt intelligetis, ingenium veſtrum mentemque

Cic. l. de cl. or. Ael. l. 2. uar. hiſt. cap. 30.

eru-

erudiendā dederis? non denique paucis erroribus imbelli icitatis humanæ Chriſtiana cautione vitatis, huius vnius doctrinæ toto pectore, atque animo adhæreſceretis? Quaſi vero non Ariſtoteles magis ab omnibus Mundi ciuibus, quam à ſuis Anaxagoras meritus ſit aras Mentis, & veritatis? quando Magiſter eius Plato, qui penitus genium, & ingenium diſcipuli norat, mores, affectusque perſpexerat, Ariſtotelem Gymnaſii ſui Mentem, & ueritatis philoſophum appellare conſueuerat. Cui, quoniam non licet nobis per Chriſtianam religionem extruere templa, excitare aras, ſigna ſtatuere, quod hi honores habeantur diuini, ſaltem humanos honores habetote. Colite illum ſtudio: ſuſpicite ingenium: verba, ſenſa, ſententias, doctrinam, ordinem admiramini ſingularem: erigite illi in animis pectoribusque ueſtris aras geminas Mentis, & Veritatis: locate in aris duplices ſtatuas, Admirationis, & Beneuolentiæ; quibus honoretis eius quidem ingenii uim, & acumen admirando; Veritatis uero ſtudium peramando. Sapientiæ peripateticæ dedicate pro delubro, pectus; pro ara, caput; pro ſede, mentem; pro ſimulacro, memoriam; pro lumine, Ingeniū; pro miniſtris, ſenſus; pro incenſis odoribus, quotidianas commentationes; pro ſacris denique hymnis, & muſicorū ſymphonia, laudationes cultas, ardentes diſputationes, acclamationesque ſecundas. Hinc perſpicitis, Adoleſcentes, 15
doctrinam Ariſtotelis, quam tradimus explicatam interpretationibus noſtris, animo commendandam eſſe, non chartis, ſi modo proficere cupitis aliquid in philoſophia quam adamatis. Miror equidem ſæpe tacitus mecum ipſe quorumdam adoleſcentium anguſtias animi, & paupertatem ingenii; miſeror labores inanes, & ſuperuacaneam fatigationem: ſtomachor cupiditatem, (ne quid grauius dicam) inſatiabilem; qui primum omnia quæ dicuntur à Doctore, ne littera quidem prætermiſſa, quaſi dictata pueris, in libellos calamo excipiunt: deinde ſcriptos aliena manu commentarios undequaque conquiſitos uel pecunia

Philop. l. de æ-tern. Mundi, adu. Procl. Rhodig. l. 29. antiq. lect. c. 8.

grandi mercantur, vel incredibili labore, patientiáque deſcribunt. Quaſi vero nihil diſcere poſſint è viua voce præceptoris; nihil è libris editis veterum philoſophorum: nihil è concertationibus philoſophicis: nihil è ſcholarum repetitionibus; nihil denique commentando, nihil meditando; ſed ſua ipſorum ſcientia pendeat à ſcriptis chartulis vniuerſa. Non ne videtis (vos alloquor, ſi tamen adeſtis, qui tantopere ſcriptitandi ſtudio delectamini) nonne intelligitis amiſſis libellis exaratis penicillo, ſapientiam veſtram, quæ non menti inhærebat, ſed chartis, vniuerſam eſſe illico ſine dubio perituram? Quid aliud querelis, ac lamentationibus veſtris de perdita doctrina reſpondere vobis poſſunt veſtri ſodales præſtantioris iudicij, niſi quod olim adoleſcenti Pontico veſtræ ſectæ reſpondit Antiſthenes vere admodum, ac ſalſe: *Oportebat iſta potius animo, quàm* *Diog laer. l. 6. in Antiſthene.*
16 *chartis credidiſſe?* Verum ſedate vobiſcum agam, Adoleſcentes alienis commentarijs inhiantes: incubantes toto pectore ſcriptioni; quorum ſcientia in præceps vadit, ſi charta cadit, vt vulgus loquitur: agam, in quam rationibus non clamoribus vobiſcum, vt errorem iſtum, veritate cõuicti, veſtra ſponte deponatis. Putatis ne ſine ſcriptura vllas eſſe poſſe diſciplinas? Annon doctiſſimi fuerunt, qui doctrinas, & artes traditione, & quaſi per manus tranſmiſſas poſteris didicerunt? Pythagoræ ſchola celebris quondam, & illuſtris in Italia floruit, & Græcorum quoque conuenarum celebratione frequentata doctos peperit multos, & eruditos viros. Atqui Plutarchus prodidit Pythagoreos, *Plut. in Numa.* quòd myſteria mortuis litteris credere nefas iudicarent; *Beſſar. l. 1 adu.* non ſcriptis mandaſſe præcepta vlla ſuæ diſciplinæ; ſed in *calum. Plat c. 2* memoriam digniorum auditorum, tamquam in tutiſſimũ locum viua voce infundere, aut inſtillare conſueuiſſe. De quorum numero Lyſides, & Archippus, cum Thebis in Græcia ſcholas haberent, memoriter tenentes præcepta *S. Hier. Apolog adu. Ruff.* Doctoris, quemadmodum loquitur S. Hieronymus; ingenio pro libris vtebantur. Anatomen inuentam ab Alcmęo

Chalcid. In Timæ. Platonis Galen l. 2. de Anat. admin.

ne, ut Chalcidius tradit,& à poſteris per manus acceptam
nullus veterum per multa ſæcula ſcripto tradidit vſque ad
Dioclis ætatem, vt Galenus eſt auctor: numquid illis ſæ-
culis nemo peritus anatomes fuit, quòd voce, non ſcriptis
commentariis Medicinæ ſtudioſi docerentur? An non
vulgata eſt Druidum, qui Gallos inter veteres ſapientiæ

Cæſ. l 6 comm de bello Gallico.

gloria floruerunt conſuetudo, qui diſcipulos ſuos nihil mā-
dare litteris permittebant, ne confiſi commentariis remit-
terent in perdiſcendo diligentiam? An verò pertinaciter
negaturi eſtis quemquam doctum eſſe poſſe, qui ſine ſcri-
ptura didicerit: cum audiatis tam multos, qui ne litteram
quidem ſcribere poterant, tametſi maxime voluiſſent; pro-
greſſus tam magnos in artibus ingenuis ac doctrinis, tam-
que admirabiles auditione tantum effeciſſe, vt portento-
rum ſimiles putarentur? Qui vel cæci nati ſunt, vel ab in-

Ariſt. l. de ſenſu & ſenſib. c. 1

eunte pueritia capti luminibus oculorum elementa cogno-
ſcere, diſtinguere, percipere, digitorum tactu coguntur,
quomodo ſcriptio iuuare poteſt eos ad diſcendum? Au-
res illis oculorum funguntur officio: propterea qui res re-

Pier. Valer. l. 33. hierogl. Cic. l. 5. Tuſc. quæſt. Agell. l. 10 c. 17.

bus ac notis, non litteris ſignificant, oculum aure incluſum
prætendentes cæcitatem deſignant, ac denotant, quod in
cæcorum auribus ſenſus oculorum ſeſſitare videatur. De-
mocritus Abderites inſanus amore ſapientiæ, ſapientiæ gra
tia ſe luminibus ſua ſponte priuauit, oculorum aſpectu, &
illecebra videndi mentis aciem impediri arbitratus in con
templando. Qui quamuis minime probandus videatur,
quod tam neceſſarium philoſophiæ comparandæ ſenſum,
inſtrumentumque contempſerit; eo tamen facto ſenſiſſe
videtur, poſſe philoſophiæ ſtudioſum, ac ueritatis amantē
luminibus amiſſis ſine ſcriptura philoſophari, ac diſcere;
rebus rerumque notionibus aurium duntaxat ſenſu per-
ceptis. Homerum Poetarum longe doctiſſimum, oculis or- 17
batum fuiſſe, nomine eius audito, quis ignorat? At eius pi-

Cic l 5. Tuſc. quæſt.

cturam, inquit eloquentiæ Latinæ parens, non poeſim vi-
demus. *Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies,*

quæ

quæ forma, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos vt videremus effecerit? Quid ergo Homero ſine ſcriptione ad ſummam doctrinarum ſcientiam defuiſſe arbitraris? Vixit multo poſt Diodorus ſtoicus item cæcus: qui quòd credibile vix eſſet, cum in philoſophia multo etiã magis aſſidue, quàm antea verſaretur: & cum fidibus more Pythagoreorum vteretur; cumq; ei libri noctes, & dies legerentur, quibus in ſtudiis oculis non egebat: tamen quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, verbis præcipiens diſcentibus, vnde, quò, quamque lineam ſcriberent Geometriæ munus tuebatur. At fortaſſe dices, iam natu grandes Homerum ac Diodorum oculos amiſiſſe; proinde iam perdoctos, ac pereruditos, in oculorum orbitate poemata condidiſſe, & alios docuiſſe. Verum quid Didymo è numero nobiliſſimorum theologorum obijcies? Hic omniũ hiſtoricorum teſtimonio luminibus orbatus à prima ætate, difficillimam quamque diſciplinam, & quæ uel maxime oculorum ſenſum, acrimoniamque requirit, ita uſque ad miraculum callebat, nihil ut præterea ſcire uideretur. Nimis hæc antiqua prætereo. Videmus hoc tempore religioſæ perilluſtriſque clericorum regularium familiæ theologum ciuem meum, quem puer puerum me paullo grandiorem in patria cæcum nouis morbo, vt nobiles parentes fide digni teſtabantur, in cunis obcæcatum; concionibus ſacris, in primariis Italiæ templis quotidie magisq; ad doctrinæ, & eloquentiæ laudem effloreſcere. Vos hunc oratorem è ſuperiore dicentem loco uel auribus audiſtis ipſi; uel conſtanti fama, ſermoneque omnium celebratum accepiſtis. Scriptio ne, an commentatio uirum hunc ad tantam dicendi gloriam, commendationemque prouexit? Ergo ſumma doctrinæ laus magiſtris tantum audiendis, & rebus auditis meditãdis poteſt attingi. Quamobrem Adoleſcentes, rurſus moneo uos, hortor, atque obſecro, ut ſcholas à magiſtris explicatas, & à uobis exceptas auditione, po-

Idem Ibid.

S. Hier. in catal. ſcript.
Pallad. Hiſt. laus. §. 4.
Sozom. l. 6. c. 2.
Niceph. l. 9. ca. 17.

cilio contemnunt. At delectum haberi volo ſcribẽdorum. Hæc eſt mea ſummatim de hac re controuerſa ſententia. Nihil ſcribere, cuncta ſcribere nolo. Illud arrogantiæ eſt; hoc imprudentiæ. Rurſus pronuncio, & clara voce vt omnes intelligant. Seligantur ſcribenda. Non vulgata, non trita, non paſſim & omnibus obuia: ſed recondita, ſingularia, ſelecta ſeruari cupio commentarijs: ut ſi quando te togata memoria, pro humana imbecillitate deficiat; codex optata ſuppeditet meditanti: cum per obliuionem illa fallit datam fidem; tunc libellus, qui non decoxit, ſit præſto, ſoluendo: cum illa denique rerum depoſitum in ius vocata non reddit; commentarius, cuſtos item fidus, res aſſeruatas repræſentet. Hic ſubſiſto; iuuenes optimi, ne quem mea decipiat oratio, exiſtimentem cum res inculco memoriæ committendas, ſummi negligere me verba Magiſtri. Rurſus media vobis demonſtranda eſt via, qua tuto curratis.

19 Etenim primum cenſeo rerum maiorem curã quàm verborum eſſe vobis habendam. Sapientia rerum eſt, non vocum, non verborum. Philoſophia vobis quærenda eſt, non philologia. Mihi ſemper inſedit animo præclara illa Platonis vox à Galeno collaudata, verborum inanium curam reprehendentis: *Si verba contemneremus, ditiorem philoſophiam rerum poſſideremus.* Quare nolite, quæſo, nunc à me requirere copioſam, & ornatam eloquentiam. Quibus Mæcenatem ſuum verſibus affatur Poeta noſter, iiſdem ego vos alloquar.

Gal. l. 4. de vſu part. c. 13.

Spectatum ſatis, & donatum iam rude quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo:
Non eadem eſt ætas, non Mens.

Hor. l. 1. ep. 1.

Alia mens, alius animus, alia profeſſio. Gladiatores emeriti rudeque donati ad ædem Herculis arma figebant: Ego profeſſione Rhetoricæ in Philoſophiam commutata, ſpectatus ſatis à vobis, Eloquentiæ ornamenta, ſi ſic loqui fas eſt, Mercurij poſtibus appendi. Stylus philoſophicus, ac ſermo, philoſopho conuenit æquabilis, ac temperatus.

Qua

L. Sen.ep.40. & ep.76. *Quæ veritati dat operam oratio*, Seneca Magiſtro, *incompoſita eſſe debet, & ſimplex: res potius quàm ſe oſtendat: ſermo potius ſit quàm oratio.* Cic.l.de orat. Iterum oro vos, nolite philoſophum Tullianorum verborum anguſtis finibus circumſcribere: nolite vocabula, quam profiteor artis, ſeuera Ciceronianorum cenſura Grammaticorum ab interpretationibus meis, ſcholiſque prohibere. Quæ cur tantopere aſpernemur, Quinctilianus inquit, non video: niſi quod iniqui Quin.l.8.c.3. Iudices aduerſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus. An iſtos tam teneris, delicatis, & faſtidioſis auribus latet, linguæ Latinæ paupertas, immo & egeſtas, vt à philoſopho peripatetico non niſi Tulliana verba profluere velint? Agnouit inopiam Lucretius, Poeta ne an philoſophus? qui rerum naturalium quæſtiones perdifficiles verſibus illigauit. Hunc enim ſæpe,

Lucr.l.3. *Rationem reddere auentem*

Cic.l.3.de fin. *Abſtrahit inuitum patrij ſermonis egeſtas.*

Idē.l.4.Tuſc. Fatetur apud M. Tullium Cato ſuam linguam inopem eſſe, & apud eundem philoſophicis de rebus diſputantem paſſim offendes illam excuſationem. *Sed nomen res non habet.* Quæritur L. Seneca mille res aliquando incidiſſe, cum L.Sen.ep.59. de Platone loqueretur, quæ nomina deſiderarent, nec haberent. Hanc neceſſitatem euadendi è Tullianis finibus auget rerum nouitas, quæ noua expetunt nomina, quibus ſignificentur. Nota fuit hæc rerum philoſophicarum nouitas eidem Lucretio, qui quo verbo Latine redderet Lucr.l.1. ὁμοιομερίαν Anaxagoræ non inuenit: hinc

Nec me animi fallit (inquit) *Graiorum obſcura reperta*
Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe:
Multa nouis verbis præſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguæ, & rerum nouitatem.

Quid veſter Cicero? Quòd noua nomina rebus nouis imponantur, *nemo*, inquit, *mediocriter doctus mirabitur: cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris, communiſque non ſit,* Cic.l.3.de fin. *multam nouitatem nominum eſſe, cum conſtituantur earum*

rerum vocabula, quæ in quaque arte verſentur: Id à Dialecticis, Phyſicis, Geometris, Muſicis, Grammaticis, Rhetoribus factitari docet: addit ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſe, niſi vocabulis vterentur nobis incognitis, vſitatis ſibi: quin etiam ab agricultura nominibus notari nouis res eas in quibus verſatur; atque ob eam cauſſam id magis philoſopho faciendum eſſe. Propterea de rebus philoſophicis diſſerens noua procudit nomina, quæ omnia, longum eſſet, recenſere; *Qualitates, medietates, intermundia, Ephemeris, atomi, æther, effatum*; & vero, niſi nos fallit Seneca, vel nouauit, vel vſu molliuit, *Eſſentia*, verbum delicatulis horribile, ac formidandum; plura facturus, ſi nouæ res vel per artem factæ; vel acumine conceptæ mentis; vel in aliqua diſiunctiſſima regione à Natura procreatæ, ſed non antea viſæ, nec à Latinis appellatæ, quod quotidie accidit, exſtitiſſent. Et nos timidi iſthæc, & ſimilia vitemus, refugiamus, formidemus? Adde quod Cicero paſſim, quod Quinctilianus, quod omnes æqui rerum æſtimatores dant nouandi facultatem: cur ergo iſti nobis eam poteſtatem eripiant? Audite rurſus Horatii in philoſophia potiſſimum nouandorum vocabulorum pæne licentiam.

L. Sen. ep 59.

Cic. l. 3. de or.
Quin. l. 8. c. 3.

> *Dixeris egregie notum ſi callida verbum*
> *Reddiderit iunctura nouum: ſi forte neceſſe eſt*
> *Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum.*

Hor. in Poetica.

Accedit denique ad nouandi poteſtatem exemplum illuſtrium virorum. Licuit Zenoni quem Cicero non tam rerum, quàm nouorum verborum inuentorem uocat, nominibus vti nouis, atque factis in Græcorum lingua quam plerique vberiorem putant: non liceat in Latinorum inopi Latinis? Licuit in Latina Catoni, Ennio; licuit Sergio Flauio, Fabiano, licuit Senecæ, Pliniis, Quinctiliano; non liceat Alberto, Thomæ, Ioanni Scoto nouare quædam paucula, & neceſſaria? non denique nobis iam factis, & diuturna conſuetudine tritis vocabulis vti liceat? Valeant, valeant, iſta ingenia ſcrupuloſa, tenera, atque adeo ſuperſtitioſa,

Cic. l. 3. de fin.

quorum

Cæſ. apud Priſc. l. 18.
L. Sen ep 59.
S. Aug l. 12 de Trin cap. 2.
Quin. l. 8. c. 3.

quorum irriſionem, nec metuo, neque curo. Latine loquar,
ſed vocabula vſitata inter philoſophos non horrebo. Dicā
cum C. Cæſare, *Ens*; cum Cicerone, Seneca, & aliis veteri-
bus, *Eſſentiam*, quod nomen Auguſtini temporibus quoq;
vſitatum erat, *ne deeſſet*, inquit vir doctiſſimus, *Linguæ no-
ſtræ, quod Græci appellant* οὐσίαν. Dicam cum Quinctilia-
no *Poſſibile*; cum recentioribus philoſophis *Entitatem*,
Quiditatem, cum aliis alia vocabula neceſſaria prorſus phi
loſophiæ tradendæ; non dura & acerba, vt Quinctiliani
tempore quibuſdam perpauculis videbantur, ſed mitigata
longinquitate temporis, vſuque maturata; quæ ſi Cicero
ipſe reuiuiſceret, & in noſtratibus ſcholis philoſophari cu-
peret, tametſi maxime nollet, vſurpare cogeretur. At ne- 21
ſcio quo modo imprudenti mihi, quidam æſtus animi de
recto curſu abripuit orationem meam. Propoſueram ma-
iorem oportere rationem haberi rerum, quàm verborum;
& cum de Ariſtotelicis libris dicendum eſſet, ad mea, phi-
loſophorumque noſtrorum verba deflexit, nonnulla flante
indignatione diſputatio. Renauigandum eſt eodem. Mi-
ror, ne quid aſperius dicam, eos philoſophiæ ſtudioſos, qui
clauſo, proiectoque Ariſtotelis codice, per campum, vt di-
ctitant ipſi, philoſophiæ ſpatiantes ita philoſophantur, ut
non niſi quæſtiones numero infinitas, intellectu difficiles,
controuerſas inter philoſophos, ſubtiliter pertractatas mul
tis in vtramque partem allatis, & rationibus, & philoſopho
rum ſententijs, paucis Ariſtotelis locis leuiter expenſis le-
gant, ament, oſculentur: numquam codicem aperiant, nũ-
quam euoluant, numquam theſaurum illum inſpiciant.
Hoecine eſt Ariſtotelem ſequi? hoc doctrinam peripate-
ticam profiteri? hoc agere diſcipulum Ariſtotelis? Oppo-
nuntur illis è regione alteri, qui diſputationibus illis tam
ſubtilibus, & tam multis omnino neglectis toti ſunt in ver-
bis Ariſtotelis, more puerulorum, qui ſub Grammatico pæ-
dagogo docentur: hærent in litterulis, ac ſyllabis minuta-
tim examinandis: numquam, aut vix erigunt animum ad

doctri-

doctrinam verborum cortice incluſam enucleãdam. Hoccine eſt eſſe peripateticum? hoc perdiſcere? Tamquam Scyllam, & Carybdim, aut geminos ſcopulos hos errores vitate, Iuuenes ornatiſſimi. Magni æſtimate verba Magiſtri, quibus pretioſiſſima ſenſa continentur inuoluta. *Flumen aureum* à Cicerone dicta eſt eius oratio. *Plut. in Cicer.* Latet aurum in arena litterarum; latent gemmæ; latent margaritæ: *Cic. l. 2. Acad. quæſt.* diligenter atque auide conquirendæ: ſcrutandus alueus attentis oculis, luce prælata Græci codicis, vbi tenebras interpres offudit: ita tamen vt eruditæ illæ diſputationes ne negligantur, quibus exacuitur ingenium, mens illuſtratur, animus doctrinæ varietate completur. Magnifacite pariter quæſtiones illas uberius explicatas, diuitiarum plenas, quas prudens Ariſtotelis explicator è philoſophorum optimorum libris, quaſi è reconditis auri argentique venis effodit atque eruit: ita tamen vt codices, qui ſolum ac fundamentum philoſophiæ peripateticæ vere ſunt, numquam de manibus deponantur. Cuique veſtrum dictum putate, quod Phaethonti, *Ouid. l. 2. Metam.*

Inter vtrumque tene. Medio tutiſſimus ibis.

22 Id quod de concertationibus quoque intelligi volo. Non enim Pythagoreorum more vobis indico ſilentium. Licebit ſciſcitari, quærere, interrogare diſcendi gratia. Licebit excutere percuſſione vocis tum à Præceptore, tum à condiſcipulis tamquam à ſilice ſcintillam veritatis. Duo ſunt Adoleſcentium genera grauiter in audienda philoſophia *Plut. l. de Aud. officio.* peccantium, auctore Plutarcho. Quidam nimis verecundi; quidam nimis audaces in Præceptore interrogando. Subruſtico illi timore uitioſoque cohibiti, quamuis in multis hæſitent, ac pendeant incerti, tamen adire, conſulereque Magiſtrum reformidant: qua timiditate fouent ignorantiam, & ſodales in ſapientiæ curriculo ſibi præuolare palmamque præcipere ſinunt. Hi Magiſtrum inſulſarum interrogationum crebritate vexant, & eius aures, quantumuis patientes fatigant, non diſcendi cauſſa, ſed oſtentandi

ſeſe: & dum quidquid in buccam venit, vel effutiunt inconſiderate, vel ingenioli gratia venditandi garriunt: & præceptorem explicantem reſpondentemque inani profluentia verborum interpellant; nequeunt ea percipere intelligentia, quibus omnis difficultas tolleretur. Illos Plutarchus morum probatus Magiſter, integro libro aduerſus vitioſum pudorem eleganter ſcripto coarguit. Hos Chriſtus Parens vitæ, ſalutis noſtræ auctor, & diuinioris philoſophiæ doctor, cum puer Ieroſolymis in Templo tūc longe magnificentiſſimo totius terrarum orbis inter Doctores Iudæorum ſederet eos interrogans, non aperte docens, exemplo ſuo docuit, inquit Origenes, ac mōnuit auditores, vt magiſtros ſuos potius audiant, quàm doceant, & ſe ſe vana oſtentatione ne iactent. Neque modo peccant vterque in familiari ac priuato congreſſu Præceptoris, ſed etiam in publico labuntur. Nam illi à metu atque 23
ignauia retracti, publicam exercitationem diſputandi refugiunt: neque adduci poſſunt, vt Magiſtri doctrinam vel oppugnent exercitationis gratia, vel defendant. Hi ducem ſequentes audaciam, & nimis appetentes gloriæ, ſeſe intrudunt non vocati: dumque immodicè cupiunt audiri, clamoribus immoderatis ſcientiæ ſapore ac ſucco vacuis, & inſcitiæ luculentiſſimis teſtibus, aures circumſedentium obtundunt. Bonus ergo Philoſophiæ ſtudioſus media progrediatur via. Vitet ignauiam: vitet audaciam. Præceptorem, ut ſpero, humanum, ne vereatur conuenire: reſpōdentem immoderatione uerborū ne perturbet. Inuitatus ad diſputationes vtiliſſimum exercitationis genus, & aptiſſimum inuentum acquirendæ ſapientiæ ne recuſet accedere: non vocatus, ne ſeſe ingerat impudenter. Qui intemperanter amat in conſeſſu doctorum virorum audiri, modeſtia reuereatur eorum, quibus placere cupit, præſentiam. Qui timore immodico conuentus acuendorum ingeniorum cauſſa excogitatos reformidat, vincat naturæ ſuæ propenſionem ſpe capiendæ vtilitatis. Quo fiet, vt vterque

Idem l. de vit. verecundia.

Luc. 2.

Orig. hom. 19. in Luc.

ingenium acuat,quæ audierit altius in animo figat; nodos explicet difficultatum,& laudem ſibi tum ab ingenio, tum à modeſtia profectam paruo labore conficiat. Ceterum Adoleſcentes (quoniam me monet hora ad dicendum
24 præſcripta,vt paullo poſt complicem vela turgida beneuolentiæ veſtræ flatu) poſtremum illud à uobis cupio mentibus veſtris,memoriæque commendari: tolli de medio impedimenta omnia; moleſtias exſorberi: ſuperari labores; vinci, expugnarique difficultates omnes occurrentes in diſcendo,ſi magnus ardor animi, quem parit amor ſapientiæ;ſi cupiditas ſciendi naturalis excitata induſtria ueſtrâ uos rapiat ad diſcendum. *Magna pars bonitatis eſt velle fieri bonum*, dixit alicubi Seneca moralis philoſophiæ bonus de Latinis magiſter. Liceat mihi,per humanitatem ueſtrã, Auditores, hoc aureolum enunciatum ad rem noſtram exigua mutatione transferre: Magna pars eſt ſapientiæ velle fieri ſapientem. Hoc admirata eſt antiquitas in Heraclito,qui dum iuuenis erat,ſe nihil ſcire diſtitabat. Hoc laudat Auitum lectiſſimum adoleſcentem Plinius, quod eius præcipua eruditio erat,quòd diſcere volebat, aliorum diſſimilis,qui ſtatim ſapiunt, ſtatim omnia ſciunt. Huc ſpectat Attali præclara ſententia: *Idem debere docenti,& diſcenti eſſe propoſitum,vt ille prodeſſe velit, hic proficere.* Nobis ineſt quidem à Natura inſita hæc ſciendi cupiditas: incluſa ſunt in animis noſtris quaſi viſceribus ſemina ſapientiæ:latent igniculi quidam amoris huius atque ardoris. Teſtantur id uoces omnium philoſophorum,qualis eſt illa Principis Ariſtotelis in ipſo altioris philoſophiæ ueſtibulo: *πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγοντες φύσει* Teſtatur amor quo ſenſus diligimus,oſculamur, amplexamur, & eos maxime qui ſciẽtiæ adipiſcẽdæ plus feruiũt. Teſtatur idẽ loquẽdi facultas, quæ nobis eo conſilio tributa eſt à Natura, ut ea quæ cogitauimus,quæ didicimus,cum aliis hominibus communicemus. Teſtatur denique tacitus ille inſtinctus, & inteſtinus neſcioquis impulſus, ſiue cupiditas ſciendi ſit, ſiue curioſi-

L.Sen.ep.34.

Diog.l.9.in Heraclito.

Plin.l.9.ep.ad Marcellin.

L.Sen.ep.109.

Cic.l.4.& 5. de fin.b.

Ariſt l.1.Metaph.t.1.

tas cognoſcendi;quo ſentimus uel nulla oblata occaſione, tamquam illecebra quadam animum ad res cognoſcendas modo iucunde titillari;modo acriter tamquam aculeo pungi,vrgeri,ſtimulari. Viuit,inquam,in nobis ſciendi cupiditas:ſed conſopitur ſomno quodam incurię,langueſcit,ęgrotat,tantum non moritur; exareſcentibus ſeminibus, igniculiſque refrigeratis, niſi mature ſuccurratur induſtria. Quamobrem excitanda ſunt hęc omnia, fouenda, iuuanda conatu magno,ut expergiſcantur, conualeſcant, reuiuiſcant: quę ubi priſtinum ſtatum naturalem,corroborata & aucta diligentia recuperauerint,dici uix poteſt quantum animo nobili atque ingenuo momentum afferat,ad utilitatem fructuoſum, ad ſuauitatem iucundum, & ad laudem glorioſum. Quid tam multis, tamque pręſtantibus non philoſophis modo, verum etiam ſapientibus Gręciam, Aſiam,Aegyptum, Italiam, Perſidem, Indiam prouinciasque alias priſcis ſęculis compleuiſſe atque illuminaſſe exiſtimatis? illuminauit ſciendi cupiditas. Miramini tot philoſophos lumina ciuitatum, ſplendoreſque nationum, relictis opulentiſſimis patrimoniis, aut in viaticum redactis, patrio auitoque ſolo exceſſiſſe, maria immenſa tranſmiſiſſe,prouincias obiiſſe à patria remotiſsimas, ac totum pęne orbem peragraſſe terrarum? eadem cupiditas eos peregrinari coegit. Amore ſapientię, quamquam inſano,captus Democritus,quo melius,ut iam innui,& attentius acie mētis veritatem contemplaretur,oculos uita ipſa cariores ſibi effodiendos putauit. Eodem prope furore agitatus Crates Thebanus,quo commodius philoſopharetur,quemadmodum ipſe opinabatur,maximam pecunię uim, quam ex diuendito patrimonio confecerat,in mare proiecit. Hac accenſus flamma,uoluntaria clarus obſcuritate,genere nobilis,ingenio nobilior Heraclitus, quòd ſine Magiſtro didiciſſe quęcumque noſſet omnia crederetur;paternum fratri Regnum conceſsit,in egeſtate ſumma uixit, & Darii Perſarum Regis inuitationem ad ſui magiſterium regiis con-

Diog. laer. l. 2. in Anaxagora

Cic. l. 5. de fin. & l. 5. Tuſc. q. Agell. l. 10. cap. 17.

Diog. Laer. l. 9. in Heracl. Cic. l. 5. Tuſc. Val. Max. l. 8. cap. 7. Plut. l. de Iſide & Oſ.

ditionibus

ditionibus honeſtiſſimam reſpuens, tugurium ſuum, Regiæ negotio perhonorifico, contemplandi otium; paupertatem philoſophicam, diuitijs Perſicis, delicijsque præpoſuit. Hoc ardore inflammati ſapientiſſimi Græcorum Orpheus, Anaxagoras, Thales, Eudoxus, Solon, Lycurgus, atque alij qui vel philoſophorum familias duxerunt, vel Reſpublicas legibus temperarunt; vel ciuitates, prouinciasque docendi gloria compleuerunt, in Aegyptum vſque nauigarunt, in eaque regione multos annos pauperes, hoſpites, inquilini vixerunt, vt de ore ac pectore ſacerdotum Aegyptiorum, quorum tunc auidiſſime doctrina expetebatur, quaſi de fonte ſapientiam haurirent. Hoc igne concitatus Plato, quem præter ceteros antiquitas admirata eſt, non modo in Aegyptum raptus eſt, vt ad Nili ripas incredibilem illam diſcendi ſitim expleret, ſed etiam per Italiam, Cyrenem, aliasque diſiunctiſſimas terras peregrinatus eſt. Itaque iure poteſt, vt loquitur Philo, ſciendi Amor maxime impiger, inimicus ſomni, vigiliarum amicus appellari; qui ſemper excitans, & exacuens intelligentiam, eam permeare cogit vniuerſa: qui facit auidum auditum, & ingentem ei diſcendi ſitim ingenerat. Cui quidem ad-
26 do, laborum irriſorem eſſe, irriſorem iniuriarum, ac periculorum. An vero labores non contemnit Amor ſcientiæ, qui Antiſthenem in Piræo commorantem quotidie ſtadia iubebat emetiri quadraginta, vt Socratem Athenis docentem audiret? Miraris deſpici iniurias? at eas vltro ſubit etiã cum dolore corporis, cruciatuque coniunctas. Diogenes enim cum ab Antiſthene baculum intentante repelleretur, ſubiecto capite, cæde inquit, non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quamdiu aliquid dixeris arcere poſſit. Num pericula pertimeſcit? At periculis cum iactura coniunctis, quæ philoſophiæ diſcendæ proſunt, mirifice delectatur. Cui rei fidem facit, quod de Zenone Principe Stoicorum accepimus, qui cum facto naufragio tempeſtate maris ad eas oras eſſet eiectus, vbi philoſophiæ

com-

Diog. l. 8. &c. — *Ael. l. 4. Var. hiſt. cap. 20.* — *Amm. Marcell. l. 22.* — *S. Hier. ep. 103 cap. 1.* — *Val. Max. l. 8. cap. 3.* — *Diog. laer. l. 3.* — *Apul. l. de dog. Plat.* — *Philo. l. de Temul.* — *Diog. laer. l. 6. cap. 1.* — *Aeli. l. 10. Var. hiſt. cap. 16.* — *Diog. l. 6. c. 2.* — *S. Hier. l. 2. adu. Iouin.* — *Laer. l. 7. cap. de Zen.* — *Plut. l. de exſilio.*

Digitized by Google

amor ſapientiæ,ſiue ardor excitatus induſtria, philoſophos illos,de quibus audiſtis adeo commouit: vos adoleſcentes eiuſdem naturæ, atque conditionis nihil omnino commouebit? Illos nec repulſa præceptoris baculo minitantis; nec hoſtilia Senatus edicta; nec itineris longitudo, nec perpetuitas laboris ab inſtituto curſu reuocarunt: vos,quos præceptores humaniter inuitant, parentes pro imperio cogunt, domicilii propinquitas allicit: binarum horarum auditio quotidiana deterrebit? Illos non difficultas diſciplinarum, non ancipites diſputandi caſus, ne tantulum quidem retardarunt: vos eadem ornatos ingenii præſtantia, munitos eadem firmitate virium, logices nonnulla aſperitas, quę initio curſus ſeſe offert remorabitur? Illos non tam ventorum incitata vis,aut ars exquiſita nauigandi, aut ualentiũ brachia remigum in tam longinquas à patria regiones,quã alæ geminæ cupiditatis addiſcendi pertulerunt: illos inſuper inflammati animi ſeruor,& quidam afflatus qu[illegible] ris omnia tempeſtatis,iacturæ, naufragiique pericula [illegible] nihilo ducere coegerunt: vos, quos eodem ſtudio ſciendi flagrantes;eadem voluntatis inflammatione vehementes; eadẽ animi magnitudine fortes decet eſſe; frigidi, ſegnes, infracti langueſcetis,& moleſtiis intercurrentibus ac laboribus,ex difficultate aliqua profectis debilitati,fatigati, & oppreſſi medio in curriculo conſiſtetis? Præſertim quod iuuenes eſtis,ea fere optima ætate, qua Plato cum philoſophiam adamare cœpit,qui vnum & viginti natus annos Socratem adiuit: qua noſter Ariſtoteles,qui ſeptimum decimum agens annum Platoni ſe dedit auditorem. Poteſtis animum facilem, & adhuc tractabilem ad nobiliſſimam hanc diſciplinam conuertere. Tempus iſtud,idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis. Nullum erit,experto & amanti credite, nullum, inquam,erit tempus hoc amiſſo. Deriuate quoque de fontibus amoris ueſtri, quibus vberrime philoſophiam irrigaturi eſtis, beneuolentiæ riuulum in Doctorem, quem de

multis

multis vnum elegiſtis; vnde & ipſe concipiat alacritatem

S. Hier. ep. 2. ad Nepot.

in laboribus veſtra cauſſa ſuſcipiendis. Non ad id uos cogo iuriſiurandi ſacramento, vt quōdā Hippocrates eos, quos Medicinæ præceptis inſtituebat, ſed precibus: non iure Magiſterij, ſed Humanitatis ueſtræ commemoratione uos excito. In hoc imitatione ueteres amatores philoſophiæ ſequemini, qui magiſtrorum ſuorum amorem, cum amore ſapientiæ coniunctum ita eſſe voluerunt, ut unum ſine altero arbitrarentur plane frigeſcere. Conſiliarius vobis, &

Quin. l. 2. c. 9.

auctor Quinctilianus eſt, qui ſtudioſos eloquentiæ, quos à prima pueritia formandos, ornandosque ſuſcepit, monet, nec in poſtremis, ut præceptores ſuos non minus ament, quàm ipſa ſtudia; parentesque eſſe, non quidem corporum, ſed mentium credant: & hanc pietatem ſtudio conferre putat adeo, ut inde omnia illa commoda, quæ principio diximus exiſtimet prouenire. Nam *ita*, inquit, *& libenter audient, & dictis credent, & ſimiles eſſe concupiſcent.* Huic 28
ego pietati ueſtræ mutua beneuolentia, & prope materna caritate reſpōdebo: nec patiar ant à uobis, aut ab ullo mortalium ſuperari. At hic audire mihi uideor neſcio quem auribus meis inſuſurrantem, præclarum illud S. Ambroſii uiri doctiſsimi, atque eloquentiſsimi dictum: *Primus diſcendi*

S. Ambr. l. 2. de Virginib.

ardor nobilitas eſt Magiſtri, Quis es tu, quantusue, vt ingenii doctrinæque fama, ut gloria diſcipulorum, & ſcholæ, ut nobilitate magiſterii tui, ad capeſſendam philoſophiam te Magiſtro noſtros animos accendas? Tu fortaſſe Socrates rediuiuus, à mortuis recens excitatus, ſale ſapientiæ, & melle ſuaueloquentiæ nos oblectatos hodierna die, dulciſſimæ Sirenis in modum ad tuam iſtam ſcholam frequentandam pellicias, captosque detineas? Tu nouus Hiarchas

Philoſtr. l. 3. de vita Apollon cap 5. 7. or. 10. n. 27.

Brachmanum Samanæorumq; Princeps inter Indos Gymnoſophiſtas in æneo ſedens throno ſtatuis aureis circumſeptus, ac de tantali fonte potans, ad te audiendum de demonſtratione, de natura, de humana mente, de cœlo, de mundo differentem ab vltimis terrarum finibus pertrahas audi-

auditores? Tu alter Ammonius Alexandrinus ſemel auditus ita nos capias & vincias aurea dictionis tuæ catena, vt cum Plotino Magiſtrum ingenio ſuo congruentem quæritante dicamus inter nos, *Hunc ipſum, ò Amice quærebam.* Equidem, Iuuenes, vim aculeumque argumenti præſentio, nec metuo: parua quadam, ſpero, declinatione, & vt aiunt, corpore effugiam: necnon arreptum manu telum in eum qui contorſit, retorquebo. Primum ego quoque incitamentum ad diſcendum aſſero nobilitatem eſſe Magiſtri: ſed cur tam cito memoria tibi excidit, dixiſſe me, veritatem fore Magiſtram veſtram, & interpretem veritatis Ariſtotelem? An vero ijs ducibus veſtrorum ſtudiorum, & laborum, ijs luminibus ingeniorum præeuntibus defuerit vobis Magiſtri nobilitas? Et quod attinet ad primariam magiſtrã ueſtrã veritatẽ de qua nonnihil me dixiſſe memini, vos hic vnum monere, ac noſſe reor operæ pretium: *Porphyr. in vita Plotini c. 1.*

29 Vnam à nobis tantummodo veritatem agnoſci. Nondum in Gymnaſiis noſtris vbique gentium apertis, & omnibus nationibus, etiam barbaris gratis patentibus audita eſt; neque in poſterum vllum tempus, aut latenter & clanculum obrepet, aut violenter & manifeſte irruet, duplex illa vel triplex à neſcio quibus recentibus ac minutis philoſophis an hoſtibus philoſophiæ? Veritatis excogitata ratio: qua dicunt aliam eſſe Chriſtianæ religionis veritatem, philoſophiæ veræ aliam; aliam denique Ariſtotelis. Ex quo temere concedunt verum aliquid eſſe in Ariſtotelis libris, vel in vera philoſophia, quod in Chriſtiana doctrina ſit falſum. Quæ monſtra, quæ portenta, quæ prodigia philoſophiæ inuecta, ab inferis excitata Patauij hoc tempore cernuntur, & audiuntur? Exempli gratia quæro abs te: Mundum temporis principium habuiſſe nullum, eſt ne verum, an falſum enunciatum? Alterutrum reſpondeas neceſſe eſt; quandoquidem effatum vnumquodque aut verum, aut falſum eſt, omnium mortalium conſenſione. Si falſum aſſeris, igitur philoſophia tua vera ſcilicet decepit, fefellit, in errorem

induxit Ariſtotelem, qui Mundum ab æternitate fuiſſe putauit, ſi verum pronuncias: ergo Chriſtiana Religio aberrat, alucinatur, lapſa eſt, quæ Mundum ab aliquo tempore procreatum docet à Deo. Vtra vera reſponſio eſt? Sed ſcio quid reſponſurus ſis, noui locum: diſtinctionem quandam iactabis: in vera philoſophia, necnon in peripatetica verum enunciatum illud eſſe dices: in Chriſtiana falſum. At nihil eſt hoc tuum effugium. Video philoſophos omnes bonos, ac theologos in te diſtinguere gladios argumentorum: lego Ariſtotelem exiſtimantem: *Vero congruere omnia quæ ſunt in re ipſa, & eadem à falſo diſcrepare*: lego plane conſentientem Auerroem, quem quaſi Deum ſibi quidam per ſummam impudentiam in philoſophando conſtituunt: Audio vocem omnium philoſophorum recte ſentientium ac Theologorum, ex hac Ariſtotelis Auerroiſque doctrina formatam & firmatam, *Verum vero non eſſe contrarium*: video magnum epiſcoporum numerum in poſtremo Lateranenſi Concilio Præſide Pontifice maximo pro ratione ſui decreti cuiuſdam hoc axioma referre, *Vero non aduerſari verum*: & exiſtimem veritatem in philoſophia, veritati doctrinæ Chriſtianæ repugnare? Hic, quoniam veritate veritas non obſiſtit, ſciſcitor ex te: Vtra veritas ſit falſitatis admiſtione violata, philoſophica ne an Chriſtiana? Nequaquam, opinor, dices Chriſtianam, pro cuius defenſione, ac teſtificatione, niſi Chriſto liberatori generis humani nuncium remiſeris, paratus ſis ſanguinem, vitamque profundere. Reſtat igitur vt philoſophica veritas, cum Chriſtianæ contraria deprehenditur, falſitatis contagione contaminata credatur: ne iam in ea parte veritas, ſed falſitas eſſe dicatur: & vna triumphet integra, inuiolata, puraputa Chriſtiana veritas, quæ complectitur omnem veritatem. At rationes quædam obiectæ tibi lumine naturæ tantum 30 rem conſideranti æternitatem Mundi perſuadent. Collige hinc humanæ mentis imbecillitatem quæ ſeſe à falſis rationibus extricare non poteſt: cuius lumen, tametſi falſa

Ariſt. l. 1. eth. cap. 8.

Auer. l. 3. de an. com. 5.

Conc. later. ſub Leone x. ſeſſ. 8

num-

numquam per ſe docet, non omnia quæ ſunt vera diſpicit; & agnoſcit: cuius augendi, roborandique gratia Chriſtus diuinus ſol Euangelii lumen in Mundum inuexit, & ad omnes gentes per orbem terræ iuſſit curſim circumferri. Collige indidem rationes illas eſſe fallaces, tendiculas, & ſophiſmata: ſoluique poſſe, ut ſynodus eadem definijt, quamuis Herculei nodi tibi videantur. Qui enim falſam gignere atque inferre poſſunt concluſionem, ſi vera ſunt hæc argumenta? Falſum è vero Ariſtoteles ipſe pernegat poſſe deduci. *Ariſt. l. 2 Prior. cap. 1. l. 1. poſter. t. 17.* Præterea nodos eos diſſoluit Plato, Philoponus, S. Thomas: diſſoluerunt optimi quique philoſophi atque Theologi ſæculorum omnium; & tu pugnaciter aſſeres inexplicabiles eſſe demonſtrationes? maiorem es habiturus fidem Ariſtoteli, Proclo, Auerroi, tuoque ingenio, quàm Platoni, Philopono, Thomæ & innumerabilibus aliis nobiliſſimis ingenijs, quibuſcum tu nulla ratione es conferendus? quàm tot epiſcopis concilij, quibus decreta condentibus auctor veritatis, & norma Deus ipſe præſidet? quàm Eccleſiæ Catholicæ? quàm ſacroſanctæ ſcripturæ? quàm Deo? Cenſet ipſemet Ariſtoteles obtuſi, atque infirmi admodum ingenii eſſe, *Id. l. 8. Phyſ. t. 22.* naturalibus in rebus per experientiam cognitis atque perſpectis hærere, ac dubitare, propter ſophiſmata repugnantia; quæ reſponſione frangere, atque infirmare non poſſit: vos veritatem à Deo traditam, & philoſophis ingenioſiſſimis probatam, ob Ariſtotelis & Procli argumenta, philoſophiæ aduerſari pronunciabitis? Pluribus loco ſuo tam pernicioſum veritati errorem de veritate confutabo. Sit interim poſitum vnam veritatem quæ veritatem omnem Chriſti, Philoſophiæ, Ariſtotelis, Rationis, luminis naturalis, ſenſus continet, nobis eſſe ſequendam; vnicam mihi & vobis fore Magiſtram: cuius vnius amantiſſimus Ariſtoteles fuit. Hunc equidem non habeo pro Deo ſapientiæ, quemadmodum Auerroes: neque puto, vt ille opinabatur, erroribus plane caruiſſe: neque reor ingenio ſuo vim in poſterum inge-

niorum humanorum definiſſe: neque omnino vere de illo dici poſſe, quod de ſuo Deo Epicuro temere iactauit aliquando Lucretius:

Lucr. l. 3.

Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Præſtinxit ſtellas exortus vti æthereus ſol.

Attamen illi tantum ſolidæ, ac meritæ laudis impertiam, quantum neſcio an à multis annis in hac Ciuitate tributū eidem quiſquam veſtrum audiuerit: quem ſane cum Quintiliano uirtutes omnes in faſciculum colligente, uehementer dubito, *ſcientia ne rerum: an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuauitate, an inuentionum acumine, an varietate operum* pronunciem clariorem. Num in Ariſtotele deſideratis ingenium? At id ſiue ſpectes acumen in inueniendo, ſiue in iudicando vim, ſiue in retinendo Memoriam, fuit in illo magnum adeo, atque illuſtre, ut in Miraculum uſque proceſſerit. Teſtes proferrem Philoponum Græcum, atque Auerroem Arabem claros eius interpretes, niſi metuerem, ne cuipiam ueſtrum uel oratorie locuti, uel inſano quodam, & cæco amore Magiſtri alucinati eſſe uideantur. Ille enim cenſet Ariſtotelem humanum captum exceſſiſſe: cui Græcia uniuerſa conſenſit, cum eum Δαιμόνιον appellauit, quo cognomine neſcio quid admirabilitatis inuoluit uim humanam ſuperantis. Hic uero Magiſtrum uocat, *Totius philoſophiæ Regulam: exemplar à Natura factum, et expoſitum ad imitandum.* In eodem prædicat ſummam elucere perfectionem, quæ naturaliter homini contingere poteſt in uita mortali: Eum qui tanta ſit præditus felicitate Mentis, eſſe diuinum potius quam humanum appellandum: denique (quod potiſſimum notari cupio) tantam ingenij uim ac magnitudinem, quoddam eſſe Miraculum. Sed quid dicturi eſtis, Adoleſcentes, cum intelligetis, omnium ſæculorum, omnium pæne philoſophorum, tum uero etiam ſapientum Chriſtianorum de hac Ariſtotelici ingenii præſtantia unam, & eamdem eſſe ſententiam, idemque iudicium? Teſtificatur S. Cyrillus Alexandrius

Quint. l. 10. c. 1.

Philip. in vita Ariſt.

Cal. Rhod. l. 2. cap 2 & l. 17. cap. 17.

Auer. in Proæm. Phyſ. l. 3. Metor. in fine l. 3 de An. com 14. l. 1. de Gener anim. l. deſtr. diſp. 3. ad 13.

S. Cyr. Alex. l. 1. adu. Iulian.

Græcis

Græcis Ariſtoteleam grauitatem ſententiarum, maximã, & vſque ad miraculum videri. Mirabile eſt B. Hieronymi ſanctiſſimi, doctiſſimique viri de Ariſtotele teſtimonium, & eulogium, cui tot philoſophi aſſentiuntur. *Sapientum*, inquit, *Princeps, Prodigium, grandeque Miraculum in tota Natura: cui pæne videtur infuſum, quidquid naturaliter eſt capax genus humanum*. Et alio in loco ponit hunc virum, in quorundam paucorum numero, *qui velut Reges habentur hominum, et quorum præcepta, non vt præcepta mortalium, ſed quaſi oracula Deorum accipiuntur*. Non defuerunt qui honoris ergo nomiſmata ænea ſignauerint eius imagine; 32 quorum in aduerſa parte, *Naturæ Miraculum*, eſſet inſcriptum. Tranſeo Plinium virum acri iudicio, multaque lectione nobilem, qui philoſophum noſtrum propter acumẽ ingenii, *Virum immenſæ ſubtilitatis* appellat. Præterea Ciceronem, cui, tametſi Platonis ſtudioſiſſimus, atque amantiſſimus erat, viſus eſt Ariſtoteles, modo, *Vir ingenij ſummi ſingularis ac pæne diuini*: modo *in inueniendis iudicandisque rebus acerrimus*: modo *Fundere flumen aureum orationis*: quod M. ipſe Tullius in maximam ingenij vim, tam quam in fontem referre conſueuit. Teſtis ſit vobis vnus inſtar omnium Plato, qui multorum annorum vſu familiari, quotidianoque pæne conuictu diſcipuli cognorat è crebris exercitationibus animi ac linguæ, quibus aſſidue quà conſulendo magiſtrum, quà argumentando, quà reſpondendo erudiebatur, acuebaturque in Academia, penitusque in intimos animi receſſus (quod me iterum ſignificaſſe recordor) introſpiciens, & in penetrales ſinus eius ingenii ſeſe inſinuans vir acutiſſimus, & ſagaciſſimus perviderat ſolertiam, ſagacitatem, acumen, celeres motus, capacitatem, vim ingenii, atque amplitudinem res omnes quantumuis difficiles comprehendentem. Hic igitur admiratus adoleſcentis ingenium, ac ſtupefactus, non blandiendi, ſed exprimendæ veritatis gratia, ſæpe illum τὸν νοῦν διατριβῆς hoc eſt *Mentem ſcholæ* vocitabat; ſæpe eo ab-

S. Hier. in Reg. monachar. cap. 11.

Idem in cap. 3. Ionæ.

Cic. l. 1. de Diuinat.

l. 1. Tuſc. q.

l. 2. Acad.

Philip. l. de ætern. Mundi.

Cæl. Rhod. l. 29. cap. 8.

ſente

ſente vel *Intelligentiam abeſſe*: vel *auditorum cœtum ſurdū eſſe* dictitabat, Quæ tua mens eo tempore Plato? quæ cogitatio? quod conſilium? Num ſignificare volebas Ariſtotelis ingenium tanto præſtare ceteris, quanto animus corpori, mens ſenſibus antecellit? Illum vnum auditorem, ſplendorem vnicum, & decus eſſe Gymnaſii tui? Diſputationibus, exercitationibusque philoſophicis diſcipulorum ab eo tātummodo vitam & ſpiritum dari? Num denique ſenſus erat, ſcholarum, diſputationumque tuarum de Ideis, de animorum immortalitate, de legibus, ac Rep. ſolum Ariſtotelem intelligentem eſſe, ac plane capacem? Ita prorſus opinor Auditores. Sed addo, merito cognomen idem ingenioſiſſimo Philoſopho tribui extra Platonis ſcholam. Etenim ſi Anaxagoras, quod primus Materiæ Mentem quaſi rerum cuſtodem omnium præfeciſſet νοῦς hoc eſt, *Mens* vulgo cognomento dictus eſt: Ariſtoteles non meliore iure Mens nuncupabitur, qui formam materiæ perfectionem incubantem deprehendit: Mentem humanam extrinſecus aduenientem inhærere corpori: ſummamque illam & diuinam Mentem cuncta moderantis Dei, Cælo, ac Mundo præſidere, certa exquiſita atque euidenti ratione demōſtrauit? Et mirantur Ariſtotelem Platoni adhuc viuenti, quem ingens manus diſcipulorum, fama ſapientiæ, ciuium amor, & docendi exercitatio diuturna tuebantur, auſum eſſe ab eo diſſentiendo quodammodo bellum indicere? Tanto ſe ingenio ſentiens fretum, & armatum in cauſſa iuſta pro veritatis defenſione, cum mortalium nullo diſputationum pugnam defugiebat. Teſtes denique ſummi eius ingenij, partus eiuſdem ingenii, libri inquam (quos vtinā omnes quadringentos haberemus) tanta doctrinarum varietate, grauitate ſententiarum, ſubtilitate diſputationum, antiquitatis notitia, proprietate verborum, rerum diſpoſitione, ac tam neruoſo dicendi genere conſcripti, vt ea virtutes certent inter ſe omnes, ac neſcias, vtrum materia vincat opus, an opere materia ſuperetur. Præſertim quod

Orat. 17. n. 13.

Aelian. l. 4. Var. Hiſt. c. 9. Theodor. l. 5. de Græc. affec. cur.

Laer. l. 5. in Ariſt.

modo

modo veritatem abditam è profundo eruit: modo falſas confutat acerrimè ſententias: modo priſcorũ philoſophorum fideliter decreta refert: tum inauditas concluſiones efficit: poſt obſcuriſſimas controuerſias illuſtrat: breuitatẽ in cunctis adamans, & multa quaſi per notas efferens, ut *Gal. l. de captionib cap. 27.* Galenus animaduertit, quod iis ſcriberet, quos iam habuerat auditores. O ſalutaris philoſophiæ ſolis lumen quod noſtras mentes accendis: merito te veteres, tui monumenta ingenii conſiderantes attentius τῆς φύσεως γραμματέα quod *Suid. u. Ariſtoteles.* eſt *Naturæ ſcribam* nominauerunt: de te, cum ſcriberes di- *S. Iſid. l. 2. orig. cap. 27.* cebant, calamum in Mente tinxiſſe. Cur hoc Auditores? Nimirum quod cum exiſtimarent ipſi Naturæ rerum ab arcanis prope fuiſſe, & abditiſſimarum quarumque rerum conſcium, quas poſtea ſcriptione promulgaſſet. In quibus exarandis calamus non in atramenti pyxide tingeretur, ſed in Mente illa vbere ac locuplete, fonti theſauroque ſimillima, in quo pro coloribus mirabilium rerum euigilatæ cogitationes, & cognitio cauſſarum altiſſimarum aſſeruabantur. Proinde cum elucubraret aliquid calamus eius, non inania verba ſcriberet, ſed ſenſa: non res notas vulgaret,
33 ſed myſteria: non atramentum redderet, ſed doctrinam ſelectam, ex immenſa illa capacitate hauſtam ingenii. Quod ſi philoſophis nonnullis, propter magnam de Platonis in- *Cic. l. de cl. or. Plut. in Cicer.* genio, doctrinaque conceptam opinionem, propterque ſuauiſsimam illam copiam, vbertatemque dicendi, licuit iactare prouerbio: *Iouem, ſi Græce loqui voluiſſet, Platonis lingua fuiſſe locuturum:* Cur eorum exemplo non mihi liceat eadem figura laudans Ariſtotelem dicere: Iouem ſi philoſophari vellet, Ariſtotelis ingenio, philoſophaturum eſſe? *Philoſtr. l. 7. c. 15. de vita Apollon.* Si præterea Syracuſius neſcioquis Imperante Domitiano, quod ſe in eius animum, captata beneuolentia penitus inſinuaſſet: omniumque cogitationum eſſet, atque intimorũ conſiliorum conſcius, ac nuncius; in aula, in vrbe, atque adeo in toto Romanorum Imperio, *Mens, et Lingua Domitiani* dictus eſt: non liceat nobis Ariſtotelem, qui huius

vni-

vniuerſitatis arcana omnia, & occulta pernouit, tamquē bonus arcanorum in ſuis libris interpres fuit, Naturæ Mentem & linguam appellare laudando? Quoniam verò, quā uis ingenium bonum polleat uiribus ſuis; acuitur tamen, alitur, & ditatur induſtria: nec plane Doctor ingenioſus auditoribus ſuis placet, ac facit ſatis; qui ſibi ſuoque nimis confidens ingenio, cùm bonis Naturæ nequaquam diligentiam, ſtudiumque coniunxerit: requiretis fortaſſe in Ariſtotele laborem, aſſiduitatemque ſtudendi. Verum ab eo tempore, quo maturum anno ſuo, non præcox ingenium è prima pueritia deduxit in vſum; ad tertium & ſexageſimum vſque annum, quo tam ſalutare lumen extinctum eſt, quid egit aliud, niſi quod quæritis? Præter expletum diſcipuli munus diligenter, legit, docuit, ſcripſit. Hæc ut, non modo faceret, ſed & perficeret; vigilabat, excogitabat, lucubrabat, plus olei quam vini conſumens vt Demoſthenes, eius æqualis, multa perſcrutans, plura experiens, omnia ſecum ipſe meditans, atque commentans. In lucubrando ſane ſtudio fuiſſe incredibili tradit Laertius. In legendis veterum monumentis factus ipſe ſpirans bibliotheca vicit omnium fidem. Teſtis iterum Plato conſcius arcanorum eius, qui hunc alumnum τὸν Ἀναγνώστην hoc eſt *lectorem* per antonomaſiam appellabat; & domum eiuſdem aliquando intento digito commonſtrans prætereuntibus uiatoribus, *En*, inquit, *Lectoris domus*. Quo ſignificabat nihil à quoquam ante id tempus eſſe conſcriptum, quod ille librorum helluo non incredibili quadam, atque inexhauſta ſciendi auiditate hauriret oculis, mentique mandaret. Præterea cùm Xenocrate altero ſcholæ ocello; conferens interdum Ariſtotelem, illum aſinum, hunc equum generoſum nominabat: illum calcaribus, hunc freno egere dictitabat. Tantum aſsiduitati diligentiæque diſcipuli magiſter tribuebat. Nec deſunt qui putent obiiſſe mortem, nimio labore, fatigationeque ſtudendi: quæ ſtomachum ſuapte natura infirmum debilitans in dies magis, crebriſque doloribus affligens,

S. Hier. Apol. 1. adu. Ruff.

Diog. laer. l. 5. in Ariſt.

Ammon. in vita Ar.

Rhodig. l. 29. cap. 8.

Laer. l. 4. in Xenocr.

Cenſor. de die Natali Amm. Marcell. l. 16.

rendem

tandem calore vitali conſumpto paullatim, anno illo periculoſo mortalibus extinxit. Optatis in eodem ſcientiam? At aſſiduitas tanta ſtudendi non poteſt ex ingenio tam mirabili, non mirificos atque innumerabiles concepiſſe partus ac peperiſſe doctrinarum. Hinc illæ voces admirantium philoſophorum, vt Macrobij: *Vir tantus videtur nihil ignorare potuiſſe*; vt Plinij: *Summus in omni ſcientia vir*: ut Ciceronis: *Ille eadem acie Mentis, qua rerum omnium vim, naturamque viderat, hac quoque aſpexit, qua ad dicẽdi artem, quam ille deſpiciebat, pertinebant*, vt Apuleii, qui doctiſſimum, ac prudentiſſimum philoſophorum vocat. Alios præterco multos. Quam artem ingenuam, quam doctrinã, quam ſapientiæ partem intactam, intractatam, imperfectã ille reliquit? Poeſim, Rhetoricen, Mechanicas excoluit: Mathematicas omnes percalluit: in Phyſica tamquam Naturæ interpres, domeſticus Arbiter, atque adminiſter habitare ac regnare viſus eſt. Differens de elementis, de plãtis, de animalibus, de nubibus aliiſque rebus quæ gignuntur in aere, de cæleſtibus orbibus, atque ſtellis, de mentibus à materiæ concretione ſeiunctis, per quoſdam veluti gradus ad Deum ipſum Auctorem Naturæ, Parentem rerum ac Moderatorem vſque peruenit. Quot ipſe perfecit, quæ alii inchoarunt? Prima philoſophiæ moralis lineamenta Socrates quidem poſuit, at Ariſtoteles extrema. Quot ipſe de nouo excogitauit? Ariſtoteli ſoli certam argumentandi, ac demonſtrandi formam; & ſophiſmata captioneſque cognoſcendi diſſoluendique rationem debemus inuentori. Quamobrem optimo iure meruit, vt non tam πένταθλος; quo cognomine Democritus propter quinque doctrinarum ſcientiam decoratus eſt: quàm ἔπταθλον in in omnem æternitatem appelletur. Qui non in contempla-
34 tione tantum, atque agitatione mentis conquieuit: experientiam rerum adamauit, quæſiuit, conſecutus eſt. Quid eum fugit in rerum Natura reconditum ac ſingulare? Quid in vllo receſſu, aut ſolitudine latuit, quod non olfecerit, at-

Macrob. l. 2. in ſomnium Scip. cap. 15.
Plin. l. 8. c. 16.
Cic. l. 2 de or.
Apul. l. de Mũdo.
Ariſt. l. 2. Elench. cap. vlt.
Diog. laer. l. 9. in Democrito.

Ael.l.4. var. Hiſt.c.19. Pli.l.8.c.16. Athen.l.9.

tigerit, ceperit? Feliciſſimus hoc omnium philoſophorum, quod liberalitate vel Philippi Macedonum Regis, vt exiſtimat Aelianus, vel Alexandri filii, vt tradunt Plinius, & Athenæus, vel vtriuſque vt ego reor, potuit quod voluit, quod optauit, ſcrutari maria, terras, inſulas, continentem, montes, valles, ſiluas, campos, flumina, lacus, & quidquid in illis abſconditur: venari, aucupari, piſcari, feras, volucres,

Cic.l.de fin.

piſces: introſpicere omnium non modo ſpecus, nidos, cubilia, ſed etiam corpora, membra, ſenſus, viſcera, venas, & medullas; perſequi diligentiſſime omnium ortus, victus, & figuras. Ecquid non potuit, qui ad nutum ſuum habuit in eam experientiam ab Regibus munificentiſſimis ac largiſſimis octingenta talenta? quæ ad noſtratem redacta pecuniam ab ijs, qui ſubductis rationibus hæc ſupputarunt diligenter, aureorum nummum ſcutatorum quadringenta & octoginta millia conficiunt. Hoc, quo modo ſe habuerit, maius eſt, ac difficilius, quàm vt ego tum indiſertus, tum dicendo feſſus pro dignitate poſſim explicare. Plinius ipſe felix in hoc dicendi genere audiatur. *Alexandro Magno Rege inflammato, inquit, cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli ſummo in omni ſcientia viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu parere iuſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant, quibuſque viuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria in cura erant: ne quid vſquam gentium ignoraretur ab eo, quos percontando quinquaginta ferme volumina illa præclara de animalibus condidit.*

Gugl.Bud.l.2. de Aſſe.c.29.

Plin.l.8.c.16. Quinct.l.12. cap.11. Athen.l.8.c.8.

Nec defuit Magiſtro veſtro laus à diſcipulis. Qua in re fuit hoc uno Platone, inferior dicam an ne ſuperior? quod non alterum habuit Ariſtotelem auditorem, à quo ſuperaretur. Audierunt eum Theophraſtus, Eudemius, Phanias, Ariſtoxenus, Dicæarchus, Theodectes, Elearchus, Hieronymus Rhodius, Heraclides Ponticus, Calliſthenes, & alii complures, qui vel celebritate Gymnaſii, vel monumentis litterarum editis in lucem, vel eloquentiæ laude ſe ſuumque Magi-

Plut.Suid.Eunap. Franc.Patr.l.10 diſcuſ. peripat.

ſtrum illuſtrauerunt. Prætermitto reliquos, de quibus eſt benemeritus docendo. Citius me ſpiritus & memoria deficerent; quàm nomina. Regem Alexandrum præterire fas non eſt: ad quem erudiendum inuitatu Philippi patris ſapientiſſimi Regis acceſſit; delectus ex omnibus philoſophis vnus, cui maximæ ſpei traderetur educandus, edocendusque adoleſcens, magni quidem Regis filius, ſed magnitudine animi; bellica gloria, & amplitudine Imperii patre longe maior mox futurus. Qui ſub tanto Magiſtro quantum profecerit, demonſtrant, primum virtutum vſus, Liberalitatis, Magnificentiæ, Fortitudinis, atque inſignis in vxore, liberisque Darii, Perſicisque mulieribus continentiæ. Deinde naturas animalium, & Nili originem cognoſcendi cupiditas: percepta è conſuetudine, comitatuque ſapientum delectatio: philoſophis habitus honos, & data munera digna Rege. Tum Homeri amor atque ſtudium, quem pretioſiſſima incluſum theca ſub armis ferebat, & lectitabat: orationes militares, quibus exercitum vel languentem incitauit, vel ſedauit iratum: tot conditæ Ciuitates legibus optimis temperatæ: tot barbaræ gentes ad humaniorem rationem vitæ traductæ, quibus ab Alexandro vinci ſaluti fuit: vt iure Plutarchus ſcripſiſſe uideatur, plus ab Ariſtotele præceptore, quàm à Philippo parente in Perſicam expeditionem accepiſſe præſidii. Poſtremo gratus vtriuſque Regis animus in educatorem. Nam Stagiram patriam eius collapſam inſtaurarunt; eique ſcholam publicam tribuerunt: ciuibus ſeruitute liberatis Ariſtotelem leges dare permiſerunt: tum vero Ereſſum urbem Theophraſti, & Phaniæ diſcipulorum patriam iam iam euertendam in eius gratiam ab iniuria liberarunt. Magna profecto gloria fuit hæc tanti eſſe Magiſtrum Regis: at opinione mea longe maior, quæ mortuum multo poſt ſecuta eſt, eo quod poſt euangelii lucem & ſapientiam cælo delapſam, & illatam Mundo, tot uiri ſanctiſſimi, atque ingenioſiſſimi, & in primis Seuerinus Boethius, & Thomas Aquinas, diſci-

Cic. l. 3. de or. Plut. l. 1. de fort. Alex. Agell. l. 9. c. 3. Dion. orat. 49. S. Hier. ep. 7. ad Lat.

Agell l. 6. c. 28 Plut. in Alex. & alijs locis. Max. Tyr. ſer. 25. Arrian. l. 7. de reb. Alex.

Plut. l. 1. de fort. Alex.

Plin. l. 7. c. 29. Dion orat. 49. Aelian. . . 12. Var. hiſt. c. 54. Diog. laer. in Ariſtot. Ammon. in vita.

puli ſtudioſi, atq; interpretes eius uoce & ſcriptis eſſe uoluerunt. Vicit ergo philoſophos ante ſe omnes ingenii gloria, doctrinæ laude, & meritorum magnitudine: Vicit quot quot ea tempeſtate qua ipſe docebat, in aliquo numero ſapientum habebantur: uicit omnes qui ſecuti ſunt uſque ad Chriſti Saluatoris noſtri tempora; uiciſſet quoque poſteros omnes, niſi diuina Prouidentia partem gloriæ, laudis, ac meritorum, philoſophis Chriſtianis Tertulliano, Origeni, Auguſtino, Boethio, Thomæ, Bonauenturæ, & aliis eorum paribus reſeruaſſet. Niſi forte uiciſſe cunctos dicamus, 36
quod à nemine poſterorum naturæ uiribus æquatus, de ſua ui atque ſapientia unus omnia pæne noſſe uideatur. Vicit, inquam, nec pro uictoria tam inſigni, ſua Græcia debitos illi honores, meritoſque decreuit. Meritis impar honos illi habitus à Stagiritis, qui relato corpore in Patriam ei cum monumento altare conſtruxerunt; locumque eum Ariſtoteleum appellarunt, diemque feſtum in gratam eius memoriam quotannis celebrandum ſtatuerunt. Impar ille, quem Theophraſtus teſtamento legauit; ut imago Magiſtri poneretur in templo. Impar quem illi Pomponius Atticus habebat, qui ſtatuam eius ſupra ſuam domeſticam ſedem collocarat. Sed qui tandem erunt iuſti & uictoriæ pares honores? Illi ipſi, viri ornatiſsimi, quos ipſe profligatis ueterum erroribus triumphatiſque philoſophis, uictoriæ ſuæ reliquit argumenta, ſuæque gloriæ legauit ornamenta: quos denique Mundus totus conſenſu tacito illi ad memoriam ſempiternam conſecrauit: Arcus, epigrammata, trophæa, ſtatuas, coronas & præcones. Stant Ariſtoteli pro arcubus triumphalibus innumerabilium Gymnaſiorum fornices ac teſtudines toto Mundo ædificatæ, ſub quibus Ariſtoteles quotidie, in lectiſsimorum iuuenum conuentu, maximo cum decore ipſius, à doctiſsimis uiris, non ſine interpretũ laude declaratur. Monumenta litteris æneis ad æternitatẽ inſcripta, libri ſunt eius omnes in illuſtribus bibliothecis expoſiti Græce, Latine, Arabice, qui quotieſcumque uetu-

ſtas

Ammon. in vita.

Diog laer. lib. 5. in Theophr.
Cic. l. 4. ep. 9. ad Atticum.

ſtas deſcribi, renouarique ſuadet, mirabili hac noſtra, nec admodum antiqua ratione libros æneis typis imprimendi, ſic multiplicati perpetuantur, vt miro ac nouo modo, marmore & ære perenniores, nullo vnquam tempore interituri videantur. Pro Trophæis appenſa ſunt Empedochis, Anaxagoræ, Leucippi, Parmenidis, Heracliti, Meliſſi, Democriti, & aliorum eiuſdem cohortis philoſophorum, quibus cum ſæpius depugnauit, ſpolia atque arma detracta; hoc eſt, exiſtimatio eorum, & fama, ſolidis refutationibus illis erepta. Pro ſtatuis, atque imaginibus, poſiti ſunt in baſibus immortalis memoriæ philoſophi illi (quorum in numero vos Adoleſcentes aliquando veſtra diligentia ponet) qui veritatis amore, doctrinaque peripatetica imbuti recte philoſophando referunt animo, mente, ac lingua Magiſtrum. Coronæ laureæ, tot Ariſtotelis ſtatuis imponuntur, quot iuuenibus philoſophiæ peripateticæ ſtudioſis, quorum diu cognita, & probata multis in concertationibus, ſpectataque ſcientia eſt; in vnaquaque liberalium artium vniuerſitate, Doctoris inſignia, cum Ariſtotelis publice interpretandi poteſtate conferuntur. Denique in præconum laudatorumque viuorum atque ſpirantium locum ſubſtituti ſunt Doctores omnes, qui publicis in Gymnaſiis Ariſtotelem interpretantur: omnes oratores, ac poetæ, qui eundē panegyricis, verſibusque concelebrant. Pro Deus immortalis, non expleat veſtram cupiditatem, Iuuenes, tanta laus, tanta nobilitas, tanta gloria Magiſtri? Quamorbem de me nihil iam attinet dicere. Cum Ariſtotele compoſi-
37 tus hæſito, titubo, erubeſco. Quæ comparatio eſſe poteſt Veſpertilioni cum Aquila, Formicæ cum Elephanto, ſtillæ cum Oceano? Mihi conueniunt Lucretii verſus comparationem cum ſuo Epicuro recuſantis.

Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi
Conſimile in curſu poſſint, ac fortis equi vis? *Lucr.l.3.*

Fateor plane meam non mediocritatem, ſed tenuitatem

inge-

ingenii, doctrinæ, famæ, valetudinis rerum omnium. Diligentiam ſane atque induſtriam polliceor tantam vobis, quantam vires meæ corporis ferre poſſunt; quæ diuino corroboratæ auxilio, & animi ardore neſcio quo concitatæ, plus aliquanto poterunt, quàm multi opinentur. At qua in re iſta tua prometur induſtria? qui non erit opera tua ſuperuacanea, cum Magiſtrorum illo pari erudiemur? Iſchomachus quondam, Auditores, Ariſtippum quærentem in Olympicis ludis ex eo, quibus nam diſputationibus Socrates adeo iuuenum animos ad ſe raperet, ac pelliceret ad philoſophiam; pauculis eiuſdem documentis quaſi ſeminibus ſciſcitanti commoſtratis, ita vehementer accendit amore Socratis, vt palleret, langueret, deficeret: nec prius ab eo reſpiraret angore, quàm Athenas nauigans inflammatus, ac ſitiens ab ipſo fonte Socratico, pleno ore ſapientiam exſorberet. Similiter ego faciam, Auditores: Ariſtotelis doctrinæ ſpecimen obijciam vobis: ad Ariſtotelem inuitabo, dirigam, prouocabo, vt eius doctrinam adametis, eius vt amore capiamini. Tamquam item venaticus canis, nare ſagacitatis, & odore peripateticæ philoſophiæ per veſtigia verborum Ariſtotelis ducam vos venatores in ipſum cubile veritatis. Vel certe venator ego, vos canes propter ingenii bonitatem ſagaciſſimos, per eadem veſtigia ſapientiam veſtigantes, & odorantes; plauſu, voce, clamoribus ad eam perſequendam capiendamque excitabo. Pulcherrimam ipſe veritatis formam philoſophicis expictam coloribus ſenſuum, ac uerborum Ariſtotelis, quam ipſe de induſtria, vt ad Alexandrum ſcripſit, dictione ſubobſcura contexit (æmulatus opinor Heraclitum) ne vulgo pateret; oſtentabo; ſublato per interpretationem meam obſcuritatis velo, quo veſtris ſenſibus imago formoſior obijciatur; in ipſis Ariſtotelis codicibus, quos numquam deponam, numquam complicabo. Quæ verba diligentiſſime examinans, atque explanans, non more Grammaticorum adnumerabo, ſed

Plut. l. de Curioſit.

Plut. in Alex. Agell. l. 20. c. 4 Them praf. phyſ.

Diog. laer. l. 9. in Heraclito Cice. lib. 1. de Nat. Deor.

tamquam appendam; non trutina populari, ſed aurificis ſtatera, qua aurum, qua margaritæ, qua pretioſiſſima quæque penduntur. Quid aliorum philoſophorum, & libris, & doctrinis facies? Bene quidem: non contemnam; abſit hoc à me ſcelus: magnifaciam: verſabo, ut inquit ille, diurna nocturnaque manu: Nutricis induam in eorum ſtudio perſonam. Etenim vt illa multos, variosque cibos capit ore, molit dentibus, in ſtomachum demittit, & ui natiui caloris in lactis commutat liquorem pueris infantibus alendis accommodatiſſimum: ita multis ego philoſophorum libris legendis, multis interpretum commentariis euoluendis exprimam purum melioris doctrinæ ſuccum, quem hauſtum aſſidua conſiderationis, & contemplationis ui coquam adeo (modo vires obſequantur votis) vt ſcholæ meæ, explicationesque ſplendore ordinis illuminatæ, diuturnis commentationibus meditatæ lacteſcere videantur. Quas vbi uos primum auribus ſuxeritis deinde memoria magis, & intelligentia, quàm calamo, & charta ſorbueritis, veſtri calore ſtomachi, hoc eſt ingenii bonitate, in Mentis pabulum, alimentumque conuertetis. Denique ne videar in pollicendo arrogans, me ſimilem modeſtiſſimo Socrati fore promitto: qui ſe nequaquam gignere ſcientiam in auditorum mentibus, ſed obſtetricem agere profitebatur, quæ ſterilis ipſa per ætatem, fecundis feminis parientibus opitulatur. Qua tandem ratione? Nimirum interrogando Socratis more: non quòd exiſtimem ſcientiam eſſe, vt ille rebatur, eorum quæ didicimus, antequam nati ſumus, recordationem, ſed quòd bene interrogandi ſcientia ab eodem emanet fonte, vnde & ſcientia reſpondendi. Qua ratione veſtram excitans induſtriam; & illos præterea doctrinæ igniculos qui naturaliter latent in animi receſſu fouens hortando, ſuggerendo, feram opem talem veſtris ingeniis ſuapte natura feracibus, vt grandes in tempore veſtra ſponte ſapientię partus

Hor. in Poet.

Plato in Theæteto.

Cic. l. 1. de le. Ariſt. l. 2. Elench cap. 8.

partus edatis. Sed quid dixi more Socratico? Chriſtus, ipſe diuinæ ſapientiæ Magiſter, auctor eſt mihi moris huiuſce: qui cum puer, ut dixi, doctores ſenes interrogaret, non diſcendi gratia, cum noſſet omnia, ſed erudiendi: docuit exemplo ſuo Magiſtros, ut diſcipulos interrogando quoque nonnumquam perdocerent. A quo precor ut propitius mihi commodis veſtris toto conatu veliſicanti; uobiſque ſapientiæ gratia conquirendæ, me Gubernatore nauigantibus, in portum uſque proſperis diuinæ beneuolentiæ uentis obſecundet.

Orig. hom. 19. in Luc. 2.

Digitized by Google

DE TRIPLICI BONO PHILOSOPHIAE NATVRALIS.

Oratio prior. . *Oratio X X.*

1 TANDEM aliquando, Iuuenes optimi, diuini fauoris aura meis ingenij & linguæ velis afflante; veſtræ diligentiæ remigio propellente nauiculam; vobis omnibus magiſtro ſtrenuam operam ſtudiumque nauantibus; ſcopuloſis è cotibus, aſperiſque ſaxis difficultatum dialecticarum ſine tempeſtate, ſine iactura, ſine nauſea, interpretationis meæ labor hic annuus, & functio muneris enauigauit. Illud ſane commodi è longa nauigatione percepimus vniuerſi, quod onuſtum nauigiolum inſtrumentis cognoſcendi, tamquam retibus, naſſis, hamis, euerriculis in amplum tranquillumque mare philoſophiæ naturalis inueximus, vbi ſcientiam rerum, veritatiſque cognitionem in profundo latentem, ac demerſam licebit annis inſequentibus expiſcari. Niſi forte dici mauultis nos è dumetis vepribuſque logicæ ſpinoſiſſimæ, quibus ſepibus philoſophia circumdatur, quorum aculeis ſæpe diſputando pungebamur, egreſſos penetraſſe, atque intuliſſe pedem in amœniſſimos hortos eius doctrinæ, vbi flores pulcherrimos, fructuſque dulciſſimos ſapientiæ veritatiſque carpemus. Vt ut ſe res habet: quò, ſiue patientiores hoc biennium per mare ampliſſimum Naturæ contemplandæ ſpatiemini piſcando, ſiue lætiores, non per hortos Heſperidum, ſed per fructuoſa pomatia Peripateticorum vagemini, flores fructuſque colligendo, dicere aliquid de philoſophia naturali, quam comparare ſtudemus, ante librorum
2 phyſicorum interpretationem inſtitui. Video mihi illud

Philo. l. de agri cultura.

Pppp hic

hic planè contingere, quod in magnificis, lautis, ſumptuoſiſque cœnis Syracuſanorum, conuiuis vſu venire ſcripſit Lucianus; vt propter varietatem multitudinemque ſuauiſſimarum & exquiſitiſſimarum epularum quæ apponebantur, hærerent diu, vehementerque dubitarent, quidnam potiſſimum in tanta iucundiſſimarum optimeq; conditarum eſcarum copia, & affluentia fames deligeret in cibum, manusque capeſſeret. Non minus abundat ſuauiſſimis epulis ſapientiæ, menſa philoſophiæ, quàm Syracuſanorum, aut Sybaritarum cœnæ, præſertim in conuiuio, quod magnificè ac ſplendidè conditor & inſtructor Ariſtoteles de ſua copioſiſſima pectoris cella penaria, non ventri, ſed menti ornat, apparat & inſtituit. Verum hærere fas nō eſt: definiat animus; ac de locupletiſſima hac menſa capiat, atque ori admoueat ad dicendum triplex philoſophiæ bonum, iucundum, vtile, & honeſtum: nec vereatur quorumdam reprehenſionem, qui totam dicendi laudem in argumenti nouitate ponunt. Verſatus ego quoque in hoc errore, iampridem mutaui ſententiam, exiſtimans in tractatione poſita eſſe omnia, modo ſint argumenta loco, tempori, dicenti, atque auditoribus accommodata; pluriſque laudem è re bene tractata profectam, quàm è re noua natam eſſe viro prudenti faciendā. Docuit me Zeuxis nobiliſſimus pictor; qui cum in hippocentauro femina depicta populum animaduertiſſet argumenti nouitatem ſolùm admirari; nihil ad laborem, operam, artificium, quo mirabili, & exquiſito tabulam depixerat, animum aduertere; ſero ſapiens à populi conſpectu picturam iuſſit auferri, ſtatuitque vt in operibus ſuis ea tantummodo eminerent in poſterū, quæ vel ſola, vel potiſsimum ſpectari laudariq; oporteret. Itaque cupio ſummopere vt hodierna die, non argumentum orationis meæ laudetis; ſed qualecumque illud ſit, imprimat atque inſculpat penitus in animis veſtris hanc opinionem de philoſophia, cui ſtudetis; eam iucunditate pleniſsimam eſſe: fructuoſiſsimam vtilitate, & amplitudine dignitatis

Luc. in encom. Demoſth.

Ar. l. 8. eth. c. 2.

Lucian. in Zeuxide.

gnitatis

gnitatis honeſtiſsimam. Atque à ſuauitate voluptatis exor
3 diar; cuius vox adoleſcentum auribus, vt res ipſa ſenſibus omnibus, ſolet eſſe pergrata: quò vos erectiores ac beneuolentiores animis habeam in dicendo. Quem à Naturæ ſecretis, eiuſque ſcribam eſſe pernoſtis, Ariſtoteles; quique diſcendo, contemplando, docendo mirabiles, vt ipſe loquitur, voluptates deguſtauerat: tot & tam præclara ſcriptis prodidit de philoſophiæ naturalis iucunditate, quæ tum ex immortalibus rebus, tum è caducis, vel nobiliſsimis, uel viliſsimis per cauſſas cognoſcendis emanat: ut huius vnius auctoritas vobis ſatis eſſe deberet ad credendum, eam delectationem à philoſophando fluere in animum, tametſi minus id ſenſus ipſi perciperent. In eadem opinione eſt M. Tullius; qui non minorem è dicendi facultate laudem, quàm Ariſtoteles ex ingenii acumine eſt conſecutus. Is turbulentis Reip. temporibus, quibus excludebatur à foro, ſtudium philoſophiæ naturalis recolens, quam ſemper hoc eodem voluptatis melle captus amauerat; quod in ſe ipſe de hac ſuauitate ſentiebat, ingenue ſtylo patefecit. *Indagatio ipſa rerum*, inquit, *tum maximarum, tum etiam occultiſsimarum, habet oblectationem: ſi vero aliquid occurret, quod veriſimile videatur, humaniſsima completur animus uoluptate*. Lingua perſpicua Ciceronis, ingenii perſpicacis Ariſtotelis: huius elegans oratio, diuitis illius mentis; huius argenteus ſtylus, illius aureæ doctrinæ, de philoſophica delectatione fideliſsimus videtur interpres. Cur enim ex occultiſsimis quoque rebus contemplandis dulciſsimum elici ſaporem oblectationis pronunciauit, niſi quia ſciendi magiſter, immortalium rerum contemplationem affluere quoque ſumma quadam, & inexplicabili iucunditate definijt? Eſt quidem Deus opt. max. fons immortalitatis ab humanis ſenſibus longe remotiſsimus: Angeli primi principis adminiſtri, vt ab omni materiæ concretione nudi ſunt, ita noſtrorum ſenſuum cognitionem fugiunt: mortalium hominum immortales mentes in caducis hiſce inuolutæ

Orat. 19. n. 32.

Ar. l. 1. de part. anim. cap. 5. L. 10. eth. c. 7.

Cic. l. 2. Acad. quæſt.

uolutæ corporibus, & conie&#x1F;ctum oculorum eludunt: proinde multo de his rebus pauciora, naturalibus ingenii viribus cognoſcere licet, quàm de caducis & corporatis, quæ ſuopte impetu in oculos, aures, ceteroſque ſenſus irrumpunt: ſed harum excellentiſsimarum rerum perexigua notitia, tam ingentes, Ariſtotelis teſtimonio, delicias menti contemplatrici ſuppeditat, vt paruitatem ſcientiæ, voluptatis magnitudo longe multumque compenſet. Verum ut 4
recte, ordine, gradatimque dicamus: reuocate vobis in memoriam, quod, me de ſcientia diſputante, didiciſtis: hanc ſeriem & catenam in philoſophando fieri; vt primum ſenſu percipientes effectum aliquem naturalem, & præſertim admirabilem, cuius nos cauſſa lateat, admiremur: tum ad diſcendum, hoc eſt ad inueſtigationem cauſſæ, ſenſus, mentem, rationesque conuertamus; qua deprehenſa, cognita, perſpecta, iam non diſcere, ſed didiciſſe, ac ſcire dicimur: poſtremo ſæpe cogitatione atque intelligentia ad cauſſam inuentam, eiuſque virtutes ac proprietates conſiderandas contemplandaſque recurrimus. Addo nunc, in his tribus ſiue philoſophiæ vel inchoatæ, vel proficientis, uel perfectæ functionibus; ſiue animi noſtri philoſophantis quaſi paſſibus, aut ſpatiis, aut progreſsibus, ſingularem atque incredibilem delectationis dulcedinem voluptatemque guſtari. Numeratur à magiſtro philoſophorum inter ea, quæ iucunda ſunt omnibus, & oblectatione communiter animos hominum permulcent, admiratio: quæ duabus tamquam alis fertur, tum ignoratione latentis cauſſæ, tum eiuſdem ſpe cognoſcendæ: nec tantum ignorantia moleſtiæ, quantum ſpes voluptatis affert admiratis; ſic ut duobus inter ſe perpenſis hiſce momentis, admiratio iucunda cenſeatur. Cur omnes ad cometem ex improuiſo prodeuntem in aere, ſpectandum accurrerent, & obſtupefacti ſæpius intuerentur, tametſi neſciunt vnde extiterit, quo pabulo alatur, qua ui moueatur, quid mortalibus portendat, niſi non vulgaris eos pelliceret ac traheret delectatio? Cæ-

Ar. l. 1. de part. anim. c. 5.

Ar. l. 1. met.

Ar. l. 1. poſt. c. 5.

Ar. l. 1. rhet. c. de iucund.

S. Th. 1. 2. q. 32 ar. 8.

leſtium orbium ſtelliferorum perpetua concitataque conuerſio; mundique totius adeo conſtantis ordinis ratione temperatus motus, ut quibuſdam muſicum concentum mortalibus inauditum auribus edere putetur, conſideratus attente, quem ignarum licet cauſſæ mouentis in gyrũ, non oblectat? Perennitas gelidi fontis è ſilicis vena ſcaturientis, viatorem neſcientem, qua ratione intra cauernas montis aqua perpetuo gignatur ex aere, cum voluptate detinet admirantem. Fateor equidem me cum aliis multis maximam cepiſſe voluptatem, cum amicus meus tractandi magnetis peritiſsimus mirabiles effectus eius à ſe diligentiſsime notatos in ferro trahendo patefaciebat; cum annulos ferreos in catenulæ ſpeciem connectebat: cũ cymbulam in æneo labro quoquouerſus excurrere eiuſdem ui lapidis tractam cogebat, vt ventorum impulſu nauigare uideretur: cum altero magnetis latere trahebat ac detinebat acum appenſam, altero admoto reuellebat ac fugabat: nec diffiteor me cauſſam adhuc ignorare tantorum operum; quàm, quia hos latet, virtutem occultam nominamus. Quòd ſi mentibus noſtris adeo ſuauis eſt admiratio quæ non ſcientia eſt, non ſapientia, non actus addiſcendi, ſed uel occaſio philoſophandi cum ſpe deſiderioque ſciendi coniuncta; uel quædam ad diſcendum impulſio; quàm mirabiles voluptates ipſa philoſophandi actio, cauſſarumque perueſtigatio eſt paritura? Non argumentabor tantummodo auctoritate ſummi Philoſophi inter iucunda diſcere collocantis, ſed etiam rationibus agam; quando vos, Iuuenes optimi, iam ea eſtis ætate, tanta dialecticæ cognitione imbuti, tam experrecto ingenio præditi, vt auditis expenſisque rationibus de rebus optime iudicare poſsitis. Notius eſt, quàm ut probari debeat, expletionem cuiuſque cupiditatis eſſe iucundam; eamque voluptatem, quæ inde percipitur, in expletione pari, magnitudine cupiditatis antecedentis augeri; ſic ut quò rei conſequendæ cupiditas magis incenſa fuerit; eò delectatio naſcatur ex

Orat. 13. n. 5.

Orat. 4. n. 41

Orat. 3. n. 7.

5

Ar. l. 1. rhet. c. de iucund.

Aril. 10. eth. cap. 3.

adeptione

adeptione rei concupitæ vehementior. Quis veſtrum ignorat homines inſtinctos à natura, rerum omnium cognitionem ac ſcientiam concupiſcere; vehementiſſimamq; eſſe

Orat.19.n.24. & ſeq. hanc cupiditatem; quemadmodum ex hoc loco, hoc ipſo die, multis anno ſuperiore probaui; niſi negligentia quadam atque deſidia compreſſa & obſtupefacta ſopiatur? Cur enim tantopere ſenſus diligimus, & eos maxime qui

Ar. l. 1. met. t. 1. ſunt vtriuſq; ſcientiæ, tã eius quæ per inuentionem acquiritur, quàm quæ per diſciplinam comparatur, adminiſtri? Cur vacui curis, etiam quid in cælo fiat, vt M. Tullius ob-

Cic. l. 2. de fin. ſeruauit, ſcire auemus? Cur tot, tamque acutis interrogationibus aliena dicta, facta, cogitata perſcrutamur? Quia ſumus appetentiſſimi ſciendi. Concludite vos iam docti leges argumentandi: quanta voluptate perfluere ſit neceſſe mentem illam, quæ cognitione rerum explet deſideriũ illud inflammatum ſciendi; ſatiatque cupiditatem incredibilem cognoſcendi. Neque vero deſerit rationem expe- 6

Cic. l. 5. de fin. rientia. Nutrices narratione fabularum mirifice pueros detinent, flentes conſolantur, alacres oblectant. Quæ præſtigiæ, quæ excantatio, quæ tanta ſuauitas ineſt in fabellis, vt oblectentur pueri; niſi illa quæ fluit ex expleta ſciendi cupiditate; quòd exiſtimantes vera, quæ dicuntur à nutricibus, ſe didiciſſe aliquid arbitrantur? Reuertitur quis in patriam è diuturno bello, periculoſa nauigatione, longa peregrinatione; non propinqui modo ac domeſtici, ſed vicini omnes accurrunt, circumſident, curioſe ſciſcitantur, cum voluptate pendent ab ore dicentis. Cur hoc niſi quia ſatianda per eius narrationem, ac reſponſa, cognoſcendarum ignotarum rerum auiditate delectantur? Quem veteres hiſtoriæ, præteritorumque temporum memoria non oblectat? Non aliunde exoritur ea iucunditas, niſi ex eadem cupiditate ſaturata; quòd annalium monumentorumque priſcorum lectione cognoſcit hiſtoriarum ſtudioſus ea, quæ antequam natus eſſet, acciderunt. Vos ipſos appello teſtes voluptatis huiuſcemodi, de qua diſſerimus.

Arbi-

Digitized by Google

Arbitror iam vobis eclipſis lunæ cauſſam eſſe perſpectam: opinor à bono ſphæræ interprete, cum defectionem pateretur, vel in ſpeculo, vel in aqua repræſentatam uobis adeo, vt eam oculis ipſi cerneretis; tum ratione aliqua exquiſita cauſſam fuiſſe demonſtratam. Dicite vos qua mentis dulcedine perfruebamini, cum lunam primum ſubire vmbram quandam; deinde pedetentim lumine deficiente totam propemodum obſcurari; tum paullatim ex vmbra incolumem atque vt ante illuſtrem euadere videbatis; & ſimul à magiſtro per rationem perſpicuam atque inuictam diſcebatis eam vmbram eſſe projectam ab orbe terrarum, qui ſolem inter & lunam interiectus eripiebat lunæ ſplendorem illum, quem ſolebat à fonte luminum mutuari. Denique ſi cibus potusque tanta permulcet voluptate palatum hominemque totum in explenda fame ac ſiti, quæ vehementiſſimæ ſunt edendi bibendique cupiditates; quid in diſcendo cognitio rerum ac veritatis efficiet generoſæ menti incredibiliter appetenti ſitientique ſcientiam rerũ omnium, cum omnes, una cum Cicerone fateantur, naturale quaſi quoddam pabulum animorum atque ingeniorum eſſe conſiderationem, contemplationemque naturæ? *Cic l. 2. Acad. quæſt*

Nec vero diſcere numeratur in iucundis tantum, quòd
7 expletio ſit cupiditatis cognoſcendi; ſed etiam, vt obſeruauit is, quem ducem ſequimur in philoſophia, quia diſcendo venitur in eum ſtatum, qui eſt animo noſtro naturalis. *Ar. l. 1. rhet. c. de iucund.* Sed quinam eſt hic ſtatus congruens naturæ, quò nos reuocat diſciplina? nimirum is, in quo veritatem cognoſcimus, In quo ſcientia conferti res omnes contemplari, contemplandoſque frui rebus cognitis perſpectiſque poſſimus. *Cic. l. 2. de fin.* Nam, vt ſapienter M. Tullius ex Ariſtotelis ſententia ſcripſit, ſic ad intelligendum natus eſt homo, quaſi mortalis Deus, vt ad curſum equus, bos ad arandum, atque ad indagandum canis: *Iambl. l. de ſecta Pythag.* ipſeque philoſophorum doctor diuinæ naturæ proprium eſſe intelligere ac ſapere definiens, hominem eiuſmodi naturæ ſolum ex omnibus animalibus *Ar. l. 4 de par. anim. cap. 10.*

com-

compotem declarat; vt intelligamus hoc diuinum prope-
modum animal ad intelligendum & contemplandum
eſſe procreatum. Teſtatur id humani corporis admira-
bilis forma, quæ huius vnius ex cunctis animantibus, ad
cœli ſiderumque conſpectum erecta, vt philoſophi poetæ-
que notauerunt; atque vt Platoni placuit, quaſi arbor in-
uerſa; ut alijs ſapientibus, planta cæleſtis, ſignificare vide-
tur animum his membris inuolutum, rerum omnium, &
maxime cæleſtium contemplationem expetere. Teſtatur
hominis nomen apud Græcos, quem ideo Plato dictum
ἀνθρωπον exiſtimat, quòd quæ vidit contempletur, alij quod
ſurſum aſpiciat; quam ob cauſſam erepto piſci cuidam no-
mine, iure poſſes οὐρανόσκοπον, hoc eſt cæli ſpectatorem ap-
pellare. Teſtantur omnes ſenſus aucupes venatoreſque
rerum cunctarum ſagaciſſimi; quorum opera tamquam
ſatellitum atque exploratorum Mens contemplatrix, om-
nia quæcumque rerum vniuerſitas hæc ſuo cõplexu ſtrin-
git, percipere intelligẽtia poteſt atque cognoſcere. Quòd
ſi maxime gaudes, & voluptate diffluis; cum è valetudine
diu morbis afflicta & labefactata conualeſcens, in integrã
ſalubritatem ſanitatemque reſtitueris; quæ naturæ lege ti-
bi debebatur; quantum exiſtimes inſtillari ſuauitatis illi
menti, quæ diu verſata in ignoratione rerum, tamquam in
morbo grauiſſimo, diſcendo progreditur in multarum re-
rum lucem atque ſcientiam; tum in eo ſtatu, quò ducitur
impulſu naturæ, collocatur; qui ſalus ac naturalis ſanitas
animi poteſt merito nuncupari? Dixi, Iuuenes, in admira- 8
tione ſingularium effectuum, quorum cauſſam ignoramus,
non exiguam ineſſe iucunditatem: dixi maiorem in diſcẽ-
do cognoſcendiſque cauſſis latentibus ſuauitatem affluere
perdiſcentium voluptatem, eamque maximam ab homi-
ne docto, in uſu ſapientiæ comparatæ percipi guſtarique
pronuncio. Magnum quiddam dicere videor, & vere ma-
gnum: ſed niſi probauero firmiſſimis rationibus quod pol-
liceor, quæcumque adhuc dixi, falſa omnia putatote. De-

Cic.l.2.de nat.
Gal.l.3.de vſu part.
Ouid.l.1. metam.
Boeth.l.5.metro.5. de conſol.phil.
Manil.l.4. aſtr.
Plato in Tim.
Philo.l.de ſ lāt. Noe.
Clem. Alex. orat.ad Gẽtes.
Philo. l. quod deterius &c.
Lact.l.de opif. cap.8.
Plato in Cratylo.
S.Ambr.l.6. in Hexam.c.8
Gal.l.3.de vſu part.cap.3.
Cic.l.1.de leg.
Ariſt 12 metaph.tex 39.

lectationis

lectationis plenam eſſe rerum cognitarum contemplationem, illa ratio demonſtrat, quòd actionem quamcumque naturæ conuenientem intima quædam & implicita, diuino iuſſu, comitatur oblectatio; qua tamquam ſale, aut melle, aut alio iucundiore ſapore conditur, vt ſuſcipiatur alacrius. Atque hoc non in edendo, bibendo, ludendo tantum ſentimus; ſed etiam in pingendo, ſcribendo, & aliis operibus faciendis, quæ ſunt ſuapte natura laborioſa. Tum contemplationem eſſe actionem naturæ mentique congruentem, quis negare poteſt, qui meminerit eſſe probatum, & ab homine naturaliter appeti ſcientiam; & per adeptionem ſcientiæ conſtitui hominem in ſtatu naturali? Quamobrem contemplatio ſiue operoſa ſit actio, ſiue labore nullo fiat, vt ſpectatio; certiſſimum eſt eo reſperſam eſſe condimento oblectationis, quo cunctæ actiones naturæ conuenientes, miro Dei beneficio, condiuntur. Sed iam, quod magis eſt arduum, aggrediamur diſputatione; cõtemplatione rerum cognitarum ſummam voluptatem contineri. Metuerem non parum, Auditores, & ingenio diffiſus meo caderem fortaſſe, niſi me fulciret grauis auctoritas magiſtri, qui cunctarum actionum honeſtarum iucundiſſimam eam eſſe decernit, *quæ fit ſecundum ſapientiam.* Non loquitur vir ingenioſiſſimus de iucunditate admirationis, quæ cum inſcientia coniuncta eſt; non de dulcedine philoſophiæ, quæ in diſcendo poſita eſt; ſed de voluptate contemplationis illius, qua vir rerum omniũ ſcientia completus, proinde ſapiens, ad eaſdem recognoſcendas mente reuoluitur, vt humanam felicitatem conſequatur.

Ar. l. 10. eth. cap. 4. & 5.

Ar. l. 10. eth. c. 7. l. 12. met. t. 39.

9 Non minus quàm auctoritas, eiuſdem me ratio ſuſtentat. Duo genera iucundarum rerum natura procreauit: alterũ earum, quæ minus perfectæ tum delectant, cum per eas aliqua cupiditas expletur; quæque extra illam neceſſitatem ſatiandæ cupiditatis, iucundæ minime ſentiuntur. Quoties euenit delicatiſsimos homines vilibus cibis, aut acerbis potionibuſque amaris, aut lutulentis oblectari, quas

Ar. l. 7. eth. c. 12.

in naturali ſtatu conſtituti nauſeantes reſpuiſſent; quòd eas appetentes, vehementibus deſideriis condiuiſſent? Quis credat cibarium illum panem in pauperrima casa datum Ptolemæo regi peragranti Aegyptum, & à comitibus non cõſecutis deſerto, uere fuiſſe tam ſuauem, quàm illi viſus eſt, niſi quia famem obſonauerat laborando, eſuriens comediſſet? Quis aſſerat iucundam vere fuiſſe turbidam illam aquam, & cadaueribus inquinatam, à milite galea exceptam, & oblatam Dario regi de prælio fugienti, feſſo, ſitienti: qui negauit umquam ſe bibiſſe ſuauius? Ardor ſitis, tam ſordidæ potionis condimentum fuit, quod illi tantam ſuauitatem infudit. Iucundorum alterum genus eſt, quæ ſenſus humanos nihilo minus repleta natura, ſatiataque cupiditate, quàm vacua concupiſcenteque delectant: qua ratione ſecundæ menſæ iucundæ proprie dicuntur; quæ conuiuas oblectant, tametſi primis epulis ſaturati famem omnem expulerunt. Comprehenſa hoc poſteriore genere iucunda, vere ac proprie iucunda exiſtimantur, quòd iis; nec vacuitas, nec indigentia, nec libido, ſed inſita uis atque innata, quæ nullis extrinſecus pendet à rebus, ſuauitatem impertiat. Naturæ, cęli, cauſſarumq; omnium contemplatori dulcis eſt ſane contemplatio, quam naturæ conuenientem actionem eſſe ſtabiliui; ſuauis eſt, ac plena voluptatis: non quòd per eam vlla vacuitas mentis expleatur; non quòd ſciendi deſiderium ſatietur; quia iam eum omnia didiciſſe ac ſcire poſuimus: non enim de philoſopho, qui eſt amator ſapientiæ; ſed de ſapiente, qui eſt eius poſſeſſor diſputamus. Itaque contemplatio ſapientis iucunda eſt ea iucunditate, quæ ſincera, perfecta & abſoluta eſt; atque omnium ſuauitatum, quibus humanus animus deliniri ſolet, præſtantiſsima. Tabulam pulcherrime pictã vel à Michaele Angelo, uel à Raphaele Vrbinate, vel à Titiano ſemel, iterum, ſæpiusque ſpectaſtis; omnem eius perfectionem conſideraſtis, ſymmetriam, colores, vmbras, eminentiam, receſſus, argutias, mores, affectus, extremas

Cic. l. 5. Tuſc.

lineas

lineas,elegantiam,nihil vos amplius latet,quod cognoſcatis;prorſus omnia noſtis,quæ pictura complectitur: cur ad eam reſpiciendam toties animus veſter oculuſque reuoluitur? Quia res eſt ſuapte natura iucunda: proinde decies ſpectata delectat. Vidiſtis etiam ſæpe hortos artificioſiſſimos alicuius viri principis; vbi blanditur ſenſibus,hic uiridicata ſilua minorũ ferarum,& auium liberarum plena: illic pratum floribus uarijs ac beneolentibus depictum: alibi pomarium arboribus in quincuncem diſpoſitis conſitum;& arbores maturis fructibus onuſtæ. Viſuntur ambulacra roſarum ſepibus vtrinque munita:frigidæ atque vmbroſæ cauernæ vocem multiplicatam referentes:riuuli gelidarum aquarum artificio mirabili per occultiſsimos tubos vel in ſummum collis iugum erumpere;vel in organorum muſicorum fiſtulis ſonum edere; vel in auium,fictarum guttere cantum æmulari;vel è marmoreo cratere per ſiphunculos æneos,impellente ſpiritu,ſalientes in ſublime pellucidi ac murmurantis fontis blanditias imitari. Præterea piſcinæ ludentibus piſcibus; caueæ garrientibus auiculis refertæ: plantæ opere topiario in mille figuras attonſæ: columnis ſuſtentata vmbracula, labyrinthus, odæum, palæſtra. Vidiſtis inquam,& eodem ſæpenumero redijſtis. Cur toties ad eadem oblectamenta reuiſenda vos hæ trahunt illecebræ voluptatis? Quin ſemel ſatis fuit hæc vidiſſe,introſpexiſſe, totis oculis hauſiſſe? Quia iucunda ſunt adeo,vt ſæpius inſpecta, delectatione maxima oculos animumque permulceant. Oculorum ſenſus rerum ſibi conuenientium inſpectione frequenti,nulla præcurrente indigentia, maxime delectatur; non mentem oculum animi contemplatio rerum cognitarum ſæpius iterata pari ſuaui-
1 tate perfundet? Ne longum fiat,curſim expedio rationem *Ar.l.10.eth. cap 5.*
alteram ex eiuſdem Ariſtotelis theſauro depromptam: eam iucundiorem actionem eſſe, quæ aliam iucundam itẽ obruit,impedit,& extrudit. Delectationem,quæ percipitur è patrimonio pecunijſque poſſeſsis, contemplatio Na-

Orat.19.n.25. turæ in Anaxagora & Cratete contēpſit: ſuauitatem, qua perfundit hominum animos Reip. gubernatio, dominatus, *Cic.l.3. de or.* regnique poſſeſsio, in Heraclito neglexit: voluptatem, quę ex oculorum uſu redundat in animum, in Democrito repudiauit: iucunditatem, quæ patriæ, propinquorum, amicorum aſpectu conſuetudineque capitur, in multis, qui cōtemplandi ſtudio ſolitudines coluerunt, pro nihilo duxit: quis neget contemplandi dulcedinem omnibus ſuauitatibus anteſtare? Præſertim cū mærorē omnē abſtergeat; ſiue oriatur ab exilio, vt in Demetrio Phalereo; ſiue ex oppreſ- *Cic.l.5. de fin.* ſa patriæ libertate, ut in Cicerone; ſiue è cęcitate, ut in Di- *Orat.19.n.17.* dymo Alexandrino; ſiue è iactura fortunarum, vt in Zenone; ſiue ex aliis vitæ miſerijs, vt in compluribus ſapientibus *Plut. de tranquill.* viris, qui leuamentum à dulcedine contemplationis petiuerunt, & hauſerunt. Neceſſaria ratio, vt M. Tullius loquitur, illa eſt, quam explicaturus alacriores vos exopto: non rhetorem ago, ſed philoſophum; abijt illud tempus, quo tempore floſculis, feſtiuitatibusque verborum auribus auditorum blandiebar; quo captabam attentionem nouarum rerum varietate. Nunc officij mei ratio poſtulat, vt fucata dictione, quæ faſtidium audiendi fallat, ablegata; cunctiſq; lenociniis aurium omiſsis; doctrinæ peripateticæ ſuccum propinem uobis; non aureo calice politiſsimæ alicuius & elegantiſsimæ orationis; ſed poculo uitreo claritate tātum laudabili: quod, non mel blanditiarum dulcedine illinat ad fallendum; ſed pura, ſinceraque ueritas, ut ab Ariſtoteleo fonte profunditur ad exhauriendum inuitet ac prouocet. Mementote veteribus ſuauitatum omnium uenatoribus in magno pretio deliciiſque fuiſſe myrrhina uaſa; quæ ſapore neſcioquo, dulcem inter & amarum gratiſsimo, potionem inficiebant: hodiernam orationem meam, Audi- *Mart.l.14.* tores, contra ſe habere maxime uellem; ut ſcilicet diſputa- *Arr.l.3.c.9. de dectr. Epict.* tionis ſubtilioris ſapor amarior, eam ueſtris auribus atque ingenijs gratiorem exhiberet. Sed iam tandem hanc ter- tiam

tiam rationem educamus, quæ principatum in iucundis
rerum contemplationi ſtabiliat: quòd in ea felicitas huma-
na collocatur. Inſita penitus eſt in omnium hominum ſi-
ue barbarorum & immanium, ſiue manſuetiorum atque
humaniorum mentibus opinio, quam & magiſter noſter *Ar.l.1.eth.c.8*
approbat, felicitatem ac ſummi boni poſſeſſionem, rem
omnium longe iucundiſſimam eſſe, voluptatiſque pleniſ-
ſimam. Id recta ratio perſuadet: numquam enim huma-
nus appetitus ſummi boni conſequendi fruendique cupi-
diſſimus à deſiderando & inquirendo conquieſceret, ſi
qua actio reperiretur, ſummi boni, quod ſe tenere putat,
poſſeſſione iucundior. Atque hæc hominum exiſtimatio
feſellit quoſdam, minus quàm par erat, res implicitas inter
ſe, cogitatione diſtinguentes; qui iucunditatem eam, quæ
comitatur ac perficit actionem ſummum bonum adipi-
ſcentem, ab ipſa actione minime ſeparantes, ſuauitatem co
mitem felicitatis, felicitatem eſſe putauerunt. Hinc illæ de
fine hominis, eiuſque ſummo bono ac beatitate ſententię, *L.Sen.l. de vita beata.*
prodigiorum ſimiles prodierunt; quæ beatum hominem *Ar.l.1.eth.ca.12.*
vel doloris vacuitate, vel indolentia, vel voluptate corpo- *Cic.l.de fin.*
ris, vel animi lætitia, vel honeſtate miſta voluptate decla-
rarunt. Hanc actionem, qua felix ac ſapiens ſummo bono
fruitur, actionem ſecundum ſapientiam eſſe; tum rerum
omnium, & altiſſimarum cauſſarum, ac potiſſimum primę,
res cunctas procreantis & moderantis contemplationem; *Ar.l.6.eth.ca.12.l. 10. eth. cap. 7.*
non Ariſtoteles modo cum vniuerſa peripateticorũ ſcho-
la, ſed etiam communis recte ſentientium philoſophorum
omnium vox & conſenſus pronunciauit. Pro Deus im-
mortalis! tanta eſt incluſa in contemplatione, delectatio;
vt eadem agitatio mentis & actio detur humanæ felicita-
ti, concedatur adeptioni ſummi boni, finiſque vltimi poſ-
ſeſſioni tribuatur? Itaque philoſophiæ naturalis ſtudium
aditus eſt ac via quædam ad beatitudinem; & felicitas in-
choata. Magnum hoc eſt, & ſupra veſtram opinationem,
12 Adoleſcentes, quod dixi, rapiet multos in admirationem

quod

quod dicturus ſum: nec auderem dicere niſi theologiæ magiſtris eſſet probata ſententia. Diuinæ beatitudinis imago eſt, hæc mentis ſapientis contemplatio. Naturæ perſpicax & acutus contemplator Ariſtoteles eo peruenit ingenii ſagacitate, ut litteris conſignauerit Mundi parentem ac rectorem Deum, & ſe ipſum inſpicere perpetuo, & hac ſui contemplatione beatum eſſe: quod etiam primus in diſputatrice theologia doctor petitis è ſacratiore armamentario firmamentis aſſeruit. Quid enim æterno tempore faceret is, qui non modo naturæ intelligentis eſt, & in intelligendo contemplandoque ſummus, ſed etiam qui totus eſt animus, totus oculus, totus intelligentia, totus mens, totus ipſe, niſi ſpecularetur aliquid? & quia nihil illo dignius, maius ac nobilius neque eſt, neque eſſe poteſt, niſi contemplaretur ſe ipſum; ac beatus fieret eo modo, qui naturæ intelligenti eſt aptiſſimus? Hinc apud Græcos Deum, θεὸν ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν, ſiue θεᾶσθαι, hoc eſt à ſpectando contemplandoque appellatum & philoſophi & theologi putant: atque apud Aegyptios Oſirim dictum, autumant, quaſi Multioculum, quòd omnia diligentiſſime proſpiceret; tametſi neſcirent, quod nobis Chriſtianis diuinitus patefactum eſt, Deum in ſe ipſo ſuæque naturæ diuinæ ſpeculo ampliſſimo res omnes à ſe procreatas intueri. Quoniam vero, vt dicebamus, hæc contemplatio diuinæ naturæ Deo iucundiſſima eſt, eaque ut ita dicam, alitur ac beatur; hinc veteres Græcorum magiſtri ſub allegoriarum, & fabularum inuolucris Deum nectare & ambroſia potari paſcique dicebant, non aliud ſignificantes niſi voluptatem illam, quam Ariſtoteles à uena contemplationis ad ſpeculatricē mentem profluere deprehenderat. Quòd ſi Dei contemplatio iucundiſſima eſt iucunditate diuina captum humanum excedente; contemplationem humanæ mentis, quæ Dei eſt imago, ſibi congruenti ſuauitate oportet abundare. Verum poſt tot argumenta, quibus concluditur, contemplationem ſapientis eſſe dulcedine magna delibutam,

mur-

Ar. l. 10. eth. cap. 8. l. 2. magn. moral. cap. 18. S. Th. 1. p. q. 26. ar. 2.

Aug. Eugub. l. 4. de peren. phil. cap. 11. Pl. l. 2. cap. 7. S. Cyrill. Ieroſ. Cat. 6. ad illu.

Plut. l. de Iſide & Oſiride. S. Greg. Nyſſ. hom. 5 in cant. & l. Non oportere tres Deos dicere.

Aug. Eugub. l. 4. de peren. philoſ. c. 11. & 12.

murmurat quiſpiam veſtrum, moueri quidem ſenſus uoluptate aliqua corporis, eamque à ſe nimium aliquando, ſentiri & capi; nullam vero percipi, nullam guſtari contemplationis, quam prædico, ſuauitatem. Miror te, qui hæc obijcis, velle ſentire guſtareque contemplationis voluptatem, quæ ſentiri non poteſt, ſed intelligi: non illa corpus titillat, ſed animum permulcet; non eſt metienda ſenſu, ſed mente: nobilioris eſt illa rationis, quàm vt corporis ſenſibus ſubijciatur. Deinde ſi nihildum habes ſtudio comparatum ac ſepoſitum, quod contemplere, dulcedinem contemplandi non animum tuum influere quereris & miraris? Hoc mea ſpectat oratio, uobis hoc perſuadere conor hodierna die, Iuuenes, vt vos philoſophiæ detis, dicetis, impendatis, tempore ſuo dulcedinem hanc maximam, voluptatemque capturi. Poſtremo niſi nos magiſter fallit, (quod Deus auertat) animi contemplantis ſincera puraque voluptas, impuram ac lutulentam illam quæ corpus afficit & commaculat, non vno capite antecedit. Iucundius enim illud eſſe decernit, quod minus habet moleſtiæ, diutiuſque perdurat. Voluptas corporis aut dolorem tollit antegredientem, aut moleſtiæ, quæ naſcitur ex cupiditate cum vacuitate coniuncta, tamquam medicina quædam naturæ iuſſu medetur: voluptas mentis in ſapiente nullum habet dolorem, nullam moleſtiam, nullam cupiditatem, nullam ignorationem, quæ debeat expleti, præcurrentem. Illa quia non tota ſimul à ſenſu percipitur, ſed aliquid fluxit & non eſt; aliquid expectatur & nondum eſt, cum comitante dolore coniungitur; vt iure γλυκύπικρον eam dicas, quod medicamentum eſt ex abſynthio ac melle compoſitum, quo nomine poetæ ſignant amorem, qui dulcis & amari permiſtione temperatur: hæc quia ſine motu fit, tota ſimul ab animo ſorbetur, neque fuga præteritæ particulæ, neque expectatione futuræ cruciatur. Illa tum finitur, cum res iucunda, quæ obijcitur ſenſui, delectationemque tranſmittit; aut tollitur, aut impeditur ab aliis, aut, quia caduca res eſt,

S.Th.1.2.q.31 ar.5.

Ar.l.1.rhet. c. de compar. maior.& min. boni.

S.Th.1.2.q.31 artic. 5.

Gal.l.3. de ſimpl. medic. facul. cap.16.

ſua

Digitized by Google

rerumque omnium gubernatorem perueſtigandum attollitur. Laudatum ab omnibus video Platonis de homine commentum, quem currui ſimilem cogitatione formabat: huic Rationem pro auriga curſum equorum moderante dabat: pro equis currum trahentibus Appetitum & Iram inferioris animi partis vehementiores affectus tribuebat: qui ſæpe, vt cum damno luctuque videmus in nobis, vel auriga turpiter ex incuria dormitante; vel ex ignauia, naturalis imperij habenas ſponte laxante; vel de manibus eius ac poteſtate per uim atque furorem excutientes, currum per itinera deuia, periculoſa, lubrica, prærupta ſcelerum ac flagitiorum ferunt, trahunt, raptant; ac tranſuerſum præcipitemque in imas valles ſaxis aſperas, rapidis torrentibus metuendas immittunt; vbi miſerabiliter aut lapſu frangitur ac diſſipatur; aut vndis obruitur; cum vitioſus adoleſcens re familiari, valetudine, patria, exiſtimatione, atque amicis amiſſis, ex impotentia perturbationum indomitarum, in quandam miſeriarum omnium voraginem calamitatumque demergitur. Hac naturalium habenarum infirmitate cognita priſci philoſophi, validiores frenos induſtria factos in ora ferocium equorum inijciendos putauerunt; quorum firmitate Ratio dominatum in eos acceptum à Natura retineret; tum pro arbitratu, pro iure, pro modo regeret, frenaret, ac flecteret. Hos frenos virtutes morales eſſe dixerunt, quæ probis, iuſtis, honeſtis actionibus frequentandis acquiruntur. Atque inter Stoicos virtutum ſtudioſiſſimos floruit Epictetus ille paupertate ſingulari, & rerum humanarum deſpicientia, in corruptiſſimo Domitiani ſæculo illuſtris; qui perfectionem humanæ vitæ reuocans ad duo capita *ἀνέχου καὶ ἀπέχου Suſtine & abſtine*; geminos frenos, geminis hiſce non tam equis, quam feris aſſignaſſe prudenter eſt viſus: quorum priore beſtia ferox iræ cohiberetur; poſteriore bellua cupiditatis æque immanis frenaretur. Quis dubitat his virtutum habenis in Rationis poteſtatem traditis, quin illa currus gu-

Plato l. de an. Philo.l.1. alleg. leg. Clem.l.5 ſtrō. Plut.l. de virt. mor. Max. Tyr. ſer. 25. Theod.l.5 de cur. Græc. affect. S. Hier.l.2. adu. Iouin. S. Greg. Nyſſ. l. de anima & reſurr.

Agell.l.19. ca. 19.

bernatrix multo plus ad equos exultantes in officio, rectaque via continendos; atque intra gyrum circumque honeſtatis coercendos poſſit, quàm ſi tam aptis domandæ ferociæ careret adiumentis? Verum aut hæc ſero nimis comparantur, aut comparata non ſunt ſatis; aut à calcitrantibus equis reſpuuntur, & rumpuntur; atque inde ad natiuũ furorem impetumque reditur. Non diſputo nunc de diuinitus immiſſis auxiliis, quæ ſunt nobis ad perturbationes mitigandas regendasque neceſſaria: de remediis humana induſtria comparandis eſt ſermo; inter quæ cum virtutibus honeſtiſſimum habet philoſophia locum. Peritorum aurigarum mos eſt in curru moderando, cum is vel indomitis & intractatis equis ducitur; vel per cliuum è monte deſcendit, ne feratur immoderatius, quàm par eſt, aut in deſcenſu præcipitet; vt firma ſude per alterutras rotas immiſſa ſufflaminetur. Noſtratis huius & humani currus ſufflamen ac retentio præualida, mihi philoſophia naturalis ſemper viſa eſt; cuius ſtudio, curſus eius immoderatus, in ætatis præſertim iuuenilis procliuitate ad prolapſionem, moderate ſuſtinetur; & currus ipſe totus à periculo, caſuque præcipiti conſeruatur. Plato me duxit in hanc cogitationem atque ſpem; cum ex eo didici *philoſophiam meditationem eſſe mortis*. Non ille mortem naturalem intelligebat, ſed moralem: non neceſſariam, ſed voluntariã: non qua corpus ab anima ſeiungitur; ſed qua mens ipſa à corpore ſeparatur. Nam illa vitam eripit, hæc vitium opprimit: illa naturæ vinculum ſoluit, quo corpus animatur; hæc vim retundit appetitus vitioſi, quo carni deſeruit: illa denique hominem trudit in ſepulcrum, hæc eumdem prope facit immortalem. Nec minus nomine meditationis Plato conſiderationem mortis, aut contemplationem notabat, ſed exercitationem atque vſum: is, Platonis ſententia, philoſophiam bene didicit, cui mortem hanc adeo fructuoſam attulit, vt eius ope ſocietatem carnis eiecerit, illecebras voluptatum fugerit, voluptatem omnem tãmquam

Plato l. de an. Ammon. præf. in Porphyr. S. Ambr. l. de fide reſurrect. Macrob. l. 1. c. 13. in ſomn. Scip.

aliquam

aliquam dedecoris labem oppreſſerit, atque ab indulgentia ſenſus, ab obſequio corporis, ab iræ dominatu cupiditatiſque receſſerit. Quatuor habet noſtra philoſophia ſuis in theſauris, per quæ magna hæc & admirabilia præſtat in hominibus. Primum contemplationem ipſam ſimplicem ac nudam rerum: quæ ſi non aliud; mentem, cuius acies in diuerſas ac prope contrarias functiones intenta ſimul eſſe non poteſt, erigit, attollit, atque ad res terreſtres & humanas, è cæleſtium ac nobiliorum conſideratione deſpiciendas inducit. Audite Ciceronem, qui iam hunc primum ſapientiæ fructum guſtauerat in tranquilliſſimo philoſophici ſtudii portu conquieſcens; quò tempeſtate forenſi diu multumque iactatus, è fluctibus publicorum negotiorum, contractis velis auræ popularis fallaciſſimæ plenis, concitato remigio ſe recepit. Is enim de contemplatione Naturæ diſputans, *Erigimur*, inquit, *elatiores fieri videmur: humana deſpicimus, cogitanteſque ſupera atque cæleſtia; hæc noſtra, vt exigua & minima contemnimus*. O præclaram ſententiam! Quàm congruenter veritati, Chriſtianæque religioni ſentiebas M. Tulli! Quis te tam eximiam doctrinam docuit? quis adeo ſublime tuam mentem extulit, vt iſthæc ingenij acie peruideres? Radius aliquis clarioris nobiliorisque lucis diuinitus à cælo demiſſus in animum tuũ, rationis lumen adauxit, vt tanta cum dignitate ſaperes, tanta cum veritate de philoſophia loquerere. Nil mirum, voluptatum aucupes, deliciarum venatores, abdomenique ferulentes, vbi ſe contemplationi dediderint, adamauerintque ſapientiam, moderatiores in voluptatibus captandis fieri: ſuperatum rerum ac cæleſtium contemplatio, pectoribus eorum imprimit rerum vilium, humilium ac lutulentarum contemptionem. Habet deinde philoſophia delectationem illam contemplationis comitem, de qua tam multa diximus; quæ cum dulcedine ſua ſit ſuapte natura potentior, quàm ſenſuum vlla ſuauitas, auocat animũ non obſtinate renuentem à ſordidis fœdiſque corporis

Cic. l. 2. Acad. quæſt.

voluptatibus,ſenſuumque miſera ſeruitute. Tum philoſopho cognitionem ſui ipſius tribuit hæc eadem philoſophia,rem difficillimam, vt Thales;ſuauiſsimam, vt Ariſtoteles;optimam,vt omnes docuerunt. Vulgatum eſt hiſtoriis veterum ac libris, à Thalete ne, an à Chilone? fuiſſe pronuntiatum pulcherrimum illud, ab omnibus certatim laudibus cumulatum, de ſua ipſius cognitione præceptum γνῶθι σεαυτὸν: cuius tanta vis, tantaque ſententia viſa eſt ſapientibus Græcis illius æui, vt Delphis loco celeberrimo totius Græciæ,pro foribus tēpli Apollinis,aureis litteris inſcribendum iudicarent: rati maiorem auctoritatem apud homines ad ſe introſpiciendos habiturum, ſi profectum à Pythio Deo potius,quàm ab homine mortali,quamquam ſapientiſsimo,putaretur. Neque vero doctrina hæc ſalutaris Græciæ finibus ſe continuit:permanauit ad barbaros, peruaſit remotiſſimos populos, imbuit Brachmanas Indorum ſapientes, quorum princeps Hiarchas Apollonio Tyaneo teſtificatus eſt, neminem ad illam reconditiorem philoſophiam admitti,qui non ante ſe nouerit. Cum autem ſe noſſe,ſit auctore M.Tullio,noſſe animum,qui tenet in homine principatum;vt ego cum aliis prudentibus viris arbitror,noſſe animum pariter & corpus animi domiciliū: quis non videt hanc cognitionem noſtri,ſi non in totum à philoſophia naturali,magna ſaltem ex parte deriuari? Diſciplina hæc originem animi inueſtigat;extrinſecus in corpus influere docet;immortalitatem probat; diuinum quid habere fatetur;liberum, ſui iuris,ſuarumque actionum dominum agnoſcit. Hęc eadem cogitatione, & ſi ſit opus, manu,ſecat in partes, digerit in principia corpus humanū animi tabernaculum,imaginis diuinæ templum,tanto Naturæ artificio fabricatum, expolitum, exornatum, vt Ariſtoteles, Cicero, Galenus ceterique philoſophi ac medici: vt Baſilius, Ambroſius, Nyſſenus, Theodoretus atque alii Theologi omnes in ipſius conſideratione propemodum obſtupeſcant: & Galenus in primis in religioſiſsimas excla-

Auſ. in lud. 7. Sap.
Ar. l. 2. magn. mor. cap. 18.
Diog. l. 1. in Thal.
Pl. l. 7. cap. 32.
Plato in Alcib.
Cic. l. 1. de leg. & l. 5. de fin.
Iuuen. ſat. 11.
Plut. l. adu. Colot.
Philoſtr. l. 3. c. 6. de vita Apollon.
Cic. l. 1. Tuſc.
Philo l. de opif.
Gal. l. 13. de vſu part. c. 11.

mationes;

mationes, diuinæque ſapientiæ laudes erumpens, identi-
dem appellare non dubitat diuinum corpus noſtrum, quòd
animo diuinitatis participi non eſſe poſſit accommoda-
tius: non veretur affirmare tantam eſſe Dei ſummi artifi-
cis ſapientiam in collocatione pedis in corpore, quanta eſt *Gal.l.3 de vſu*
in poſitione ſolis in mundo: nec minoris artis atque admi- *part.cap.10.*
rabilitatis eſſe fabricationem oculi in capite, quàm ſolis
17 eiuſdem ſtellarum principis in cœlo. Significat eadem
philoſophia mundum vniuerſum ab effectore Deo pro-
creatum hominis gratia: conuerti perpetuo cælum; ſtatis
curſibus ire redireque ſolem, ſidera currendo lucere; mo-
ueri quaquauerſus elementa; res omnes ſimplices, miſtas,
ſaxa, metalla, gemmas, medicamenta, plantas, arbores, cu-
iuſque generis animantes in vnius hominis commodum
generari. Cum igitur in hac rerum magnificentia poſitus
homo, atque in hoc conſpectu & cognitione Naturæ lo-
catus ſe ipſe proſpexerit, totumque tentauerit, & ſenſerit
aliquid in ſe habere diuinum: intellexerit quemadmodum
à Natura ſubornatus in vitam venerit; quantaque inſtru- *Ar.l.2.de par.*
menta habeat ingenium, memoriam, ſenſus, ad obtinen- *an.cap.10.*
dam ſapientiam; ſe non vnis circumdatum mœnibus po-
pularem alicuius loci, ſed ciuem totius mundi quaſi vnius
vrbis agnouerit: denique peruiderit cum veritate congru-
re magnificas illas philoſophorum de homine voces; illũ, *Ar.l.4. de par*
animal eſſe diuinum: magni Dei ſimulacrum; paruum mũ- *an.cap.10.*
dum, audaciſſimæ naturæ miraculum; mortalem ac terre- *Gal.l. 1.de vſu*
ſtrem Deum; vicaria Dei poteſtate dominum omnium *part.cap.2.* *Manil.l.4.*
procreatarum rerum: cum, inquam, hæc omnia naturæ *Zoroaſt.in ora*
ſpeculatot intellexerit; niſi truncus ſit, aut ſtipes, aut ſtupi- *culis.*
dus; quàm contemnet, quàm deſpiciet, quàm pro nihilo du- *orat. 10.n.25.*
cet ea, quæ vulgo ducuntur ampliſſima? Hic in tam celſo
dignitatis gradu Dei beneficio locatus, ſentiat, dicat, faciat
aliquid tantis diuinis muneribus indignum? Qui ſibi res
omnes, vtique ſe viliores, Dei nutu ſubiectas parere ac
ſeruire videt; iiſdem ipſe demens ſponte ſua, conquiren-

dis

dis voluptatibus,miſerrimo ſeruitutis genere ſe ſubijciet?
Erigit hominem , erigit è tanta vilitate,turpitudine, fœditate naturalis philoſophia , cum generis humani dignitatem illi obijciens , in ſui notitiam cognitionemque deducit.Poſtremo nos attollit ad altiora contemplatio Naturæ: 18
perducit mentem noſtram ad Deum vſque mundi creatorem ac Rectorem cognoſcendum ; cuius cognitio ad bene beateque viuendum adeo neceſſaria eſt, vt ſine tanto bo-
Aug. Eugub.l. 10. de peren. Philoſ.c.9. & 11. no numquam beati eſſe poſſimus. Non latuit veteres philoſophos;qui finem omnis philoſophiæ contemplationem & cognitionem eſſe definiebant;vel Vnitatis,vt Pythago-
Lib.9 cap.8. ras loquebatur; vel Principis omnium principiorum , vt
Cic.1.Tuſc. Architas ; vel Naturæ intelligentis ac ſempiternæ , vt Plutarchus;vel diuinæ Maieſtatis vt Simplicius. Tum hominem in hoc Mundo collocatum , tamquam in theatro rerum omnium exiſtimabant ; vt contemplator tot diuinorum operum,ex ijs effectorem ac moderatorem cognoſceret,laudaret, veneraretur . Quod & noſtri confirmarunt,
Philo l.de opif. cum addiderunt ob hanc cauſſam poſtremo loco in hoc
S.Nyſſ.l.de opif.hom.cap.2. theatro procreatum . Theologorum quoque communis è diuinis libris deriuata ſententia eſt , res procreatas quædam eſſe veſtigia,quæ Deus eas procreans, tamquam præ-
S.Th.1.p.q 45 ar.7. teriens pedibus infinitæ poteſtatis impreſſit in nihilo . Per eadem naturæ contemplator quaſi venaticus canis ſenſuũ acumine, ſagacitate mentis odorando progrediens, metiendo , ratiocinando , inferendo reperit Deum earum auctorem,ac latentem licet in ſuæ diuinitatis lumine , deprehendit . Non quidem omnes perfectiones Dei,quas nobis oracula diuina patefecerunt , hic diligens venator hac inueſtigatione colligit;ex ea tamen tum Deum in natura rerum ineſſe; tum earum architectum molitorem atque opificem fuiſſe; tum ijſdem vniuerſis ac ſingulis præſidentem prouidere ; tum denique immenſæ virtutis atque infinitæ poteſtatis eſſe,poteſt inueſtigator idem intelligere. Nam ſi
Agell.l.1. c. 1. Pythagoras Italicæ philoſophiæ maximus ſplendor tot lau-

dibus

dibus commendatur, quòd ex Olympico ſtadio ſexcentorum pedum, quod Hercules ſuis plantis fuerat aliquando metatus; corporis eius magnitudinem ingenii quaſi decempeda metator bonus comprehendit; docuitque præterea ratiocinator item optimus, ſymmetriæ naturalis corporum humanorum habita ratione, quanto eſſet aliis hominibus ille procerior: naturæ ſpeculator, & rerum, vt ita dicam, accuratus decempedator, non ex ipſis, Dei parentis omnium immenſam colliget infinitatem? Sed quid ego rationibus probo id fieri poſſe, quod conſtat Ariſtotelem ſagaciſſimo ingenio præſtitiſſe? Qui, vt loco ſuo copioſe demonſtrabitur, è motu potiſſimum cæli ſempiterno, primam rerum cauſſam inuenit, & infinitæ virtutis eſſe comperit, tum verbis Homericis vſus, vnum principem mundo præeſſe confitetur. *Ar. l. 8. phyſ. l. 12. met. t. 55.* Cicero quoque Platonem Ariſtotelemque ſecutus ingenii ſui bonitate naturam contemplãs, iiſdem veſtigiis indagat, reperit, probat Deum eſſe parentem, ædificatorem, atque adminiſtratorem huius perfectiſſimi pulcherrimique Mundi; *Cic. l. 1. & 2. de nat. Deor. Philo l. 2. allegoriar. leg.* quem tot orbes circumplectuntur; tot ſidera illuminant; tot motus contrarii, diſpares, recti, tranſuerſi temperant; tot rerum genera complent; tanta varietas exornat, tantus ordo concinnat; quem denique dierum noctiumque viciſſitudines; quadripartitæ commutationes temporum; perennisque ſingularum rerum, aliarum ex aliis, ortus interitusque perpetuat. Quod ſi primum videres horologium, qualia nunc habemus multis imparibus magnitudine rotis ferreis inſtructum, quæ nexæ inter ſe geminis ponderibus omnes conuertuntur; aut, quod erat opus mirabilius ac iucundius viſu; ſi ſphærã ab Archimede ſcientiſſimo mirabilium rerum machinatore, Naturæque feliciſsimo imitatore conſpiceres; quæ cælum orbium numero ac forma; ſidera lumine ac motu, mundumque omnem è caduca materia fictum occulto motionis ac uolubilitatis principio referebat: nonne optares atque ſtuderes noſſe diligenter quæ uis, quis impetus, *Cic l. 1. Tuſc. l 2. de nat. Deor. Sext. Empir. l. 8 c. An ſint Dij. Or. 14. n. 6.*

quæ

quæ machina paruum illum mundum verſaret ac cieret? vnde principium motus duceretur? Quæ manus artifex tot res, tam varias, tam ſapienter in exiguum globum incluſiſſet? Nonne tandem ratiocinando conficeres argumẽtatione neceſſaria, mentem ſapientiſsimi alicuius architecti tam mirabilis operis inuentricem extitiſſe, in quo tarditate ac celeritate diſsimillimos motus regeret vna conuerſio? Quod faceres in ſphæra perexigua, non potiore iure facies in mundo; vbi non humana ficti orbes arte vertuntur, ſed diuina: non plumbeis ponderibus, ſed Naturæ momentis ſuas in ſedes omnia deferuntur: non ærugine, non vſu, non vetuſtate cęli rotæ conſumuntur, ſed ex eo die, quo ſunt factæ, mouerique cœptæ, neutiquam vitiatæ in hunc vſque diem ſeruantur incolumes? Non inferes indagatrice mente tanti operis auctorem, & conſeruatorem, eſſe videlicet aliquẽ, eumq; non eſſe poſſe niſi diuinũ?
Satis multa diximus de philoſophiæ ſpeculatricis vtilitate, 19
quã eius ſtudioſi capiunt, cũ à viliſsimis rebus, ad ſui Deiq; cognitionem attolluntur: mitto reliqua, quę paraueram, etiam illud non ſpernendũ; prodeſſe mẽti ad doctrinas omnes adipiſcendas. Quis enim prima Geneſis capita, Iobi librum, difficillimos pſalmorum locos ſine ſcientia rerum naturalium intelliget? Quis Theologię diſputatrici fructuoſe dabit operam, ſine cognitione naturæ? Quis animę
Ar. l. 1. eth ca. 13. cognitione vacuus, & eius partium, facultatum, affectuum, moralem philoſophiam plene percipiet? Idem iudicium facite de aſtrologia, quę naturę cęli, quę motus, quæ luminis notitiam à phyſicis accipit: idem de muſica, quę quid ſit ſonus, ac vox, quomodo formetur in ore, feratur in aere, recipiatur in aure docenda eſt à venatore naturę: idem de reliquis diſciplinis atque artibus, quę quot à naturali doctrina commoda accipiant, uos ipſi, Iuuenes, ex hac hora, ſi ſtudioſe animum aduerteris, fatebimini. Corporis quoque vtilitatem paucis expedio, quam nobis prębet in medicina: quę qua ratione corporibus adhibere medicamenta

com-

Digitized by Google

commode poteſt, ſine corporis humani cognitione? quo
modo curare oculum, ſi oculi naturam & conſtructionem
ignoret? Itaque prudentiores medicinæ ſtudioſi non attin-
gunt ante medicinam, quàm naturalem ſcientiam ſibi ſtu- *Ar. l. 1. eth. ca. 13 l. de ſenſu & ſenſ. c. 1.*
dio compararint; exemplo principum in hac arte Hippo-
cratis, Galeni, & Auicennæ; qui non minus in naturali ſciē-
tia, quàm in morborum & medicamentorum cognitione
2 fuerunt inſignes. Ad poſtremum vtilitatis caput venio,
quod res externas continebat. Suppudet me dicere ma-
gni nominis philoſophos magna mercede ſolere conduci
ad rerum naturalium ſcientiam tradendam in publicis
gymnaſiis; quod cum doctorem honeſtat inſigniter, tum
vero rem auget familiarem; atque extenuat illam opina-
tionem multorum, ſcientia iuris tantum, & medicina eru-
ditos homines poſſe ditari. Thaleti Mileſio ſapientiſſimo
philoſopho fuit aliquando tamquam probrum obiectum, *Ar. l. 1. polit. cap. 7.*
inutilem eſſe ſcientiam naturalem, quam profitebatur. *Cic. l. 1. de diuin.*
Aegre tulit ille, non ſibi, ſed nobiliſſimæ ſcientiæ contu-
meliam imponi; quam non verbo, ſed facto repulit admi-
1 rabilem in modum oſtendens philoſophum, ſi ei commo-
dum ſit, pecuniam facere poſſe. Nam præuidens ex ijs, quæ
in contemplatione naturæ obſeruauerat, eo anno futuram
oliuarum magnam vbertatem, aliquantum pecuniæ con-
traxit; tum antequam oleæ florere cœpiſſent, in omnibus
circa ſe vrbibus atque inſulis, arrhabone dato, quidquid
erat in arboribus olei paruo pretio coemit. Non illum con-
iectura, non prouiſio fefellit; magnam vim olei tulit annus:
quod cum ipſe per emptionem totum haberet in poteſta-
te, concurrentibus, vt aſſolet, emptoribus tanti vendidit,
quanti voluit; atque ex eo maximum pecuniæ numerum
atque aceruum collegit; quem oſtendens amicis, *facile*,
inquit, *philoſophis eſt ditari, ſi velint; ſed hoc non eſt illis cu-
ræ, qui pecunijs anteponunt amorem ſapientiæ*, & intelligūt
eam eſſe non propter diuitias, ſed propter ſe ipſam expe-
tendam. Nec vero hæc iactatio verborum ab arrogantia

Pl.l.2.c. 12. *Cic.l.1. de diuin.*

profecta putetur: nam is tantum prædictionis facultate valuit ex obſeruatione Naturæ, vt balbutiente adhuc philoſophia, primus omnium in Græcia defectum ſolis, qui ſub Aſtiage rege factus eſt, ſuis ciuibus prænunciauerit. Laudabilior tamen Democritus, qui eiuſdem olei præuiſa inopia,

Pl.l.18.c.28.

fecit idem quod Thales; ſed vt apparuit emendi cauſſa; vt patuit ingens cumulus diuitiarum, anxiis dominis pretium reſtituit, contentus ita probaſſe opes ſibi, cum vellet, in facili fore. 2

Nihilo minor ambobus Anaxagoras fuit in futurorum euentuum naturalium præſenſione, vnde rem familiarem in immenſum augere potuiſſet: qui penulatus aliquando, ſereno cælo, nullam pluuiæ ſuſpicionem

Philoſtr.l. 1. c. 2. de vita Apoll.

aut ſignificationem præferente, proceſſit in Olympia, mirantibus ſubridentibusque nonnullis: nec ita multo poſt ingens pluuia delapſa præter opinionem expectationemque omnium, oſtendit illum plus ceteris conuenis mentis oculo peruidiſſe. Domum item omnium opinione firmiſſimam, breui ruituram; diem clariſſimum repente in noctem verſum iri; lapidem ex aere in Aegen fluuium lapſurum; & eiuſce generis alia multa prædixit.

Cic.l.1. de nat. Deor. *Orat.5.n.10.*

21 Natus eſt homo non ad domeſticam tantum, ſed etiam ad ciuilem ſocietatem, quæ vel in pacis otio quieſcit ac floret, vel in belli labore ac periculis exercetur. Neminem repugnaturū arbitror, cum dixero philoſophos naturales Ciuitatibus ac Rebuſp. otij tempore profuiſſe ſemper, ſemperque in poſterum profuturos. Etenim erudiunt iucunda & ſanequam honeſta doctrina iuuentutem otioſam: præparant multorum animos ad medicinam capeſſendam, quæ Ciuitatibus eſt plane ſalutaris: quam vtilitatem Democritus ac Thales rei familiari priuatam attulerunt; vniuerſæ Ciuitati publicam afferre poſſunt; frugum ceterarumque rerum humano victui neceſſariarū inopia præuidenda; cui minuendæ

Plut.l.adu.Colotem.

tempeſtiua gubernatorum occurrat diligentia. Cuius nam beneficio Empedocles patriam ſuam, regionemque omnē atque tractum eius, tum lue, tum ſterilitate liberauit; niſi phi-

philoſophiæ naturalis, cum montis ſpecubus oppilatis, vn-
de peſtilentiſſimus auſter afflabatur, fertilitatem agris, ſa-
lubritatem cęlo patrio, ſanitatem vrbi ſalutemque reſti-
tuit? Cuius ope ciues ſuos Athenienſes Pericles repentina
ſolis defectione deterritos, eam à Cæleſtibus calamitatum *Val. Max. l. 8.*
extremarum, & interitus denunciationem exiſtimantes, *cap. 11. Quin. l. 1. c. 10.*
ad animi tranquillitatem priſtinam fortitudinemque reuo-
cauit, niſi præceptoris Anaxagoræ doctrina; cum in con-
cionem aſcendens, quæ ab eo de ſolis lunæque motu, lu-
mine, vmbra, congreſſu, defectuque didicerat copioſe diſ-
ſerens, omnem in eorum pectoribus trepidationem ſeda-
22 uit terroremque diſcuſſit? Qui Lacedæmonios à Chilone;
Rhodios à Cleobulo; Mitylenæos à Pittaco; Ionios à Bian- *Ael. l. 3. var. hiſt. cap. 17.*
te & Thalete philoſophis è ſeptem illorum nobiliſſimorū
numero maxima accepiſſe præſidia, commoda & adiumē-
ta ſcripſerunt: vtinam qualia nam illa fuerint expreſſiſſent:
næ planiſſime nos intelligeremus, quod probare inſtitui,
philoſophiam naturalem eſſe fructuoſiſſimam Ciuitatibus.
Nihil eſt, quod probem beneficos eos philoſophos in pa-
triam fuiſſe, qui vel euerſam ab hoſtibus in integrum ope-
ra ſua laboribusque reſtituerunt, vt Stagiram Ariſtoteles: *Plut. l. adu. Colot.*
vel à tyrannis oppreſſam induſtria ſua conatibusque vin-
dicauerunt, vt Ereſſum Theophraſtus: vel optimis legibus
à ſe conditis temperauerunt, vt Parmenides. Quantum il-
lud eſt per diſcipulos aliorum Remp. ordinare ac mode-
rari? Fecit id Plato, qui per Ariſtonymum Ciuitatem Ar-
cadum; per Phormionem Eliorum; per Menedemum Pyr-
rhæorum conſtituit moribus legibusque ſtabiliuit. Quot
philoſophi Ciuitatibus leges ſaluberrimas iuſtiſſimasque
præſcripſerunt, quarum præſidio feliciter diu ſe rexerunt?
Athenienſibus Solon, qui fuit inter ſeptem æui ſui notos
ſapientia numeratus; Spartanis Lycurgus, qui numero illi *L. Sen. ep. 90.*
venerando, ſi tuliſſet eum eadem ætas, octauus acceſſiſſet: *Plut. l. adu. Colot.*
Stagiritis Ariſtoteles, quem non modo Naturæ vniuerſæ *Ael. l. 3. var.*
ſpectatorem, ſed & interpretem nouimus omnes è ſchola *hiſt. cap. 17.*

Ar.l.2.pol.ca.10. Platonis extitiſſe: Eudoxus Cnidiis, Zaleucus Locrenſibus,
ac Thuriis; Charondas Catanenſibus ac Rheginis; qui non
L.Sen.ep.90. *Athen.l.10.c.9.l.11 cap.22.* in foro, non in atrio conſultorum, ſed in Pythagoræ tacito
illo ſanctoque ſeceſſu didicerunt iura, quæ florenti Siciliæ
Laer.l.3.in Pythag. imponerent, & per Italiam Græciæ diſpertirent. Mitto ur-
Cic.l.2. de leg. bes à philoſophis artium omnium inuentoribus exorna-
tas mirabilibus inuentis, & auctas: prætereo Ciuitates ſa-
pienter ab ijſdem, iuſtoque imperio gubernatas; vt de vti-
litate, quam Reſp. in militari diſciplina, bellicisque pericu-
lis à philoſophia naturali ſemper hauſit, diſputemus. Vel- 23
lem, Auditores, à vobis attente perlegi Iulium Frontinum,
Fl. Vegetium & alios nobiles ſcriptores eorum pares; qui
de induſtria militari ſcripſerunt, artesque bellicas vitandi
fallendique hoſtis collegerunt; vellem præſtantiſſimos
quoſque hiſtoricos Græcos Latinosque cum magna ob-
ſeruatione animi volutari; vt intelligatis quàm ſæpe, quàm
valde, ductoribus exercituum, claſsiumque præfectis, terra
marique, rerum naturalium tum cognitio profuerit, tum
nocuerit ignoratio. Machinarum in primis inuentio & fa-
bricatio maxime proficiſcitur à philoſophia naturali; ſiue
illæ fuerint catapultę ſaxis ingentibus iaciendis, arietes
mœnibus concutiendis: & alia tormenta turribus euerten-
Orat.3.n.27. dis inſtituta: ſiue Archimedis & Procli ſpecula ita tempe-
Orat.14.n.12. rata, vt oppoſita ſoli coeuntibus radijs in vnum, vbicumq;
apex coni, ſeu reflexi fulgoris acies attigiſſet; vel in hoſtiũ
nauibus incendium excitarent: ſiue poſteriorum ſęculorũ
bombardę, conitruorum, fulgurum ac fulminum ſimul imi-
tatrices horribiles: ſiue denique puluis ille, qui in cuniculis
intruſus atque incluſus, ubi conceperit ignem, non muros
ac turres modo, ſed & integras arces, ac montes reuellit à
fundamentis, atque impetu, fragore, celeritateque maiore,
quàm Aetna lapides ſuos vomit atque eructat, in aerem
iaculatur. At eas machinas nullius hominis neque uis, ne-
que ingenium, neque ars, neque induſtria, neque manus
moliri potuit, aut perficere poteſt; niſi elementorum, ignis

&

& aeris potiſſimum; niſi motus, vacui, ponderum, grauitatis, vectis, ceterarumque rerum ad eiuſcemodi machinationes neceſſariarum, naturam, vim, impetum cognitum plane habuerit, atque perſpectum. Iuuit hæc ſcientia naturalis Paullum Aemilium in magna totius exercitus ſiti, *Plut. in Paullo* cum è viriditate mentis Olympi, propter quem caſtra locauerat, coniecit aquas, ſi fodicaretur, profluenter eſſe daturum: tum è volatu multarum auium è proxima ſilua, latere copias hoſtium in inſidiis. Iuuit C. Cæſarem eadem *Front. l. 1. Arat cap. 2.* cognitio, cum Rheno maximo flumini tam celeriter ligneum põtem, cuius artificium nunquam deſinet admirari poſteritas impoſuit; quo vltro citroque incolumem trãſ- *C. Cæſ. l. 4. com. de bello Gall.* portauit exercitum. Iuuit Hirtium Conſulem, cum ad Brutum Mutinæ obſeſſum à M. Antonio, per columbas fame *Orat. 1. n. 19.* affectas, ſubinde litteras vel ad collum, vel ſub alis colligatas transmittebat.

24 Quid in eligendo ad pugnam loco, prælioque committendo? Bellandi peritiſſimus Annibal apud *Front. l. 2. c. 2.* Cannas, cum comperiſſet è Vulturni valle mane ventum ingentem erumpere, ſic inſtruxit aciem, vt tota vis venti puluerem prælio excitatum in ora atque oculos Romanorum inferret. Pompeius Magnus noctu prouocans ad pugnam Mithridatem, ſic aciem conſtituit vt aduerſa luna *Idem l. 2. c. 1.* perſtringeret oculos hoſtium, ſuis autem illuſtrem hoſtem conſpicuumque præberet. Hos imitata Chriſtianorum

25 claſſis quartodecimo ab hinc anno ita ventum auerſum excepit, qui flabat ab occidente, vt in Turcorum oculos bombardarum ſcloporumque fumum omnem importans, collineandi facultatem barbaris hoſtibus eriperet. Quoties accidit milites, vel in acie conſtitutos, vel paullo ante pugnam magnorum periculorum, & futuræ alicuius calamitatis concipere metum, ex inſolita re, quæ repente tamquam prodigium appareat, cadere animis, quòd ignorata cauſſa putent oſtentum ad ſe ſuumque bellum pertinere: qui per Ducem ac tribunos rerum naturalium gnaros ab ea formidine liberantur; atque ad alacritatem priſtinam

reuo-

Digitized by Google

Front.l.1.cap. 12.

reuocati fortiter, feliciterque prœliantur. Ex eorum ducum numero fuit Pericles Anaxagoræ diſciplina pereruditus; qui, cum in caſtra fulmen decidens ſuperſtitioſos milites terruiſſet, aduocata concione, lapidibus in conſpectu omnium colliſis ignem excuſſit; & docens eodem modo nubium attritu fulmen exiſtere turbatum, & plus æquo metuentem exercitum explicata fulminis ratione ſedauit.

Val Max.l.8. cap.11.
Pl.l.2.cap. 12.
Quin.l.1.c.10.
Front.l.1.c.12

Nec minor fuit in ſimili trepidatione felicitas L. Sulpitij Galli tribuni militum, in Paulli Aemilij præſtantiſſimi Ducis exercitu. Nam nocte illa, quæ victoriam de Perſe Rege Macedonum anteceſſit, horribilem in modum luna luminis paſſa defectionem, tamquam immane portentum Romanos milites armorum peritiores, quàm ſiderum, ingenti metu perterruit. Tum Sulpitius phyſicorum non expers, Imperatoris iuſſu concionem aſcendit; de ſiderum eclipſibus diſſerit; exponit qua ratione luna in globi terreſtris vmbram incurrerit; docet ad rerum naturam, non ad ipſos eã rem pertinere; non Deorum aliquam calamitatem præmonſtrantium voluntate, ſed concurſu neceſſario cæleſtiũ orbium extitiſſe: parent ipſi ſeſe ad pugnam, exacuant gladios, ſumant animos, victores fore de rege opulentiſſimo, ſi ſuas quiſque partes tueatur. Nec vana prædictio Sulpitij: poſtera luce, tanta pugnatum eſt ab omnibus fortitudine, vt glorioſam victoriam, hoſtium exercitu profligato, rege capto, regnoque occupato reportarint.

Pl.l.2.cap.12.
Quin.l.1.c 10.
Plut.in Nicia, & l.de ſuperſtit.

Atque huius phyſiologiæ quantum cognitio Romanis profuit; tantum ignoratio nocuit Athenienſibus; qui Nicia Duce Syracuſas terra marique obſidebant. 25 Nam cum è portu claſſis educenda eſſet, tum ne ab hoſtili intercluderetur; tum vt in lato mari poſſet in aciem ad pugnam explicari; Nicias Lunæ defectum ignotum ſibi metuens vt portentoſum, claſſem in portu continens Athenienſium opes ac vires miſerabiliter afflixit. At dicet quiſpiam hoc loco: Nihil eſt quod toties in eclipſi lunæ exultet oratio tua: nota res eſt iam ruſticis, pueris, omnibus: nemo terretur neque lunæ, neque

ſolis

ſolis deficientis aſpectu: nemo cauſſam vtriuſque obſcurationis neſcit. Vera loqueris: nihil horum nego, nihil reprehendo. Sed vt intelligatis Auditores, prodeſſe militibus hæc arma doctrinæ naturalis in promptu habere ſemper: audite rem mirabilem multis veſtrum inauditam. Octoginta plane ſunt anni cum Chriſtophorus Columbus Ligur; qui alterum propemodum terrarum orbem paucis ante annis induſtria ſua ſcientiaque nauigandi repertum, auri, argenti, ſmaragdorũ, margaritarũ, medicamentorũ ſalubertimorũ, & aliarũ mille rerũ, quas vetus noſter orbis non viderat, feraciſſimum, Caſtellæ regibus comparauerat: per eadem maria nauibus excurrens naufragium fecit. Ex eo nudus, inermis, rebus omnibus egentiſſimus cum aliquot commilitonibus euadens, in barbarorum littus natando tandem arrepſerat: vbi crudeliſſimorum hominum in poteſtatem redactus, non niſi mortem ac cædem expectabat, vt in epulas anthropophagorum ac delicias in fruſta diſcerperetur. Hic, vt in extremis neceſſitatibus fieri ſolet, ingenioſior factus omnia cogitatione verſans, ad philoſophiam conuertit animum: ab ea ſecundum Deum petit auxilium: corripit ea tela, quæ ſemper ad manum habere, dicebam eſſe ſalutare. Nam recordatus nocte ſequenti lunæ defectionem fore: ſiue per ſe ipſe linguam barbarorum callens; ſiue per interpretem quem ſecum ducebat, agit cum feris illis hominibus de ſua ſuorumque ſalute; poſcit audacter omnia ſibi neceſſaria; minitatur, ni pareant, extremam regionis gentiſque ruinam: ſeque facturum vt, vel flammis è cælo immiſsis concrementur; vel omnes ſæua lue deleãtur: vel diſcedente terra magnis hiatibus abſorbeantur. Ac ne verba vana putent ne minas inanes; addit ſe iuſsiſſe lunam, cum maxime lucebit proxima nocte, nigrore horrendo tegi in ſuæ poteſtatis argumentum: vigilet, attendant, obſeruent: viſuros ſe nocturni ſideris obſcuritatem miſeriarum prænunciam. Luna prædicto tempore deficit; obſtupeſcunt incolæ: terrore manſuefacti deponunt natiuam

Arb. Ortel. in theatro. §. Nouus orbis.

Ferd. columb. in vita patris cap. 104.

feritatem; imperata faciunt Chriſtophori tamquam diuini cuiuſdam hominis, qui poſsit Cæleſtibus imperare. O vim cæleſtem philoſophiæ, quæ barbaros ex immanibus facit humanos; & ſui ſtudioſos è mediis periculis ereptos in tuto ſaluos atque incolumes locat. Qua duce putatis ab hoc alterius mundi inuentore nouum vt vocant orbem fuiſſe repertum, niſi contemplatione cognitioneque naturæ? Quibus alis in remotiſsimas ab Europa regiones ſolis vias ſecutum volaſſe exiſtimatis hunc celerrimum Columbum qui religioni veræ, & humanitati viam ad illas cæcas, & feras gentes aperuit? Mente ſcilicet ac philoſophia. Per hanc naturalem ſcientiam, huius acutiſsimi viri mens æmula ſolis, & indagatrix arcanorum effecit; vt, mirantibus doctiſsimis hominibus de hac inuentione terrarum vltimarum, quas vaſtiſsimus circumfundit Oceanus, vaticinatus eſſe videatur ille poeta; qui neſcio quo, vel afflatus ſpiritu, vel incitatus furore, vel illuſtratus lumine futura præſentiens, fortuito manus impetu tot ante ſæculis exarauit hanc prædictionem:

Orat. 3. n. 4.

Sen. in Med. choro act. 2.

Venient annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus; Tiphyſque nouos
Detegat orbes; nec ſit terris
Vltima Thule.

Notauerat diligenter hic naturæ ſpeculator quotannis; ſtatis temporibus ab occidente per Oceanum eteſiarum more, diuturnos ventos in orientem deferri: collegit inde vel ingentes inſulas, vel immenſos terrarum tractus Hiſpanienſibus litoribus ſolem obeuntem ſpectantibus eſſe obiectos è regione, ubi tanta uis uentorum gigneretur. Non eum ſpes, non coniectura, non philoſophia fefellit: duodequadraginta dierum ſecunda & veloci nauigatione felicior, hic Tiphys reperit inſulas, & continentem conuerſa littorum fronte ad orientem; tot in eis nationes, tot vrbes, tot

regiones

regiones Hiſpanis patefecit, ut merito iam orbi noſtro, proauis cognito magnitudine propemodum hic nouus æquetur; tot opes ac diuitias iiſdem aperuit, vt tametſi per nonaginta, & amplius annos euehuntur inde maximis claſsibus, & in Hiſpaniam continenter Europamque perferuntur; numquam tamen venæ illæ perennes, ac fontes
26 earum exhauriri poſſe uideantur. Ex quo poteſtis inferre nauigationem ſiue mercaturæ cauſſa, ſiue belli, cognitione rerum naturalium niti ac perfici vniuerſam. Lunæ, ſolis, ceterorumque ſiderum; eorumque motuum, acceſſus, ac receſſus cognitio neceſſaria eſt: maris, fretorum, euriporũ, maritimorum æſtuum natura penitus nauigaturo debet eſſe perſpecta: magnetis vires, ventorum originem, tempeſtatum cauſſas magiſtro nauis, claſſisque præfecto notas eſſe oportet: quorum omnium ignoratio tot claſſibus graues ruinas, ac belli ducibus amiſſionem, & dedecus attulit, quot peperit ſcientia decus ſalutem, & victoriam. Has ob cauſſas Græci veteres illi, qui ſapientiores in Ciuitatibus gubernandis habiti ſunt, aut philoſophos exercitibus claſſibusque præfecerunt, Meliſſum, Architam, Socratem, *Ael. l. 3. var. hiſt. c. 17. & l. 7. cap. 14.* Platonem, Xenophontem, Dionem; qui proſpero euentu declararunt, quantum adiumenti philoſophia bellis gerendis afferret: aut fortibus viris; quos philoſophia naturalis doctrina ſua ſub optimis philoſophis inſtruxiſſet, quales fuerunt Pericles, Epaminondas, Phocion, Ariſtides; copias, claſſes, bellum adminiſtrandum crediderunt. Satis multa, Iuuenes, de vtilitate diſputata ſunt: quod reſtat caput de honeſtate ac dignitate philoſophiæ naturalis, quod integram horam ſibi depoſcit propter amplitudinem argumenti, ne longius faciam, in annum inſequentem, qui erit
27 laboris noſtri tertius, cum veſtra bona venia differatur. Interim à vobis, Auditores mei, non tam vt beneficium peto, quàm vt debitum exigo tamquam doctor veſtri progreſſus cupidiſſimus, quod anno ſuperiore, hoc ipſo die tertio nonarum nouembrium requirebam à vobis; diligen-

tiam cum amore philoſophiæ coniunctam in ſtudendo. Pertrahat vos ad amorem huius nobiliſſimæ ſcientiæ, tanta iucunditas, quantam audiuiſtis in principio; quam diligentia vobis ſubinde propinabit: incitet vos ad diligētiam adhibendam vtilitas maxima; poſtrema orationis parte propoſita, quæ delectationem, in hoc philoſophiæ ſole, vt corpus vmbra ſubſequetur. Cur veteres Amoris ſtatuam locabant in omnibus artium ingenuarum, diſciplinarumque gymnaſiis; etiam Athenis, quæ Ciuitas, vt quondam inuentrix fuerat doctrinarum, ita poſtea decori magiſtra, cultrix bonorum morum, & modeſtiæ præceptrix eſt habita; niſi vt auditores ſtudioſi comparandæ ſapientiæ monerentur, non modo veritatis amorem in ſcholis cordi eſſe oportere diſcentibus; ſed etiam, idque potiſſimum, Amorem doctrinæ, quæ diſcitur, optimum eſſe magiſtrum eius addiſcendæ? Conatus, labor, ſudor, vigiliæ, conſtantia, diligentia, ſtudendi denique aſſiduitas amorem tamquam parentem ſuum comitantur; omnes difficultates vincentem, nullas defatigationis moleſtias laſſitudiniſque ſentientem. De veſtra præteriti anni diligentia minime queror: continuationem & perſeuerantiam exopto; metuens ne remittatur in poſterum: timoremque hunc meum duæ res creant, & non mediocriter fouent. Altera res eſt ætas adoleſcens, veſtra paullo grandior, amans ſuapte natura libertatis; & autumnali ceſſatione ſtudendi liberior ad penſum ſtudendi regreſſa; quam, vereor quotidie magis ac magis, ne qua malarum rerum inuadat induſtria: quæ bonitatem ingenii reuocatam à ſtudiis liberalibus, pernicioſum in aliquem vſum ſtudiumque detorqueat. Timeo ne vitiata natura blandimentis, quæ nobis ingenuit, ad turpiſsimam aliquam voluptatem aucupandam rapiat: ne ſenſuum oblectamenta, quæ paſsim ſeſe obijciunt, & ſuis illecebris titillant, incautum animum auocent ab amore ſapientiæ: ne denique ſodalium improborum blanda ſuaſio, corruptorumque iuuentutis importuna inuitatio, vel iniecto metu

Athen. l. 13. dipn. cap. 5.

longioris laboris, vel propoſita ſpe maioris delectationis quempiam veſtrum nunc ſtantem, corrumpat tandem, fle ctat, deturbet, & in otium turpe fœdumque præcipitet. Hos ſi qui ſunt, pronos ad voluptates, procliues ad delectationes, ſuauitatum amatores, oro & obteſtor per nobilitatem generis, per honorem familiæ, perque ipſum humani generis parentem ac liberatorem Deum, vt ad philoſophiæ dulcedinem, eiuſque contemplationem iucundiſsimam deguſtandam, animi ſenſus cupiditatemque conuertant. Spero, ſi id ſerio faciant, ſi continenter, fore vt voluptate voluptas; honeſtate turpitudo; fœditas lutulentæ ſuauitatis, pura philoſophiæ iucunditate vincatur. Et plus apud vos vel naturæ deprauatæ blanditiæ: vel ſodaliũ imperitorum adoleſcentulorum inuitamenta; vel ipſius voluptatis illecebræ valebunt ad ruinam ſtudiorum, honoris, & ſalutis; quàm Chriſti Saluatoris minæ, parentum voluntas, & præceptoris amantiſsimi uox, à periculis, à prolapſione, ab
28 interitu vos ad amorem ſapientiæ reuocantis? Res altera quæ mihi metum incutit dubiumque facit de nõnullorum in ſtudendo conſtantia, eſt in Ariſtotele intelligendo difficultas. Non inficior, quod anno ſuperiore ſignificaui, volitare per magiſtri libros accuratiores neſcioquam obſcuritatem: quam, vel non vitauit amantiſsimus breuitatis; cui ſemper ex illius poetæ ſapientis opinione obſcuritas adhæreſcit: vel de induſtria quæſiuit, vt quorumdam eſt ſententia, ne philoſophiæ arcana obtuſis ingeniis tamquam indignis proderentur; quod Heracliti, quoque conſilium fuit: qui maluit ipſe male audire, ductoque à tenebris cognomine notari, quàm vili plebeculæ ſuam doctrinam patefacere; vel certe, quod ego probabiliſsimum reor Galenum ſecutus; cum in eorum vtilitatem, & commodum ſcriberet, quos ingenioſos auditores habuerat; non modo breuitatem laudabilem adamauit, ſed multa quaſi per notas diſcipulis cognitas extulit; quibus, non tam res declarat; quàm ſignificat; non tam explicat, quàm innuit

Hor. in poet.

Orat. 19. n. 37.

Gal. l. de captio. cap. 1.

Digitized by Google

arbitratus eã ſcribēdi ratiōnē ijs ſatis fore, quido&oris vo. cē audierant,& quorũ gratia ſcribebat. Proderit huic difficultati ſuperandæ linguæ Græcæ cognitio, quæ tum errata, tum obſcuritatem interpretum emendes, & cuius lumine germanum ſenſum Ariſtotelis in ſuaui ac puro fonte perſpicias. Proderit maxime omnium, quam ſępe repoſco, ſtudendi diligentia; eamque vel parem eſſe, vel certe ſimilem Ariſtotelicæ uelim; vt quem magiſtrum doctrinæ ſequimini, diligentiæ quoque præceptorem habeatis. Hanc ſummam fuiſſe, cum è multis, de quibus oratione proxima diſſeruimus, tum vero è ſumma uigilantia conijcimus. Grues vt tradunt naturæ contemplatores, cum per uices militari more conſiſtunt in excubiis, ne ſomno comprimantur, altero ſtant pede tantum; altero erecto lapillum ſuſtinent, quo cadente, ſi forte obdormiſcerent, excitentur. Has aues ęmulatus Ariſtoteles, qui naturam earum ac mores fuerat perſcrutatus, cum neceſsitate coactus ſomno ſe dabat, manu globum ęneum prehendebat, ut cadentis in labrum item ęneum manui ſubiectum ſonus, expergefaceret dormientem, atque ad lucubrationem ſtudiumque reuocaret. Quod Alexander Magnus diſcipulus eius, ab eo, ut opinor, doctus in caſtris, militari uigilantię ſtudens, argentea pila faciebat. Quò tanta uigilantia Iuuenes? quid tam pertinax cum ſomno certamen? Cur hęc nocturni temporis propemodum auaritia? Nimirum ut diurnas horas auditioni magiſtrorum, diſputationibus condiſcipulorum; doctorum uirorum congreſsionibus tribuere poſſet; è nocturna quiete magnam partem detrahebat, ut plus temporis in ueterum philoſophorum lectionem, naturalium rerum contemplationem; & ſuorum inuentorum lucubrationem impenderet. Quamobrem exiſtimaui non ſemel Ariſtotelem cum Xenocrate comparatum à Platone magiſtro, iudicatum egere freno, non calcaribus; non tam ob ingenii felicitatem, quod Diogenes Laertius cenſuit, quàm ob ſedulitatem, ſtudium, aſsiduitatemque ſtudendi,

Pl.l.10.c.23. Plut.l. de induſ.anim. Ael.l 3.de anim.cap. 13. Iſid.l.12.de orig.cap.7.

Laert.l. 5. in Ariſt.

Amm. Marcell.lib.16.

Laert. l. 4. in Xenocr.

dendi, quam in hoc præclariſſimo diſcipulo videbat ſingularem quidem, ſed fortaſſe nimiam, & cum pernicie valetudinis exitioq; coniunctam. Non à vobis, neq; tam multa, neq; tanta requiro, Iuuenes; non ſomnus, non nocturna quies à me vobis interdicitur; nõ diurnas animi relaxationes prohibeo; non moderatas corporis exercitationes valetudini conſeruandæ neceſſarias adimo. Seuerus nimis & auſterus eſſem, ſi id facerem; tum vero etiam imprudens & inſanus. Detur per me quoque aliquid temporis ſodalibus, iocis, otio: quo vehementiores & alacriores ad ſtudiorum labores & contentionem ingenii redeatis. His detractis horis, quas ſibi corporis & animi remiſſiones eripiunt; totum illud tempus philoſophiæ tribuendum eſt, quod eſt reliquum: hoc peto, & hoc exigo pro iure meo. Sed quid ego me iudicem facio? Recta ratio præſcribit hanc diligentiam, & aſſiduitatem; ſi quidquam proficere in hac ſciẽtia, ſi peruenire ad excelſum aliquem gradum, ſi deguſtare fructuum ſuauitatem concupiſcitis; eandem valetudo corporis vniuſcuiuſq; patitur, quem non aliquis morbus labefecit: ſcholarum noſtrarum leges, quibus vos obſtrinxiſtis veſtra ſponte, poſtulant; rerum quæ tractantur multitudo, grauitas, difficultasque requirit, quas tametſi manſas à præceptore, vobis adhuc crudas, & ingenio concoqui, & cogitatione attenta digeri oportet, vt animus ſucco ſcientiæ decocto alatur; & perfecto ſapientiæ ſanguine mens paſcatur. Quòd ſi Ariſtoteles tanto vir ingenio, quantum millies audiuiſtis; æque ac ſi tardus, hebes, & obtuſus eſſet, nihil de contentione ſtudendi remittens incredibilem diligentiam ad diſcendum adhibebat: vos intelligitis plane, quid præſtandum ſit à vobis; qui, quia eſtis ingenui maxime, & minime arrogantes; confitemini, cum feliciſsimo Ariſtotelis ingenio, veſtrum neque coæquari poſſe, neque comparari.

IN

IN FVNERE ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS.

Oratio XXI.

SApienter voluiſſe te puto Sereniſſime Prin- 1
ceps, vt qui ſuperioribus annis Raynutium Farneſium patruum tuum magnum diuturna digniſſimum memoria Cardinalem; qui Sereniſsimam Mariam matrem item tuam lectiſsimam, religioſiſsimamque feminam, funebri oratione luxerunt; ijdem Alexandrum Farneſium ſapientiſsimum, atque optimum Cardinalem, quem Roma, quẽ Italia, quem orbis terrarum deflet extinctum, hodierna die lugubri laudatione, in hoc mærore ſumptuoſi funeris cohoneſtent. Sperabas enim, opinor, à noſtræ Societatis hominibus, qui tantum Farneſiorum vniuerſæ familiæ debent, quantum homines hominibus debere fas eſt, cumulate laudatum iri virum ampliſsimum: ſperabas eoſdem beneficiorum memores æqualem amori dolorem, pareſ meritis lacrymas, congruentem patrocinio luctum eſſe Patrono beneficentiſsimo reddituros. Diuinaſti plane Sereniſsime Princeps. Cur enim grati animi ſupremum officium, non coniunctis omnium uiribus, vocibus, lacrymis perſoluamus vniuerſi mortuo, cui viuo ſinguli quotidie gratias pro beneficiis publice & priuatim acceptis agebamus? Et quamuis Alexandro Principe ac Cardinale dignã eloquentiam Natura negauerit oratori; tribuet tamen nõnullam facultatem ipſius Alexandri virtus, in qua commemoranda ne infantiſsimo quidem deeſſe poteſt oratio: quãuis animum dicere vtcunque conantem ſqualor iſte veſteſ abijciat, linguam præpediat mæror, vocem dolor includat; excitabit tamen abiectum animum promeritorum recor-

datio;

Digitized by Google

datio; vincet doloris ſenſum officii noſtri debitique conſcientia: confirmabit denique laudatorem Principis auctoritas imperantis. At vnde laudationem hanc luctuoſam ordiemur Auditores ornatiſsimi? Num à nobilitate Generis, vt decantatæ rhetorum leges præcipiunt? Num longiſsimum ordinem, ſeriemque Dynaſtarum Farneſiorum, qui tot ſæculis ad lacum Vulſinum in Etruria cum oppidorum, ac populorum imperio late dominati ſunt enumerabo? Num recenſebo ſigillatim maiores eius fortiſsimos viros militiæ clariſsimos, magnarum copiarum Ductores, qui ob res fortiter, feliciterque bello geſtas, ſummos honores, tum à Pontificibus Romanis, tum à Republica Florentina meriti, & conſecuti; ſpirant adhuc in æneis ſtatuis, atque in hominum memoria viuunt ſempiterna? Num commemorabo domeſticum ac recentem Pontificatum maximum Pauli III. quadrageſimo ab hinc anno defuncti, vnde ingens auitis honoribus, facta eſt dignitatis acceſsio? Minime vero, vbi tot lucēt ornamenta propria virtutum, prętereunda ſunt quæ communia multis proficiſcuntur à maioribus. Præſertim quòd ipſe cum viueret, harum rerum commemoratione delectabatur parum: quippe qui norat cum Seneca non fuiſſe in noſtra poteſtate quos ſortiremur parentes, ſorte nobis datos, non electione noſtra iudicioque delectos: intelligebat cum Socrate non poſſe veras, non ſolidas, non meritas inde ſumi laudes, vbi nec voluntas, nec prudentia, nec vlla virtus animi, vt iure ſumi poſſent, effecit. Non ergo in Alexandro Cardinale magnopere prædicandum eſt (quanquam & hoc innuendum videtur) quòd principibus ſit ortus parentibus; ſed quòd ſe dignum parentibus filium ſuamet induſtria reddiderit; non quòd paternum Farneſiorum, maternum Vrſinorum, genus vtrumque per Italiam, & extra Italiam perilluſtre à parentibus acceperit; ſed quòd vtriuſque generis nobilitatem rebus uirtute geſtis reliquerit poſteris illuſtriorem; nō denique quòd Imperatorum, ac Regum, Hiſpaniæ, Galliæ, Luſi-

L. Sen. l. de Breu. uitæ c. 5.

Apul. l. de Deo Socrat.

Luſitaniæ affinitate Farneſiorum familiam opera ſua, atque auctoritate decoratam uiderit:ſed quòd ipſe ſuæ ſplendore dignitatis auxerit nobilitatem Farneſiorum. An ingenii decora, doctrina, & eloquentia facient initium exornationis? Sic opinor Auditores. Ingenij porro bonitatem, copiamque dicendi cum ſuauitate, ac grauitate coniunctam, Farneſii generis propriam adeo excoluit ingenuis diſciplinis,& artibus adoleſcens, ac pæne puer Alexander, ut cogitatu ſit dictuque mirabile. Qua in cultura mentis, & linguæ tantum profecit, quantum potuit is,qui optimo ingenio, peracri iudicio, naturali dicendi ubertate præditus, præſtantibus præceptoribus tum in florentiſsimo Bononienſi Gymnaſio,tum domi ſuæ ſit uſus aſsidue; quantũ denique par eſt eum profeciſſe, qui mira celeritate Bartolomæi Caualcantis, Antonii Bernardi Mirandulani, & aliorum excellentium magiſtrorum in unaquaque diſciplina diligentiam ſuperarit. Inflammatus autem amore ſapientiæ ab ineunte ætate, ſic in reliquo uitæ curſu ſapientiæ ſtudioſos, ac doctos uiros ipſe iam doctus & dilexit, & ſuſpexit,ut domum ſuam perpetuo uoluerit ingenioſorum eſſe perfugium,litteratorum altricem,ſapientiæ ſedem,doctiſsimorum quorumque domicilium; neminemque inſignis eruditionis à domo, à menſa, à congreſſu arcuerit: quorum uirorum conſuetudine, ac familiaritate ſe doctiorem in dies fieri lætabatur. Quid fortunæ bona,ut uulgus loquitur,commemorem? Video præſtantiſsimi auditores hic mihi latiſsimum patere campum,in quo mea decurrere poſsit oratio; ſi de amplitudine patrimonii,ſi de copia diuitiarum,ſi de honoribus aggrediar diſputare. Verum non ea mihi propoſui prædicãda,ut dixi, quæ ferme noſtra non ſunt,præſertim cum quæ propria ſunt eius ornamenta totam explere poſsint laudationem. Fuit illi peramplum patrimonium;opulentiſsima ſacerdotia poſſedit;eſto: Verum felicitatis quidem fuit ampliſsimam habuiſſe beneficentiæ materiam;laus autem illi danda, quòd, ut poſtea di-

cetur,

cetur, liberalitate regia diuitiarum affluentiam ad aliorum commoda deriuauit. Quid de honoribus dicam? Sapientum omnium iudicio, atque ipſius Cardinalis teſtimonio honores meruiſſe, decus eſt optabilius, quàm honores obtinuiſſe. At Alexander Farneſius, & emeritus eſt omnes: & quia meruit, eſt fere omnes conſecutus. Aſcendit enim curſim omnes dignitatum gradus; quos potuit per ſuſceptum Eccleſiaſticæ vitæ genus: fuit Archiepiſcopus, fuit Cardinalis, fuit S. R. E. Vicecancellarius, fuit Legatus à latere, fuit Collegij Cardinalium princeps; quas dignitates partim illi detulit Paulus Tertius Pōtifex Maximus Auus vir in mandandis honoribus accuratiſſimus, qui niſi Alexandrum etiam tum adoleſcentulum honoribus digniſſimum cognouiſſet, ne minimum quidem Sacerdotium, licet nepos eſſet, illi contuliſſet: partim ſua virtute, ac prudentia rerum gerendarum, non ambitu, non largitione, non precibus ſibi comparauit. Vnus illi defuit Pontificatus Maximus; quo tamen digniſſimus ſemper eſt habitus, non modo ſapientum bonorumque opinione ac voce; ſed etiam alieniſſimorum hominum, atque inuidioſiſſimorum, qui veritate conuicti, quam dignitatem ſummam illi deferri nolebant, non tamen negabant deferendam. Huius iacturam dignitatis Deus æquiſſimus rerum Arbiter, aliis muneribus admirabilibus compenſauit. Quid enim eſt tam admirabile quàm de annis vndeſeptuaginta quos vixit, quinque & quinquaginta Cardinalem fuiſſe? Cui mortalium poſt fundatam à Chriſto Eccleſiam id proditum eſt vnquam contigiſſe? Cōtigit vni Alexandro Farneſio, qui tot annos, in tanta negotiorum multitudine, in tanta difficultate temporum, in tanta nationum contentione, locatus in illa Chriſtianorum omnium arce Roma, totius terrarum orbis quaſi theatro, ita pie, fortiter, ac prudenter ſe geſſit, vt eum amarent probi, vererentur improbi; medij, ſummi, infimi admirarentur; in eo vno ciues, & peregrini cogitationes, linguas, oculoſque defigerent. Quid tam nouum, quàm

adoleſcentulum Cardinalem Eccleſiam quindecim totos annos, quos vixit auus Pontifex pæne rexiſſe? rexit Alexander. Quis denique Cardinalis tot Pontifices maximos auctoritate ſua creauit, quot Alexander Farneſius Cardinalis? Magna quidē ſunt hæc, & admirabilia Parmenſes: 4
ſed ille tamē excelſo quodā animo erectus pluris faciebat, quæ virtus parit, educat induſtria, perficitque prudentia. Quamobrem nos iſthæc miſſa faciamus, & ad ſolida animi decora properemus; ad ſplendores illos virtutum, quibus qui illuminatus eſt, inter cæteros mortales tamquam ſol inter ſtellas elucet; ad prudentiam inquam, ad iuſtitiam, ad fortitudinem, ad beneficentiam veniamus. Quis igitur Alexandro Cardinale prudentior, cuius adoleſcentia ad rerum gerendarum prudentiam, non vulgarium hominum præceptis, ſed ſapientiſſimi Pontificis Pauli, ac maxime ſenis documentis: non lectione librorum, ſed rebus grauiſſimis agendis, & legationibus fungendis eſt traducta? A quartodecimo, quo Cardinalis creatus eſt, ad vigeſimum vſque annum, ne punctum quidem temporis à ſenis Pontificis latere diſceſſit; è cuius pectore quæ, & quot præcepta ſuxerit, nemo Romanarum rerum mediocriter peritus ignorare poteſt. A uigeſimo autem vſque ad tertium & vigeſimum, maximas nobiliſſimasque prouincias legationibus obeundis peragrauit. Nam à Pontifice in Galliam primum legatus eſt ad Carolum V. Imperatorem ex Hiſpaniis expedito itinere per Galliam ad ſedendos Gandauenſium tumultus in Belgas properantem: vbi cum Franciſco Gallorum Rege multa tranſegit: deinde biennio poſt in Germaniam ad eumdem Carolum, atque ad Ferdinandum Romanorum Regem Imperatoris fratrē, de re Chriſtiana in Germanorum principum comitijs Vuormatiæ deliberantes: poſtremo in Germaniam, item ad eumdem Carolum, iam bellum contra Luteranos mouentem Cardinalis hortatu, vna cum Octauio fratre Parmæ, ac Placentiæ Principe, quem Pontifex Italicarum copiarum ducem

Cæſari

Cæſari periculoſo in bello verſanti ſubſidio miſerat ex Italia. Quibus in legationibus ſic Imperatori, ac Regibus Romanorum, Gallorumque, nec non ceteris Principibus Galliæ, Germaniæque virtutem ſuam eximiam, prudentiam, humanitatem, grauitatemque probauit, vt in eo maieſtatem illi, ſapientiamque Pauli Pontificis, & Chriſti Vicarij in terris mittentis expreſſam oculis plane cernerent: ſic Pontificis reſpondit votis, vt omnia quæcumque ille optauerat, obtinuerit. Quid autem dixerit, egerit, perfecerit in illis Legationibus, teſtantur omnes hiſtoriæ. Quod ſi adoleſcens rerum magnarum tractatione atque vſu didicit prudentiam, quàm auctam eſſe reliquo vitæ ſpatio putandum eſt? quantum auctoritatis illi prudentiam apud omnes nationes conciliaſſe? Huius virtutis fama commoti Principes magni ac Reges, Cardinalem Farneſium per litteras, per internuntios, per legatos conſulebãt: eumdem religioſorum ordines, Ciuitates, Reſpublicæ, ac Regna ſibi patronum depoſcebant: ab eiuſdem admirabili prudentia profecta eſt illa ſingularis familiæ conſtitutio, & ordo domeſticus, qui Romæ magnam ſemper admirabilitatem habuit. Atque vt Sabæorum Regina cum Ieroſolymam *3.Reg.10.*
fama ſapientiæ Salomonis excitata veniſſet, admirata re- *2.Paralip.9.*
giæ familiæ ordinem obſtupuiſſe dicitur: ita multos accepimus è remotis prouinciis Romam ingreſſos admiratione fuiſſe correptos, cum Cardinalis Farneſii familiam adeo ſapienter conſtitutam ac temperatam cognouiſſent: quam nemo vmquam potuit nec ordine, nec nobilitate, nec delectu ſuperare; ex qua tot Epiſcopi, Cardinales, ſummi etiã Pontifices tanquam è ſchola quadam Eccleſiaſticæ ſapientiæ prodierunt. Iam vero in perferendis æquo animo rebus aduerſis quàm inſignis in hoc viro fortitudo? Voluit Deus Opt. Max. felicem eius vitæ curſum tantiſper interrumpere, quò melius intelligeret non eſſe beatitudinem in ſecundis rebus collocandam. Ipſe vero quo tempore vide-

bat ſe gratia magnorum Principum excidiſſe; multorum Sacerdotiorum poſſeſſione deiectum; Octauium fratrem paterna ditione fere ſpoliatum, periculoſo bello implicitū pro capite, pro dignitate, pro fortunis omnibus dimicantem: deſertos Farneſios vniuerſos, atque oppugnatos ab ijs, qui minime debuiſſent, reflante uento ſe ſuosque omnes huc atque illuc aduerſa tempeſtate iactari, ſic animum patientia armabat, ſic à diuina pendens voluntate ſe ipſum erigebat ad ſpem tranquillitatis, vt qui tum eum norant, nihil mutatum dicerent, nihil perturbatum. Quæ virtus, cum in his multis rebus aduerſis enituit, è quarum fluctibus non multis poſt annis, recuperata gratia, auctoritate, rebus omnibus auctior emerſit, tum vero in acerbis ac diuturnis morbis, quibus ingraueſcente ætate cruciabatur identidem; quorum cruciatus non tam medicamentis, quàm precibus ad Deum fuſis leniebat. De iuſtitia porro, quæ patentem habuit campum ſe ſe oſtentandi in gubernatione Auenionenſi primum, deinde in adminiſtratione patrimonii B. Petri, tum in Vicecancellariæ munere, illud vnum dicam, talem eum fuiſſe, qualem eſſe conueniebat eum, qui in præcelſa dignitatis, auctoritatiſque ſede poſitus in omnium ore atque oculis verſaretur; quique cum eſſet à Chriſti Vicario ſecundus, Chriſtum tamquam exemplar ſanctitatis, ac iuſtitiæ ſibi ad imitandum in omni vita propoſuiſſet. Sed tandem aliquando veniendum eſt ad eius virtutis prædicationem, quam Cardinalis in primis ſibi colendam duxit, Beneficentiam. Nouerat acutiſſimi vir ingenii, nulla re magis mortales ad immortalis Dei naturam, quæ ſumma bonitas eſt, accedere, quàm largiendo, ac de multis bene merendo: proptereaque Deum à veteribus prius optimum, id eſt beneficentiſſimum, quàm maximū appellatum fuiſſe, quod melius ſit, certeque gratius prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere. Quamobrem ſe totum dedit ad benefaciendum omnibus, qui ſuam opē implorarent; in hac uirtute excellere ſtatuit, in qua paucos uidebat,

Cic. l. 2. de Nat. Deorum.

Digitized by Google

videbat, aut fere nullos eminere: præſertim cum intelligeret multarum parentem eſſe virtutum Magnificentiæ, Liberalitatis, Eleemoſynæ, virtutibus alijs moderatam. Itaque largitate beneficentiam augendo; multa, & magna ſimul, hoc eſt non denos aut centenos aureos, ſed millenos, atque adeo dena millena nummum aureorum donando; numeroſam illam familiam adeo præclare temperatam domi regijs ſumptibus alendo; magnificentiſſimas ædes tum ſacras, tum profanas ædificando, hortos amœniſſimos comparando; regiam omnino magnificentiam exprompſit. Non poſſum hic omnia ædificia percenſere per eum excitata; non omnia templa enumerare, vel ornata, vel inſtaurata, vel à fundamentis erecta, Chriſtianæ magnificentiæ monumenta. Qui Romæ verſantur, vbi diutius ille vixit in Cardinalis Farneſii clypeos auratos ſenis cæruleis florentes liliis quocumque ſe vertunt, oculis incurrunt. Veruntamen templum illud præterire non poſſum ad radices Capitolii ſodalitati noſtræ ædificatum, ac ſanctiſſimo nomini Ieſu conſecratum; quod Alexander Cardinalis à fundamentis excitauit. Pro Deus immortalis quàm amplum magnitudine, quàm admirabile artificio, quàm inſigne marmoribus, quàm locuples vaſis argenteis, & ſacra ſupellectili? quàm auro, tabulis pictis, tabernaculo cum ceteris inſtrumentis ornamentiſque viſendum? Merito quicumque Romam religionis ergo peregrinantur inuitati fama pulchritudinis ac ſplendoris, illud in primis adeundum putant: merito Romani ciues quotidiana celebritate ſibi frequentandum exiſtimant; merito dictitant omnes, vt præclarum eſt Farneſianæ magnificentiæ monu-
7 mentum, ſic corporis idoneum eſſe ſepulcrũ. Ac ne quod accidit multis magno animo principibus viris ſibi eueniret; vt largitas benefici ac liberalis, largitio prodigi, ac profuſi fieret; ita Cardinalis prudentia temperauit animi propenſionem ad largiendum; vt mirifice liberalitatem benignitatemque à largitione luxuriaq; ſeiunxerit. Neque vero

ro

Digitized by Google

ro oblitus ſe Chriſtianum eſſe, liberalitatem eandē diuinæ
charitatis ui, pietatisq; Chriſtianæ in eleemoſynam conuer-
tit. Itaque largitate magnificus fuit, prudentia liberalis,
eleemoſyna pius. Quæ uis dicendi hoc loco tam breui tem-
pore queat enumerare quot hominum millibus aperuit
fontes benignitatis ſuæ? Innumerabiles ſunt Cardinalis
liberalitate dotatæ puellæ nubiles, tam plebeiæ, quàm no-
biles, & honeſtis matrimoniis è periculo vulgandæ pudi-
citiæ ſeruatæ. Innumerabiles pueri parentibus orbati ſunt
in ſtudiis litterarum eiuſdem largiſſimis eleemoſynis ſu-
ſtentati. Viri fortes à patria Catholicæ cauſſâ religionis
extorres ac profugi, in quorum numero fuerunt illuſtres
Angli permulti, huius pecuniis honorifice recreati. Teſtes
eiuſdem liberalitatis proferre poſſem ciues Romanos non
paucos, qui cum fortunis ſuis eſſent eiecti, huius beneficen-
tia erecti ſunt; ſæpe numero cogitantis, nihil cuiquam acci
dere poſſe calamitoſius, quàm ex beato miſerum fieri. Te-
ſtes ſunt etiam quotquot ſunt familiæ religioſorum viro-
rum, qui numquam Romæ ad creandos magiſtratus ſuos
coiuerunt, quin huiuſce Cardinalis piam largitatem ſint
experti. Quoties autem noſtrorum paupertati tum cum
habebantur comitia, tum aliis temporibus, quibus inopia
premebātur large ſubuenit? Hora me deficeret Auditores
(atque id ſine mendacio, non oratorie dico) hora inquam
me deficeret, ſi beneficentiſſimi Cardinalis in noſtrum or-
dinem collata beneficia numerando percenſerem. Hic igi- 8
tur fons liberalitatis ſexto nonas martias exaruit: cecidit
columen litteratorum; Farneſiæ Gentis lumen magnum
exſtinctum eſt: pater pauperum; patronus prouinciarum,
ſplendor Romanæ Vrbis, Italiæ decus occidit. Quis ergo
nos prohibet templum hoc lamentatione, ſingultibusque
complere, ac tam benemerito viro, non modo funeris vſi-
tata pompa, verum etiam lacrymis iuſta perſoluere? Præ-
ſertim cum ſciamus afflictari Romam, lugere Italiam, la-
crymari vniuerſam hanc Parmenſem prouinciam: plorare

Placentiam,flere familias religioſorum virorum, mærere Senatum purpuratorum Patrum. Quod ſi,qui communi tantum humanitate commouentur, ex amiſſione optimi viri iacent in ſqualore,atque luctu:quem ſenſum, quamue acerbum exiſtimatis eorum eſſe qui Cardinali mortuo ſunt ſanguinis cognatione propinqui? qui communem Parentem, Familiæ decus,potentiæ domeſticæ firmamentum deſiderant? quos hæc mors, quamquam per ætatem matura,tamen acerba quòd incommoda; repentina, quòd non expectata, vt vſu venit,nec opinantibus irrupit;acerbitatis ictu perculit inſanabili? Merito igitur Alexander Dux inuictiſſime; (te abſentem appello fidei Catholicæ propugnatorem acerrimum;ferociſſimarum nationum domitorem; in expugnandis munitiſſimis vrbibus Demetrio Macedonum Regi parem) merito inquam, Alexander tuum pectus,tametſi fortiſſimum in præliis, triſtis de morte Cardinalis nuncius effodit: merito hoc afflictus vulnere conticuiſti diu,tecum reputans,vt homo, generis humani miſeriam; & naturæ communis fragilitatem,vt mortalis, extimeſcens. Tu Cardinalem Alexandrum non vt patruũ, ſed vt patrem amabas,reuerebaris,conſulebas. Tu viciſſim ab eo non vt fratris filius, ſed vnice redamabaris vt filius. Tu quoque Sereniſsime Princeps Ranuti iure optimo eadem ictus ærumna tacitus ingemiſcis. Erumperent opinor, lacrymæ tumentibus ex oculis,& vberrime defluerent,niſi conſtantia fortis animi cohiberentur. Tu fratris nepos quidem eras: at quòd Alexander pater tuus aberat, huius vnius tamquam alterius parentis monitis,auctoritate, conſiliis, iam tui Rector adoleſcentiam regebas tuam, & harum Ciuitatum ac regionum pro Duce patre ſapienter gubernacula moderabaris. Quo mærore putatis Odoardum fratrem Principis iſtius adoleſcentulum eſſe confectum, Auditores? Qui Cardinali ſupremum exhibens pietatis officium pæne clauſit oculos morienti: & mortuum tam luctuoſo funere vidit, quàm amplo curauit efferri. Hunc

Cardi-

Cardinalis ſibi tamquam in filium adoptarat: hic viciſsim
non alium fere nouerat patrem, niſi Cardinalem. Ille ſenis
Pontificis aui documenta, quæ combiberat adoleſcens,
Odoardi pariter adoleſcentuli cupidis auribus ſenex in-
ſtillabat: hic quæ attentiſsime audiebat aliquando profu-
tura, memoriæ commendabat. Merito lamentatione, ac 9
fletu repetis o Roma ciuem tuum, quæ vt dolorem ſignifi-
cares intimum, quaſi mota loco, funeris exſequias in tem-
plum illud magnificum proſecuta es. Merito repoſcitis la-
crymis Patronum veſtrum vos Ciuitates, Reſpublicæ, ac
Regna: Raguſium, Genua, Aragonia, Luſitania, Polonia,
quas viuens ſua tutela protexit. Vos item Sancti Benedicti
diſcipuli ac filii, quos ille tot annos fideli patrocinio tuta-
tus eſt, iuſto gemitu Defenſorem ſuſpirioque reuocatis.
Nos vero Societatis Ieſu quanto in luctu conuenit eſſe?
Quàm magnam fecimus in hac communi tempeſtate ia-
cturam? Cur non plus ceteris dolentes, ac lamentantes hoc
funus oculis potius, quàm linguis; gemitu, quàm voce de-
coremus? Noſtrum ille ordinem, quem ſciebat à Sanctiſsi-
mo Pontifice Paulo Tertio auctoritate Apoſtolica conſti-
tutum, priuilegiis decoratum; quem ipſe, & naſcentem vi-
dit, & adoleſcere paullatim; tum ætate, ac viribus adultū;
poſtremo tandem quinquaginta ferme annorum firmita-
tate roboratum, quantopere verbis ac factis auxit, ornauit,
defendit? Tu denique Parma iure comploras vna cum
principibus tuis, quos cum vehementer diligas, eorum lu-
ctus, ac doloris es particeps. Verum vt Chriſtianos decet
Parmenſes Ciues, in hoc mærore, locus ſolatio tribuendus
eſt. Liceat aliquid indulgere dolori; at modus lacrymis im-
ponatur. Spes enim illa Chriſtianos ſolari debet, ac recrea-
re, quam ante acta vita pollicetur. Sperandum eſt eum,
quem tot virtutibus decoratum audiſtis, præmium rece-
piſſe virtutum ac recte factorum in illâ beatorum ſede,
quo ſua quemque virtus extollit. Sapientiſsimus Cardi-
nalis, ac vere Chriſtianus biennio ante mortem de vltimo

Digitized by Google

fine,de ſalute animi, de vita ſempiterna cogitans, relicto parumper Romanæ vrbis ſtrepitu, ſe ſe recepit in villam ſuam, paucis comitibus, iiſque religioſis viris; vbi ſe colligens, in ſe inquirens, totius præteritæ vitæ rationem à ſe ipſe repetijt; animum deinde ſacra peccatorum omnium confeſſione expiauit. A quo tempore de ſepulcro cogitare; de diuinis rebus ſolito frequentius loqui; cum Deo familiarius agere; largius eleemoſynas diſtribuere cœpit. Præſagiebat enim mortem appropinquare, proinde ſe ad vltimum huius miſerrimæ vitæ actum, in quo ſumma rerum ſita eſt, comparabat attentius. Quare cum mors obrepſit, ſatis paratum ad iter, atque expeditum inuenit: quo ſupremo die cæleſtibus ſacramentis ritu Chriſtianorum ſe reddidit paratiorem. Quis ergo virum talem, tanta religione præditum, tot bonorum operum præſidiis munitum, tot pauperum, ſacrarum virginum, puellarum, puerorum, religioſorum lacrymis, ac precibus, quas viuens pecunia quaſi mercatus erat, fultum in cęlum aſcendiſſe, atque inter cæleſtes locatum non exiſtimet? Facite vos, vt quem propoſui ad imitandum tamquam virtutum omnium exemplar, ſi quò ſua virtus ſuſtulit, optatis peruenire, viribus omnibus intentis imitemini.

DE IMAGINE DEI IN HOMINE, ET LAVDIBVS S. THOMAE AQVINATIS.

Oratio XXII.

PRæpotens rerum omnium Deus, Audito- 1
res, cum fecundiſſimæ mentis, & efficaciſſimæ voluntatis ſuæ nutu, principio temporis è nihilo condidiſſet ad ideam, quam
Orat.15.n.3. ab æternitate ratio diuina conformauerat; pulcherrimum atque ampliſſimum Mundi huius; dicam ne regium domicilium, an theatrum, an templum? compluribus circumſeptum cæleſtibus orbibus è pretioſiore materia conflatis, quàm adamante; ſtellis ac ſideribus clariſſimis illuſtre; rerum innumerabilium ex elementis concretarum generibus, quæ quieſcunt, quæ mouentur, quæ viuunt, quæ ſentiunt, miro diſpoſitis ordine refertiſſimum: hominem in eo collocauit, animal paruum corpore, magnum animo, vel quaſi vicarium ſuum in apparatiſſima regia cunctis rebus imperaturum; vel vt Naturæ miraculum in vniuerſitatis theatro publice conſpiciendum atque admirandum; vel denique tamquam imaginem ſui & ſimulacrum in religioſiſſimo templo, cum ab omnibus rebus procreatis, tum vero potiſſimum ab vniuerſis animantibus reuerendum. Magna res adeo hæc eſt, vt attente conſiderantem animum in admirationem rapiat: digna item longa & exquiſita tractatione S. Thomæ Aquinatis
S.Th.1.2.in prologo. doctoris Angelici; qui in prooemio ſecundæ partis Theologicæ ſummæ, poſt diſputationem de exemplari Deo, ſe de eius imagine homine diſputaturum pollicetur. Quamobrem in hac reuerſione mea ad docendum, ante quàm Doctoris acutiſsimi quæſtiones aggrediar interpretari, de

hac

Digitized by Google

hac diuina in hominis animo penitus impreſſa imagine, paullo copioſius ſtatui mihi diſſerendum; inquirens primũ an ea ſplendeat in nobis; deinde cur ab effectore Deo ſic in nobis inſculpta; cur in Mundo publicè conſtituta; tum quibuſnam lineamentis, coloribus, ornamentis ea contineatur: poſtremo cum hæc explicauero, traducam orationem ad beneficium, quod præſtantiſsimus magiſter in hac ſumma Theologica conſcribenda nobis contulit, exornã-
2 dum. Philoſophi Naturæ contemplatores, ſiue id, vt alia multa, didicerint per auditionem à Phœnicibus, Chaldæis; *Aug. Eugub. l.* Aegyptiis, qui ab auis maioribusque acceperant, quos He- *9. de peren. phi* bræi, quibuſcum diu ſunt verſati, docuerunt: ſiue mentis *loſ. c. 1. & ſeq.* indagatione, luminis naturalis face præeunte coniecerint, ex quibuſdam ſubobſcuris mirabilium effectuum radiis, quos animus imagine diuina nobilitatus, per corporis inuolucra tranſmittit: cognouerunt in nobis, ſi non perfectã imaginem, qualem oracula diuina patefecerunt; aliquam certe vel vmbram, vel ſimilitudinem inchoatam imaginis inſidere; atque eam qualemcumque cognitionem poſteris tradiderunt. Vetuſtiſsimus propemodum omnium philo- *Lact. l. de ira* ſophorum Mercurius Aegyptius, ob virtutem, multarum- *Dei cap. 11.* que artium ſcientiam Termaximus cognomento dictus *Triſmeg. l. q̃d* quærens quo modo Deus fugiens aſpectum noſtrum im- *Deus inuiſib.* becillum, ex operibus, quæ cernuntur & tanguntur, depre- *&c.* hendatur: docet in primis ex hominis operis pulcherrimi conſideratione Deum auctorem intelligi poſſe: tum eumdem hominem vocat θείαν εἰκόνα *diuinam imaginem*, quod Lactantius quoque notauerat; tum Mentem omnium pa- *Lact. l. 2. diui.* rentem ac vitam peperiſſe ait hominem αὐτῷ ἴσον *ſimilem* *inſtit. cap. 10.* *ſibi.* Non abit longe Zoroaſtres Bactrianus, & ipſe ſcriptor antiquiſsimus in Chaldaicis oraculis; cuius illud extat memorabile, Σύμβολα πατρικὸς νόος ἔσπειρε ψυχαῖς. *Zoroaſt. in Orac. Chald.*

Signa, paterna mens inſeuit animis.

Quo loco Pſellus Græcus & Chriſtianus interpres per hęc *Pſell. in orac.* ſymbola, ſeu notas in animis noſtris conſignatas, imaginẽ *Chald.*

illã ſignificari, cuius Moſes meminit, arbitratur. Quid Phocylides poeta philoſophis item multis antiquior? Hic ſubodoratus hanc imaginem Dei latitantem in nobis, mentionem eius fecit, in ſuis de uita bene degenda præceptis, cum ſcripſit:

Phocyl. in paran.

Πνεῦμα γάρ ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.

Spiritus eſt uſura Dei mortalibus, atque imago.

Plato in Phæd. Veriſimile eſt ex his fontibus in Phædonem Platonis defluxiſſe doctrinam eandem; vbi nobiliſsimus hic philoſophorum educator ſcripſit animum noſtrum ὁμοιότατον eſſe illi, *Quod eſt diuinum & immortale*: hoc eſt ſimillimum ipſi Deo. Neque vero ex alio cratere M. Tullius Platonis ſtudioſiſsimus hauſiſſe putandus eſt, ſuam de homine philoſophiam, quam priore libro de legibus expreſsit: vbi *prouidum hoc animal, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, præclara quadam conditione generatum à ſupremo Deo* vehementer admirans colligit, primam homini cum Deo rationis ſocietatem intercedere; tum quòd animus ab eodem ſit ingeneratus, agnationem quandam exiſtere: poſtque alia multa digna lectu concludit diſputationem ſententia memorabili; *Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo.* Latinis poetis doctioribus, qui veteres non poetas modo, ſed etiam philoſophos lectitabant, illuxit eiuſdem cognitionis radius errorum caligine reſperſus, cum aliquam mortalibus imaginem Dei tribuerunt. Magnificis verſibus, & dignitatem humani generis illuſtrantibus, Ouidius hominum procreationem deſcribens, eam obſignat imagine:

Cic. l. 1. de leg.

Ouid l. 1. metam.

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Manilius eius æqualis aſtrologiæ periti ſſimus, maiore orationis grauitate probans hominem genitore cæleſti ſuperne generatum; verſum illum extulit pleniſsimum ueritatis,

Manil. l. 4. b. aſtronom.

Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parua.

Manauit eadem opinio, tum ad poſteriores Græcos philoſophos,

ſophos, tum ad Latinos. Nam apud Sextum Empiricum
in libris aduerſus mathematicos Deum eſſe negantes di- *Sext. Empir. l.*
ſputantem lego non infirmum argumentum; quo Deum *8. 5. an ſint Dij*
artificem ſapientiſſimum colligi vult ex imagine ipſius in
nobis impreſſa; quæ quia ſub intelligentiam cadit, cuius
imagini ſub oculos venienti, multis nominibus exiſtimat
antecellere. Lego & apud L. Senecam, ſapientem eſſe *vi-* *L. Sen. l. In*
cinum proximumque Dijs, et excepta morte ſimilem Deo. *Sap non cad. iniur. cap. 8.*
3 Sed hic, viri præſtantiſſimi, veſtrum aliquis tacitus ſciſcita-
tur; numquid Ariſtoteles ſol veteris philoſophiæ, de hac
imagine olfecerit, diſſeruerit, definierit? Equidem opinor
non latuiſſe tam ingenioſum diligentemque lectorē, quæ *Ar. l. 2. de part anim c. 10. l. 4.*
Mercurius, quæ Zoroaſtres, quæ Plato, quæque alii ſcripſe *c. 10. l. 2. de gener. anim. c. 3.*
runt: neque à communi ſenſu priſcorum magiſtrorum ſen
tentiaque receſſiſſe. Qui enim proprium eſſe naturæ diui-
næ ſapere atque intelligere ſcripſit; qui mentem humanā,
modo naturæ diuinæ; modo ſolam diuinam confeſſus eſt;
qui vel ſolum ex omnibus animantibus, vel maxime, par-
ticipem diuinitatis hominem pronunciauit; qua lege argu-
mentandi negare poteſt ſimilliimum eſſe Deo? Conuictus,
vt arbitror, hac ratione nominauit alicubi mentem noſtrā *Ar. l. 10. eth. c. 8.*
συγγενέστατον θεοῖς, quod interpres vertit *maxime cognatam*
Dijs, hoc eſt eodem maxime genere, maximaque cogna-
tione propinquam: quis dubitet in Ariſtotelis doctrinā,
quin humana mens Deo ſit ſimilis, quæ per eius decreta,
cum Deo natura, genere, & cognatione conueniat? Huc
Arati veteris poetæ ſpectat hemiſtichion in eandem ſen- *Aratus in Phænom.*
tentiam: τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, hoc eſt *Ipſius enim Iouis genus ſu-* *Act. 17.*
mus: quod tamquam acutiſſimum telum ex aduerſariorū
armamentario depromptum, magnus ille præco nouæ le-
gis Paulus, Athenis in Areopago conſtitutus, perorando
contorſit in ſapientes illos totius Græciæ magiſtros; ac pe-
ctora nonnullorum, animoſque confodit: quod S. Ambro- *S. Ambr. ep.*
ſius expendens non vno in loco, cognationem nobis eſſe *38. ad Horont. & l. de bono*
cum Deo colligit ex immortalitate, quæ particula eſt ima- *mort. cap. 9.*

ginis

S.Greg.l. 20. mor.ca.16. vel 17. ginis diuinæ; quo denique S.Gregorius Summus Pontifex
ſignificatam ab Apoſtolo ſcripſit, *cognationem accepta per*
imaginem generoſitatis. Nec ſane M.Tullius vel Ariſtote- 4
lis, quem perlegit; vel Arati, quem conuertit doctrinam
ignorauit; qui quia noſtros animos putabat (quamquam
Cic.l.2. de diuin.l.1. de nat. Deor. falſo) libatos, hauſtos, acceptos è diuinitate; tum ex eo ra-
tionis compotes, intelligentes, prouidos agnoſcebat nobis
eſſe cum Deo non ſocietatem modo, ſed etiam agnationẽ
quandam, quam genus, ſtirpem, atque cognationem nomi-
nabat. Nec L. Senecæ non probata eſt; qui quia rebatur
L.Sen.ep.41. eoſdem animos eſſe diuini ſpiritus particulas, & quaſi ra-
dios diuinitatis, hominem cognatum Dijs fatebatur. Ad-
Ar.l.7.met.t. 28. dite vos è philoſophiæ nartheciis, ſimile ſemper à ſimili ge-
nerari: promite de myrotheciis Theologiæ filium ad ima-
ginem ac ſimilitudinem patris procreari, quemadmodum
de Seth Adæ filio diuina oracula loquuntur: repetite me-
Gen.5. moria clariſſimos quoſque philoſophos docuiſſe, noſtros
animos à Deo nobis ingeneratos; eorum parentem ſingu-
lari modo rerum omnium auctorem eſſe Deum, quo mo-
do rem aliam nullam procreauit: & conficite concluſionẽ
è conſecutione neceſſaria; philoſophis in animo noſtro ne-
ſcioquam adumbratam imaginem diuinitatis apparuiſſe.
Triſmeg. l. ad Aſclep. Quid enim aliud voluit Hermes Triſmegiſtus, cum men-
tem non à diuinitate abſciſſam, ſed quaſi explicatam velut
ſolis lucem docuit? Quid Pythagoras cum omnium ami-
Aug.Eug l. 9. de peren. philoſ.cap.21. corum, & diſcipulorum auribus inclamabat diuinam eſſe
nobis originem? Quid M. Tullius, cum animorum origi-
nem nullam in terris reperiri poſſe dicebat, ſed eſſe à ſu-
Ouid.l.1.metam. premo Deo generatos? Quid poetæ ſapientiores, qui vel
diuino ſemine genitos, vel ab æthereis ſedibus venire
mortalium immortales animos decantabant? Non aliò
Ar.l.2.de gen. anim.cap.3. ſpectat Ariſtoteles iniuria detortus per iniquiſsimas in-
terpretationes à veritate; cum mẽtem diuinam eſſe nobis,
eamque extrinſecus in corporis domicilium aduenire de-
cernit. Non alio denique Epictetus, qui Deum parentem

Digitized by Google

hominis, hominem viciſſim Dei filium; cum eodem nobis eſſe cognationem; animos noſtros particulas eſſe diuinitatis ab ea defluentes affirmat. Qui tam conſtanter animos noſtros aſſerunt filios Dei ſummi parentis: hi negent eos imaginem aliquam in ſe ferre diuini genitoris? Poſtremum vnde nam exorta ſunt, niſi ex hac philoſophorum doctrina de animi noſtri cum Deo ſimilitudine, cognatione, imagine: quæ vel prope abeſt, vel attingit veritatem: illa prouerbia, quæ manarunt in vulgus, & mirabilem in modum hominum explicant dignitatem; cum vel mortalis,
5 vel ſecundus, vel terreſtris Deus nuncupatur? Sed iam tandem ab vmbraculis philoſophorum, in apertam lucem atque ſolem Theologiæ, diuinorumque oraculorum tranſeamus: inter quæ nonnullum habent locum Sibyllæ: quæ quòd putantur diuino afflatæ ſpiritu multa futura prædixiſſe, vel myſteria patefacta diuinitus enunciaſſe, ſæpe S. Auguſtinus earum teſtimoniis impiorum hominum afflixit audaciam. Non illæ prætermiſerunt hanc diuinitus in nobis ingenitam imaginem: liquido cecinit ex earum numero, ſiue Erythræa fuerit, ſiue alia, cuius verſum prodidit Lactantius Firmianus.

Arrian. l. 1. de doctr. Epict. c. 3. & 9.

Cic. l. 2. de fin. orat. 10. n. 25.

S. Aug. or. contra Pag. & ep. 155. l. de quinque hæreſ. l. 13. contra Fauſt. cap. 15.

Εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

Imago mea eſt homo, rectam rationem habens.

Lact. l. 2. diu. inſtit. cap. 10.

Et in principio libri primi Sibyllinorum oraculum; vbi factus hominis deſcribitur; diuinus λόγος dicitur virum pulchrum atq; præſtantẽ procreaſſe εἰκόνος ἐξ ἰδίης ἀπομαξάμενος *ab imagine propria ducens*. Quod Sibyllæ ſub inuolueris obſcurorum verborum minus perfecte ſignificant, id oracula diuina per linguam ſtylumque Moſis, Salomonis, Pauli, Iacobi diuinitus enunciata, commendataque chartis aperte ac manifeſto docent. Moſes enim Mundi procreationem, rerumque omnium, quæ mundi complexu continentur, accuratiſsime referens non ſemel pronunciauit, Hominem conditum *ad imaginem ac ſimilitudinem Dei*. Salomon de Deo loquens: *Ad imaginem ſimilitudinis*

Sibyll. orac. lib. 1.

Gen. 1.
Sap. 1.

ſuæ

ſuæ fecit illum: Paulus; *Imago et gloria Dei eſt*; Iacobus, *Ad ſimilitudinem Dei facti ſunt* homines. Quibus è locis duplicem eruimus veritatem. Primum quidem fictum hominem archetypo Deo ſimillimum, quoad rei natura patiebatur. Atque huius magnæ ſimilitudinis declarandæ cauſſa diuina ſcriptúra non *ad imaginem modo* dixit, ſed etiam *ad ſimilitudinem* adiunxit. Etenim quædam ſimillima ſunt, ut ouum ouo, ſed non imagines mutuæ: quædam vero referunt imaginem alicuius, ſed ſimilem parum; qualia ſunt imperitorum artificum ſimulacra. Quo facilius intelligeremus eſſe imaginem ab opifice ſapientiſsimo perquam ſimilem prototypo confictam, idcirco tum prophetæ, tum Apoſtoli diuinitus inſtincti, *Ad ſimilitudinem* addiderunt: quaſi dicerent, Imago diuinis impreſſa manibus in homine, tam ad viuum refert naturam diuinam, quàm quæ maxime: tam ſimilis eſt homo per eam Magno Deo creatori trino & vni, vt eum quam maxima poteſt ſimilitudine repræſentet. Itaque duo illa verba ſynonyma ſunt, ut poſt Philonem Auguſtinus, & alii doctores, quos innuit Iſidorus Peluſiota, cenſuerunt: quorum verborum poſterius, priori vim maiorem tribuens quodam modo per expolitionem illius notionem adauget. Atque hanc magnam
præſtantemque ſimilitudinem, quam ad Deum habet, & 6
in ſe gerit imago, non obſcure ſignificauit tempus, quo diuinæ poteſtatis penicillo, naturalibus & coloribus & lineamentis eſt depicta: quod contigit poſt res omnes alias procreatas. Scio rationes ab aliis alias, & à Philone potiſsimũ afferri; de cuius fonte Græci Latinique biberunt; cur poſtremo loco ſit homo factus, & in eius immortali mente Deo perſimilis effigies inſculpta. Memini cum primis illas referri pulcherrimas: Principi rerum, imperaturo cunctis, in Mundum venturo, parandum ante fuiſſe regnum, & ea quibus poſſet imperare: regiam omni ſupellectilis genere exornandam; cellas penu complendas; conuiuium epularũ variatum extruẽdũ apparatu: theatrum ſpectaculis, ludis,

choreis

1. Cor. 11.
Iac. 3.
S. Aug l. imperf. de gen. ad lit. cap. 16.
Hier. Oleaſt.
Ben. Perer.
Eman. Sa.
Mart. Delr. in c. 1. Gen.
Io. Lor. cap. 2. Sap.

Philo l. de opif.
S. Aug q. 4. in Deuter.
S. Iſid. Peluſ. l. 3. ep 95.

Philo. l. de opif.
S. Chryſ. hom. 8. in Gen.
S. Nyſſ. l. de opif. hom. cap. 2.
S. Ambr. ep. 38 ad Horont.
Procop. in c. 1. Gen.

choreis ad omnem voluptatem inſtructum ædificandum. Præterea natura & conditione contemplatori, res eas præmittendas fuiſſe, quas contemplaretur; & quibus tamquam gradibus ad Molitoris omnium cognitionem, amorem & cultum aſcenderet: non decere athletam intrare ſtadium ptius, quàm præmia certaminis eſſent in promptu; cælum coronam eſſe, terræ fructus partem præmiorum; orbem terrarum ſtadium, in quo ſtrenuæ fortiterque pugnandũ. Adde principium ac finem ſolere in omni re fieri præſtantiſſima: cælum primo loco factum eſſe, nobilitate primum inter corpora: decebat hominem, qui nobiliſſimus eſt inter omnes animantes, & quaſi finis Naturæ, poſtremum procreari. Nauis denique rectorem ac magiſtrum in eius poſtrema parte, quæ puppis eſt, conſueuiſſe locari, vt commode gubernaculum regat, nauimque totam moderetur: talem in Mundi nauigio fluctuante, propemodum hominem fuiſſe conſtitutum. Collaudo qua debeo reuerentia, præclaras adeo veterum patrum rationes; quas omnes prætereo, quòd ad inſtitutam de imaginis præſtantia diſputationem minus faciunt. Aliam profero, quæ noſtræ imaginis dignitati, ſimilitudiniſque magnitudini declarandæ mihi videtur aptiſſima. Quod Natura rerum caducarum procreatrix in illis generandis; quod Ars imitatrix Naturæ facit in rebus artificioſis confingendis; quæ ab imperfectis *Philo. l. de opif.* ordiens, ad perfectiora progrediens, in perfectiſſimis conſiſtit: idem Naturæ parens Deus, artiſque magiſter, in effectione Mundi docuit vtramque exemplo ſuo, cùm hominem vltimo loco, *quaſi Naturæ finem*, vt loquitur S. Ambroſius, effinxit. Primum enim res quaſdam è nihilo iuſſit exiſtere tamquam vmbras; *S. Ambr. ep. 38 ad Horont.* ſui deinde altàs quaſi veſtigia corporis in puluere: poſtremo perfectam depinxit in homine coloribus optimis imaginem ſui conſimilem ſibi; qua partibus omnibus expleta, ab omni opere conquieuit. Vmbras appello cæleſtes orbes, elementa, ceteraque corpora, reſque omnes ex illis concretas vita ſenſibuſque carentes,

Philo. l.2.allegor legis. Philonem imitatione ſecutus, qui Mundum hunc, inanimatorum corporum globum, vmbram Dei ſapienter nominabat. Namque vmbra puncto temporis, nulla mora; citius quàm dicitur, è corpore denſo, quod Soli fuerit obiectum, proijcitur: res inanimatæ ſimul ac diuinæ mentis clariſſimus ſol, nutus ſui radios immiſit in nihilum, in mundum prodierunt. Illa ſi lumen, vnde pendet, ſubtrahas, illico ex oculis euolat, & vero etiam è rebus euaneſcit: res inanimæ, ſi manum lucemque conſeruatricem Deus remoueret, è natura rerum protinus in nihilum deperirent. Illa, quia vacuitas eſt lucis ex obiecto craſſo corpore emergens, adeo leuis & manca res eſt, adeo natura omni priuata (vnde priuationis nomen inuenit in ſcholis) vt nihil propemodum eſſe potius, quàm aliquid eſſe videatur: hæ tametſi aliquid ſunt, quia exierunt è nihilo, ſenſibusque ſe ingerunt; tamen & cum infinitate diuinæ naturæ comparatæ, vnde plane dependent quoad ſunt; & quia non à ſe ipſis habent vt ſint; aut non eſſe, aut prope nihilum eſſe dicuntur: quod Auguſtinus in hoc doctrinam Platonis approbans clare pronunciat. Denique refert vmbra non nihil corpus illud concretum atque obſcurum, cuius oppoſitu gignitur; refert magnitudinem eius, ſi non temere lumini obijcitur: res inanimatæ pariter, omnium minime Deũ innuunt, & tamquam adumbrant; poteſtatem tamen eius ſignificant infinitam, quia, vt cetera omnia, virtute diuina è nihilo extiterunt. Productis in hanc rerum officinam vmbris inanimorum, admirabilis fictor progrediens ad excitanda clariora ſuæ benignitatis ac pulchritudinis argumẽta; res vita ſenſuque præditas ex eodem nihilo expreſſit; à quibus planius vt perfectioribus, quàm ab inanimatorum genere referretur. Eas veſtigia voco: non modo pedum, ſed etiam totius corporis, vt ita dicam, præpotentis Dei: per quæ nos homunciones contemplatione oculorum, & mentis euntes; magnitudinem animo metientes ſpeciem notantes, ratione aliud ex alio inferentes, poſſumus ad ef-

Plato in Sophiſta & in Tim. S. Aug. l. 8. de Ciu. cap. 11.

8

fe-

ſectoris vim, bonitatem, infinitatemque cognoſcendam peruenire facilius, quàm Pythagoras ex Herculis pede grā- *Orat. 20. n. 28.* ditatem corporis eius deprehendit. Non ignoro hoc veſtigii nomen ad res omnes procreatas à magnis viris deferri: non me fugit res quoque animatas ob rationes allatas recte vmbras poſſe nominari: ſed placuit illas vmbrarum, has veſtigiorum nomine conſignare: quòd, quemadmodū veſtigium, totius præſertim corporis, magis corpus refert, vberioremque notitiam eius, animis noſtris creat, quàm eiuſdem vmbra: ſic animata corpora maiorem nobis ingerunt Dei cognitionem, quàm inanimata: tum ſi inter ſe componantur, ſimiliora vmbris in referendo Deo, quàm hæc illa cernantur; ſimiliora veſtigiis hæc, quàm illa cenſeantur. Verum optimus artifex, nec vmbris contentus, nec veſtigiis, quæ nomen imaginis non merentur, ex illis gradum fecit ad eam imaginem formandam; quæ tametſi cum Deo comparata eſſet imperfecta, tamen imago proprie diceretur, & eius, vnde expreſſa eſſet, tam ſimilis, quā *S. Th. 1. p. q. 93 ar. 1. & 2.* rei productæ de nihilo natura pateretur. Hac effecta prodit hiſtoria diuina Deum conquieuiſſe *ab vniuerſo opere quod patrarat.* Cur hoc, Auditores? Abſoluerat opus, quod men- *Gen. 2.* te conceperat: imaginem omnes res factas ſimilitudinis ſui præſtantia vincentem ac perfectione ſuperantem condiderat: ad rerum finem ab æternitate deſtinatum peruenerat: quid amplius erat illi faciendum? Non fuit illi nomen ſuum operi perfecto inſcribendum, cum illo cautionis pleniſſimo verbo *faciebat*, quo Polycletus & Apelles vtebantur, vt contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici re- *Pl. præf. hiſt. natur.* greſſus ad veniam emendaturo quidquid deſideraretur: propterea quod opera diuina tacite ſingula atque vniuerſa voce pulchritudinis ordinis, artificii, quo ſunt effecta & elaborata clamant, *Ipſe fecit nos:* & earum abſoluta perfectio *Pſal. 99.* *facere et faciebat* iure repudiat; quibus *fecerat, et feciſſe* conueniat. Non ſigna vlla fuerunt illi rebus addenda; quibus *Gen. 1.* nominis loco, memoria conſeruaretur auctoris, quod Sau-

ros & Batrachus Lacones architecti in Octauiæ porticibus
Pl.l.36.cap.5. fecerunt;qui pro negata inſcriptione, ranam & lacertam
argumenta nominum ſuorum inſculpſerunt:nam in rebus
ſingulis procreatis aliquid eminet, vt ſignificaui, ſiue vmbra,ſiue veſtigium,diuinitatis ac Trinitatis & argumentũ,
& indicium. Placuit ſummo fictori rerum, non Phidiam
Cic.l.de or. imitari,ſed docere; qui Mineruæ ex ebore clypeo ſic ſuam
Val.l.8.cap.15 effigiem incluſit,implicuit,infixit,vt opere integro reuelli
illa non poſſet. Itaque perfecto Mundo ſuam imaginem,
hominis animum affixit, vt ex ea clarius, quàm per nomẽ,
aut per argumenta parens ipſius & architectus intelligeretur;atque ita infixit, vt nec ex homine refigi ſalua natura
hominis queat; neque tolli de Mundo, ſine perturbationẽ
rerum omnium,& magna confuſione poſſit. Naturam rerum vniuerſam ſigillo ſuo, cum hominem finxit, obſignauit annulo ſignatorio poteſtatis infinitæ: in cuius gemma
non leo, non aquila, non draco erat inſculptus, ſed ipſe
Deus artifex ac princeps. Maximorum imperatorum ac
regum eſt vſus imaginis propriæ. Cæſar Auguſtus princeps imperij Romani rectorque terrarũ orbis, poſt ſphingem,poſt Alexandri Magni effigiem in obſignando ſuam
Pl.l.37.cap.1. Suet.c.50.in Auguſto. D.o.l.51. imaginem adhibuit (qua ſequentes imperatores vſi ſunt)
ut qui iuſſa,litteras, dicta legerent, ſimul ex imperio ſe habere dominum; & ex imagine, qualem haberent dominũ,
intelligerent. Deus iure naturæ,non belli,dominus Mundi;non voluntate mortalium,ſed ſua rex & gubernator orbis vniuerſi: ſuam item imaginem annulo æterno virtutis
effectricis impreſſit homini,& in homine,rerum vniuerſitati præpoſuit,vt ex ea pariter & eum eſſe Mundi dominũ,
qui Mundum ſigillo conſignat, intelligeremus; & ex impreſſo charactere, de facie propemodum agnoſceremus:
Hanc imaginem pictæ ſimilum ſibi cogitatione fingebat
Ambroſius. Animus immortalis eſt tabula:lineamenta gradus rerum aliarum viuentium, qui eminent in homine ra-
S.Ambr.l.6.in Hex.cap.8. tione perfectiore:pigmenta,facultates animi:colores, pro-

pric

prietates diuinis perſimiles, vnde ſimilitudo Dei mirabiliter elucet: penicillus, diuinæ vis poteſtatis, ex his omnibus rebus, aliisque multis nos latentibus, imaginem Deo ſimillimam, & nulli vetuſtati obnoxiam educentis. At mihi naturam hominis ſæpe contemplanti, cogitatio noſtrũ

10 animum, quem omnis materiæ concretione liberum ſpoliatumque cognoſcebat, læui, nitido, atque illuſtri ſpeculo conſimilem ſuggerebat. Nulla enim res, neque à natura facta, neque ab arte ficta eſt, in qua magis ad viuum cuiuſcumque imago repræſentetur, quàm in ſpeculo: in quo, nõ modo partes, lineamenta, magnitudo, notæ, colores, vt in ſtatuis tabuliſque fictis referuntur, ſed etiam mores, affectus, motus, geſtus, venuſtas, ætas, vitaque ipſa conſpicitur, quam ſimulacra non exprimunt. Itaque Deum in animo creando videre mihi videbat ſe ſe illi componere; continuoque ſuam imaginem obiectu toto in eo penitus imprimere ſic, vt non prius tempore, ſed ordine procrearetur animus, quàm ſignaretur. Attendite nunc, Auditores, quã inter ſpeculum animumque conueniat. In ſpeculo ſic ab obiecto corpore pendet imago, vt abeunte illo, fugiat & imago de ſpeculo; perſtet immobilis, eodem aſtante: in animo ſi Deus conſeruatricem præſentiam tantiſper auerteret, imago protinus cum animo exterminaretur: præſente Deo conſeruatore, naturaleque ſubſidium conſeruationis, quod denegare non ſolet ſubminiſtrante, in damnatis quoque ad inferorum flammas integra perſeuerat. Exprimit illud oppoſiti corporis partes, motum, colores, affectus, geſtuſque ſimillimos: eminent in hoc inferiorum rerum gradus, facultates, actiones, habitus, imperium, & aliæ multæ perfectiones, de quibus poſtea differam, diuinis ſimiles, quas ſi non æquant, quòd infinito diſtant à noſtris interuallo, referunt quidem certe aliquo modo & adumbrant, quia ſunt in imagine; tum quoad vires humanæ ferunt,

Lucr. l. 4.
Orig. l. 1. de princ. cap. 2.
Orat. 1. n. 21.

11 æmulantur. Quidquod Elephas, mons, ſol, quæ corpora ſunt ingentis magnitudinis, mira quadam ratione, quam igno-

ignorare me fateor,imminuta cernuntur in paruo ſpeculo tota, integra, partibus omnibus ac ſuis numeris expleta? Dei ſimiliter infinitas,poteſtatis eius,ſapientiæ. pulchritudiniſque immenſa magnitudo neſcio quo modo apparet in anguſtiis animi noſtri adeo repræſentata, vt viri ſanctiſ-
S. Ambr. l. 6. in Hex. cap. 8. S. Cyrill. Ieroſ. Catech. 9. ſimi Ambroſius, & Cyrillus Ieroſolymitanus nos cohortentur ad intrandum in nos ipſos cogitatione,quò facilius artificem noſtrum ex imagine cognoſcamus. In qua opinione priſci Græcorum Sapientes fuiſſe videntur, qui lit-
Orat. 20 n. 16. teris aureis Apollinis Pythij templi foribus inſcripſerunt γνῶθι σεαυτόν: intus vero in propylæo voculam hanc εἶ, quæ Latinæ ſonat *es* inciderunt. Quamquam enim Plutarchus
Plut. l. de ei in ſcripto. ab Euſebio probatus exiſtimat priore illo ſaluberrimo do-
Euſeb. l. 11. de prępar. cap. 7. Plato in Tim. & in Phædone. Aug. Eug. l. 3. de peren. philoſ. cap. 7. Dion. l. de diu. nom. cap. 5. Ex. 3. & 4. cumento introeuntes ab Apolline ſalutari;poſteriore vero vocula reſalutari Deum ab hominibus nobiliſſima ſalutatione, quæ tribuit illi, quod eſt ipſius proprium, *Eſſe*: cum apud Platonem aliosque bonos philoſophos Deus τὸ ὂν *Ipſum ens* nuncupetur:quod Dei nomen & Dionyſius Areopagita ex Academia philoſophus vſurpauit: & ab ore ipſius Dei manauit,qui de ſe ipſe dicebat ὤν *Qui eſt*:tamen crediderim probabilius fuiſſe ſignificatum ab illis ſapientibus, dandam operam diligenter nobis cognoſcendis; vt per noſtri cognitionem aſcendamus ad eius notitiam *Qui eſt*, hoc eſt ſummi Dei;de cuius archetypo diuinitus expreſſa eſt imago, quæ in nobis elucet. Denique de aſpectabili ſole dixit ille veriſſime,

Lucr. l. 4. *Sol etiam cæcat contra ſi tendere pergas;*

quamobrem illum ſine oculorum detrimento, periculoue
L. Sen. l. 1. nat. quæſt. cap. 12. cæcitatis intuemur in ſpeculo, quod vel minus expolitum, vel nigrore tinctum, vel contectum velo tenuiore ſoli nobisque obijciatur. Deum itidem non corporum, ſed animorum ſolem, quem in hac peregrinatione non intueri mentis acie,ſed ex effectis argumentando & ratiocinando perueſtigare & cognoſcere poſſumus; cum oculos mentis in hoc animi noſtri ſpeculum conijcimus ac reflectimus,

tan-

Digitized by Google

tantam ex imagine Dei nobis ingenita notitiam primi exemplaris comparamus, quantam nulla res alia ex procreatis, nec terra, nec cælum, nec animal, nec ſidera ipſa
12 ſuppeditant. Hic Auditores, in explicanda magnitudine ſimilitudinis, minime fas eſt obliuiſci nos veritatis alterius, quam paullo ante prodire dixeram ex eodem loquendi modo, vnde imaginis præſtantia probabatur; qua veritate diſcrimen continetur, quo noſtra imago differt ab ea, quæ eſt imago patris ὁμοούσιος. Præuiderat Moſes nos miſeros homunciones, in diſtinguendis rebus obtuſos labi ac decipi poſſe; vel inflatos magnitudine doni; vel per errorem mentis exiſtimaturos hanc imaginem Deo ſimilitudine coæquari. Ne tale aliquid contingat, præcauet vir ſapientia magnus, verbis ijſdem, quibus imaginis præſtantiam expreſſerat. Primum enim, vt Hebraicæ linguæ periti docēt, vox *beſelem* quæ vertitur *ad imaginem*, vel vmbratilem imaginem ſignificat, vel vmbram quæ corporis imperfecta ſimilitudo eſt: voci vero *Demuth* cui reſpondet *ad ſimilitudinem*, non vna notio ſubiecta eſt; quia tum aſſimilare ſonat, tum deficere. Quarum vocum ſignificationes, cautiones noſtræ ſunt ac monitiones, quæ nos docent, ſi cum archetypo Deo conferamur, tantum abeſſe perfectione, vt vmbræ leuiſſimæ ac viliſſimæ videamur, qui cum inanimatis compoſiti rebus, eas vmbras ducebamus: pluſque diſtare noſtros animos, quamquam imagine ſimilitudineque diuina inſignes, ab infinitate Dei, quàm à corporibus, fugientes euaneſcentesque vmbræ perfectione deficiunt. Deinde vetuſtiſſimus ac prudentiſſimus interpres noſter, ne noſtram imaginem ὁμοούσιον cum Deo putaremus; non imaginem ac ſimilitudinem Dei ſcripſit animum noſtrum eſſe, ſed fere ſemper *ad imaginem, et ſimilitudinem* effictū. Supremi ſempiternique parentis Filius ab æterno generatus è diuina mente, vapor virtutis Dei, emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera, candor lucis æternæ, & ſplendor gloriæ; quòd eiuſdem naturæ conſors, dignitate

Hier. Oleaſt. in c.1. Gen.

Sap.9.

Hebr.1.

te par,æqualis poteſtate patrem ſimillimum per omnia refert ad æqualitatem ; quod in eo diuinitas æque atque in illo collucet,eminet , ſubſiſtit ; iure in ſacris oraculis numquam dicitur ad imaginem Dei,ſed ſemper *imago*,vel *Dei*;
2.Cor.4. vel *Dei inuiſibilis* , vel *bonitatis illius*: vel *figura ſubſtantiæ*
Coloſſ.1. *eius* nuncupatur. Itaque vt obſeruauit Auguſtinus, homo
Sap.7. Hebr.1. nonnumquam appellatur imago (quod apud Paulum re-
S.Aug.l.7.de Trin.c.ult.l. 83.qq q 51. perias) vt egregia naturæ noſtræ dignitas demonſtretur: ſæpius ad imaginem & ſimilitudinem ſcribitur factus, vt
1.Cor.11. hanc noſtram dignitatem quantumuis magnam , plurimũ
Mar.Victor.l. 1.adu Arium. atque adeo infinite diſtare intelligamus ab ea imagine,quã
S.Th 1.p.q.93 ar.1.& 2. plenam , perfectam , conſimilem in eſſentia ſibi pater expreſſit atque impreſsit in Filio ; maioreſque noſtri recte ὁμοούσιον id eſt conſubſtantialem vocauerunt.Satis Auditores,longa diſputatione probatum eſt , imaginem Dei per- 13
ſimilem illi , longiſſime diſtantem à Filio noſtris animis inſitam à nobis geri. Caput alterum propoſitum flagitatis: cur in nobis ingenita:cur in Mundo collocata. Prima pars expedietur paucis. Noſtri gratia:in bonum noſtrum tanto munere ditati , nobilitati , ac decorati ſumus. Alcibiades
Plato in Symp. apud Platonem in conuiuio Socratem laudans formoſum animo,deformem corpore,ſimilem eum pronunciauit armariis quibuſdam arte factis è ligno , quibus Deorum ſimulacra domi ſeruabantur ; quæque clauſa Silenos turpes hom unculos de genere ſatyrorum, qui deſinerent in pecu dem,tibiam fiſtulamue tenentes manu referebant : aperta vero Deorum imagines incluſas pectore patefaciebant , Significabat ille Socrati corpus eſſe deforme ; belluarum affectibus perturbationibuſque natura obnoxium, vt Zopyrus ex aſpectu facieque coniecerat ; nihil extrinſecus apparere boni præter eloquentiæ ſuauitatem : at intus incluſum pectore vilis corporis recondi animum ob virtutem, & ſapientiam pæne diuinum, quem oſtendebat , cum oratione pectus aperiebat . Scite per Alcibiadem Plato naturam conditionemque Socratis expreſſit. Verum, me iudi-

ce, conueniret aptius ea comparatio in hominem à Deo procreatum corpore vili, caduco, deformi, ſi cum animo componatur: cuius pars inferior beſtiarum ſimilis in appetitionibus alienis à ratione proſequendis: cuius os & lingua ſuauiſſime, tum canendo, tum eloquendo vocem modulatur; cuius denique in pectore clauditur animus ad Dei ſimilitudinem ita effectus, vt numinis immortalis ſimulacrum vere ſit, & imago nominetur. Quid Auditores, tantus honos, tanta dignitas, tantum munus? Vt nos exornaret Deus; vt noſtrum genus nobilitaret, vt mentes noſtras ad cognitionem & amorem eius, cuius in pectore gereremus effigiem, excitaret: vt denique prodeſſet nobis, & ſingulari quadam ratione prodeſſet, cum ſeſſitans in animo per imaginem tamquam in templo locatam, appetitum à rationis imperio deſciſcentem in officio vicaria præſentia contineret. Etenim ſi depicta imago Polemonis philoſophi, propter oculorum modeſtiam, ſeueritatem vultus, atque oris ad conſtantiam virtutemque omnem compoſiti grauitatem, quam optime referebat (vt eſt auctor vir ſanctiſſimus ac doctiſſimus Gregorius Nazianzenus) procacem meretricem flagitium parantem, conſpecta oculis à flagitio patrando deterruit; quid imaginem præpotentis Dei, iuſtiſſimique iudicis in nobis eam acie mentis intuentibus facere conuenit; ſi tumultuantium perturbationum impulſu, ſi cupiditatis blandientis ſuaſu, ſi feruentioris iræ flammis incitati, diuinam aliquam legem violare, ſcelusq; committere moliamur? Nonne ſentimus omnes in intimis
14 animi receſſibus neſcio quem monitorem à maleficio reuocantem, cum paratur fraus? neſcioquem ſtimulum pungentem, mordentem canem, mucronem vulnerantem, cũ peccamus, aut in re aliqua deliquimus? Quid iſtud rei eſt? Conſcientiam reſpondetis: reſponſionem probo. Sed quid nam eſt iſta conſcientia, cuius angore cruciantur, cuius morſibus acerbiſsimis dies noctesq; ſauciantur, qui peccarunt? Recta ratio naturali colluſtrata lumine, quæ re nõ diſtinguitur à cõſcientia (vt paucis poſt menſibus theolo-

Philo. l. de opif. Cl. Alex. or. ad Gentes.

S. Nazianz. carm. de ſubm. & temp.

S. Th. 1. 2. q. 19 art. 5.

S.Baſil. cap. 1. prou. Lau.Iuſt.ſerm. de S.Marco. logicâ ſubtilitate docebo.) Dei vices in nobis tenet; & imaginis diuinæ præcipua pars eſt, de qua diſſerimus. Itaque hæc ipſa imago, quæ & rectæ rationis iudicium, & conſcientia dicitur; modo vt monitor, corrector, ac pædagogus, ex Origene, diuino inſtinctu tacite clamans, & intimis auribus ante patrandum ſcelus: vt notauit S. Dorotheus, vociferatur, *Noli facere*: quo clamore ſæpe animum iam iam lapſurum in culpam vel ſuſtinet, vel retardat. Modo tamquam acer & acerbus accuſator, vt Philo Chryſoſtomuſque loquuntur; aut ſalutaris aduerſarius, vt Saluator appellat; admiſſo maleficio commaculatum accuſat, obiurgat, & criminis commiſſi recordatione coarguit. Modo quaſi teſtis, ex Paulo, verax, fidelis memor; qui mille teſtibus oculatis, auritis, iuratis æquatur; aduerſus animum affinem culpæ producitur: nec teſtificari deſinit vmquam, tametſi repellatur interdum & cohibeatur; quia verum id eſt, quod propemodum Chriſtiane dixit ille,

Orig.l.2. in ep. ad Rom. S.Dorot.l. de conſc. Philo l. de immutab. Dei. S Chryſ. hom. 3 inc.6.Iſa. Matt.5. Rom.2.& 9.

Iuuen.ſat.15. *Nocte dieque tuum geſtas in pectore teſtem.*

Deinde poſt monitiones iteratas, poſt accuſationes ſummo iure factitatas, poſt teſtificationes, quæ conuincunt, vt æquiſſimus iudex, qui nec amicorum precibus mollitur, nec potentiorum minis terretur, nec locupletum largitione corrumpitur, nec odio, nec amore flectitur, à Deo conſtitutus, in tribunali diuino ſedet, vt Chryſoſtomi verbis vtar, & legem naturalem tamquam aſſeſſorem aſciſcit. Hic citatus reus; ſiſtitur ante tribunal, re præiudicata prope condemnatus, conuictus auctoritate teſtis, ſine quæſtione, ſine tortore crimen confitetur; pœnam lacrymis deprecatur. Verum quoniam agitur ſummo iure, nec rei fletu commouetur iudex, probe cauſſa cognita ſententiam pronunciat, reumque condemnat. Poſtremo damnatum eademmet conſcientia maleficiorũ, vt carnifex ac valẽtiſſimus tortor, exquiſitiſſimis ſupplicijs, angore animi, recordatione malefacti, pœnæ metu ſempiternæ vexat, cruentat, excarnificat. O iudicium, o ſeueritatem. Philoſophi, qui ſacros libros

S.Chryſ. conc. 4.de Laz. & hom.4.in ca.6. Iſa.

bros

bros noſtros non viderunt; ex eo quod experiebantur in ſeſe hanc diuini iudicij formam, hanc ſeueritatem, hunc iudicem in nobis reſidentem ac Dei gerentem vices agnouerunt. Propterea L. Seneca nunc narrat apud ſe quotidie cauſſam dicere: nunc Lucilium hortatur vt inquirat in ſe; tum primum accuſatoris partibus fungatur, deinde iudicis, poſtremo deprecatoris: aliàs miſerum eum appellat, qui contemnit hunc teſtem. Quàm clara illa, quàmque præclara ſententia Dei præſentiam confitentis? *Prope eſt à te Deus: tecum eſt; intus eſt: ita dico Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſeruator et cuſtos.* Si igitur diuinorum oraculorum, ſanctorum patrũ, philoſophorum veterum, & veſtrum quoque omnium teſtimonio monet nos atque impellit ad bonum; reuocat ab improbitate; deterret à malefactis; accuſat reos; conuincit teſtimonio, plorare cogit, iudicat ſummo iure, damnat iuſtiſſime, cruciatu pœnam exigit hoc Rationis vicariæ Dei iudicium, quod conſcientiam dicimus; maxima pars imaginis, vt audietis: quis dubitare poteſt, quin impoſita ſit à
15 Deo nobis hæc imago noſtræ cauſſa ſalutis? At ſi quæratis cur in Mundo collocata fuerit (quod ſecundo loco perpendendum erat) ratione Dei ipſius archetypi, reſpondebo. Nam vt in nobis illam incluſit, vt homini eſſet bono; ſic in mundo pariter expoſuit conſpiciendam rebus cunctis, vt ſibi eſſet honori; qui admiratione, terrore, veneratione contineretur. Videtur maieſtatem decere maximorum Principum ac Regum, vt quò corpore peruenire non poſſunt, eò ſuam transferri curent imaginem; quam celſo ac nobili ſtatutam loco ſubiectæ gentes ipſorum imperio contuentes in ea, vel agnoſcant de facie dominum ſuum; vel quaſi præſentem metuant; vel honore debito venerentur. Factitatum id fuit à Romanorum Imperatoribus, miſſa per prouincias atque exercitus effigie, quæ in Ciuitatibus exponebatur in prætoriis; in exercitu vero una cum Aquila militaribusque ſignis exhibebatur. Horum nonnulli eò; ſuper-

L. Sen. l. 3. de ira cap. 36. Ep. 28. 41. & 43.

Procop. in c. 1. Gen.

Iuſt. Lypſ. cõm. Tac. l. 15. annal. Inſcript. orb. Rom. fol. 444 n. 5.

Herodian.l.5. in Antonino. ſuperbiæ ne dicam,an dementiæ, an impietatis? progreſſi ſunt, vt in templis aliiſue publicis locis locatam imaginẽ, immolatis hoſtiis, odoribus incenſis, libationibus, epulis, ludis, cunctiſque diuinis honoribus coli turpiter imperarint. Quæ res,quàm primis orientis Chriſtianæ religionis cultoribus moleſta fuerit ac periculoſa, cunctæ teſtantur hiſtoriæ: quàm prudenter à Chriſtianis Imperatoribus periculum hoc impietatis ſublatum Gratiani & Theodoſii leges de ſacris vultibus & imaginibus imperatorum latæ declarant. *L.un. publica. let.C.l.12. l.un. de imag. Imp. C.Theod.* Itaque Deus Opt.Max.noſtris moribus ſeſe accommodans, diuinæ atque infinitæ maieſtati ſuæ conuenire exiſtimauit,ut in hac mundana prouincia, quamquam infinitati ipſius perexigua;ubi nullis mortalium oculis aſpici,nec poteſt,nec fas eſt; præſens fieret modo quodam ſingulari,per effigiem ſuam ualde ſimilem;per imaginem impreſſam in homine, quem ob id Lactantius Dei ſimulacrũ nominabat:& quemadmodum ſcriptum reliquit Chryſoſtomus, *homo id eſſet in Mundo, quod eſt in cælo Deus.* *Lact.l.6.diu. inſtit.c.10. S.Chryſ.l.1.de prouid.* Atque hac ratione fiebat,ut ſimul honoraretur homo,qui Dei uices, Deum in ſe ipſo repræſentando tueretur; & ipſe Deus, qui luce circumfuſus immenſa diuinitatis ſuæ cadere in aſpectum nullius animantis poteſt; in hac præclara imagine, tamquam in tabula picta, uel in ſtatua, uel in ſpeculo cerneretur. 16

Quamobrem non dicam hanc imaginem conſtitutam eſſe in mundo uel ut in puppi gubernatorem; uel in annulo gemmã; uel in regia principem; uel in cœnaculo conuiuã; uel in regno dominũ; uel in noua urbe ſtatuã uel denique in theatro ſpectatorem, quod uiri docti putauerunt: ſed in ſanctiore nobilioreque loco, qui diuinum ſimulacrum deceret, tamquam in templo religioſiſſimo ſignum eſſe collocatum. Templum eſt hoc totum uniuerſitatis corpus; quod non ſolum apud Ciceronem Scipio dixit è doctrina ueterum, qui mundum animatum falſo docuerunt; *Cic.l.de ſomn. Scip. Macr.l.1.cap. 14.in eum loc.* ſed etiam ipſe Deus innuit; cum deſcriptionem Ieroſolymitani templi, quod magnitudine, ſpecie, copiis,

Apol-

Apollinis Delphicum, Epheſinum Dianæ, Gazæum Marnæ, Serapidis Alexandrinum, Capitolinum Iouis, & quodcumque aliud orbis celebre ſuperauit; ad Mundi ſimilitudinem expreſſam tradidit Salomoni. Globus elementorum in hoc ampliſſimo mundi templo, pro veſtibulo eſt: cæleſtium ſphærarum complexus elementa cingens, vbi ſeptem planetæ collucent, eam partem templi refert, quæ *Sancta* dicebatur, & ſeptem lucernis ardentibus in candelabro illuminabatur. cælum ſtelliferum ſideribus multis diſtinctum, quod empyreum cælum beatorum ſedem ab reliquis corporibus ſeparat, pro velo illo eſt, quod hyacinthino potiſſimum colore tinctum, floribus reſperſum, & rebus omnibus, quas inanimatas fert natura depictum, inter mediam ſupremamque partem erat interiectum: empyreum denique cælum illi parti ſanctiori reſpondet in templo, quæ *Sancta Sanctorum* nominabatur. In atrio templi tam mirabilis, ſuo tempore in adyta transferendum, hoc ſimulacrum ſui, ſummus Pontifex Deus collocauit, triplicem ob cauſſam quæ in ipſius laudem gloriamque redundat. Primum quidem, (verba referam Ambroſii ſanctiſſimi doctiſſimique viri) *vt omni creaturæ eſſet miraculo:* quod interpretor, vt omnes res creatæ ſi non mente atque intelligentia, quibus carent; inſtinctu certe naturæ, modo quodam nobis incognito, quo & audire Dei vocem, & eius enarrare gloriam dicuntur; ſpectent, admirentur, obſtupeſcant hunc hominem, qui propter diuinam imaginem, quaſi quoddam miraculum, omnia mundi miracula, ſi qua ſunt tanto digna nomine, admirabilitate vincit. Hinc à Mercurio Triſmegiſto miraculum ingens: diuinum inter animalia miraculũ à Platone: naturæ audaciſſimæ τέχναιμα hoc eſt opus artificio mirabile perfectum à Zoroaſtre eſt appellatum. Quæ admiratio naſcens è perfectione tanti operis; è ſplendore tam formoſæ imaginis, tota in auctorem, ut in rebus artefactis vſuuenit, tota in archetypum refertur. Deinde videtur voluiſſe Deus vt non tantũ crea-

2. paralip. Ioſeph. l. 6. de bello Iud. c. 6.

Ioſeph. l. 3. de antiq. c. 5. l. 8. cap. 2.

S. Ambr. ep. 38 ad Horont.

Merc. Triſmeg.

Marſ. Fic. leg. dial. 1. de argum.

Zoroaſt. in orac.

S. Baſil. hom. 10. Hexam

tis

Philo.l.de opif. tis rebus admirationi, ſed (quod obſeruauit Philo Iudæus) eſſet & terrori. Pertinet metus aliquis moderatus ad dominatum: neceſſarius eſt ad gubernationem: cohibet ſubiectos à ſcelere pœnæ formido: proinde qui paterna cura; & amoris ſuauitate cuncta moderatur Deus, & metum à ſubiectis ſuis requirebat. *Et ſi dominus ego ſum*, inquit, *vbi eſt timor meus?* Nec male opinantur viri docti, qui nomen Dei θεὸς apud Græcos deriuatum à Δέος qua voce ſignatur metus, dixerunt; quòd vel timorem incutiat, vel ſit ab ijs, quibus imperat, metuendus: quam appellationem Latini ſuſceperunt, quibus mundi parens ac rector vocitatur Deus. Fulcitur opinatio Philonis ſacris hiſtoriis, in quibus illa habentur verba diuino ore pronunciata; *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Nam, vt res ipſa docet, naturaliter animantes hominem metuunt; aſpectum, vmbram (vt notauit poſt Baſilium Ambroſius) uocem, minas eius fugiunt: verborum metu non modo manſuetas oues in gregem agit; ſed etiam feroces equos pati frenum, onera ferre, currus trahere; vaſtæ molis elephantos ſubire turres, per extentum funem ambulare; canes auidos prædam ſine vulnere dimittere cogit: vrſos leoneſque manſuefactos habenis ducit: nec in hominem inſultare audent feræ, niſi vel iniuriis irritatæ, vel fame ſtimulatæ, vel alia perturbatione incitatæ; tametſi poſt Adæ lapſum earum timor aduerſum hominem remiſſus eſſe videatur. Itaque belluæ dum ad hominis aſpectum ac vocem trepidant, qui Deum auctorem omnium imagine refert, Deum ipſum in homine timere, ac vereri putantur. Poſtremum ex eodem Philone, ſtatuit in hoc templi veſtibulo Deus hanc ſuam imaginem, vt cunctæ res, & animantes in primis, admiratione metuque obſtupefactæ, uel hominem tamquam dominum ac rectorem à Deo ſibi ipſis impoſitum; vel in homine quaſi vicario Dei, principem omnium ac Regem eo, quo poſſent cultu venerarentur. Cur ſtantem hominem atque erectum corpore, demiſſo illæ

Malach.1.
Girald.ſyntag. 1.de Dijs gent.
Gen.9.
S.Ambr.ep.32 ad Horont.
S.Baſil.hom. 10.in Hexam.
S.Ambr.l.6.in Hex.cap.8.
S.Chryſ.hom. 8.in Gen.
Philo l.de opif.

Digitized by Google

illæ capite, ad terram inclinatæ, toto pronæ corpore circū-ſtant, ſequūtur, intuētur? Si Procopio Gazæo Græco interpreti veteris inſtrumēti credimus, ut quo cultu maiore poſſunt, inſtinctæ diuinitus imaginem Dei corporis humani uelo coopertā colant, Deumq; in imagine relatum venerentur. Sed iam, ut arbitror, Auditores, expectatio ueſtra *Procop. Gaz. in cap. 1. Gen.*

18 reuocat orationem meam ad poſtremum caput diſputationis: ubinam, & quibus rebus tamquam lineamentis & coloribus hæc tam inſignita imago contineatur. Dementiſſima hæreſis à Philaſtrio notata, & communiter à SS. Patribus refutata eſt illorum, qui tantum donum in corpore ſtatuebant: ſiue contaminati Anthropomorphitarum errore fuiſſent, qui Deo membra vera tribuebant: ſiue ſomniaſſent hominem factum ad imaginem filii Dei, qui naturam humanam ad quinque annorum millia ſuſcepturus erat: quod nec S. Epiphanio, nec ulli prudentium theologiorum placuit. Vmbram tenuiſsimam huius imaginis in corpore admittunt magiſtri Theologiæ, cum eam *ſignificatiue, & arguitiue* ineſſe concedunt, id eſt tamquam in ſigno & argumento; quod Auguſtinus, Iunilius, ac Bernardus in erecta corporis forma, qua præſtare hominem belluis; & aliquid in nobis latere cœlo dignum indicat, poſitū crediderunt. Inuſta igitur in animi eſſentia eſt; ingenita in intimis eius quaſi medullis hæc imago; vt mea communiſque Theologorum, ac veterum doctorum fert opinio; quia hic homunculus uiribus infirmus, humilis aſpectu, ſtatura paruus, corpore mortalis, attingit animo meliore ſui parte ſupremum naturæ gradum, in quo Deus eſt: in ſummo faſtigio rerum cum Angelis ac Deo collocatus eſt: tametſi quod ad gradus perfectionem attinet, infinito diſtat interuallo; ſpatiorumque immenſitate, nullis humanæ mētis uiribus conſpicienda ſuperatur. Meminiſſe uos puto, quod Ariſtoteles effatus eſt aliquando, ſpiritu afflatus cæleſti, *Diuini eſſe ſapere & intelligere*: quo fit ut homo, qui procreatus eſt rationis compos, mente præditus, intelligen-

Philaſtr. l. de hæreſ.
S. Epiphan. ap. Hier. ep. 60.
Bened. Per. l. 4. in Gen. q. 3.
S. Aug. l. 6. de Gen. ad lit. cap. 12. l. 1. de gen. contra Man. c. 17. l. 83 qq. q. 51.
Iunil. Afer. in cap. 1. Gen.
S. Bern ſer. 24. in cant.
S. Th. 1. p. q. 93
Greg. val. t. p. de fine hom. q. 3. pun. 1.
Ar. l. 4. de part. anim. cap. 10.

tis

tis naturæ,ſapientiæ capax ; quamquam inferior in infinitum Deo perfectione, cum eo tamen natura conueniat. Atque hæc eſt, illa cognatio & affinitas, quam principio diſputationis nobis cum ſupremo Parente rerum,per imaginem eſſe dicebam : ita ut non aliud ſignificauerit magnus ac primus hiſtoricus Moſes, cum factum hominem ad imaginem Dei ſcripſit;quam rationis participem,& intelligentis naturæ procreatum ; quod Ioannes Damaſcenus primo loco in ſua ratione imaginis expreſsit. Ex hoc 19
nobiliſsimo celſiſsimoque gradu naturæ tamquam à radice tam multæ perfectiones efflorefcunt, in quibus ueteres magiſtri doctrinæ cæleſtis ſimilitudinem inter hominem ac Deum repererũt;ſiue eſſentia,ſiue facultates,ſiue actiones animi ſpectentur. Si conſideres eſſentiam, in animo deprehendes immortalitatem ; æmulam æternitatis diuinę;qua Gregorius Nyſſenus, Auguſtinus, & alii multi doctores imaginem contineri cenſuerunt. Reperies eumdem indiuiduum eſſe,nulli obnoxium partitioni ; quo munere totus eſt in toto corpore, totusque in qualibet parte corporis;ad ſimilitudinem Dei,qui toti Mundo, rebusque ſingulis totus ineſt, penitusque intimus uitam motumque largitur. Quid quod rerum omnium gradus inferiorum continet? Colligit in ſe ſtirpium plantarumque vitam:animantium ſenſum & motum: quam ob cauſſam tum à philoſophis, tum à Theologis homo Microcoſmus, & epitome rerum omnium dicitur ; quas res in ſe nobiliore modo comprehendit, quàm ſint uel in animantibus, uel in plantis. Quo fit,ex Ioanne Damaſceno,ut referat Deũ, in quo res omnes,quæcumque ſunt,tamquam in cauſſa, præſtantiore modo,quàm in ſeipſis eminere dicuntur. Si conijcias oculos in facultates animi, quæ manant ab eſſentia, mentem,uoluntatem,ac memoriam,confeſtim apparet ex omnium fere ſententia Trinitatis imago miris modis uariiſq; ſplendeſcens : ſiue quòd tres ſint facultates in una eſſentia, quæ tres perſonas in una diuinitate ſubſiſtentes adũbrant;

S. Damaſc. l. 2. de fide cap. 12. l. Quom. ad imag. Dei ſit homo.

S. Greg. Nyſſ. l. de opif. hom. cap. 5.

S. Nyſſ. or. catech. cap. 5.

S. Auguſt. l. de quant. an. c. 2.

Orat. 10. n. 4.

Damaſc. l. Quom. ad imag. homo &c.

zii ſiue

ſiue quòd mens ſeſe intelligens concipit ex hac cognitione quandam imaginem ſui, quam verbum mentis vocant, vnde procedit amor: quæ ratio imaginis omnibus fere placet: ſiue quòd, vbi mens verbum conceperit, ex vtroque ſpiritus, ſeu ſermo producitur ac dimanat, qui Spiritui ſancto reſpondeat, vt Gregorio Nyſſeno ac Ioanni Damaſceno probatur. Quid de mente doctrinarum & artium habitibus referta, quæ intelligendo dicitur ab Ariſtotele omnia fieri? quid de memoria cuſtode imaginum, quas vel cogitatio finxit, vel ſenſus è rebus acceptas in eam immiſerunt? Nonne theſauros illos diuinæ mentis perfectionum, cognitionum, & idearum pleniſſimos non nihil æmulantur? Quod eadem humana mens in ſe ſuaſque actiones reflectat aciem, vt Baſilius obſeruauit: tum in cognoſcendo naturam, vires, functiones, opera ſua; quod nec ſenſui, nec animantibus, in quibus ſenſus eſt ſuprema facultas, datum eſt: tum iudicando recte ne an ſecus ſe res habeant; quod conſcientiæ munus eſſe dicebam: nonne imitatio quædã diuinæ mentis eſt; quæ ſe contemplans, adeo ſe ſuaque omnia cognoſcit, vt immenſitatem eſſentiæ ſuæ, diuinarumque perfectionum infinitatem comprehendat? vt eadem ſuæ diuinitatis comprehenſione beetur? vt cuncta quæ fe-
20 cit, iudicando *valde bona* eſſe pronunciet? Eumdem prætereà Deum nullo circumſcribi loco propter immenſitatem diuinitatis, nullo termino definiri, ſed cælum terramque complere, vt ipſemet loquitur apud Ieremiam; permeare penitus omnes Mundi partes, per omnia diffuſum; penetrare in rerum intimos receſſus ſine mora temporis; rebus omnibus infuſum, præſentem multiplici ratione vniuerſis ac ſingulis aſſiſtere; philoſophi quoque naturalis luminis ductu putauerunt. Hinc illud ex Arato Virgilii perpenſum ab Auguſtino, *Iouis omnia plena*: hinc apud Ariſtotelem Heracliti pronunciatum, *Ne à furnis quidem Deos abeſſe*: hinc Epicteti religioſa exiſtimatio Deum etiã
1 in tenebricoſo clauſoque cubiculo ſibi adeſſe perſuaden-

Nyſſ. l. de opif. hom. cap. 5.
Damaſc. l. Quom. ad imag. homo &c.
Ar. l. 3. de an. tex. 14.
Orat. 25. n. 10.
L. Sen ep. 65.
S Baſil. hom. 42. Attende tibi.
Gen. 1.
Ierem. 23.
Virg. Ecl. 3.
S. Aug. l. 5. ca. 23. de conſ. euang.
Ar. l. 2. de part. an cap. 5.
Arr. l. 1 de doctr. Epict. c. 14.

tis. Huius diuinæ perfectionis & humana mens æmula eſt
Theodor q. 2. in Gen. conceſſu Dei, vt Theodoretus, Lactantius, atque Ambro-
ſius philoſophantur; ſi non ſe tota per eſſentiam, vt Deus;
Lact. l. de opiſ. hom. cap. 16 cogitatione quidem certe, quæ mobilitate celeritateque
S. Ambr. ep. 38 ad Horant. & l. 6. Hex. cap. 9 mirabili, ſi velit vno temporis puncto, maria tranſmittit, terras peruagatur, peruolat aerem, luſtrat cælum, vrbes peragrat, ſummis, mediis, imis ſeſe inſinuat. Qua in re præſtat audire S. Ambroſium cum admiratione ſua verborum mella profundentem: qui cum dixiſſet mentem diffuſis cogitationibus ab Oriente in Occidentem vagari: proficiſcentes amicos ſequi, peregrinantibus inhærere, copulari abſentibus, alloqui diſtantes, vita functos ad colloquiũ excitare: *Ea igitur*, ſubdit, *eſt ad imaginem Dei, quæ non corporeo æſtimatur, ſed mentis vigore; quæ abſentes videt, tranſmarina uiſu nouit, percurrit aſpectu, ſcrutatur abdita, huc atque illuc vno momento ſenſus ſuos per totius orbis fines, et Mundi ſecreta circumfert; quæ Deo iungitur, Chriſto adhæret, deſcendit in infernum, atque aſcendit, libera verſatur in cælo*. Nemo denique non imaginem poſitam arbitratur in imperio, quod in omnes animãtes habuit à Deo: qui vix dum hominem effinxerat ad ſuam ſimilitudinem,
Gen. 1. cum illi volucrum, piſcium, beſtiarumque contulit dominatum. Atque vt huius imperij ius in perfectione naturæ quæ rationis compos eſt, nititur, qua præſtamus animantibus; non robore corporis, non celeritate, quibus à multis ſuperamur; ſic uſus ab eadem mente pendere videtur; quæ ingenii vi per artem, machinas, diſciplinam omnes
Iac. 3. domuit aliquando B. Iacobi teſtimonio: domatque quoti-
S. Baſil. hom. 10. in Gen. die, cum cetos immanes capit; delphinos velociſſimos detinet; ingentes elephantos ſeruire cogit; cum ferociſſimos leones ſub iugum mittit; aquilas maximas volucrum in
Pl. l. 10. cap. 74 Suet. in Ti. c. 72. Chryſ. apud Anaſt. Nic. q. 63. caueam includit; cum denique ſerpentes quoque peſtiferas ac venenatas, quales ſunt aſpides ac viperæ cicures reddit; quas manſuefactas blanditiis Plinius, Suetonius, & Chryſoſtomus prodiderunt. Poſtremum, vt omittam pro- 2 1

uiſiones,diuinationes,prædictiones ex coniectura: contemplationem atque ſcientiam rerum omnium : ob quam mens omnium item rerum Menſura vocabatur à Protagora : multasque alias mentis perfectiones,in quibus imaginis diuinæ ſcintillæ collucent: venio ad actiones animi, quibus & refert Deum imitando. Nihil dicam de actionibus, quæ cum fiunt, euaneſcunt, nullumque relinquunt veſtigium ſui;de illis diſputo,quæ pariunt opus ad æmulationẽ effectricis Dei poteſtatis,cuius partus eſt, quidquid cernitur quidquid intelligitur: quo in conatu rerũ efficiendarũ viri docti imaginem collocarunt. Nam humana mens intus cogitatione fingit multa, quæ ſenſus noſtros latent, ea Græci vocant φαντάσματα, νοούμενα λόγους ἐννοίας nos viſa ſeu ſpectra, conceptus, verba,notiones diceremus:formas item rerum artificioſarum fabricatur; ſimulacra rerũ ſenſibus perceptarum,quæ in memoriæ loculis ordine ſtatuuntur;inchoatas; intelligentias;quas recentiores philoſophi rationis entia nuncupant;quorum gratia Mercurius Triſmegiſtus exiſtimabat hominem , ſecundum Deum vocitari poſſe, qui primum ac ſupremum rerum verarum ac perfectarum creatorem,his inchoatis rebus atq; à mente pendentibus fingendis æmularetur. Extra vero quàm multa perficit ingenioſa mens arte magiſtra, manibus adminiſtris? Artium inuentiones, opera mirabiliter arte facta,mentis hanc efficientiam,qua primum artificem atque opificem pro viribus imitatur,ſatis ſuperque declarant: in quibus prudentes rerum exiſtimatores dubitant,quidnam potiſſimum admirentur. Hic ſuſpicit varietatem artium; quarum aliæ quæ nos veſtiunt,tegunt,paſcunt, armant ad vitæ neceſſitatem inſtitutæ ſunt;aliæ ſeruiunt vtilitati,quæ naues,& machinas bellicas ædificant, quæ litteras repererunt,quibus homines de abſentibus præſentes fiunt: quæ typographiam excogitarunt, qua tam facile partus ingenii per orbem terrarum cum omnibus communicantur: ad voluptatem aliarum opera referuntur,picturæ,ſtatuæ, cæ-

Protog. apud Plat. in Theæteto & in Cratylo. Ar. l. 10. met. t. 5.

Philo l. Quis rerum diu. ſit heres.

Procop. in c. 1. Gen.

 lata

lata vaſa, belluata periſtromata, veſtes acu pictæ, gemmæ cryſtallo liquefacto conflatæ. Miratur ille in aliarum operibus imitationem Naturæ, & vero etiam ſupremi Dei ſingularem & eximiam; vt in Archimedis ſphæra, atque in
Orat. 14.*n.*6. *Orat.*20.*n.*18. horologiis ferreis, quæ circulis, rotis ac ponderibus Mundum, terram, cælum, cæli motus, ſiderum conuerſiones, acceſſus receſſusque ſolis ac lunæ, tempora, referunt, diſtinguunt ac metiuntur: vt in tabulis pictis, quæ non aues modo,
*Orat.*8.*n* 3. canes, equos, ſed etiam homines fallacia colorũ, & linea mentorũ m præſtigiis fefellerunt. Obſtupeſcit alius ingenii vim & artis; vt in ſpeculis Archimedis eiuſdem, & Procli, quæ ſolis obiectu creabant incendia more ignis; vt in
*Orat.*3.*n.*27. *Orat.*20.*n.*23. *Orat.*4.*n.*17. bombardis noſtrorum temporum, quæ tonitrum, fulgur, fulmenque complexæ veros ſtrepitus *imitantur Olympi.*
Pſell.l.de Dam. *Procl.l.de magia.* Quid de naturali magia ſeu thaumaturgica, dicetis, quæ ex arcanorum Naturæ cognitione profecta, tam mirifica fingit opera, vt cauſſarum ignaris, vel prodigia Dæmonũ artificio; vel miracula diuina ope conficta videantur? Ar-
Agell.l. 10.*ca.* 12. *Glycas in annal.Caſsiod.l.* 1.*uar.ep.*45. *Orat.*2.*n.* 33. chitæ lignea columba, quæ volabat: auiculæ aureæ Leonis Imperatoris Græcorum, quæ cantabant: grues & angues æneæ Boethii, quæ ſibilabant: aues in hydraulicis organis noſtrorum temporum, quæ garriunt; cuinam, ſi cauſſam ignorans eas primum videret, non humani vires ingenii ſuperare putarentur? Itaque non longe videtur à vero receſſiſſe
*Procop.Gaz.in cap.*1.*Gen.* Procopius de hac imagine in efficiendo poſita diſſerens, cum hominem quoque creare ad imitationem Dei, ſed cum materia, definiebat. Hoc loco quæret quiſpiam, 2
num ſim oblitus liberi arbitrii, in quo tam inſignis tamque magna imaginis portio multorum conſenſu continetur. Non equidem obliuioni tradidi, non neglexi; non per contemptionem aut incuriam in poſtremum locum reieci rẽ tantam; ſed conſulto reſeruaui. Scio maximum hoc donũ à Deo mortalibus tributum; hanc quidquid velis, agendi libertatem; cum in nobis ineſſe, tum maxime ſcilicet ad diuinam imaginem pertinere. Qui animus extra ſe Dei iuſ-

ſu dominatum in omnes animantes habet, & exercet; non
intus habebit in ſuas facultates, actiones, & affectus, impe- *Lact. l. de opif.*
rium? Quæ *mens in capite conſtituta*, vt loquitur Lactan- *hom. c. 16.*
tius, *tamquam in cælo Deus dominatum corporis tenet*: non
in ſe ipſam, aliquam habebit poteſtatem? Quibus rebus
homo præſtat animantibus, ijſdem quaſi coloribus eius
depingitur imago: ſed qua re magis illis antecellit; quàm
quòd ſui iuris eſt, ſuæ ſpontis, ſuæque poteſtatis? Itaque
quemadmodum ſapientiſſimus opifex pro arbitratu ſuo,
nulla neceſſitate coactus & mundum extra ſe iuſſit exiſte-
re, & quidquid facit in dies libere procreat; ſic hominis ani
mus quæcumque vel extra, vel intus, agit ſuapte ſponte, li-
berrimaque voluntate molitur. Hac imbuti vera opinio-
ne magiſtri veteres Chriſtianorum, aut in ſola libertate
arbitrii poſuiſſe videntur imaginem: vt Tertullianus, Fau- *Tertull. l. 2. adu. Marcion.*
ſtus, Macarius, Bernardus; aut potiſſimum, vt Hierony- *cap. 5.*
mus, Ambroſius, Gregorius, Nyſſenus, Procopius, atque in *Fauſtus l. 2. de*
primis S. Ioannes Damaſcenus, à S. Thoma recitatus ac *lib. arb. cap. 17. S. Macar.*
probatus in procemio partis huius; qui pluribus in locis *hom 15.*
imaginem in intelligendi facultate, atque arbitrij liberta- *S. Bern. hom.*
te conſtituit. Quamobrem merito S. Thomas acturus de *80 in cant. S. Hier. ep.*
homine, deque eius fine, qui eſt beatitudo; de actionibus *146 ad Dam.*
humanis, quibus ea paratur: pollicetur ſe de imagine Dei *S. Ambr. l. 6. in*
diſputaturum: deinde quid imago ſit interpretans; ſcribit *Hex. cap. 8. S. Nyſſ. l. de o-*
Damaſceni verba referens, eſſe hominem vt eſt dominus *pif. hom. c. 16.*
ſuarum actionum, & libera præditus ſui poteſtate: tum præ *Procop. in c. 1. Gen.*
poſita tractatione finis, multis quæſtionibus expendit na- *S. Io. Damaſ.*
turam actionum voluntariarum ac liberarum, vbi liberi *l. 2. de fide cap.*
arbitrii vis, quæ tantopere nobilitat imaginem noſtram, *12 & l. Quom.*
explicatur. Qua in re, methodum illam ſecutus eſt, quam *ſit ad imag. etc. Ar. l. 1. eth. c. 4.*
philoſophorum maximus Ariſtoteles in libris de moribus
vſurpat, atque *Ad principia* vocat, in qua propoſito fine
principia inueſtigantur, hoc eſt ea quibus acquiri poteſt
23 finis, inquiruntur. Hinc Auditores, incipit elucere dignitas
eximia: non dicam S. Thomæ magiſtri, cuius ingenio, do-
ctrinæ,

ctrinæ, ſanctitati ſingulari bene longa deberetur oratio: ſed ſummæ huius Theologicæ, quam interpretamur, vnde perennis vtilitatis fluuius irrigans veritate Catholicam Eccleſiam; omnia domicilia doctrinarum, vbertate locupletans; cunctorum doctorum hominum ingenia lætificãs varietate, decurrit. Scripſerunt ante illum alii ſummas theologicas: in Eccleſia Græca Ioannes Damaſcenus ſanctitate, doctrina & eloquentia nobilis: quem ob hæc ornamenta vere pretioſa & aurea, tum Chryſorthoam, tum Chryſooram cognomento nominauerunt: Græcos veteres tantum doctores legit: ex ijs in ſuam epitomem pauculos floſculos intexuit. At noſter Thomas ijſdem, aut ſimilibus dignus cognominibus, quidquid ad Deum rerũ omnium Alpha, & Omega, principium ac finem pertinere poteſt; quidquid ab aliis de re theologica diſputatum eſt, tum Græcis, tum Latinis in hanc ſummam paucis congeſſit, & ordine mirabili digeſſit. Scripſit Petrus Lombardus è Latinis, quem honoris cauſſa magiſtrum ſententiarum appellamus, vberiorem ſummam quattuor libris comprehenſam tantæ exiſtimationis, vt eam præſtantiſſimi quique theologi, celeberrimis in gymnaſiis totius orbis interpretarentur. At emergente noſtri doctoris epitoma, non tam ad ingenii præclariſſimi lucernam, quàm ad lucem è cælo ſplendentem elucubrata; Petri ſententiæ tamquam ſtellæ oriente ſole, cœperunt inobſcurari, fugere de gymnaſiis, latere in bibliothecis: & Petro Thomæ locum cedente, ſumma ſententijs ſuccedente, mortuus is explicatur iam paſſim in theologiæ ſcholis, qui viuens Petrum in ampliſſimo gymnaſio Pariſiorum explicauerat: nec puderet Petrũ, ſi reuiuiſceret, interpretem quondam ſuum explanare. O ſummam ſummarum: te ſic appello more loquendi oraculorum diuinorum, vt præſtantiam tuam pauciſſimis euoluam: quàm appoſite Albertus auctoris tui doctor, tum doctrina, tum cognomine Magnus ad exprimendam dignitatem vtriuſque te mugitum bouis nuncupauit. Hic quia 24

Cedr. in hiſt. Theoph. l. 22. hiſt. miſcell. in Conſt. vi.

Apoc. 22.

Tho-

Digitized by Google

Thomam diſcipulum interrogantem, reſpondentem, diſputantem ſæpe audierat, & per eam occaſionem penitus introſpexerat ingenium eius acumine, capacitate, iudicio præditum admirabili; ſpem ex eo doctrinæ ingentem conceperat; alebat expectatione ſpem; admiratione fouebat expectationem, quam aliquando verbis atque honorifica oratione patefecit. Sodales enim & condiſcipuli Thomæ, iuuenem ſilentii religioſi obſeruantiſſimum, officioque boni diſcipuli fungentem Pythagoreorum more, qui plus audiebant quàm garriebant; iocoſe quidem ipſi, ſed vt euẽtus oſtendit inſtinctu diuino veriſſime *Bouem mutum* dictitabant. Albertus autem imitatione feliciſſima Platonis, qui præclariſſimam de Ariſtotele auditore conceptam opinionem ſignificaturus, illum modo generoſum equum egentem freno; modo lectorem, hoc eſt librorum helluonem; alias autem ſcholæ, mentem gymnaſii, philoſophum veritatis vocitabat: arripuit diſcipulorum dictum, & pariens, quod iamdiu parturiebat; *eſt quidem*, inquit, *hos mutus, ſed tantum edet aliquando mugitum, vt eo terrarum orbis reſonet vniuerſus.* Expreſsit his verbis Albertus optimi auditoris officium; vitæ ſanctitatem indicauit; & gloriæ magnitudinem, quem eſſet habiturus è doctrina viuus; & ſplendorem quem mortuus collecturus eſſet ex hac ſumma, prædixit. Etenim bos ex eorum animalium numero eſt, quæ ruminant; hoc eſt cibum in priorem ventriculum ingeſtũ, repetunt ore, diligentius conficiunt atque mandunt: vt facilius à ſtomacho concoquatur: proinde mundum animal erat in Hebræorum lege, quod immolabatur Deo: deinde caſtus eſt, manſuetus, vtilis, laborioſus, tutus in inceſſu: poſtremo eſt maximæ vocis. Ruminauit Thomas opera ſua; ſiue ſcholas, quas in gymnaſiis ad vtilitatem ſuorum auditorum voce pronunciauit; ſiue libros, quos in conclaui ad vſum poſterorum calamo exarauit; qui totum vitæ tempus à prima pueritia, quæ tantopere libris euoluendis delectabatur, ad quinquageſimum vſque annum, viuendi terminum,

Laur. Sur. in vita S. Th. 7. Mart, Orat. 19. n. 4.

Orat. 19. n. 32. & 33.

num, magiſtris audiendis, auctoribus legendis, contemplãdo, diſputando, perpendendo, Deumque conſulendo conſumpſit. Et in primis hanc ſummam ruminauit; qui res auditas, lectas, excogitatas non ingenii velocitate deuorabat; ſed iudicii tarditate mandebat: aut certe de memoriæ ſtomacho, de liturariis libellis, de aduerſariis, vbi deponebantur, repetitas, attenta conſideratione retractabat, in ea cogitationibus diuturnis euigilabat, ac tandem in mentis ſtomachum nutrimenti officinam bene manſas immittebat. Quoties ad iudicii tribunal ex ingenio reuocabat, quę inuenerat? Quam quæſtionem tamquam ſanguinem in iecore, vt ita dicam ingenii decoctum, in iudicii corde, quo perfectior fieret, non ille recoxit? Quoties doctrinæ ſuccũ è floribus, fructibus, beneolentibus herbis, aromatibus ſacræ ſcripturæ, ſynodorum, SS. Patrum theologorum, philoſophorum, in ambice capitis, inflammato ſtudio calefactis expreſſum, & per linguæ ſtyliue fiſtulam exceptum; rurſus in eumdem ambicem infudit, vt curæ maioris igne, ſtudioque ardentiore perpurgatus, decoctus, perfectus inde deflueret? Mundum uere animal ad legis præſcriptum Thomas ob vitæ morumque ſanctitatem; quem nullius 25 grauioris peccati reum; nullius affinem mortiferæ culpę; nulla fœda labe maculatum accepimus: ſed purum, integrum, innocentem, & non modo idoneam ad ſacrificium hoſtiam, ſed etiam ſolemni profeſsione religioſæ vitę in ordine ſanctiſsimo Prędicatorum vt uictimam mactatũ, ut holocauſtum immolatum. Nam de uirginali caſtitate nemo dubitat in eo, qui qua ętate libidinis ęſtus animum vehementius ad flagitia ſuccendit; & ingenita medullis voluptas ſenſus omnes appetitumque titillat: quo tempore femina petulans & procax habitu & affectu meretricio, blanditiis ad molliendum duriſsimum quemque hominẽ comparatis, adoleſcentulum aggreſſa, virginitatem eius expugnatura, machinam blandiſsimę perſuaſionis ac prouocationis, ex opportunitate temporis, ſolitudine loci, iu-

cun-

cundiſſimæ rei præſentia validiſſimam admouebat: oppugnatus fortiter reſtitit; nihil labans ad impetum, nihil vacillans vt ſcopulus immiſſis à ſæua tempeſtate fluctibus verberatus, immobilis quoad pugnatum eſt, atque inuictus ſtetit: tum generoſo animo non inuictus modo, ſed etiam victor, in hoſtem conuertens prælium, ad maiorem ſui laudem, pro armis arrepto de cineribus foci ſemiuſtulato ligno meretriculam conſcientia ſceleris confuſam, infelici præter opinionem euentu perturbatam, adoleſcentis conſtantia perterritam, abiectam, victam è cubiculo abegit, fugauit, eiecit. O titionem ſolis luce clariorem: dignum te iudico, vt vna cum Goliæ gladio, quo fuit à Dauide obtrũcatus, in alicuius templi tholo ſuſpendaris ad memoriam huius præclari facinoris ſempiternam; quo gigantem virginitatis hoſtem illi ſcelere parem, viribus non imparem; quo turrim alteram carnis pernicioſiorem animis periculoſioremque proſtraſti. Cedat tibi, cedat aſini maxilla, qua Sampſon mille Philiſtæos interfecit: quia tu multa flagitiorum millia in ea meretrice pellenda, vno ictu mactaſti. Cedat Eleazari gladius quo ſubiens audacter elephantum lorica munitum, & onuſtum turri, belluam immanem manu fortis occidit: tu ſcortum immaniorem beſtiam, armatura ſolidiore muliebris formæ, mollitudiniſque tectam, exornati capitis oneratam turri, vnde tela verborum, & oculorum iacula vibrata mortales incautos atque inermes vulnerant ad mortem, fortiſſima Thomæ tractatus manu confeciſti. O virtutem adoleſcentis inuictiſſimi præmio digniſſimam illo, quo Deus eximio victorem decorauit: cum occulto caſtitatis cingulo lumbos, abſoluto certamine partaque victoria ſuccinxit, tribuens illi quaſi coronam auream, lauream, triumphalique nobiliorem, quæ foret ſimul tum argumentũ periculoſæ pugnæ, tũ fortitudinis ſingularis inſigne, tum nobiliſsimæ merita merces debitaque victoriæ.

1. Reg. 21.

Iudic. 15.

1. Machab. 6.

26 Mitto manſuetudinem cum animi demiſsione coniunctam; quòd eum neque ferocem ingenii præſtan-

tiſsimi magnitudo; neque ſuperbum clariſsimi nobilitas generis, neque arrogantem vulgata maximæ fama doctrinæ fecerat: quæ virtus eo videbatur admirabilior; quòd vita priuata contentus oblatas dignitates Eccleſiaſticas honore, & vectigalibus ampliſsimas reſpuebat: quòd omniũ ſodalium multis nominibus maximus, ſe minimũ omnium reputans, ſingulis ſe ſubijciebat: quòd tanta ſimplicitate parebat moderatoribus ſuis, vt quamquam miles veteranus, & emeritus, religioſæ militiæ tiro videretur: & perfectioris illius obedientiæ, quam poſt veteres ſanctos patres Hieronymum, Caſsianum, Gregorium, Dorotheum, Bernardum; Bonauentura, Vmbertus, Antoninus, Laurentius tantopere commendant, atque *inaudicatam, indiſcretam, indiſcuſſam & cacam* appellant, exempla daret interdum; vt cum ab hoſpite in ſocium imprudenter aſcitus, non excuſaret ſeſe, non indigne ferret, non erroris admoneret; cum ab eodem per vrbem homo grauiſsimus, ac notiſsimus prope raptatus traheretur, tacitus nihil quereretur. Prætereo vtilitatem, quam attulit Eccleſiæ vniuerſæ probitate doctrinaque ſua tantam, quantam bos vtiliſsimus viuus & mactatus humano generi ſolet afferre. Tranſeo laborum patientiam in ſtudendo, interpretando, ſcribendo tam diuturnam, tamque late patentem; vt nullum auctorum, doctrinæ, rerumque genus, neque ſcripturam, neque philoſophiam, neque oratores, neque theologos, neq; ſanctos patres, intactos intractatosque reliquerit. Nihil dicam de ſoliditate integritateque philoſophandi, quæ adeo ſincera eſt, vt illud Hieronymi prouerbium *Bos laſſus fortius figit pedem*, aptiſsime conuenire poſsit in S. Thomam, cuius doctrina, vel ore Chriſti pendentis in cruce laudata eſt; uel in conciliis, quæ poſt eius mortem coacta ſunt, non tam decreto, quàm re ipſa, nihil ab ea recedendo, probata. Silere nec poſſum, nec debeo de maximo huius religioſi, & ad breue tempus taciturni bouis mugitu; quem prudenter Albertus confitebatur mugitum eſſe, non tauri furentis,

Bon. ſpec. diſcipl. p. 2. par. 5. cap. 3.
Vmb. ep. de tribus ſubſtant. caq. 9.
Anton. par. 4. tit. 5. cap. 11. §. 2. gr. 2.
Laur. Iuſt. l. de obed. cap. 20.
S. Hier. ep. 91. ad Auguſt.

tis, non rugitum leonis terrefacientis, non hinnitum equi ſuperbi, quòd ab eo ſuperbia, terror, furor omnis abeſſet: ſed muti bouis mugitum: qui vocem eam, ſe docente, reuerentiæ gratia modeſtiæque retentam & compreſſam intelligebat; quam poſt taciturnitatem ſtudendi, ſilentiúque diſcendi religioſum ac moderatum; docendo, diſputando, interpretando primariis in totius orbis gymnaſiis, & vrbibus, ab anno quincto & uiceſimo ætatis ſuæ uiuens explicauit. Tum præſagiens quod futurum erat; de mortui voce propemodum diuinauit: hoc eſt de ſcriptorum librorum operumque clamore; potiſsimumque de hac ſumma theologica, quæ inter omnia ſplendet, vt lucifer inter ſtellas: cuius clariſsimus ſonus, ac verba ſapientiæ pleniſsima, iam in omnibus gymnaſiis, ſcholis, doctrinarum domiciliis, in multis religioſorum virorum cœnobiis vbique gentium publice & priuatim; in ſynodis, in conſultationibus de fide catholica, in tribunalibus iudicum Chriſtianæ religionis, in diſputationibus denique doctorum virorum audiuntur, tamquam oracula recitantur, & religioſa ſtatera, non ſecus atque Ariſtotelis dicta perpenduntur à philoſophis, ab omnibus examinantur. Aemulatus eſt hic mugitus non inſuauis, ſonitum fulminis, cuius ante fulgor oculos ferit, quàm tonitruum ſentiatur. A viuentis Thomæ vultu radij viſi ſunt elucere: ſtella ſuper caput aliquandiu ſplenduit: cometes ante mortem apparuit, qui ſtatim atque eſt mortuus euanuit: tonitrus poſt mortem audiri cœptus in ſcholis in interpretatione ſummæ, quotidie magis atque magis creuit, & augeſcit. Atque vt vox clamantis, vel in Olympiæ porticum, vel in Aegypti pyramides, vel in Cyzici turres, vel in aliquam cauernam naturalem infuſa, numeroſo repercuſſu multiplicata redditur; ita mugitus hic in primis ſcholis tamquam in concauis porticibus & cameris humanæ voci reſpondentibus exceptus, paullatim quaſi Echo mirabilem in modum quaqua uerſus diffuſus, auctus, propagatus atria, porticus, ſcholas, vrbes or- *Orat. 2. n. 52.*

Digitized by Google

nemque compleuit. Multum dixiſſe videor in Alberti Prædictione interpretanda ſubtiliter; & vere multa dixi; 27
ſed nondum vobis, nondum mihi ipſe ſatisfeci, pauca ratus eſſe quæ dixi, cum amplitudine dignitatis, & auctoris, & ſummæ comparata. Liceat mihi per veſtram humanitatẽ in rebus ſingularibus laudandis, nouum, ſingularem, parũque vſitatum dicendi modum adhibere: liceat rerum tum natura, tum arte factarum collatione declarare atque illuſtrare tum auctoris, tum ſummæ præſtantiam, vt ex earum ſimilitudine nobilitas vtriuſque cognoſcatur. Itaque dicã S.Thomam in ſumma ſcribenda fuiſſe perſimilem api fingenti fauum, bombyci texenti nidum, phœnici conſtruenti ſepulcrum; Timanthi pingenti tabulam; Curioni ædificanti amphitheatrum; ſupremo denique rerum architecto Deo cęlum hoc aſpectabile molienti. Notiſsima vobis eſt apis animans induſtria, de cuius laudibus nullus poeta, nullus rerum naturalium, aut ruſticarum ſcriptor tacuit, faui melliſque opifex admirabilis: cui Cæciliam virginem ac martyrem Eccleſia non dubitat ſimilem prædicare. Parua eſt illa corpore, ſolertia magna, in caſtitate fœcunda: S.Thomas animi demiſsione, ſuaque æſtimatione paruulus erat, vt intrare poſſet in regnum cælorum: ſolertia magnus in inueniendo: iudicio maior in ſeligendo: maximus in diſponendis inuentis ingenio: tum in virginali caſtitate corporis, diſcipulorum ſobole, fetuque multorum librorũ quaſi liberorum fecundiſsimus. Armata eſt illa pungenti ſtimulo, quem nulli, niſi laceſsita pro ſui defenſione infigit: hic aculeis argumentorum inſtructus non niſi prouocatus ab hoſtibus veritatis, ad eius tutelam in eos iaciebat diſputando, vibrabat refutando, & in animis eorum infixos relinquebat. Illius operoſam induſtriam, quam nec longitudo diei, nec ſolis æſtus, nec operis difficultas à labore vel reuocat, vel retardat, non poetæ atque hiſtorici modo, ſed etiam Salomonis prouerbia diuinitus è LXXII. interpretum verſione commendant, cum adhortatione ad

Orat.2.n.26.
Orat.7.n.19.
Matt.18.
Prou.6.
S.Baſil.hom.8 in Hex.

eam

Digitized by Google

eam imitandam; vt Baſilius, Ambroſius, & Hieronymus *S. Ambr. l. 5. Hex. cap. 21. S. Hier. in c. 3. Ezech. & ep. 4 ad Ruſtic.*
obſeruarunt: huius laborioſi viri commentationes, vigi-
lias, ſtudium à prima ætate ſuſceptum, morte tantum in-
termiſſum; quem nec diſciplinarum varietas; nec rerum
explicandarum obſcuritas; nec labor ſcribendi multis in-
tolerabilis, à contentione diſcendi, docendi, lucubrandiq;
reuocauit; quis laudare queat pro dignitate dicendo? Va-
gatur illa ſecum tacite commurmurando per prata, flores,
28 herbas fragrantes, per ſiluas, ſepes, arbores luxuriantes ſe-
dulitate quam argutiſſima; nullique rei nocens oſculo, col-
ligit inde libãdo ſuccos, liquores, lacrymas, rores pingues,
tenaces, dulces, idoneosque melli, ceræ, fauoque fingendo.
Volabat ille ſæpe cum Deo mentis magiſtro loquens, vel
oculis per ſcripta volumina prophetarum, theologorum,
philoſophorum, rhetorum, hiſtoricorum, veterum patrũ,
conciliorum, Eccleſiæ magiſtrorum; vel auribus per ſcho-
las, vocesque præſtantiſſimorum ſui temporis doctorum;
vel mente per omnium rerum naturam, ac cælum empy-
reum contemplando, nemini moleſta diligentiâ; & inde
res, verba, ſententias, concluſiones, probationes, refutatio-
nes errorum, difficillimorum locorum interpretationes,
enodationes controuerſiarum implicatarum, quæſtioni-
bus, libris, diſputationibus, commentariis componendis
aptiſſimas decerpebat. Illa denique reuolans in alueum te-
nacioribus ſuccis artificio mirabili, quod non potuit niſi à
Natura magiſtra didiciſſe, cellas ſenorum angulorum ædi-
ficatas, liquore illo coloris aurei, ſuauis odoris, dulciſſimo,
ſaluberrimoque complexum natiua quadam vi fouet,
condit, concoquit opus totum, quod fauum nominamus,
ut maturum ac decoctum mel vſui poſſit eſſe mortalibus:
hic flores doctrinarum vndecumque vel inuentione pro-
pria, uel aliena diſciplina collectos, in nobiliſſimo capaciſ-
ſimoque capitis alueario, conſtruxit in memoria loculos
ordine miro diſpoſitos, in quibus veſtiens res verbis, tam-
quam mel ceræ, varias partes, quæſtiones, & articulos di-

ſtribuit,

Digitized by Google

ſtribuit,tum ingenii quaſi fermento conformans, iudiciiq; ſapore condiens omnia, confinxit inter alia pulcherrimũ, vtiliſſimum, ſuauiſſimumque fauum huius theologicæ ſummæ, quem ex alueo per calamum eductum cum in-
Cant.4. credibili voluptate deguſtamus. Nam quis me vetet faui nomine hanc ſummam conſignare;qui lego cæleſtis ſponſæ prædicationem, & doctrinam in canticis à Salomone fauum appellari? Locutio theca rerum, eſt pro cera; qua non ſaturatur animus, vt melle rerum; ſed dum paſcitur, quia luminis eſt pabulum, menſa colluſtratur: res,ſententiæ, ſapientia cera verborum incluſa,mel eſt; quo quid ſuauius ad oblectationem? quid aptius ad alendum animum ſcientia? quid ſalubrius ad purgandam mentem ab hæreticorum & philoſophorum erroribus? Itaque delectat,paſcit,medetur;quia ſapor eſt,cibus,& medicina. Fama eſt grauiſſimorum hiſtoricorum auctoritate confirmata, in
Orat.2.n.26. ore patulo Pindari, Platonis,& S.Ambroſii puerorum infantium dormientium apes congeſto melle fauum fingere cępiſſe. Magna res ea fuit,& admirabilis maxime,ſi puerulorum illorum futuram eloquentiam melle dulciorem permiſſu diuino portendit; ſed quantula eſt, ſi cum opere hoc mellario S.Thomæ conferatur?Huius mentis apis non cœpit,ſed fecit:non fauum mellis,ſed ſummam ſapientiæ: non in buccis pueri infantis; ſed in ore uiri loquentis: non quod eſſet eloquentiæ futuræ incertum argumentum; ſed præſens in omni poſteritate noſtrorum animorum ſaluberrimum, iucundiſſimumque nutrimentum. Sibi felix videbatur Sampſon, cum in ore mortui leonis
Iudic.14. fauum mellis reperit; unde lætitia exiliens pulcherrimum ænigma propoſuit affinibus explicandum. *De comedente exiuit cibus; & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Non feliciores nos ſumus, Auditores, qui fauum cæleſtis ſapientiæ inuenimus hanc ſummam theologicam, ex ore manſuefacti leonis viuentis,dum librariis dictaretur, egreſſam; quam auribus,oculis, ingeniis comedentes & guſtantes, cantare

poſſumus

poſſumus idem prouerbium lætiores? Ac ne quis obiiciat,
29 fauum opus eſſe collectum, non confectum: apes non fa-
ciendi mellis ſcientiam habere, ſed colligendi: iniuriam *Orat.7.n.18.*
S. Thomæ fieri, cuius ſumma, perinde ac fuiſſet collectitia,
ſimilis fauo dicatur: et ſi falſum id eſt, & apibus tam benefi-
cis infertur contumelia, quæ mel coquunt, immutant, & de
ſuo multum in eo perficiendo ponunt: tamen ad alteram
comparationem veniamus, quam nemo poſſit hoc repre-
henſionis genere criminari. Eſt Bombyx uermiculus, ex
India quondam aduectus in ſemine, tã admirabilis, quàm
qui maxime: Phœnicis auis æmulus in ſeſe renouando ac
perpetuando: futuræ mortalium anaſtaſis ſimilitudo quæ- *Orat.2.n.18.*
dam aptiſſima, ut Baſilius, Ambroſius, ac Theodoretus ad-
notarunt: opifex materiæ, qua tela bombycina texitur, pre-
tioſiſſimæ. Paſcitur hic mori frondibus, earum ſucco ſagi-
natur, & creſcit uſque eo dum parua crux exiſtat in fron-
te, qua comparente ramos arborum aſcendit, atque inter
frondes ac uirgulas, araneorum more, ex decocto commu-
tatoque in unum ſuccum & quaſi ſanguinem alimento,
uomit è ſtomacho tenuiſsimum ac firmiſsimum filum au-
rei coloris, quo paucis diebus nendo texit & conſtruit ædi-
culam, oui ſimilem forma. In hanc perfectam ſe ſe inclu-
dit: ubi vel ut in nido, ſomno conſopitur diuturno; uel ut
in ſepulcro moriens à labore conquieſcit. Inde poſt aliquot
menſes uel experrectus, uel rediuiuus egreditur inſtructus
alis, candido corpore, neſcio qua metamorphoſi mirabili-
ter in papilionem immutatus. Hinc illud anonymi poetæ;

Ac velut agreſtes cum filo ad taxa tenentur,
Mutari tineæ papilione ſolent. *Auct. carm. de Phœnice.*

Quid S. Thomas noſter? Animi demiſsione uermiculus;
qua vermiculum illum ligni tenerrimum, à quo ſalus hu-
mani generis extitit, imitabatur. Quo nutrimento paſce-
batur? A quo tempore puerulus ſalutationem Angelicam
in chartula deſcriptam, ne ſibi eriperetur, deuorauit: ſcien-
tia doctrinarum, & cognitione liberalium artium omniũ,
audien-

audiendo,legendo,commentando complere animũ ſciendi cupidiſsimum,ac ſaturare non deſtitit. Quid ſapientia bene paſtus ac ſaginatus poſtea fecit? Vbi crucis amor in eius animi fronte radicibus altiſsimis infixa fuit: & ſtella diuinitus in corporis fronte colluxit, aſcendere cœpit in ſublime contemplando: ferebaturque interdum per ab alienationem à ſenſibus vel in arborem crucis, uel in arborem uitæ, vel quò ſubleuantur ij, quos diuina uis incolumi uita, de corpore tantiſper educit. Tum ab eo tempore, Deo ſcientiaque plenus, ex eo quod didicerat, lingua dictando, ſtylo exarando fila ducere, uerbum bonum eructare non deſiuit. Longum eſſet omnia recenſere, quæ ſcripſit opera, tot ingentibus uoluminibus comprehenſa. Primum inter ea locum obtinet ſumma theologica, quam ſingulari cura non amicorum opibus, ſed ſuis diuitiis; non alieno ingenio, ſed iudicio proprio: non ſodalium opera, ſed labore, ſanguine, ac ſucco ſuo texuit, & tamquam nidum, in quo quieſceret: & tamquam ſepulcrum in quo conderetur. Cur diſcipuli eius religioſiſsimi uiri prædicatorii ordinis, hoc opus teſtamentum eius appellant? Cur poſtrema pars, qua de futura uita diſputandum fuerat, nuſquam apparuit? Quia poſtremo uitæ tempore ſcribebatur; & anteuertente morte partem ultimam, abſoluta non eſt. Itaque iure nidus appellabitur, quæ uitæ laborioſæ finis fuit, & requies uſque ad anaſtaſis diem: iure ſepulcrum nuncupabitur; in qua ſcribenda mortuus eſt: in quam, ut in glorioſiſsimum monumentum, non corporis, ſed ſapientiæ, fuit illatum: unde rediuiuus poſt mortem, ac multo glorioſior, quàm cum uiueret, exurrexit. Immortalis memoria, nomine, laudibus, ex hoc honorifico ſepulcro cæleſtis hic bombyx euolauit: per gymnaſia, per ora doctorum uirorũ, per terrarum orbem uniuerſum uolitat geminis ſubleuatus alis nobiliſsimis; ſiue eæ ſint opinio ſanctitatis & ſapientiæ; ſiue laus ab ingenio, atque iudicio; ſiue doctrina duplex philoſophiæ ac theologiæ: ſiue tractatio conſiderans

Deum

Deum principium ac finem rerum: ſiue materia tractationis partim ad contemplationem ſpectans, partim ad mores; quidquid ſit hoc par alarum, volat S. Thomas ad æternitatem ante corporis immortalitatem; & volat non ſeſe oſtentando, ſed de nobis mortalibus benemerendo. Non equidem, Auditores, definire poſſum, vtrum maiorem auctori gloriam hoc ſepulcrum; an nobis vtilitatem commodumque detulerit. Faciillime retexitur aquæ tepore bombycis volubilis nidus; filumque deducitur nullum colorem reſpuens, ad telam conficiendam tam olim pretioſam, tamque variam, villutam, raſam, Damaſcenam, floribus frondibusque diſtinctam: non ad veſtem luxumque feminatum ac virorum modo; non ad Regum vſum, & regiarum tantum apparatum; ſed etiam ad templorum, altariũ, ſacerdotumque ornatum Chriſtianorum. At è ſumma S. Thomæ, ſi cogitatione ſtudióque retexatur, quàm multa, ſine eius detrimento, conficiuntur ab ijs, qui artem callent retexendi? Depromuntur inde rationes, quibus hæretici conuincantur: deriuantur ſcholæ, quas auditores philoſophiæ & theologiæ doceantur; materia ſcribendorum librorum hauritur ampliſſima. Conciones quibus erudiuntur populi, vnde locupletantur? argumenta, quibus diſputatur in circulis, vnde libantur? Scripturis ſacris interpretandis vnde petitur lumen? Indidem ſumuntur elementa prima Chriſtianæ fidei pro puerulis: enodationes difficultatum de officijs hominis Chriſtiani cuiuſcumque ordinis: principia vitæ religioſius ac perfectius traducendæ. Tempus præſcriptum ad dicendum me vere deficeret ad alia properantem, ſi fructus omnes, quos hæc arbor fœcundiſſima profert, oratione colligerem: arbor inquam Indicæ cuipiam ſimillima, quæ de ſuo nauim ædificat onerariam, & onerat; præbens primum aſſeres & tigna, quibus nauigium & vaſa omnia conſtruantur; deinde floccos, villos, lanigerumque librum, vnde vela texantur & rudentes intorqueantur; tum fructus recentes ac paſſos, reſinam, viſcũ,

Digitized by Google

gummi, ſuccos, liquoreſque varios, qui vel ex fructibus exprimuntur, vel è cortice defluunt: quibus omnibus rebus implentur vaſa, & nauis oneratur. Hoc loco, Iuuenes, vt 31
præſentio neſcio quis alius inſuſurrat; Ecquando tandem è beſtiolis, atque è vermiculis quibus adhæſit egredietur hæc laudatio? Poſſem equidem reſpondere cum Plinio,

Pl.l.11.cap.2. *S.Aug.l.3.de gen ad lit.c.24* *S.Hier ep.3. ad Helıod.*

Naturam nuſquam magis, quàm in minimis totam eſſe: cum Auguſtino; maiore cum admiratione ſuſpici ab hominibus ***agilitatem muſcæ volantis, quàm magnitudinem iumenti gradientis:*** cum Hieronymo, mirari nos effectorem Deũ, ***non tantum in cælo, ſole, Oceano et elephantis, ſed etiam in formica, culice, muſca, vermiculis, quorum magis ſcimus corpora, quàm nomina:***

S.Baſil.hom.9 in Hex.

cum Baſilio, me potius obſtupeſcere murem, quem formidat Elephantus, quàm elephanti grãditatem. Sed hanc defenſionem minus apud vos æquiſſimos rerum æſtimatores neceſſariam, miſſam facio; veſtraſque mentes rerum varietate recreatas ad auem renoco

Pl.l.10.cap.2. *Mela.l.3.c.9.* *Tac.l.6.ann.* *Perer.l.11.in Gen.diſp.11.* *Auctor carm. de Phoenice.*

maximam corpore, plumis propter colorum præſtantiam, multitudinem, temperamentum viſendis conueſtitam, diuturnitate vitæ notabilem, in orbe toto ſingularem, ex ſe ipſa moriente renaſcentem artificio mirabili, ſymbolum ob id immortalitatis, ab hiſtoricis cum admiratione deſcriptam; à poetis ſummo carminum ſplendore decantatam;

Clem.Rom.l.5 conſt.cap.6. *Cyril.cat.18.* *Epiph. in Ancor.* *Ambr.l.5. Hex.c.23.l.de fide reſur.* *Aug.l.4.de an. & eius orig. cap.20.* *Iſid.l.12.c.7.* *Tertull.l. de reſurr.carn.c. 13.*

à ſanctis patribus Clemente, Cyrillo, Epiphanio, Ambroſio, Auguſtino, Iſidoro, necnon Tertulliano cum aliis multis in exemplum ac probationem anaſtaſis noſtrorum corporum productam. Phœnicem dico, qui ſtupentibus omnibus doctis viris, in ſuo funere moritur, & renouatus è ſepulchri cineribus reuiuiſcit. Hunc, Auditores, ſolidam, expreſſam, viuam imaginem S. Thomæ noſtri doctoris, in ſumma potiſſimum componenda pronuncio; multoque clariorem, atque illuſtriorem, quàm vel apem, vel bombycem, vel quidquid aliud excogitari poſſit in natura rerum admirabilium fœcunda parente.

Æn.Platon. in Theophr.

Quid ille? Rogum ſibi morituro conſtruit, non ex obuia, vili, temereque collecta

Digitized by Google

materia; ſed è pretioſiſſimis quibuſque lignis, virgultis, odo- *Auctor carm. de Phœn.*
ribus, & ſuccis. Cinnamum, amomum, balſamum, caſiam,
acanthum congerit in funebrem nidum; ariſtis nardi, thu-
ris lacrymis, myrrhæ guttis aſpergit odoratam ſtruem.
Quid noſter Thomas in ſumma ſub vitæ finem contexen-
da? Non vulgata, contrita, imprudenter effuſa coacerua-
uit in illud opus, quod ſcribebat æternitati ſacrum gloriæ
ſuæ monumentum; ſed vndecumque lectiſſima quæque
decerpſit. Quam illuſtria ſunt diuinæ ſcripturæ teſtimo-
nia? quàm ſelecti conciliorum canones? quàm idónea pro-
bandis concluſionibus Pontificum decreta? quàm aureæ
SS. Patrum ſententiæ? quàm apta philoſophorum Plato-
nis, Ariſtotelis, Ciceronis, & Senecæ dicta? quàm denique
ſolidæ rationes ex ingenio depromptæ? Deinde ſolem
ille fontem luminis ſalutare dicitur, & alarum quaſſu flã-
mas ex eius radiis excitare, quibus rogus accendatur. Quã
ſæpe Thomas ad ſolem mentibus aſpectabilem Deum,
meliorum luminum parentem animo ſupplici recurrit, &
ante quam ſummam aggrederetur, & in toto curſu ſcri-
bendi, flagitaturus in rerum obſcuritate ſplendorem, in
difficultate quæſtionum acumen, in diſponendis articulis
ordinem, in errandi periculis auxilium; qui ſe plus effuſis
ad Deum precibus in doctrinis profeciſſe, quàm ingenio,
lectione, ſtudioque profitetur? Phęnix denique reuiuiſcens
adoleſcentior ac vegetior, e nido cineribuſque buſti, quo
ſe ipſe viuus ſepelierat atque combuſſerat; vitam nouam
32 viuit ac propemodum immortalem. Quàm ſimilis Tho-
mas in ſupremo vitæ tempore? Quod Iobus patientiæ ma- *Iob 29.*
giſter de ſe aliquando dixit, in Thomam conuenire arbi-
tror; *In nidulo meo moriar; et ſicut φοίνιξ multiplicabo dies.*
Obijt in nido ſummam ſcribens non cycni ſed Phęnicis
cantum, in qua ſuas omnes curas, & poſtremum ſtudium
collocarat; in qua pullos excluſurus, & educaturus, ſua co-
gitata diligentiſſime fouebat. Poſt debitum naturæ perſo-
lutum indidem exurrexit rediuiuus diutiſſime victurus;

Sed vbi viuit? At vbi non viuit, qui viuit, & viuet ſemper in memoria poſteritatis, in ore theologorum interpretum, in pectoribus ſtudioſorum, in amore hominum, in libris bibliothecis, ſcholis, æneis typographorum monumentis? Et diutiſſime viuet vt *φοῖνιξ*, ſiue palmam interpretere; ſiue phœnicem; quando duplex ea notio uocula in eadem deliteſcit. Denegabitur palmæ nomen ei, qui nullis oblatis, quantumuis magnis honoribus, de ſuſceptæ vitæ priuatæ conſtantia flecti potuit? qui in ingeniorum faſtigio poſitus; & ob id Angelici doctoris cognomine merito decoratus, theologiæ diſputatricis apicem tenet? cui propter palmarem victoriam de hæreticis, atque errantibus philoſophis reportatam, triumphalis palma debetur: atque ab vniuerſate ſapientum eſt delata? Non viuet pariter vt Phęnix, is qui quia palmam, faſtigium, apicem theologiæ ſcholaſticæ eſt omnium iudicio conſecutus; in hac profeſſione primus eſt, & vnicus, atque vt Phęnix, plane ſingularis? Valerius Cato neſcio quis ludimagiſter, propter ſpecimen quoddam boni poetæ pangendis verſibus datum *Latina Siren* dictus eſt: Xenophon clari nominis in Græcia ſcriptor, ob elocutionis ſuauitatem, qua ſua ſcripta perfudit, *Attica Muſa* uocitatus eſt: Thomas, cuius theologicum ingenium, tantum inter theologos ſcholaſticos eminet, quãtum inter volucres Phœnix, non iure optimo theologorũ Phœnix nominabitur? Quid? Anaxagoras, quòd primus mentem incubantem materiæ, ac præſidentem inueniſſet, *Mens* eſt nuncupatus: Protagoras, quòd a rebus mente conceptis, ad uoces & uerba diſputationes claritatis gratia tranſtuliſſet, *Sermonis* cognomentum adeptus eſt: Democritus Abderites, qui multas regiones amore ſapientiæ luſtrauerat, *Philoſophia* eſt nominatus: M. Tullii nomẽ quòd Romanam eloquentiam ad ſummum gradum extuliſſet, non hominis, ſed ipſius *Eloquentiæ* nomen habetur: quis cognomentum *Theologiæ* denegare iure poteſt S. Thomæ, quem propter docendi facilitatem, interpretandi ſolertiã, diſpu-

Auctor carm. de Phœnice. Philip. presb. in c. 29. Iob.

Suet. l. de cl. Gramm. c. 12. Orat. 9. n. 22.

Orat. 17. n. 13.

diſputandi vim; ſcribendi felicitatem de diuinis rebus, in prima ſede diſputatricis theologiæ prudentium omnium ac recte ſentientium manus approbatio plauſuſq; collocauit? Qui tametſi non ſingulos hæreticorum, ac philoſophorum errores in hac ſumma, refutatione perfregit: tamen in ea tamquam in armamentario machinas, enſes, tela; & omne genus armorum, quod ingenium in officina pectoris ædificauerat, procuderat, exacuerat, ordine mirabili diſpoſuit; vt eſſent ad manum & in promptu pugnaturis ad turres errorum ſingulorum euertendas, hoſtileſque omnes copias in diſputationis certamine profligandas? Itaque ſi mihi fieret poteſtas, viro ſanctiſſimo atque clariſſimo, tum in hoc, tum in omnibus theologiæ gymnaſiis æneam ſtatuam, quæ diuturnior ſolet eſſe, ſtatuerem: cuius dextera diuinorum oraculorum librum, ſiniſtra palmæ ramulum præferret; cuius ad pedes pro argumento Phœnix in ſuo rogo combuſtus reuiuiſceret: cuius in baſi grandibus litteris hoc inciderem epigramma;

THOMAE AQVIN. PHILOSOPHO VERITATIS.
ET INGENIORVM PHOENICI.
DISPVTATRICIS THEOLOGIAE PRINCIPI.
SAPIENTIAE VERAE STVDIOSI.

Satis, opinor, illuſtratus eſt auctor ſummæ; & ſumma ipſa
33 comparatione rerum naturalium: ab arte quoque non nihil ſplendoris mutuemur. Timanthes nobilis & clarus pictor in primis, duabus maxime laudibus exornatur à ſcriptoribus bonis; tum quòd in eo plurimum ingenii ſplendeſceret; tum quòd in eius pictis operibus plures laterent perfectiones, quàm vno poſſent oculorum coniectu videri. Hic eſt qui Cyclopis ingentis in parua tabula dormientis magnitudinem expreſſit, ſatyris iuxta pictis, qui pollicē eius thyrſo metiuntur. Huic laudem maximam peperit Iphigenia depicta ſtans ad aras moritura: nam cum mæſtū Calchantem ſacerdotum immolaturum finxiſſet, mæſtiorem Vlyſſem amicum; mæſtiſſimum Aiacem patruum;

Val. l. 8. c. 12.
Pl. l. 35. c. 10.
Quin. l. 2. c. 13.

 ſen-

ſentiens à ſe conſumptam omnem imaginem triſtitiæ, Menelao patri vultum texit, vt ex aliis complorantibus paterni doloris magnitudinem acerbitatemque conijcerent. Quamobrem iure Plinius extulit illud eulogium memorabile, *In omnibus eius operibus plus intelligitur ſemper, quàm pingitur, et cum ars ſumma ſit, ingenium tamen vltra artem eſt.* Equidem cum hanc ſummam aperio, voluo, & inſpicio, mihi videre videor tabulam aliquam Timanthis alterius præſtantioris penicillo pulcherrime pictam. Quattuor ſunt in ea partes deſignatæ, quibus quidquid eſt intus & extra naturam, continetur; Deus rerum omnium artifex; dein omnia quæcumque ab eo procreata ſunt Angelus, Homo, Mundus: tum Chriſtus Dei filius vnigena mortali corpore indutus: poſtremo ſi vita ſuppeditaſſet, cæli regiones, beatorumque ſedes erant deſcribendæ. Quænam ſunt ducta per tabulam lineamenta? Quæſtiones primum & articuli; tum in articulis, rationes quæ veritati contrariæ proponuntur, indagandæ veritatis gratia; concluſiones veræ, probationes earum; & reſponſiones ad aduerſariorum argumenta. Quibus pigmentis colores temperantur? Auctoritate & ratione. Duplex illa eſt, vel diuina, vel humana: diuina, veteris & noui teſtamenti ſcriptura, quæ diuino afflatu ſcripta eſt; traditione Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis; decretis conciliorum œcumenicorum, quorum auctoritas à ſanctis patribus Euãgeliis æquatur, & legibus ſummorum Pontificum, qui Chriſti Vicarii ſunt in terris, continetur. Auctoritas humana vel eſt ſanctorum veterumque patrum, qui Chriſto propriores quàm nos, vixerũt: uel recentiorũ theologorũ, qui à maioribus ſuis eruditi fuerunt: uel philoſophorũ, qui lumine naturali rerum naturam hominiſque ſcrutati, multa de Deo, deque moribus noſtris didicerunt, & poſteros docuerunt. Ratio eſt alterum pigmentum, quo pictor hic ingenioſus vſus eſt in ſua ſumma pingenda: cuius magnam in ingenii mentiſque pyxide copiam aſſeruabat; in qua

ſcri-

Digitized by Google

ſcripturus calamum, vt de Ariſtotele dicebatur, non in atramento tingebat. Quos colores è pigmentis compoſitos adhibuit? Orationem, verba, locutionemque communem, qua tam pretioſa pigmenta, quàm audiſtis, per tabulam extendit. Laudatur Apelles, quòd quattuor tantum coloribus iiſque ſimplicibus vſus, tantam gratiam impreſſerit venuſtatemque picturis: non æque laudabitur Thomas, qui ſimplici ſtylo, per id temporis in ſcholis vſitato, tantam in ſummæ tabula depinxit rerum copiam dignitate viſendam, vt oculis intuentes, animo quotidie magis
34 magiſque miremur? Nec vero deſiderantur in hac tabula feſtiuitates, argutiæ & ornamenta picturæ: copulatur vmbra lumini, receſſus eminentiæ, ſplendor obſcuritati coniungitur ſic, vt vtraque vtrorumque comparatione magis emineant, appareant, atque ſplendeant. Clariſsime quædam dicuntur; aliqua paullo obſcurius explicata latent; nec deprehenduntur niſi contentis oculis inueſtigentur; nec ſine interprete intelliguntur; non pictoris culpa, ſed rerum ſuapte natura obſcuriſsimarum, qualis eſt Deus oculis noſtris, *qui lucem inhabitat inacceſsibilem.* Ingenii clariſsimo lumine præditus erat Ariſtoteles; atque aureo flumine verborum effuderat philoſophiam ſuam; & tamē in eo interpretando tam multi Græci, Latini, & Arabes deſudant interpretes. Scribæ diuini calamo ſcriptura ſacra eſt exarata, claritatis atque obſcuritatis temperamento mirabili; nec videtur vmquam interpretū finis eſſe futurus. Quidnam vtriq; detraxit gloriæ interpretū multitudo? Nihil ſcripturæ diuinæ, nihil Ariſtotelis, nihil Thomæ dignitati nocet laudabilis quædam obſcuritas, quæ vel naſcitur à præſtantiſſimarum rerum difficultate; vel arcet obtuſos à lectione rerum nobiliſſimarum; vel facit vt quæ perſpicua ſunt & illuſtria, compoſitione obſcuriorum, clariora videantur. Non omnes priſci ſapientes interiorem, reconditioremque partem ſapientiæ, ne cum profano vulgo communicaretur, aliquo obſcuritatis uelo texerunt?

Orat. 19. n. 32.

Pli. l. 35. cap. 10.

1. Tim. 6.

Quò

Cic.l.1.de nat. Deor. *Macr.c.2.in ſomn.Scip.* *Laer.in Pytag.* *Plat.et Herac.* *Clem.l.5.& 6. Strom.* *Io. Picus praef. Heptapli.* *Caeſ.l.6.belli Gallici.* *Luc 8 Mar.4.* *S.Eucher. praefat.formul. ſpirit.*

Quò ſpectant Aethiopum, & Aegyptiorum hieroglyphica, Pythagoræ ſymbola, Platonis mathematicarum figurarum inuolucra; Orphei, Muſæi, Lini, Empedoclis vetuſtiſſimorum poetarum fabulæ; Heracliti de induſtria tenebris ſuffuſa dictio; quæſita ab Ariſtotele in acroamaticis libris obſcuritas; Druidum Gallorum occulta ſine litteris doctrinarum traditio: prophetarum ænigmata, parabolæ ſaluatoris, & vniuerſa ſymbolica theologia? Quàm magna laus Thomæ debetur, qui tot tantorumque ſapientum imitatione, noſtram diligentiam, induſtriam, ſolertiam exacuit in ſumma legenda? Quis noſtrum non euaderet negligentiſſimus, ſi primus aſpectus omnia peeriperet? Quem non obcæcaret tantus ſplendor, ſi eadem omnia ſumma claritate traderentur? Alter Apelles etiam in hoc, mihi ſemper

Pl.l.35.c.10. viſus eſt Thomas, qui tenuiſſimo atramento perfectas tabulas oblinebat, cum alias ob cauſſas, tum potiſſimum ne colorum nimis ſplendidorum fulgor oculorum aciem offenderet, ſed veluti per lapidem ſpecularem ad intuēdum excitaret. Hinc fit, quod ante dicebam, quemadmodum in pictura Timanthis, vt is qui conijcit oculos in illas vmbras, tenebras, & receſſus plus intelligat, quàm videatur, & quàm ſcribatur. Quoties articulum aliquem legis, & intelligere te putas, quem cum attentius iterum conſideras, nouo reperto ſenſu, te non ante comprehendiſſe confiteris? Quoties ſemel atque iterum contemplantem latet, uera interpretatio, quæ tertium intuenti patet, ſe prodit, & facit manifeſtam? Quoties, cum diu verſari in nocte aliqua tibi videbare, de repente diluxit; & tam multa vidiſti, quæ nūquam ibi deliteſcere putaueras? Multa item quæ in articuli corpore non inueneras, ſe dant in diſſolutionibus argumentorum: multa quæ imperitis vel curſim dicta, vel caſu proiecta, vel temere effuſa videntur, contemplanti diligentius, theſauros doctrinæ ſelectioris largiuntur? Summa hæc, uena eſt aureæ doctrinæ, quæ cum foditur, creſcit; puteus iugis ueritatis, qui dum exhauritur, impletur; fons

pe-

perennis ſapientiæ, qui nulla deductione poteſt unquam exareſcere. Vtinam, Auditores, in ea legenda ſpectandaque oculos Nicoſtrati pictoris excellentis haberemus. Hic enim aliquando incurrens in Zeuxidis Helenam, ab ea nõ poterat auelli: mirabantur qui videbant hominem à tabula pendentem; intentis oculis ſtupefactum haurire animo colores, artificium, venuſtatem; quærebantque quidnam in ea reperiret, quo tantopere detineretur. *Non id ſciſcitaremini*, reſpondit ille, *ſi meos oculos haberetis*; eruditos ſcilicet atque acutos; qui & poſſent deprehendere, quæ laterent; & noſſent de deprehenſis iudicare. Tales & vobis, & mihi cupio non tam corporis, quàm mentis oculos, in hac noui Timanthis ac melioris pictura ſpectanda; vt in eius intimos receſſus ingenio penetraremus, & penetrando locupletaremur. Neque vero quemquam perturbet inuidorum quorumdam criminatio, ſummam non eſſe perfectã. Fateor deeſſe partem; prǣmatura mors nobis tantum inuidit bonum; ſed iniuria mortis ceſſit in gloriam auctoris. Recordamini Veneris Coæ, cuius caput & ſumma pectoris arte politiſſima perfecit Apelles, & reliquam partem inchoatam reliquit, ſuperaturus aliam ſuam priorem, & in hac ſe ipſum, ſi vixiſſet. Oris pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem abſtulit omnibus. Itaque nemo pictor eſt inuentus, qui partem inchoatam abſolueret: & hac ratione ſe victos Apellis arte, ſummumque omnium Apellẽ confitebantur. Non diſſimilis Apellis Thomas, partibus perfectis deterruit omnes, ab ea ſupplenda, quæ deerat. Thomas Caietanus Cardinalis acumine ingenij ſui ſæculi facile princeps, & maximum Italicæ theologiæ ornamentum, amore magiſtri ductus, ſupplere ac perficere pigmentis & coloribus ex eiuſdem officina petitis eſt aggreſſus; ſed magnitudine operis & præſtantia ſe victum iri prouidens, conatum ſuum ingenua confeſſione præmuniit, Horatii verſum vſurpans aptiſſime, quo ſignificabat ſe humano capiti ceruicem iungere equinam. Hic Auditores, reſi-

Orat. 16. n. 20.

Cic. l. 3. offic. l. 1. ep. 9. ad Lẽt. Pl. l. 35. cap. 10

Hor. in poet.

ficite animum attentione maiore ad ſummum beneficiū, quod nobis S. Thomas contulit in hac ſumma, qua philoſophiam ab erroribus perpurgatam, atque illuſtratam luce diuina, theologiæ, vt par erat, ſeruire coegit. C. Curio ciuis
Pl. l. 36. cap. 15 Romanus, vt in funebri patris munere quos opibus apparatuque non poſſet, ingenio & arte ſuperaret; duo theatra iuxta fecit ampliſſima è ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento; in quibus vtriſque inter ſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, ſpectaculum antemeridianum edebat: tum repente circumactis, vt contra ſtarent, poſtremo iam die, deſcendentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatores dabat, populum Romanum in tam infida ſedentem, inſtabilique ſede circumferens. Mirabile inuentum, ingenioſus inuentor, artifex, auctor, qui cogitauit auſum, qui ſuſcepit, qui paruit, qui iuſſit. Aeque mirabilis eſt ſumma hæc; ingenioſior Thomas, qui totum inuenit, ſcripſit, edidit. Steterunt multis ſæculis duo theatra philoſophiæ videlicet, ac theologiæ propemodum auerſa, atque inimica; ſuaque ſpectacula dabat vtrumque ſeorſum ab vtroq; quòd illa quamuis huic ſeruire debuiſſet, ac parere, ſuis tamen erroribus educata, ſuauiſsimum imperium theologiæ detrectabat, ductum defugiebat; ſolem vitabat matutinum doctrinæ patefactæ diuinitus. Hinc philoſophi cum theologis decertare non dubitabant: numquam plane conuenire in eam, quæ ſola eſt atque vna, veritatem: numquam ad vnum Deum creatorem ac præſidem rerum cognoſcēdum, amandum, colendumque conſpirare: peripatetica præſertim, quæ ingenio magiſtri prope diuino ſuperbe tumens, omnia præ illius doctrina contemnebat; & interdum in eam audacius quàm aliæ ſectæ, mouebat arma ſubtiliter diſputando. Magnus hic Thomas ingenio, ſcientia maior, pietate maximus, è duobus theatris, quæ tempore antemeridiano, hoc eſt ante Chriſti prædicationem auerſa ſtabāt; nec poſtea conuenerant vmquam in mutuam concordiam

ob

Digitized by Google

ob alterius pernicaciam; fecit vnum amphitheatrum; in
hac ſumma coniunxit humana diuinis, naturam cum Deo
philoſophiam cum theologia, puriſsimis huius aquis eluēs
illius fœdos errores; & non nihil philoſophicis rationibus
à natura rerum ductis theologiam locupletans. O beatiſ-
ſime Thoma, quàm tibi debet humanum genus, & præci-
pue natio Chriſtianorum, cui philoſophiam, à qua ſæpe ca
ptiunculis fallebatur, erroribus perpurgatam in hac ſum-
ma tradidiſti. Iam tuto philoſophos euoluere poſſumus, ſi
tuis regulis vtamur: iam non amplius perſuadebitur nobis
à Pythagora migratio per corpora animorum; à Platone
communio coniugiorum; ab Ariſtotele mundi æternitas;
ab Epicuro fœda corporis voluptas; à Stoicis fati neceſsi-
tas; ab Alexandro mortalitas animorum; ab Auerroe men
tis vnius in ſingulis hominibus commentum; ab atheo
Diagora, ceteriſque fæcis eiuſdem fœdiſsimis philoſophis
ſua portenta: non feriemur his venenatis telis, quando tam
ſolidis clypeis refutationum, ex armamentario tuo deſum-
37 ptis protegimur ac munimur. Sed quid ego theatrum,
quid armamentarium dico? Cælum ſtelliferum mihi ſum-
ma hæc æmulari videtur. An non infixæ ſtellæ, ſunt ſingu-
læ concluſiones ac veritates, quæ per eam ſparſæ collucēt?
an non ſplendor toto diffuſus orbe; lucidus eſt ordo, quo
mirabili cuncta tractantur? Quis ſol quaquauerſus illumi-
nans cælum, aſtra, lunam, niſi doctrina diuinitus manife-
ſta? Luna eſt, rerum humanæ rationis viribus comparata
cognitio; ſeu noſtra mens ſuo tantum ingenio freta. Nam
vt ſol ille, cæleſtis luminis fons in cælo, lunam exiguo ſuo
nitentem non lumine, ſed pallore; clariſsimis radiis aduer-
ſam illuſtrat, complet; eique vim in terris multa gignendi
tribuit: ita in hac ſumma, ſapientia cæleſtis à Deo patefa-
cta, tum ab humana philoſophia tenebras errorum expel-
lit: tum mentem noſtram, cum ſe illi cupida lucis obuer-
tit, luce maiore cognitionis imbuens efficit, vt ea radios ac-
ceptos, in alios regerere poſsit, & in animis ſcientia vacuis

ingenerare ueritatem. Quòd ſi Plato gratias agebat Deo,
quòd Socratis ætate natus eſſet; quo beneficio diuino po-
tuerat illum docentem audire: ſi Philippus Macedonum
Agell.l.9.c.3. rex, Alexandro filio nato, certiorem eius ortus per litteras
faciens Ariſtotelem, ſe Deo gratiam habere ſcribit, non
tam quia natus eſſet, quam pro eo, quòd eum temporibus
eius naſci contigiſſet; cuius magiſterio, doctrina, præceptis
erudiretur: quid facere nos oportet Chriſtianos homines,
theologiæq; ſtudioſos, qui non ante quadringentos annos,
non prius quàm hic ſol oriretur Eccleſiæ, venimus in hanc
lucem: ſed poſt eius abitum ad beatiorem vitam; quo tem-
pore nobis conceditur eius doctrina frui, lac ſcientiæ ſuge-
re, theologiaque ſaginari? *Si primus ardor*; vt opinabatur
S. Ambr. l. 2. de virgin. Ambroſius, *nobilitas eſt magiſtri*; quid cunctamur, quid hę-
temus, quid moramur in tanto ſplendore, non tam gene-
ris, quàm ingenii, in tanta luce probitatis; in tanto lumine
ſapientiæ? Si ſumma hæc omnibus obuia (quæ ſingularis
eſt diuinæ prouidentiæ bonitas) tantam præbet ſtudendi
proficiend que opportunitatem; cur non auidi mel expri-
mimus ex hoc fauo; non hunc bombycis nidum ad noſtrũ
vſum retexímus; non huic phęnicis ſepulcro meditatione
recondimur? Cur denique non hanc Timanthis nobiliorẽ
tabulam intentis oculis contemplamur; non in hoc amphi-
theatro doctrinarum omnium totos dies conſidemus ſpe-
ctatores; non in hunc ſolem ingeniorum, mentis oculos 38
vultumque conuertimus? Ceterum ſanctiſſimi viri probi-
tas imitanda eſt, & coniungenda cum ſtudio, quemadmo-
dum ipſe faciebat, exiſtimans eam plus ad diſcendum ad-
iumenti, quàm induſtriam & ingenium afferre. Hoc eſt,
Auditores, imagini naturali Dei, de qua diſputauimus, ad-
dere ſimilitudinem ordinis diuini, quam virtutes diuinitus
infuſæ conformant. Vt enim imaginem alicuius vel in ſpe-
culo, vel in tabula pictam exornat eburnea theca, circulus
aureus, gemmæ, margaritæ: vt additi ſtatuæ vel ligneæ, vel
marmoreæ colores, eam ſimiliorem prototypo reddunt: vt
indu-

inductus coloribus ac luminibus tabulæ pictæ ſplendor, picturæ venuſtatem auget: ita naturalem imaginem in nobis diuino penicillo depictam, virtutes ornant, ſimiliorem Deo reddunt, & illuſtriorem. At hæc imaginis ornamenta, ſplendores, additamenta, communis eſt theologorum è diuinis hauſtus oraculis ſenſus, ſola culpa probitatis ac ſanctitatis inimica, qua non tollitur imago, præſtanda deleri. Quamobrem intelligitis quanta contentione animi, ſunt ea refugienda nobis, non modo flagitia, ſcelera, malefacta grauiora; ſed etiam maculæ, labeculę, vmbræ, quibus imago Dei præclara vel tantulum fœdari poſſit, aut inobſcurari. Quod ſi crimen imminutæ maieſtatis Romanorum Imperatorum temporibus habebatur, ſtatuas eorum aut imagines vel leuiter violare, ſic vt ætate Tiberij damnatus capitis fuerit, qui ſeruum verberauerat, quo tēpore drachmam argenteam imagine Tiberij ſignatam geſtabat: ſi eodem imperante, Fanio cuidam eſt obiectum ab accuſatore, quòd venditis hortis ſimulacrum Auguſti ſimul mancipaſſet: ſi Chryſoſtomi tempore tanta ſeueritate ſunt Antiochiæ per iudices imperatoris actæ quæſtiones & iudicia, quòd Theodoſij & Placillæ vxoris eius ſtatuæ fuiſſent in populari ſeditione deiectæ: ſi reſcripta imperatorū, & reſponſa iuriſconſultorum extant adhuc, quæ ſignificāt teneri lege maieſtatis eos, qui ſtatuas iniurioſe percuſſerint, & conſecratas vendiderint, aut conflauerint: conijcite vos, viri prudentes, quàm iniurioſi ſumus nos in diuinam maieſtatem; cum animum noſtrum imaginem Dei, non ex argilla, ligno, marmore, aut ære, ſed viuam atque ſpirantem, violatis diuinis legibus, grauibus admiſſis maleficiis exuamus ſplendore gratiæ cæleſtis, & virtutum ornamentis ita ſpoliemus, vt noſtra culpa, ſi non deleatur, (quod fieri non poteſt) ſaltem hac nobiliore ſimilitudine detracta, miſerabiliter obſoleſcat.

Philoſtr. l. 1. de vita Apoll. cap. 11.

Tacit. l. 1. annal.

Sozom. l. 5 c. 23. Zoſim. l. 4.

l. non cōtrahit. l. qui ſtatu. u. ff. ad l. Iul. maieſt.

AD ODOARDVM CARDINALEM FARNESIVM GRATVLATIO.

Oratio XXIII.

QVOD precata eſt à Deo parente vitæ, ſalutiſque omnium frequenter Societas noſtra proximo biennio, cum perpetuo conſtantique patrocinio Alexandri Farneſii memoria ſempiterna digniſſimi Cardinalis orbata, Cardinalem Farneſium votis, fletu, lacrymiſque repoſcebat: vt aliquando tandem in eius honoris locũ ſuffectus, non tam alter, quàm pæne idem, in pari dignitatis gradu locareris: id primum ſingulari eiuſdem Dei beneficio, deinde Greg. XIIII. Pontificis maximi atq; optimi egregia uoluntate, tibi, tuis, & nobis, & bonis omnibus tributum nuperrime, ac donatum eſſe, maxime lætamur, Odoarde Cardinalis ampliſſime. Qui vtinam introferre poſſes oculos in pectora noſtrum omnium, ac penitus introſpicere in intimos animorum receſſus; vtinam vno aſpectu luſtrares vniuerſam ſocietatem Ieſu: cerneres profecto, quantam non huic Parmenſi collegio, non Romanæ domus ſodalibus modo, ſed etiam ſingulis, qui ſunt vbique gentium ſociis, ſplendor iſte tuus nouæ dignitatis, ac purpuræ fulgor lætitiæ attulerit voluptatem. Poſſes quidem ex te ipſo, ad quem tuorum maiorum merita, hereditario quaſi iure perueniunt; hoc eſt ex recordatione beneficiorum in noſtro ordine collocatorũ per maiores tuos, conijcere nobis tacentibus, qui ſenſus eſſe debeat non inofficioſorum hominum, neque ingratorum; qui animus, quæ alacritas, quæ lætitiæ magnitudo: ſed tamen ex oratione mea interprete geſtientis animi, ac teſte locuplete volun-

tatis

tatis gratæ, ſi audiueris attente, quod humanitas tua *polli*-cetur, plane cognoſces. Iam uero ſi Alexander pater tuus, Cardinalis Illuſtriſſime, ille tot domitor nationum, belli fulmen, atque hoſtium terror, cuius natura filius es, accepto iucundiſſimo de tuo Cardinalatu nuncio, triumphaſſe lætitia credendus eſt; atque ad cælum ſuſtuliſſe manus immortali Deo gratias agens immortales, quòd eum genuerit filium, cuius purpurea toga, victoriæ patris, & bellica arma decorentur: ſi Ranutius Principum flos, ſanguine & amore germanus frater, ad eumdem optatiſſimum lætiſſimumque nuncium exſilire gaudio viſus eſt: ſi Gregorius Pontifex, quòd in Eccleſia gubernanda, conſilium à te fidele, & auxilium firmum exſpectet, in corona purpuratorũ Patrum te mirifice laudans lætiſſimo vultu atque ore Cardinalem renuntiauit: ſi ſacrum Collegium Cardinalium, cui futurus es decori et ornamento, cum reliquis omnibus Eccleſiaſticorum, religioſorumque virorum ordinibus, de tua creatione lætitiam animo cepit incredibilem: ſi Parma patria, quòd te amet vt ciuem & alumnum; colat ut principem ac dominum, adeo inſolita lætitia elata eſt, audita boni nuncij fama, vt non modo priuatim & publice, omnium hominum ordinumque concurſu, aliiſque gaudij ſignificationibus vſitatis gratularetur tibi, ſed etiã propemodum, vt in ſumma voluptate, quatriduum bacchaterur, tum cum ſtrepitu bombardarum, campanarum ſonitu, rogis paſſim accenſis, facibus innumerabilibus noctu collucentibus, tanquam ſignis, vocibus, ac linguis, muta ipſa mœnia, turres, arces, templa, fora, compita, tecta gaudium teſtata ſuum, applaudebant tibi, & fauſta omnia augurabantur: ſi Romæ, quæ deſiderans & deflens ad pridie nonas martias vſque ciuem illum ſuum optime meritum Alexandrum, ac beneficentiſsimum Patriæ Patrem exſtinctum in ſqualore luctuque iacebat, recreata nunc, quòd ille in tua purpura reuiuiſcat, iam attollere caput, & ſeſe erigere ad ſpem meliorum temporum inuſitato gratula-

tionis

tionis genere proficeretur: ſi cũcta Italia, ſi Europa vniuerſa, quæ ſe Patronũ fideliſsimũ recuperaſſe credunt, vnde auxilium rebus ſuis ac præſidium petant; adeo gauiſæ ſunt, vt vndique ciuitatum, Epiſcoporum, Principum; Rerumque publicarum litteræ, internuncii, gratulatoresque certatim Parmam aduolarint: ſi cælum denique ipſum nubibus pluuia madidis, atque ſtillantibus obductum, quo die, immo qua hora, purpureo pileo rite ornabaris, repentina exhilaratum ſerenitate, (quod egrediens templo vidiſti) frequentiſsimi populi gratulationem, ciuitatis plaudentis hilaritatem, & ſacros ritus felici auſpicio, iubente Deo, quaſi comprobans (vt quondam Gregorio Nazianzeno

Gregorius presbyter in vita. S. Greg. Nazianzeni.

Conſtantinopoli, præſente ac rogante Theodoſio Imperatore pontificatum eius vrbis ineunti ſimiliter arriſerat) occultatum diu ſolem tanquam indicem lætitiæ ſuę mortalibus oſtentauit: ſi parens inquam tuus, ac frater, ſi Pontifex & Cardinales, ſi Parma, Roma, Italia, Europa, & cęlum ipſum iuſtiſsimas ob cauſſas gaudiis ingentibus exultarunt; quanta lętitia perfuſa & completa eſſe putanda eſt Societas Ieſu, ſimilibus atque adeo iiſdem prope de cauſsis non in hac ciuitate ſolum, vbi pręſentia tua clariſsima ſaturauimus oculos: non Romę tantum, ubi tanquam in capite tot Farneſianę liberalitatis extant argumenta; ſed etiam in toto orbe terrarum, vbi viget, & vero etiam infixa eſt memoria promeritorum Farneſię Luſitanęque gentis ſempiterna? Cur denique non immortaliter gaudeat Societas, cuius tu Cardinalis Illuſtriſsime, iam dignitate Pater es; qui amore atque ętate filius, & nonnulla diſciplina eras alumnus? cuius eris, ut ſperamus breui, ſolatio frater, tutela patronus, auctoritate propugnator? cui proſperis in rebus ornamentum, in aduerſis auxilium polliceris? & quę tibi viciſsim obſeruantia filia, reuerentia famula, obſequio ancilla, indulgentia & caritate, Mater futura eſt? Atque hęc ingens lętitia nobis exorta eſt, tum cauſſa tua, tum noſtra. Tua quidem, quia Cardinalatus iſte videtur potius

tibi relatus, quàm dilatus; redditus, quàm datus: & breui interuallo redditus; hoc eſt biennio poſteaquam Alexander patruus magnus ſeſe cardinalatu per mortem abdicauit: & redditus ab eo Pontifice, qui & dictis & litteris atteſtatus eſt, in te ornando, ſe Farneſiis reſtituere Cardinalatum Franciſci patris ſui, per Paulum III. è Farneſia gente Pontificem, acceptum à Farneſiis, vnde Sfondratorũ nobilitati noua & magna lux honoris acceſſit, quæ Nicolao poſtea ad ſummum Pontificatum, aperuit, munijt atque illuminauit viam. Et redditus meritiſſimo. Erat enim tibi pro merito Farneſius ſanguis. Tu filius illius (ſic Pontificem in Conſiſtorio, cum te Cardinalem declarabat locutum puto, qui cauſſas Cardinalatus tui quas commemoro, his ferme verbis, in litteris ad te datis expoſuit) tu inquam filius illius, qui contra Turcas, contra hæreticos, contra Dei ac legitimi Regis perduelles, pro fidei Chriſtianæ propagatione, catholicæ religionis reſtitutione, Romanæ Eccleſiæ auctoritate pugnans, hoſtium immanium furori trucidandũ ſe ſe millies obiecit. Tu duorum Cardinalium fratrum Alexandri, & Raynutij fratris nepos; quorum prior annos totos quinque & quinquaginta, quos vixit Cardinalis; poſterior, quem mors immatura nimis eripuit, quoad vixit, legationibus, conſilio, liberalitate, orbis terræ patrocinio ſacroſanctæ Eccleſiæ profuerũt. Tu abnepos Pauli III. quem partim ſua virtus, partim ſuorum maiorum in Sedẽ Apoſtolicam obſeruantia & pietas ad ſummum pontificatum extulit; quique factus Pontifex conſtantia, pietate, ſapientiaque admirabili vſus, cum aliis multis rationibus, tũ vero præcipue Tridentino Concilio inchoando, pacificandis maximis Chriſtianorum Regibus, creandis optimis Cardinalibus, quindecim annos turbulentiſſimis temporibus rexit Eccleſiæ nauim. Nec vero Farneſius ſanguis tantum pro merito tibi fuit, quod permagnum eſt; ſed & præclara iſta Indoles tua, vt Pontifex ſcribit, ſupra ætatem, & cum vehementi Chriſtianæ religionis iuuandæ ſtudio cõ-

Cic.l. de Rep. apud Seru.l.6. Aen. iuncta. Summam enim & certiſſimam ſpem (quæ laudari ſolet à ſapientibus) multorum, magnorumque bonorum *S.Hier.ep. 8. ad Demetr.* in optima tua natura, moribus, ingenio, qui te ante penitus norat Gregorius habebat collocatam: intelligebat ab excellenti eximiaque Natura progreſſum ætatis non exſpectari oportere; in qua virtutis curſus, quàm ætatis ſolet eſſe celerior: proinde plenus magnæ huius exſpectationis per te excitatæ, non amplius differendum ratus quod iampridem in animo inſederat, voluit non tam præteritis meritis præmium ſoluere, quàm futuris; nec tam maiorum tuorum collata, quàm tua in Eccleſiam conferenda beneficia, atque adeo mirificam tuam voluntatem, egregiamque pietatem, per ſpecimen ſatis perſpectam, Cardinalatu remunerari. Propterea memor celeberrimæ Salomonis ſententiæ. *Da* *Prou 9.* *occaſionem ſapienti, & addetur ei ſapientia*, aperuit tibi ad nauigandum mare, vt bonæ indolis bonæque voluntatis *Matth. 25.* talentum à Deo traditum, eidem poſſis euangelica negotiatione multiplicatum reſtituere: patefecit campum, in quo ſe tua virtus ad Eccleſiæ vtilitatem expromere, ingenium oſtendere, & excurrere queat induſtria. At quo modo redditus Deus immortalis? quàm extra ordinem? quã honorifice? Modus ipſe per ſe, propter admirabilitatem honor eſt maximus. Hic ego vos Auditores ceteri ornatiſſimi qui adeſtis, alloquar; vt parumper orationem auertam ab eo, cuius ingenuus pudor laudes reformidat: nec dicam hoc loco Cardinalatum non petijt, non prenſauit, non extorſit, nec prece, nec pretio, nec interpoſita Regum auctoritate; quod in Eccleſiaſticis dignitatibus, vt id feciſſe peccatum eſt graue, ita non feciſſe, non magna laus: non dicam lectus eſt in ſenatum purpuratorum, noua lege pontificia ſolutus, qua cauetur, ne extra Decembrem creentur Cardinales: lectus in prima Cardinalium creatione: lectus poſthabitis multis prudentibus grauibuſque viris, & de re Chriſtiana benemeritis, quibus Cardinalatus vulgo deferebatur: quòd hæc illi communia ſunt cum tribus collegis

Digitized by Google

eodem quidem die renuntiatis Cardinalibus, ſed nō cauſſa pari. Illa illa propria ipſius, ſingularia, noua, & inuſitata referam, & clariſſima voce referam, vt omnes exaudiant. Lectus eſt tanta omnium alacritate, approbatione, gratia, vt ante totius Italiæ præiudicio, Eccleſiaſticorum ordinum votis, Aulæ ac propinquorum pontificis ſuffragiis, populi Romani prope dixerim clamoribus Cardinalis fuerit, quā ipſius Pontificis voce declaratus. Lectus eſt ea Cardinaliū creatione, quæ teſtimonio Pontificis, huius vnius cauſſa extra tempus definitum legibus, facta eſt. Lectus ab eo Pontifice, qui Cardinalis dicere ſolebat glorioſum ac beatum fore illum, qui Odoardum Farneſium Cardinalem faceret: Pontifex autem, non exiguam ſuæ felicitatis partem eſſe duxit, quòd ad ſua tempora fuiſſet non ab aliis relictus, ſed reſeruatus; lectus eſt denique antequam per ætatem ac legem pontificiam ei capere hanc dignitatem liceret; & necdum ſacris vllis initiatus in Diaconorum numerum adſcriptus cum iure, tum ſuffragij in creando Pontifice ferendi, tum Pontificatus adipiſcendi; & quamquam natu minimus omnium, primus deſignatus, primus declaratus, primus nuncupatus. Quæ omnia, quibus ſummum iudicium continetur eius, qui totius Eccleſiæ Paſtor eſt, ſacrorum omnium Antiſtes, religionum Arbiter, legum ſanctionumque Interpres, quàm ſint ad Odoardi Cardinalis laudem magna, ſplendida ad honorem, & ad gloriam illuſtria, nemo non videt æquus rerum æſtimator.

4 At noſtra cauſſa, quod erat alterum caput, quo gaudio perfruimur Cardinalis Illuſtriſſime? Grati animi eſt, non modo beneficiorum meminiſſe, vt prudenter Lacedæmoniis ille philoſophus Chilo, vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus, poetæ verſu monebat; *Quæ benefacta accipias perpetuo memento;* Sed etiam cum referre gratiam meritis parem haud poſſit, ſignificare ſaltem benefico creditori quòd habeat, & amorem referre pro gratia. Qui vero amant ut ſanctiſſimi Apoſtoli Pauli verbis vtar, *Gaudent cum gaudentibus:* *Auſ. in Ludo. 7. Sap. in Chilone.* *Rom. 12.*

Digitized by Google

quare ſi non gaudemus in tanta omnium alacritate gaudium tuum, ſi non amamus amorem, ſi gratias non habemus ac referimus certe amando, gaudendo, beneficia commemorando, ſumus omnium mortalium ingratiſſimi. Sed quæ tandem & quot ſunt iſthæc merita & beneficia? Tibi ad hunc vſque diem adoleſcentulo Cardinalis Illuſtriſſime (non enim aſſentabor mentiendo) ad benemerendum de nobis, ætas defuit non voluntas; quam & propenſam ad noſtra commoda, & paratam eſſe, cum ſeſe occaſio dederit, ex ore tuo non ſemel accepimus. Verum Farneſiorum generi, & Luſitanorum Regum familiæ, quorum vtrorumque vt nobilitatis, ita promeritorum hereditas tibi venit, debemus tantum, quantum homines hominibus debere fas eſt. Si quid ſumus in Eccleſia, inde ſecundum Deum habemus, vt ſimus: ſi quid poſſumus ad aliorum ſalutem, per illos poſſumus; ſi quid geſſimus ad gloriam diuini numinis, (quod parum eſſe ſentimus) illis auctoribus, ducibus, atque adiutoribus geſsimus. Ecquis ignorat minimam hanc noſtram Societatem, anno ſæculi huius quadrageſimo, à Paulo III. Pont. Max. Farneſiæ gentis ſplendore clariſsimo, conſtitutam auctoritate Apoſtolica, paullo poſt priuilegiis ornatam & auctam? eandem ab Alexandro Cardinale patrono acerrimo ſuorum clientum perpetuo defenſam patrocinio? ab eodem regiis plane eleemoſynis noſtrorum inopiam Romæ ſæpe ſubleuatam? Ibidem ad radices Capitolii, eiuſdem pia liberalitate nobis excitatum à fundamentis Templum illum, dignum (ne dicam amplius) vrbe Roma, quæ quondam Imperii ſedes fuit, nunc eſt domicilium Religionis; dignum illa celebritate quotidiana, qua & à ciuibus, & à peregrinis cum voluptate & admiratione frequentatur; dignum Regia Cardinalis magnificentia; quam operis magnitudo, ac ſpecies omnibus gentibus, omnique poſteritati teſtabitur: dignum deniq; Chriſto Ieſu, cuius ſāctiſsimo nomini, eſt dedicatum, quod cum Romæ ſit, quæ vt Religionis Chriſtianæ, ita noſtrarū

rerum

rerum eſt caput,& illi adiunctum domui, quæ Parens habetur ſodalitatis noſtræ, ſodalitati vniuerſæ pro munere ampliſſimo ædificatum & donatum puto. Hoc vero nonne ab Octauio Excellentiſſimo Duce auo tuo, cuius commemorationem noui Parmenſibus eſſe iucundiſſimam? ante annos ſeptem & viginti acceerſiti ſumus, & eiuſdem auctoritate in hiſce ſedibus atque templo locati? Qui hoc non contentus, Placentiæ item paucis ab hinc annis Collegium noſtrorum hominum, ad ædem ſacram D. Petri & erexit,& fundauit. Per Alexandrum autem Octauii filium parentem tuum, qui Macedonum Magni Regis cognominis ſui gloriam,rebus fortiter feliciterque gerendis, vrbibus munitiſſimis expugnandis, populis bellicoſiſſimis ſubigendis,& glorioſiſſimis victoriis æmulatur,in priſtinas ſedes Antuerpiæ, atque in aliis receptis vrbibus inferioris Germaniæ, poſtliminio reſtituti ſumus, vnde pulſi cauſſa religionis exceſſeramus. Quid Ranutius Princeps Alexandri filius frater tuus? Hic etiam intra hos parietes perpetuum beneuolentiæ ſuæ monumentum, riuuli perennis aquæ,ſalientis fontis in ſpeciem,ex aquæductu publico deductione conſtituit. Qui exiſtimans,opinor,benemerendi de Societate Ieſu voluntatem, quam in patre,auo,maioribus continuatam animaduerterat, ad ſe hereditario iure pertinere, vixdum exceſſerat è pueritia,vixdum res publicas parentis loco tractare cœperat, cum de nobis benemereri cępit.Iamuero materno generi Luſitanorum Regum, quantum debemus? Qui tum, cum Romæ Paulus Pontifex ſocietatem ſtabiliebat, primi Chriſtianorum omnium principum complexi ſocietatem, in tota Luſitania, tum etiam trans Oceanum & Indum, in extremis Imperii Luſitanici finibus,hoc eſt in illa Orientis ora,quã Indiam cum veteribus nominamus,Collegia ſodalium noſtrorum,quaſi ſeminaria Chriſtianæ Religionis propagandæ, maximis ſumptibus,& magnificentia plane regia fundabant. Cum Alexander Cardinalis Romæ noſtris rebus fauebat, Henricus

ricus Cardinalis Regum conſanguineus in Luſitania res noſtras fouebat: ſic vt regia illa familia cum Farneſia in ornanda augendaque ſocietate certaret: ſic vt quidquid ad Dei gloriam, ſalutemque mortalium Auctore & Auſpice Ieſu in Luſitania, tranſmarinisque ad Orientem prouinciis, & Inſulis geſtum eſt per noſtros homines, id totum Ioanni III. Sebaſtiano, & Henrico Cardinali Regibus inuictiſſimis; quidquid Romæ, in Italia, & Europa reliqua, Farneſiis Principibus referri poſſit acceptum. Quod ſi Gregorius ipſe Pontifex, quod Franciſcus pater ſuus quondam vxore defuncta Cardinalis fuerit ab eodem Paulo factus, non dubitat ſecundum honorum ſuorum decurſum adſcribere Farneſiis, & in te vno decorando referre gratiam vniuerſis: nos tot, & tantis locupletati beneficiis à maioribus tuis tum paterni, tum materni ſanguinis, vnde & initia, & progreſſiones noſtræ exiſtunt, non vehementiſſime tecum in iſto honore tuo gaudeamus? Præſertim cum tutorem quondam Societatis, parentem, ac propugnatorem Cardinalem Farneſium Phœnicis in modum reuixiſſe videamus ætate florentem: cuius non modo verba plena humanitatis, indicia beneuolentiæ, pignora voluntatis in veterem tutelam declararunt iam Societatem eſſe receptam; ſed etiam nomen ipſum Farneſii Cardinalis auditu iucundum, de induſtria retentum, quaſi bonum omen tacite pollicetur, te vt reliquas religioſorum virorum familias, ita noſtrum Ordinem eodem loco ac numero, quo erat apud Farneſium ſeniorem Cardinalem, habiturum. Arbitror equidem pluribus & illuſtrioribus argu- 7
mentis cum Romæ, tum alibi declaratam fuiſſe, & declaratum iri lætitiam animi gratulantis à ſodalibus noſtris: at nobis hoc tempore (quos in tanto plauſu cunctæ ciuitatis nec triſtes, nec remiſſos eſſe decuiſſet) paucis numero, tenuibus ingenio, nec valde induſtriis, nulla ratio teſtificandi gaudii melior occurrit ea, quam exponam Cardinalis ampliſsime. Primum quidem rerum omnium Auctorem

ii 3.3 Deum,

Digitized by Google

Deum, qui tibi dignitatem iſtam per ſuum Vicarium mãdauit, tum precibus, tum ſacrificiis propitiatum, vniuerſi precati ſumus, vt quem Cardinalatum, diuturnis à ſocietate noſtra votis expetitum, hoc demum tempore tibi detulit, velit ad bonorum commoda, ſplendorem Eccleſiæ, Religionisque præſidium, & rebus prudenter gerendis memorabilem, & vitæ ſanctitate inſignem, & annorum multitudine eſſe perquam diuturnum. Deinde duximus exponendum, vt vides ſacroſanctum Chriſti Domini corpus hodierno die, qui quòd humanæ ſalutis exordium fuit, à Chriſtianis ſumma religione colitur: vt Ciuitas ad iungendas nobiſcum preces, quibus numen diuinum in omni vita propitium cogitatis, optatis, conatibusque tuis reddere cupimus, & ad eadem tibi vna cum animi, corporis, fortunarum, cognatorumque incolumitate, pijs ab eodem votis depoſcenda, impetrandaque inuitaretur. Poſtremo te purpura & Cardinalatus inſignibus fulgentem exoptauimus intra hoc templum intueri oculis ad commune ſolatium; venerari quatenus fas eſſet, ad obſequium; docere denique de concepta animo lætitia, quæ tanta eſt, quantam humana pectora gaudio & amore dilatata capere queunt.

8 Atque vt priuatim alias ſæpe, ita nunc publicè eidem largitori bonorum Deo, & tibi Chriſte Optime Maxime qui velata præſentia & huic templo præſides, & nobis præſentiſsimus ades, gratias agimus maximas de tam inſigni beneficio collato in nos, in familiam Farneſiam, in Ciuitatem Parmenſem eiuſque ditionem, in vrbem Romam, Italiam, Eccleſiam vniuerſam. Deinde tibi Cardinalis Illuſtriſsime nomine ſodalium omnium gratulor de eodem iſto honore, de quo nobis ipſi mirifice gaudemus, & quem tibi felicem, proſperum, fauſtumque ſumme concupiſcimus. Et quoniam ſuſtineo totius Collegii perſonam, eximia fretus humanitate tua, orare te atque obſecrare non verebor, vt in precelſa honoris ſede poſitus tecum ipſe cogites attente in cardinalatu ineundo præclarum illud ſiue

Chi-

Digitized by Google

Orat. 20. n. 16. *S. Ambr. ſerm. 2 in pſal. 118.* *Procop. Gazeus in Deuterõ.*

Chilonis ſiue Thaletis philoſoph præceptum *γνῶθι σεαυτόν*, hoc eſt *Noſce te ipſum*, & ſacro Deuteronomii libro, vt grauiſsimorum virorum fert opinio deſcriptum; quod propter præſtantiam vtilitatemque, quoniam ab homine mortali nequaquam excogitari potuiſſe exiſtimabatur vel è cælo deſcendiſſe, vel ab oraculo Apollinis Delphici prodijſſe ſuperſtitioſa finxit antiquitas. Hæc tria rogo te, tum etiam per dignitatem tuam, & amorem meum obteſtor, vt tecum ipſe reputes: Odoardus es, Cardinalis es, Farneſius Cardinalis es. Quod Odoardus es, ſuſtines magnam exſpectationem imitandarum virtutum parentum, auorum, maiorumque tuorum à quibus procreatus es: ſplendent adhuc & multorum ante oculos obuerſantur, Patris tuendæ Religionis ſtudium & fortitudo; humanitas & facilitas Aui; Alexandri patrui magni liberalitas, & magnificentia; Raynutii Cardinalis cupiditas ſciendi; paternæ auiæ Margaritæ prudentia: Mariæ matris ſpectata ſanctitas, Odoardi materni aui probitas, alterius Odoardi auunculi Religio; totius maternæ cognationis Luſitanici ſanguinis pietas; abaui Pauli virtutes omnes. Quorum qui viuunt, ſi adeſſent, qui vita functi ſunt, ſi reuiuiſcerent, iiſdem opinor, quibus ego vocibus hoc initio Cardinalatus, te ad tui cognitionem, & ad ſui imitationem cohortarentur. Cardinalis es: maximam ergo grauiſsimamque Perſonam geris. Etenim adſcitus es in numerum ſapientiſsimorum optimorumque uirorum, qui ſunt Eccleſiæ lumina, columnæ, firmamenta, & cardines, vnde & Cardinales appellantur: cooptatus in ampliſsimum orbis terræ Senatum: receptus in Collegium purpuratorum conſiliariorum, quibuſcum Pontifex Maximus Chriſti Vicarius in terris de grauiſsimis quibuſque rebus conſultat & deliberat: proinde breui profecturus es ad illam Chriſtianorum arcem Romam, vbi tamquam in frequentiſsimo theatro gentium omnium, nationumque verſabere. Nec vero minorem ſuſtines exſpectationem Pontificis, qui te ad iſtam dignitatẽ 9

extulit;Cardinalium,qui tua quoque purpura ſe honeſtari ſperant;ordinum omnium, qui te perinde vt alterum patronum expetunt, Parmenſis Ciuitatis experientia doctę, quid à tui ſimilibus ſperandum ſit;Romanæ denique vrbis quæ,vt præſagit animus, effuſa portis, & quaſi conuulſa ſedibus obuiam aduentanti tibi proceſſura, & reuertens pæne humeris te intra mœnia,tum in tuas magnificentiſſimas ædes latura eſt. Vides ne quot & quanta Probitatis, Doctrinæ,ac Prudentiæ ornamenta, præſidia & inſtrumēta comparari oportet, vt ſummam hanc tuï exſpectationē tuearis & expleas? At expleturum te eſſe,diuinare mihi videor;immo & ſuperaturum ſpero. Neque enim dubitandi locus eſſe poteſt, vbi ſummi Pontificis peracre iudicium nihil dubitauit, atque iſthæc omnia ſperauit. Poſtremo Cardinalis Farneſius es: quod eſt dicere, in Cardinalis Farneſii ſenioris locum ſubſtitutus; ad cuius imitationem tanquam exemplaris Cardinalis perfecti debes te effingere totum, ac formare diligenter. Atque hoc loco audire mihi videor hunc Alexandrum Cardinalem qui tā ſæpe incurrit in orationem meam, ab illis cæleſtium ſedibus, vbi cum Luſitanis & Farneſiis Heroibus, quos in conuentu beatorum degere ſpes eſt, de tua dignitate lætus adhuc gratulatur, appellare te, atque his paternis vocibus admonere. Odoarde,quem vt filiolum ſemper vnice amaui,quem domi mecum à pueritia alui & educaui; vides nè quò mea me virtus inuexerit? noſti nè quibus officiorum optimorumque ſtudiorum paſſibus, in cęlum aſcenderim? per eadem veſtigia ſequere curſim antegreſſum. Habes tu maiorem, quàm ego nobilitatem; paullo grandior es ætate, quàm cum ego factus ſum Cardinalis, non minus præſtas ingenio, iudicio,prudentia, cæteriſque naturæ donis; verſantur ante oculos multarum mearum adhuc recētia virtutum exempla; vidiſti mores imitatione dignos; combibiſti præcepta, quæ paullatim tibi propinabam;ingrederis denique viam tuorum maiorum illuſtribus conſi-

Fffff gnatam

gnatam veſtigiis, ea ætate in qua nihil præteritum excuſandum habeas: Quæ omnia conuertunt in te oculos, defigantque ſumma obſeruatione cogitationes aulæ pontificiæ, vrbis, Italiæ, gentium omnium; & exigunt à te, quæcumque geſſeris, omnia grandia, præclara, genere maioribus, immortalitate digniſſima. Caue per Deũ immortalem ne fallas hanc ſummam ſpem de te conceptam. Fuge incitatiſſimo curſu voluptates adoleſcentiæ, vocibus aſſentatorum aures occlude: intellige nec à Principibus generari, nec in ampla fortuna naſci, nec Cardinalem creari ſatis ad gloriam eſſe, niſi parati ſplendores induſtria nobilitatem, opes, & dignitatem illuſtrent. Fac igitur, quando mihi multis naturæ muneribus par es, pluribus præis, nullo cedis; vt virtutibus omnibus, homine Chriſtiano, principe viro, & primario Cardinale dignis excultus, tum me, in quo fortaſſe aliquid nolueris aut volueris, tum bonorum ſpem, amicorum exſpectationem, & omnium vota longo ſuperes 10
interuallo. His igitur paternis monitis experrectus Cardinalis Illuſtriſſime *ſpes altera Romæ*, in iſta tua optima indole, in tanta fortunarum abundantia, nobilitate generis, ſplendore nouæ dignitatis, in tot Naturæ muneribus, Regum cognationibus, hereditariis clientelis, excitatus tuorũ uocibus & optatis, prouocatus maiorum domeſticis exemplis, vrge te ipſe currentem vt arbitror, & acrioribus incita calcaribus in curriculo Chriſtianæ virtutis. Innocentia vitæ, grauitate morum, ſtudio doctrinarum, amore veritatis, bonorum tutela, patrocinio litteratorum, liberalitate in pauperes, pietate in Deum, caritate in omnes prætergre dere tuos æquales & collegas; præteruola omnes agnatos, & propinquos, atque adeo ſi fieri poſſit ſupera geminos illos Italiæ ſplendores Cardinales gentiles tuos, & quæ ſumma gloria erit, *et maxima cunctarum victoria*, vince te ipſum. De nobis tandem nihil eſt, quod dicam amplius. Tui ſumus: ſi nos tueberis, tua munera in nobis clientibus tuis ipſe tuebere. Nec neceſſe eſt, vt quod iampridem multis

Plato Dial. 1. de leg.
Theodor. l. 5. de cur. Græcor.
Plin. l. 35. c. 10.

Digitized by Google

nominibus tuum eſt, tibi de integro demus: quod numquam eſt ereptum, reſtituamus: quod numquam repudiaſti, rurſus offeramus. Imitare Deum ſapientiſſimum rerum Architectum, amantiſſimumque Parentem, qui quos procreat, perpetuo fouet, tuetur, prouehit. Farneſiæ Gentis partus, & opus eſt Societas Ieſu: tu fautor dignitatis; tu defenſor eius innocentiæ, ſi quando oppugnaretur, eſſe debes: tu cuſtos natiuæ integritatis: tu veteris libertatis vindex, & conſeruator, tu denique ſi quid ea poteſt in commodum tuum, eius opera vti, tanquam famulæ, ac filiæ ad nutum paratiſſimæ. Poſtremo, quod hodierna die, aduentus tui beneficio nos cœpiſti deuincire, gratias agimus, & referremus, ſi poſſemus; ſed nec tua fortuna deſiderat remunerationem, nec noſtra ſuggerit remunerandi facultatem. Leuioribus certare beneficiis & munuſculis, priuatorum eſt; in quibus tu minime cenſeris Illuſtriſſime Cardinalis; inter ſe eſſe munificos Principum eſt, quales non ſumus nos Chriſtianæ religioſæque cultores paupertatis. Tuum hoc beneficium, vt dignitate perſonæ, qui a Principis, præcellit, ita mutuum à nobis, qui priuati ſumus, non repoſcit. Quod igitur noſtræ tenuitatis eſt, iterum ac ſæpius gratias agimus, quàm poſſumus ingentes, & ſentiendo copioſius, quàm loquendo.

LAVDATIO
S. HYACINTHI
ORDINIS PRAEDICATORVM.

Oratio XXIV.

LAETOR vehementer, hodierna die in hoc auguſto celebrique templo mihi dicendi munus obtigiſſe, Cardd. Ampliſſimi, Patreſque religioſiſſimi. Nam etſi permagnum quiddam eſt, & vero etiam pertimeſcendum, in tot virorum dignitate, iudicio, ſapientiaque præſtantium corona, vnumquempiam peregrinũ, ignotum auditoribus, imparatum, aſſurgere ad dicendum pęne ex tempore, de laudibus beatiſſimi Viri Hyacinthi, qui poſt ſeptem martyres cognomines ſuos primus huiuſce nominis Confeſſor, Doctor, ac Virgo, in cæleſtium numerum relatus eſt: tamen non valde gaudere non poſſum, cum animaduerto, eo mihi die dicendum eſſe, quo primũ die ſanctiſsimi huius Viri memoria ſolenni ritu, prece, ſacrificioque colitur, à Prædicatorum religioſiſsima Familia, quorum vitam ille viuens profeſſus eſt: & eo in Templo, quod iamdudum eſſe noui pleniſsimum ſanctitatis: eorum rogatu, quibus optantibus obſequi mihi glorioſiſſimum duco: addo etiam apud eos potiſsimum Auditores, qui pronis auribus, beneuoliſque animis excipient oratoris vocem de virtutibus eximiis, ſingularibuſque ornamentis præclariſsimi Confeſſoris ſui, differentis: & quod caput eſt, eo de Viro dicendum, in quo exornando, quantumuis licet indiſertum oratorem citius vox, latera, tempus deficere poſſunt, quàm oratio. Illud vnum me nonnihil commouet, Auditores, vnde nam potiſsimum in tanta rerum amplitudine, laudandi ſumam exordium: ab ijs

ne

ne rebus, quas victor ſui contempſit, an ab ijs quas ſanctè,
2 fortiter, admirabiliterque geſsit? Etenim difficile dictu eſt, difficilius iudicatu, vtrum Hyacinthus in rerum vulgo ſpecioſarum contemptione fuerit admirabilior, an in conatu pie laudabiliterque gerendarum. At quia neutrum genus rerum ſileri ſine culpa poteſt, & ordiri neceſſe eſt ab alterutro, exordiamur à primo. Erat igitur Hyacinthus familia pernobili natus, & in ampliſsimo Poloniæ Regno natus, vbi Nobilitas antiquiſsimo iure, creandis ſibi Regibus, ipſa ſibi libere dominatur. Fuerat ab illuſtribus parentibus educatus egregie: doctrinis eruditus non vulgaribus: erat Iuonis Cracouiæ (quæ ciuitas regni Polonici caput, ac regia ſedes eſt) Epiſcopi copioſi ac locupletis fratris filius: à quo & canonicatum erat in eadem Eccleſia conſecutus. Quid præterea? rebus grauioribus gerendis erat exercitatus à patruo; Romæ verſatus aliquandiu; Romanæ curiæ carus; Pontifici, qui tum Eccleſiam vniuerſam gubernabat, Honorio Tertio gratioſus: proinde non modo tenebat pene manibus Epiſcopatum Cracouienſem, ſed etiam ad ampliſsimos quoſque honores ſibi aperuerat viam. Quid hic exſpectatis Auditores? Poſitus in tam ſecundo rerum humanarum fluentium ad voluntatem curſu; ætate, ingenio, nobilitate, gratia, opibus, honoribuſque florens, ſponte ſua, diuina quadam animi celſitate præditus, iſthæc puncto temporis vniuerſa deſpexit, repudiauit, abiecit: ac meliora ornamenta vitæ præſentis, melioraque bona conſequentis intuens, maluit nuncium Mundo remittens, delicias afflictatione corporis; honorum ſplendorem, obſcuritate vitæ; diuitias, paupertate religioſa commutare, gratiamque Dei, gratiæ mortalium anteferre. O animum excelſum, o mentem altiſsimam viri res caducas omnes, ſed prudentiſsime deſpicientis! Quem enim ordinem religioſorum in hac vitæ commutatione complexus eſt? eum nimirum, qui, vna cum Ordine Minorum à Franciſco Aſsiſiate Viro notiſsimæ ſanctitatis inſtituto, tum

Ferdin. de Caſtiglio in hiſt. gener. ord. Præd. P.1.lib.1.c.48. & l.2.c.47. Seraphin. Razzi. l. de ſanctis ordinis prædic. Aug. Montalcinus ordin. præd. in ſumm. vita & miracul. Hyacinthi.

primum

Digitized by Google

primum ad ſalutem Chriſtianorum efflorescebat; Ordinem inquam Prædicatorum, viuente adhuc, atque illum adſcribente in ordinem, ipſo ſanctiſsimo viro Dominico, qui hanc familiam & fundauerat & ducebat. Quo conſilio? qua mente? cuius impulſu complexus? eo ſane conſilio, vt ſibi per religioſam vitam facilius ad cælum aditum pateſaceret: ea mente, vt patriæ commodius prodeſſet ſuam operam depoſcenti: eius impulſu, qui quemque ad optima ſemper impellit. Cum enim Iuo patruus, de ſuo grege ſolicitus Paſtor enixe peteret à S. Dominico, vt in Poloniam è ſuis ſodalibus mitteret, qui populos illos verbo excolerent & exemplo: contra Dominicus affirmaret ſe, peritum regionis illius ac linguæ, qui mitti poſsit, habere neminum: Hyacinthus de repente diuino afflatus ſpiritu, Dominici ad pedes accidit, ei ſe offert nec opinanti: nulla interponitur mora, induitur religioſo habitu, recipitur in diſciplinam, conſecratur Deo in familia Prædicatorum. Quam cum ego nomino, (honoris enim & veritatis cauſſa nominabo ſæpiſsime) cupio vos Auditores, teſtatus Deum immortalem me nihil gratiæ, nihil auribus dare, cupio inquam, vos intelligere eum religioſorum hominū cœtum optimis temperatum legibus, per Honorium III. Pontificem ab Apoſtolica ſede comprobatum, qui non modo tres quattuorue Pontifices maximos, permultos Cardinales, innumerabiles propemodum Epiſcopos Eccleſiæ peperit: non modo uiris doctiſsimis, qui Chriſtianorum magiſtri merito habentur, per quadringentos fere annos floruit: non modo Dominicum parentem ſuū, Thomam Eccleſiæ doctorem, Petrum martyrem, Vincentium concionatorem egregium, Antoninum epiſcoporum formam, aliosque in ſanctorum numero rite locatos educauit: ſed etiam, quod ego maximum duco, cum propria ſit ac ſolida laus (illa enim cum aliis religioſorum ordinibus communia ſunt) iam inde ab ipſo ortu, vſque ad hoc tempus, perpetuus fuit, conſtans & acerrimus, non ad ſudoris modo,

Clem. VIII. in litteris canonizat.

Hier. Platus lib. 2. de bono ſtat. relig. c. 28.

Digitized by Google

dò, ſed etiam ad ſanguinis vſque effuſionem, Catholicæ fidei, ſinceræq; Religionis & defenſor & propugnator. Ma-
3 gna laus hæc Hyacinthi eſt, Cardinales Illuſtriſsimi fuiſſe tantæ filium Parentis; magna laus Familiæ, tanti fuiſſe filii Parentem: optimam Hyacintho dederat educationem Mater; maximum Hyacinthus reddidit decus Matri. Dicam iterum, & clara voce atque intenta dicam, vt omnes exaudiãt: Magna Hyacinthi laus eſt, ex Ordine prædicatorum extitiſſe: verum fortaſſe non minor illa eſt, fuiſſe de primis, qui ſunt in hunc ordinem cooptati. Prudenter enim Vmbertus quintus Magiſter vniuerſi Ordinis veſtri monuit, Patres optimi, vt in Eccleſia ſua fundanda Chriſtus Saluator noſter Apoſtolos excitauit (viros, & vno verbo dicam tales, quales poſterioribus ſæculis omnino nulli extiterunt: ita religioſorum hominum ordines nutu diuino recens inſtitutos, diuino item inſtinctu, viri magni animo & prudentia rerum agendarum, magni ingenio, doctrina, eloquentia, magni probitate ac virtute complectuntur, quales eorum poſteri deſiderare magis, quàm videre conſueuerunt. *Vmb. in c. n 3. Reg. S. Aug. c. 140.*
4 Quare cum Hyacinthus ab ipſo Auctore ordinis Dominico ſub initium erectæ familiæ in prædicatorum numerum lectus & adſcriptus fuerit, merito dici poteſt, Apoſtolus veſtri ordinis, & vel hoc ipſo nomine, quòd inter primos adſcitus ſit, magnus & ad magna uocatus à Deo putandus eſt. Dixi de rerum humanarum deſpicientia: reſtat de rebus geſtis dicendum. Hyacinthi porro res geſtæ, aut actiones fuerunt virtutum, imitandæ; aut miracula admiranda, quæ partim ab eo dum viueret, patrata ſunt; partim poſt felicem exceſſum è uita. Ac mihi quidem in Polonia, quo non multo poſt mutatam uitæ rationem, iuſſu Dominici, vineæ euangelicæ cauſſa colendæ profectus eſt; & ubi tanquam in latiſsimo campo diutius virtus eius quaqua verſus excurrit: mirabilis viſus eſt, in actione uitæ cum contemplatione temperanda; mirabilis etiam in reliquis uirtutibus, quæ inter ſe pugnare videntur, mira quadam concor-

dia

dia permiſcendis. Etenim humaniſſimus erat in alios, aduerſus ſeipſum aſperrimus. Peccata in autem ſibi confitentibus collacrymabatur, & in eorum animos aculeos reprehenſionis ſalutariter inijciebat. Interdiu ad laſſitudinem vſque defatigabatur agendo: & ad Sanctorum aras pernoctabat in precibus. Aſſiduus erat in concionibus; & terga nodoſis funiculis ad ſanguinem vſque verberabat. Peregrinabatur pedes, & diem integrum ieiunus. Solicitus erat de ſalute finitimarum regionum, nec tamen prouinciam ſuam incultam deſerebat. Quis prò Deus immortalis tot res, tam difficiles, tam inter ſe pugnantes conficere colligareque potuiſſet, niſi diuina magnitudine animi ac ſapientia fuiſſet inſtructus? O vir laborum victor, quàm anguſtæ erat pectoris tui latitudini Polonia prouinciarum omnium ampliſſima, cum de finitimorum regnorum ſalute cogitabas? cum in Bohemiam concionatores, euangelicoſque operarios ſubmittebas? cum ipſemet luſtraturus vaſtiſsimas illas regiones ad Septentriones Orientemque porrectas; & fame diuini verbi laborantes ſatiaturus: eo iter arripiebas? Attendite quæſo Auditores, rem ſingularem, admirabilem, inauditam, cum miraculis æquandam prophetarum. Deligit tres è ſuis, itineris comites & laboris: pedes iter ingreditur Maſouiam verſus: peruenit ad fines eiuſdem prouinciæ, quæ Poloniæ adhæreſcit. Cum ad oppidum celebre cui nomen eſt Viſſogradum diuertere cuperet, incurrit in flumen (Vandalum vocant) cum per ſe magnum, tum vero liquefacta niue, fractoque gelu turgidius ſolito atque incitatius. Non pons, non linter ſe offerebat. Caritas cupidum ante noctem in oppido concionandi, traijcere imperabat: ſed humana ſubſidia deerant caritati. Quid hoc loco conſilii capiat, Auditores, Chriſti peregrinus? Non erat ille Moyſes, qui virga Erythræum mare ſecans, aperuit ſuis viam inter tumentes fluctus. Non ille Ioſue, qui Iordanem cohibere curſum incitatum iuſſit. Nō Eliſeus, qui pallio diuiſit iam doctum, hominibus patere Ior-

Clem. VIII. in litteris canoniZat.

4

Litteræ Clem. VIII.
Th. Cantipr. l. 2. Apum. c. 29. §. 20.

Iordanem. Memor tamen eundem præeſſe atque ineſſe rerum Naturæ Deum, qui omnia poſſit: memor Chriſti Domini ſui ſupra mare quondam ambulantis, ſpe ac fiducia plenus, diuinitus vt par eſt credere excitatus, audet facinus tentare ſupra Naturæ vires. Quid faciat? Dat ſe primum in preces cum comitibus: deinde ſigno munitus Crucis, nouo modo, non ante Chriſtum, vt reor, audito neque vſitato, fluuium non fluentem aquis, ſed furentem vndis; ſed feruentem vorticibus; ſed ingentia glaciei fruſta voluentem, premit, calcat, quaſi tellurem ſolidam nihil cedentem plantis; & prima veſtigia facit pedibus calceatis tranſmiſſurus. Sodales metu perculſos, pendentes animi, inopes conſilii, nihil fluctuans ipſe, nihil ſubſidens, excitare, inuitare, prouocare vt ſe inſequantur: renuere illi, rem metientes humano modulo, ſtupere, formidare periculum, hærere in ripa. Hic Hyacinthus tergo fluminis ſuſtentatus, ſtans in gradu; tanquam alter Eliſeus proijcit pallium: eo vt explicato, pro nauigio vtantur, imperat. Illi tandem mirando Magiſtri ſui ſtatu minime fluctuantis animoſiores facti, committunt ſe pallio, credunt ſe vndis: & trahente inuſitatam nauiculam, gubernanteque Hyacintho, delati aliquantum amne ſecundo, fluuium omnes tranſmittunt incolumes, ſicca tunicæ talaris ora, ne ſoleis quidem madefactis. Quidnam potiſſimum in hoc præclaro, ac prope diuino facinore miremur Auditores? Fiduciam ne traijcientis in Dei prouidentia collocatam, an ipſam fluminis traiectionem? Vtraque res maxima; vtraque pulcherrima. Prior vſitata multis, plus Religionis habet, quàm admirationis: poſterior ad eum diem inaudita prorſus, ex nouitate plus admirabilitatis habet. Calcauit Chriſtus vndas intumeſcentis lacus: Hyacinthus rapidiſſimi fluminis fluctus. Preſſit plantis Simbriuinum ſtagnum placato æquore Maurus, ad imperium Benedicti Abbatis, parendi magis cupidus, quàm cogitans de periculo: Hyacinthus Vandalum incitatiſſimo curſu præcipitantem, vltro, meditatus,

Matth. 14.

S.Greg. l. 2. *dial. cap.* 7.

4 Reg. 2. periculi gnarus pedibus preſſit. Scidit Eliſeus pallio Iordanem profluentem, vt vado ipſe tranſiret: ſuis hic diſcipulis de pallio lembum fecit. Chriſtum imitatus Hyacinthus, Maurum vicit in ſe; Eliſeum pæne vicit in ſuis. Conſtanti fama accepimus. S. Franciſcum cui à Paula patria cogno-
Ex Breuiario. men eſt, Siciliense fretum, læna ſua pro cymba vſum traieciſſe, quòd inhumani nautæ ſine naulo tranſportare virum pauperrimum recuſaſſent, ac deſeruiſſent in littore.
Laur. Sur. in vita S. Bern. Sen. cap. 34. Nec multis hunc anteceſſit annis S. Bernardinus Senenſis, qui, vt hiſtoriæ proditum eſt, eandem auaritiam expertus in nauiculario ſtagni, quo Mantuam quaquauerſus circũfuſam Mincius alluit, attrita lacerna pro lintre quoque ſibi comitique ſubſtrata, celerius meritorio nauigiolo, cũ quo ſimul ſoluerat, concionaturus ea ipſa hora nauigauit ad vrbem; vectoribus, ceteriſque in litore ſtupentibus nouum Nauiculæ genus & inuſitatam ſcientiam nauigandi nauiculatoris prope diuini. Magna res; magnus animus; Fiducia vtriuſque æque vt illa mirabilis. At quod longo interuallo poſt Hyacinthum vixere Bernardinus & Franciſcus; à Hyacintho didiciſſe potuerunt audere magna, fidere Deo; mari, fluuiis, lacubus imperare. Neque enim indignum eſt, viros ſanctos, ſancto erudiri Magiſtro. Mitto re- 5
liqua: non enim eſt huius temporis, hoc eſt ſemihoræ, non dico explicare ornando, ſed percenſere numerando miracula omnia Hyacinthi, ſpectata, probatæ fidei, teſtata; exſtant publicæ tabulæ: exſtant diplomata pontificia: exſtat libellus ex hiſtoriis ea complexus vniuerſa. Ibi dicuntur mortui per Hyacinthum ad vitam reuocati: mancæ digitis manus redintegratæ: redditæ ſegetibus fruges, quas grando ſuſtulerat: depulſæ febres, eiecti dæmones de corporibus: cæcis videndi, audiendi ſurdis, claudis ingrediendi reſtituta facultas; ex dictis facite de reliquis coniecturam. Iam vero quando in eo primario templo ſumus, cui beatiſſima Virgo Maria cura materna præſidet, fas non eſt præterire Hyacinthi religionem, qua colebat eam glorioſiſ-

ſiſ-

ſiſſimam cæli orbiſque Reginam; quæ cum omnium religioſorum ordinum, tum in primis prædicatorum, Patrona eſt. Is igitur nullum diem feſtum tantæ Virginis aduentare ſinebat, quin pridie ſe vino ciboque omni, præter panem abſtineret: tanta erat cum ea familiaritate pia coniunctus, vt tamquam cum amantiſſima Matre filius ageret in precibus ſuis: illa viciſſim erga Hyacinthum, ut mater erga cariſsimum filiolum gereret ſe ſe. Nam primum oranti illi ad aram ipſius, pridie eius diei, quo virgo in cõuentum beatorum corpore recepta eſt, viſa eſt repente labi de cęlo incredibili circumfuſa ſplendore, quæ hunc filium ſuum affata eſt ſuauiſsimis verbis, atque ad progreſſus in virtute continuandos adhortata vehementer. Deinde cum placuit Deo auctori vitæ, mercedem laborum reddere Hyacintho, ei pia Mater, quo paratior eſſet ad exitum vitæ mortalis, diem mortis, atque horam prænuntiauit. Quin etiam eo ipſo die, quo Virgo quondam in cælum abijt, Hyacinthus hortatus ante obitum ſuos, ad vitam virtute colendam, ſacramentiſque omnibus inſtructus, corpus quod corrumpitur in terra deſeruit, atque in cæleſte domicilium beatorum euolauit. Poſtremum, vt ſanctiſſimæ cuidam feminæ, quæ quadraginta totos annos ſumma integritate vixerat, per viſum ſignificatum eſt, eademmet Dei Parens multis beatorum mentium comitata cohortibus, animum eius inuexit in cęlum; atque inter beatos non humili in ſede collocauit. Vix obierat, cum ſepulcrum coruſcare miraculis cœpit: inter quæ illud, quod eximiæ cuiuſdam virtutis argumentum eſt, nullo modo prætereundum videtur. In funere priſcorum Regum, Auditores, atque Imperatorum defunctorum, cum eorum impura cadauera de more cremarentur, vt fętoris grauitas à naribus viuorum depelleretur, magna vis odorum in eumdem rogum conijciebatur. Ducentas & decem lecticas odoribus pretioſiſsimis refertas arſiſſe cum L. Sylla teſtantur hiſtoriæ: quin etiam in eodem ambitioſo funere, humanæ *Plut. in Sylla.*

magnitudinis ſimulacra duo, alterum Syllæ, alterum li-ctoris,ex diuerſiſſimis lectiſsimiſque odoribus,quos Romanæ feminæ contulerant, ficta,cum exſangui corpore, iiſdē flammis incenſa fuere. Verum diſsimilem voluit Deus mortem eſſe piorum, quorum ſanctiſsima corpora, vt ab omni turpitudine dum uiuerent, abhorruerunt; ſic mortua, integra fere,atque ab omni corruptione diuino munere conſeruantur aliena. Longum eſſet narrare de omnibus,quorum è ſepulcris patefactis,ſepulcrorumue rimis, mira quædam ac diuina ſuauitas odoris afflata eſt. Ac ne egrediar ex iſta veſtra familia prædicatorum, Patres optimi,ubi tot virtutum exempla ſuppetunt, & miraculorum: nonne veſtris annalibus proditum eſt, Dominici Familiæ conditoris; Iordanis qui proximus Dominico, in ordinis ductu ſucceſsit: Thomæ Aquinatis theologorum Magiſtri corpora,de ſepulcris odorem ſpirauiſſe? Neque uero defuit diuinum hoc beneficium Hyacintho, cuius ad ſepulcrum procumbentes multi precaturi, marmorque de more pie oſculati, ſuauiſsimum odorem effluere inde ſenſerunt,ac teſtati ſunt. Aequum enim erat ut cæleſtis odoris iucunditate, eius qui diuino quodam, non humano modo uixiſſet, ne mors quidem, quæ maxime putatur hominis propria,humana uideretur. Sed quam uirtutem Auditores,ſignificat hic odor? quam remuneratur? Eam opinor, quam Hyacinthus in Virgine Dei Matre,tantopere ſuſpiciebat,adamabat,æmulabatur, Virginitatem. Huius virginitatis odor indicium; huius uirtutis & ſuauitas præmiū fuit. Id quod Staniſlaus martyr ſanctiſsimus Cracouiæ quondam Epiſcopus, Prandotę Epiſcopo item Cracouiæ funeris curatori,oranti à funere, atque obdormiſcenti cæleſti uiſo ſignificauit. Quo uiſo ſpecies Hyacinthi coronati,ac redimiti, Prandotæ obiecta eſt;hoc eſt, præter coronam auream gemmis fulgentibus illuminatam beatitudinis ſummæ argumentum; gemina ſerta cæleſtibus intexta floribus capite geſtantis;quorum alterum Doctoris erat

inſigne,

inſigne, alterum Virginitatis ornamentum. At hoc loco quæret quiſpiam ex me: quando Hyacinthus in cętum beatorum receptus eſt, ante ſeptem & triginta ſupra trecentos annos; atque illa ipſa hora, qua ceſsit è vita, Diuinitas ſe illi in æternum contemplandam obiecit; quid ei factum eſt xv. Kal. Maias, hoc eſt nudius octauus? Fateor equidem uera eſſe quæ dicuntur: abijt Hyacinthus in cęlum anno poſt Chriſtum natum, ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, beatitudinem eo temporis pũcto, quo abijt, conſecutus. At id Eccleſiæ toti, non ante diẽ quinctum decimum Kalendarum Maiarum conſtitit. Etenim Leo X. Pont. Max. annis ab hinc quinque & ſeptuaginta, Sigiſmundi primi Polonorum Regis, omniumque Regni ordinum precibus in uitam, & miracula B. Hyacinthi iuſsit inquiri. Deinde Clemens VII. primum Ordini Prædicatorum in eodem Regno; poſt omnibus primarijs Eccleſiis totius Polonię conceſsit ut die XVII. ante Kal. Septembres matutinis precibus decantatis in Hyacinthi honorem ſacrum facerent. Tum Paulus III. nondum inquiſitione perfecta, permiſit exanime corpus uiri ſanctiſsimi ex humili ſepulcro, in honeſtiorem loculum ſublime transferri. Pro eadem relatione Stephanus Rex fortiſsimus Gregorio XIII. ſupplicauit: qui & poſt eum Gregorius XIV. & Xyſtus V. tametſi ſuſcepto atque ab aliis Pontificibus inchoato negotio minime defuerunt, nihil tamen publice ſanxerunt, Deo laudem perfecti operis Clementi VIII. reſeruante. Quamobrem Diuini Numinis conſpectu frui, beariqne Hyacinthum, ut ante id tempus pie credebamus, ita nunc certo ſcimus, ab eo tempore, quo idem Clemens VIII. Pont. Max. atque optimus, toto pectore in commune bonum incumbens, hac hyacinthina gemma, cuius fulgorem ſanctitatis in Polonia Cardinalis ac Legatus Apoſtolicæ ſedis uiderat, Eccleſiæ militantis paludamentum exornauit. Qui gratificaturus Sigiſmundo III. Poloniæ, ac Sueciæ Regi optimo, & potentiſsimo, regnoq; Polo-

Clem. VIII. in lit. canonizat.

Digitized by Google

Poloniæ nobiliſſimo per oratorem clariſſimum virum id poſtulantibus; gratificaturus etiam vobis, Patres religioſiſſimi, votis aſſiduis idem, precibusque tum à Deo, tum ab Apoſtolica Sede flagitantibus; ad præſcriptã iuris formulam, ritu ſolemni, more maiorum, celebritate maxima, decreto diuinitus facto, Hyacinthum & beatum eſſe; & vt ſanctum poſthac toto orbe terrarum templis, aris, ſignis, tabulis pictis, facibus, odoribus incenſis, ſacriſque colendũ, inuocandum precibus, propitiandum donis declarauit. 7
Diu Hyacintho debitus honos: non illi ſublatus, ſed dilatus: non ereptus vlli, ſed reſeruatus multis: & reſeruatus diuina prouidentia huic tempori, quo peruerſi quidam homines adeo impie in ſanctorum cultum honoreſque inuehuntur; vt repetita conſuetudine à priſcis vſque temporibus referendi viros probatæ ſanctitatis in numerum beatorum, illi commutatæ religionis antiquæ coarguantur. Reſeruatus huic Pontifici, vt eius Clementiæ daretur inſignis occaſio, inſigniter benemerendi de familia veſtra, Patres optimi. Reſeruatus denique vobis: vt ſicut ineunte hoc ſæculo poſt ſalutem datam mortalibus decimoſexto, ideſt vt planius dicam, anno tertio & viceſimo, Antonino Florentinorum Archiepiſcopo alumno veſtro per Adrianum ſextum Pontificem inter beatos adſcripto, veſter ordo decoratus eſt: ita etiam eodem ſæculo exeunte, anno, inquam quarto & nonageſimo, idem à Clemente Octauo, nouo honore declaratæ Hyacinthi beatitudinis illuſtraretur. Verum qua pompa id factum eſt Deus immortalis? qua celebritate? qua lætitia? Dicere audeo, Patres optimi, nec, vt opinor, temere dicam; neminem fere ex ordine veſtro, tanto cum honore ſanctum fuiſſe renunciatum; quãto Hyacinthum vidimus renunciari. Retulerunt quidem inter cælites Gregorius IX. Dominicum Parentem ac doctorem veſtrum: Innocentius Quartus Petrum, qui pro fide Catholica martyr occubuit: Ioannes XXII. Thomam Aquinatem, qui doctrina ſua toti prælucet Eccleſiæ. Pares

erant

erant auctoritate illi Pontifices Clementi Octauo:non nego. At vbi nam id præſtiterunt Auditores? quam in amplis ac frequentibus Ciuitatibus? Reate Gregorius, in vmbilico quidem Italiæ, vrbe vetuſta, atque honeſta, quo valetudinis gratia ob ſalubritatem cæli ſub æſtatem ſeceſſerat: ſed tamen neque frequentia ciuium, neque magnitudine loci, Romæ comparanda. Peruſii Innocentius, quæ ciuitas perantiqua atque illuſtris, licet ſua habeat egregia nobilitatis ornamenta, celebritate tamen populi, haud opinor cũ Romana contendet. Auenione in Gallia Ioannes: qua in vrbe maximi Regni non magna, neque habitatorum multitudine cum Romana, neque ſplendore conferenda, tamquam extorris Pontifex morabatur. Hoc neceſſitas tulit: eſto: propterea ſanctitate magis ceremoniarum, quàm dignitate locorum cohoneſtatos aſſero beatos illos viros. At Hyacinthus, à Clemente, Sanctus ac beatus iudicatus eſt, non in aliquo orbis angulo, ſed in ampliſſima, celeberrima, & frequentiſſima Vrbe Roma, quæ vt quondam caput orbis Imperio fuit, ita nunc Princeps eſt, religione. Quo in templo tantæ vrbis? nempe in eo, quod quia in Principis Apoſtolorum Petri honorem dedicatum eſt à maioribus noſtris, & à ſummis Pontificibus certatim regiis ſumptibus inſtauratur magnificentiſſime, tum auro, marmore, pictis tabulis pulcherrime exornatur; templorum (vno excepto) Chriſtiani orbis obtinet principatum. In eo, de quo propter ingentis teſtudinis, tholique altitudinem, verius quàm de veterum Romanorum templis dicas illud Chriſtianorum hoſtis

Platina in Greg. 9.
Leader in Italia deſcri. in Hernicis.
Litteræ Canonizat. edita ex reg. Vatic. Gregor. 9. per Gerardum Voſſium.

Non procul à cælo per tua templa ſumus.

Rutil. in Itiner.

At vero in eo auguſtiſſimo templo, quàm viſendus fuit apparatus? qui numerus Cardinalium? quæ religio ceremoniarum? quæ ſummi Pontificis Pietas & Maieſtas? quę frequentia cunctorum ordinum? quod piorum ſtudiũ? qui concurſus populi Romani gratulantis? qui ſi confluentium multitudini, par amplitudo templi fuiſſet, in templum Ro-

mam ipſam ſuis effuſam domibus incluſiſſet. Quanta denique rerum omnium religione temperata alacritas? quæ profectò tanta fuit, vt non modo mortales cuncti, qui intererant, lætarentur: columnæ ipſæ templi pretioſis bombycinis & auro fulgentibus periſtromatis conueſtitæ, parietes apparatiſſimi;tecta,muſicis vocibus,cereis collucentibus,thure ceteriſque ſuffimentis,ſola feſta fronde, ac floribus ſtrata geſtire, Cælum inſolita hilaritate ridere, gratulari aer pulſu campanarum,terra ſtrepitu bombardarum applaudere viderentur;ſed etiam Hyacinthus ipſe de Cælo ſpectans honores ſuos, quia de nouo gaudere poterat, immortaliter gauderet. Neque vero temporis ac diei, quo res acta eſt, prætereunda eſt conſideratio. Nam primum dies ille Dominicus, qui in Albis dicitur à maioribus noſtris, tum quia numeratur octauus à Chriſti reuiuiſcentis commemoratione: tum quia,qui ſacro baptiſmate initiabantur,in togis albis viſebantur, ſemper lætiſsimus ac religioſiſsimus eſt habitus. Deinde reor accidiſſe diuinitus,vt qui caloribus æſtiuis, medio Auguſto menſe conceſsit ad ſuperos, eius beatitas pateſceret medio vere. Scriptores enim rerum naturalium diligentiſsimi de vernis floribus Hyacinthum florem ſuauerubentem maxime durare prodiderunt. Referte nunc cogitationem, Auditores,ad eius, quem celebramus & colimus, nomen:non ne animaduertiſtis vocari Hyacinthum? Quid ſibi vult ergo Hyacinthũ Pontificis oraculo beatum decerni, veſtita floribus humo, tota ridente Natura;atque vt planius loquar, Vere medio? O admirabilem Dei ſapientiam in nominibus vitæ, virtutique congruentibus imponendis! Vere medio beatus decernitur Hyacinthus, vt nimirum intelligamus eum eſſe,qui non modo familiam ſuam,patriam Poloniam,Eccleſiam militantem, tanquam flos uernus caritate purpureus exornaturus eſt: verum etiam in amœniſsimo illo, & florentiſsimo triumphantis horto,ubi pro ſole Deus eſt; pro tempore æternitas:pro quattuor viciſsitudine tempeſtatũ,

S. Aug ſerm. 1. in oct. Paſcha.

Pl. l. 21. cap. 11.

ver perpetuum, quaſi cæleſtis Hyacinthus diuina gloriæ ſuauerubens in perpetuas æternitates duraturus. Lætare igitur Polonia, quæ pulcherrimum hunc florem edidiſti. Gaude Sigiſmunde multorum regnorum Rex ad auitam, hoc eſt Catholicam Religionem patrio Sueciæ Regno reſtituendam nate, de tanto regni tui bono. Triũpha gaudio Cracouia ob iſtum theſaurum ſancti corporis, intra ſinum tuum reconditi, quod quaſi florem, mortis falce ſucciſum, oriente vitæ æternæ ſole viſura es aliquando reuireſcere. Exultate vos Patres optimi, lætitia in tanto veſtro decoro Hyacintho: quem mihi videre atque audire videor, ab illis beatorum ſedibus, vbi cum veſtris ſanctiſſimis heroibus ſodalibus ſuis, Dominico, Thoma, Petro, Vincentio, Antonino, quos in concilio Cæleſtiũ viuere certo ſcimus, de ſua veſtraque dignitate lætus gratulatur: appellare adoleſcẽtes
9 veſtros, atque his propemodum vocibus affari. Filii quos vnice amo: quos in ordinem noſtrum lectos, Familia prædicatorum alit, educatq; : videtis quò mea me virtus intulit: noſtis quibus officiorum & recte factorum gradibus in cælum aſcendi: ſequimini Parentem veſtrum paſſibus iiſdem, ac veſtigiis præeuntem, aſſequimini curſu virtutum, iamdudum cæli poſſeſſorem. Habetis plura, quàm ego habuerim, ad ſanctitatem adiumenta: habetis tot ſanctorum virorũ noſtri ordinis, qui vos anteceſſerunt annorũ ferme quadringentorum ſpatio; & mearum nonnulla etiam exẽpla virtutum: accepiſtis maiorum mores: imbibiſtis præcepta: ingreſſi eſtis viam eorum illuſtribus conſignatam veſtigiis, quæ omnia ſuadent hominibus, exſpectare à vobis plura quàm arbitremini. Videte per Deum immortalem etiam atque etiam: & per ſigniferum noſtrum Dominicũ videte, ne ſpem de vobis conceptam; ne fidem datam, ne exſpectationem fallatis: intelligite nec ingredi, nec diu viuere in optime inſtituto ſodalitio ſatis eſſe ad ſanctimoniã, niſi ſancte integreq; viuatur: nec miracula expeti à vobis: ſed ſtudium probitatis, recte facta: virtutum exempla, mo-

rum ac doctrinæ integritatem, populorũ eruditionẽ, fidei Catholicæ Romanæq; defenſionẽ. Atq; hæc paterna moni ta, Auditores, non modo ad veſtros adoleſcentes, ſed etiã ad omnes religioſæ cultores vitæ, ueſtrique ordinis imitatores referri poſſunt. Quare tandem aliquando ad virũ beatiſſimu m Hyacinthum in tutiſſimo felicitatis portu locatũ, orationis noſtræ curſum deflectamus. Debebatur tibi quidẽ ſanctorũ prædicatorũ flos Hyacinthe, ſancti alicuius atq; eloquentis oratoris oratio. Alter Auguſtinus, alter Ambroſius, virtutibus tuis; alter Nazianzenus; alter Chryſoſtomus tuis laudibus debebatur: aut certe vnus è doctiſſimis, diſertiſsimiſq; ſodalibus tuis in hunc locum te laudaturus aſcendere debuiſſet. Neq; .n. verendum erat vt ne ſordeſceret laus in ore proprio: quando qui te laudat, non laudat hominem, ſed virtutem, quam in te impreſſeras: Chriſtum laudat, quem imitatione motum propemodũ expreſſeras: Deum laudat, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis. At vero quoniam horum tuorum ſociorum modeſtia voluit laudatorẽ tuum, profeſsione quidem & habitu diuerſi ordinis eſſe, eiuſdẽ vero amore, eiuſdem inſtitutis, ſuſcipe paterna beneuolentia nõ laudationẽ, ſed conatum laudationis, quam tridui ſpatio imbecillitas ingenii mei exorſa eſt, non contexuit; adumbrauit, non depinxit; atque apud Deum eſto deprecator ſalutis meæ. Deinde Eccleſiam, tot tamque grauibus calamitatibus exagitatam: Clementem Pontificem qui clauum tenet, Cardinales qui aſsident gubernanti, tuo patrocinio iuua. Sigiſmundo Regi clienti tuo, in Suecia pro religione Catholica laboranti, vires atque animos impetra; Poloniam tuæ iamdudum commiſſam tutelæ atque receptam tuere. Sodales hoſce tuos adeo vtiles Eccleſiæ vbique gentium diſſeminatos foue: clerum denique, populumque Romanum, religioſorum omnium ordines; auditoreſque in primis, qui mihi dicenti de tuis laudibus humaniter aures præbuerunt, eadem charitate, qua nationes omnes ac gentes viuens in terris tuebare, nunc beatus in cælo complectere.

DE

Digitized by Google

DE MEMORIA
ORATIO XXV.

Septimus decimus annus eſt, cum in hanc
1 nobiliſſimam vrbem Sereniſſimorum Principum Farneſiorum inuitati beneficio; tum etiam ſingulari veſtra humanitate ſuſcepti, non ut hoſpites, aduenæ, aut inquilini; ſed ut incolæ, indigenæ, ac ciues eo iure, quo qui optimo ſunt; in hiſce ſedibus collocati, liberos veſtros pro more noſtro, pro viribus, pro induſtria, litteris humanioribus, & ingenuorum morum excolimus ornamentis: Placentini Ciues ornatiſſimi. In quo laboris noſtri qualiſcumque curriculo, tametſi quotannis antequam ſtudia repeterentur, anniuerſario quodam ritu, dicendi Magiſter orationem nonnullo elaboratam artificio ciuium eruditiorum auribus exhibens, iuuentutem Placentinam, vel ad amorem humanæ diuinæque ſapientiæ; vel ad auitam eloquentiæ laudem recuperandam; vel ad coniungendum cum litteris, & ingenio clariſsimum virtutis decus; uel denique ad comparandam ſibi in arte qualibet excellentiam, non ſine laude à nobis profecta cohortatus eſt: tamen uereor ne argumenti ſemper ad Mentis, & Linguæ laudem, & ornatum pertinentis ſimilitudo (quæ ſolet in rebus omnibus eſſe mater ſatietatis) animis veſtris, ac ſenſibus rerum nouarum, & exquiſitarum auidiſsimis, aliquam attulerit ſatietatem. Quare ſiue faſtidio ex ſimilitudine parcens, ſiue periculo ſatietatis occurrens, nouus quidem orator; at conſtitutus in uetere dicendi conſuetudine, nouum profero uobis argumentum; quod ut certo ſcio numquam ex hoc loco pertractatum à nobis; ita neſcio an ab ullo ueſtrum fuerit uſpiam ex eius ore, qui ſolum hoc explicatis eloquentiæ copiis tractauerit, auditum. Dicam Auditores, de Memoria;

Cic. l. 1. de Inuent.

Placentinoſque adoleſcentes, tum qui noſtra, tum qui aliorum gymnaſia frequentant, ad tam excellentis facultatis admirationem, cultum, exercitationem adhortabor, impellam, inflammabo. Atque ita dicam, ut intelligatis omnes, Memoriam præſtantiſsimam humani Ingenii partem eſſe: Sapientiæ, & eloquentiæ comparandæ plane neceſſariam: atque adeo mirabile Dei Optimi Maximi donum mortalibus tributum; ut qui Mentis aciem identidem in eius uim, naturam, theſauros intenderet diligẽter, in eiuſdem contemplatione propemodum obſtupeſceret. Non habet illa quidem parem in ſingulis hominibus capacitatem, conſtantiam, fidem; at per artem, & exercitationem in prodigium vſque miraculumque progreditur in nonnullis: & diligentiſsimus quiſque poteſt ex ea culta atque exercita, nominis immortalitatem comparare ſibi, com-
moda in ſuos, & decus in patriam deriuare. Atque ut pau- 2
cioribus expediam primum, quod propoſui, caput orationis meæ; Memoriam Ingenii noſtri partem eſſe ſingularem: philoſophorum Principem ſecutus in primis Ariſtotelem; aſſero mutas animantes Rationis expertes, haud expertes cuiuſdam eſſe Memoriæ. Nonne uidetis quotannis, Auditores, quamlibet longo itinere diductas hirundines, non modo ad aſſuetas ſibi ſedes ſtatis anni temporibus, ſed etiam ad eandem plane trabem, nidum ædificaturas reuerti? Nonne obſeruaſtis equos eadem via ſine errore, quà ſemel tranſierint redire; & canes itinera quamuis longa meminiſſe? Notarat id Auguſtinus longe omnium theologorum, & doctrina, & ingenio Princeps; cui Poeta vere de capris ſcripſiſſe uidetur:

Ar l. de Mem. & Rrmin. c. 1.
Macrob. l. 1. in ſomn. Scip. cap. 14.
Quin. l. 11. c. 2.
Pl. l. 8. cap. 40.
S. Aug. l. 1. de Muſica c. 4.
Virg. l. 3. Geor.

Atque ipſa memores redeunt in tecta capellæ.

Plin. l. 8. c. 16.
Plut. l. de ſolert. Animal.

Multos etiam ueſtrum legiſſe puto Leones uulneratos mira obſeruatione nouiſſe, & in quantalibet multitudine appetiuiſſe percuſſorem. Canem item interfectores Domini ſui, cum à Pyrrho Rege luſtraretur exercitus, inter milites propemodum innumerabiles à ſe deprehenſos, atque

agnitos

agnitos memoriæ ui, ringentem, latrantem, & ſubinde ſeſe ad Regem obuertentem, alacritate, geſtu, voce prodidiſſe puniendos. Nam id quoque Memoriæ datur, quod Homerus poëtarum Magiſter de cane iam ætatis affectæ tradidit, qui Vlyſſem herum quondam ſuum è longiſſima viginti annorum peregrinatione domum reuertentem pauperē, ſordidum, pannoſum, non modo corporis, ſed & oris habitu mutato; proinde ignotum famulis, ignotum domeſticis, ignotum ipſi Penelopæ amantiſſimæ vxori, primus ac pæne ſolus recognoſcit, eique de reditu quà blandiendo, quà adulando, quà lambendo, mira quadam & memori beneficiorum acceptorum alacritate gratulatur. Et ſane inſtructas eſſe oportebat à ſapientiſſimo rerum effectore Deo cunctas animantes hoc adiumento, præſidioque Memoriæ, ne vixdum natæ miſerabiliter interirēt. Qui enim victum ſibi quærerent? qui tuendæ vitæ commoda pararent, locorum aucupio, venationi, paſtuique idoneorum oblitæ? Quamobrem homo ipſe, etſi rationis compos, qua parte immortalis eſt, ac prope diuinus, quia tamen animal eſt caducum, mortale, rerumque omnium indigens, in eadem vitæ conſeruandæ neceſſitate cum animantibus abiectis ad paſtum conſtitutus, eo Memoriæ munere indiguit vt viueret, & eodem quaſi diuino beneficio locupletatus eſt, vt bene beateque viueret. Hinc iure ac ſapienter acerrimus ille rerum occultarum inueſtigator Plinius, Memoriam *neceſſarium maxime vitæ bonum*, appellauit. Hinc idem bonus auctor hominem anteferens non modo cani, qui mutas inter animantes memoriæ videtur habere principatum; ſed etiam reliquis omnibus animalibus quaſi Iudex æquus ex iure pronunciat. *Nulli præter hominem Memoriam eſſe maiorem.* Hic, Auditores, auctore me, tanquam interpretes addite vos Plinianis verbis: Nec ampliorem capacitate, nec tenacitate firmiorem, nec redditione fideliorem, nec vllo genere laudis præſtantiorem. Quotus enim quiſque mortalium inuenitur, ſi modo cogitationē

Hom. l. 17. Odyſſ.
S. Aug. l. 1. de Muſ. cap. 4
Sextus l. 1. Pyrrhon. hypot. cap. 14.
S. Th. 1. Par. q. 78. art. 4.
Pl. l. 7. c. 34.
Id. l. 8. cap. 40.

Digitized by Google

in ſe ſuamque Mentem non oſcitanter conuerterit, qui non intelligat tanto beſtiarum humanam anteſtare memoriæ, quanto ſenſus hominis beſtiarum ſenſibus antecellit? Sed quid dico, ſenſus ſenſibus? debueram dicere, quantum Mens corpori, Ratio ſenſui præſtat, tantum animalium vinci ab humana memoriam. Etenim in volucribus, piſcibus beſtiis Memoria non niſi ſenſibus, & corpori famulatur: at in hominibus, præter ſenſum, & corpus, tū Rationi, ac Menti qua Deo ſimiles ſumus, tum Rationis filiabus Ratiocinationi, atque Orationi deſeruit. In illis tantummodo rebus ſub aſpectum, ſenſusque ceteros cadentibus, & corpore conſtantibus imbui poteſt: at in nobis completur quoque rebus iis, quæ corporis expertes agitantur animo, cogitatione finguntur, pariuntur ingenio, & mente intelliguntur. Illæ præteritorum reminiſcuntur, cū id incidit, quo ſenſus admonetur. Tunc enim equus reminiſcitur viæ, cum ad initium viæ admotus eſt: in ſtabulo nulla viæ, quamuis ſæpe calcatæ memoria eſt: at in nobis non ſolum occurſu præſentium memoria præteritorum reuocatur, ſed etiam nullo monente ſenſu, ſola mentis agitatione, ſola voluntatis inclinatione tota ſeſe effundit in vſum. Irridear à vobis, Auditores, atque ex hoc veſtro ornatiſſimo cœtu explodar, ſi diutius comparauero beſtiarum memoriam cum humana; quippe cum ridiculum ſit in dubium reuocare rem certam, & omnium ſapientum conſenſione probatam. Ecquid mirum aues, equos, canes longo interuallo itinera relegere: domos recognoſcere, ac dominos; cum poſt annos amplius quinquaginta nos in cunctis acta pueritiæ recordemur? cum loca vbi multo ante puncto temporis fuimus, non agnoſcimus tantum reuertentes, ſed etiam quæ in his geſſerimus, dixerimusque reminiſcamur: perſonæque ſubeant memoriam noſtram, & nonnumquam tacitæ quoque cogitationes in mentem reuertantur? cum Charmides quidam in Græcia memoria nobilis, quæ quis exegerat volumina in bibliothecis,

S. Th. 1. Par. q. 78. ar. 4.

Ariſt. l. de Mem. & Remin. cap. 1.

L. Sen. ep. vlt.

Quin. l. 11. c. 2.

Pl. l. 7. cap. 24.

Digitized by Google

legentis modo repræſentaret? Ecquid denique mirum leones percuſſores ſuos, & canem Domini interfectores inter multos milites noſſe, cùm Cyrus Rex omnibus exercitus ſui militibus de facie recognitis, nomina, quæ memoria cuſtodiebat, ſingulis redderet, & ſine monitore nominatim exercitum ſalutaret? Quare Cicero parens eloquentiæ, deſcribens hominem, ac ſuis prope coloribus depingens hoc nobiliſſimum animal cælo erectum, cælo factum, cælo deſtinatum, merito definit eſſe non modo prouidum, ſagax, multiplex, acutum, plenum rationis & conſilii: ſed etiam Memor, vt intelligeremus ita Memoriam hominis eſſe propriam, vt ad humanum Ingenium vel maxime pertineat. Qui ſententiam ſuam planius explicans aliis in locis ſcriptum reliquit, tum Docilitatem, & Memoriam vno fere ingenii nomine appellari; tum celeres ingenii motus eſſe debere ad excogitandum acutos, ad explicandum, ornandumque vberes; & ad Memoriam firmos atque diuturnos; tum denique perſpicuis verbis; *Ingenij partem eſſe Memoriam*. Qua in re non longe abit à Socrate Magiſtro, qui dociles, acutos, & verò etiam memores: ac proinde vera opinantes, & ſapientes eos eſſe putat; quorũ animus, vt Homerus innuit, ceræ flexibilis in omnem partem ſimillimus fuerit: in quo rerum effigies, & probe inſculpi, & altius imprimi poſſit, & retineri diutius. Huc ſpectans nobiliſſimus rhetor Quinctilianus tradidit, modo *Præcipuum ingenij ſignum in pueris eſſe Memoriam*: modo *In orando prompti ingenij famam fieri è Memoria*. Quorum ductu magiſtrorum equidem exiſtimauerim bonitatem ingenii tribus facultatibus contineri: Acumine, Iudicio, atque Memoria. Tres enim ſunt temporis partes, quæ non niſi ab animante memori diſtinctæ cognoſcuntur: quæ præterijt; quæ præſens eſt; quæ futura eſt. In ſingulis quædam eueniunt, quæ ſub hominis ſcientiam cadere poſſunt, eiuſque ingenio comprehendi, cuius gratia condita ſunt omnia, quæcumque hac rerum vniuerſitate, cælique comple-

Quin.l.11.c.2. *Plin.l.7.c.24.* *Val.l.8.cap.7.* *Iul.Sol.cap.4.* *Cic.l.1.de legibus.*

Idem.l.5.de fin.l.1.Acad. *Id.l.1.de or.*

Id.l.2.de or.

Plato in Theæteto.

Quin.l.1.c.3.

Id.l.11.cap.2.

M.Ant.Maiorag.l.1.Rhet. *Ar.tex.240.* *Ariſt.l.de Mem.& Remin.cap.1.* *L.Sen.ep.vlt.*

xu coercentur, Præterita, Præſentia, Futura. *Meminit animus noſter*, inquit Cicero, *præteritorum, præſentia cernit, futura prouidet*: quem ita mihi videor interpretari poſſe; bona ipſius venia, vt ea non niſi per ingenium, perque ingenii partes animus præſtet. Itaque præſentia per acumen internunciis præſertim ſenſibus agnoſcit, memoriæque commendat: futura prouidens per ſagacitatem adminiſtro iudicio quaſi diuinat: præterita uero per Memoriam colligens, complectens, atque aſſeruans tamquam depoſitum, cum repoſcitur, quia bonæ fidei, prompte reddit ac fideliter. Atque illi ipſi, qui pugnaciter nimis cum optimo iudicio, memoriam optimam eſſe poſſe pernegant, aliquando tandem poſt longam concertationem dant manus; & in noſtram veniunt, non tam pedibus, quàm approbatione ſententiam; fatenturque viros excellenti, ſummo, ac diuino propemodum ingenio, tres eximias, & ſummas in animum includere virtutes, peracre Iudicium in prouidendo ac decernendo; ſingulare in intelligendo Acumen; Memoriæ denique vim tenacem in retinendo, reddendoque mirabilem. Ergo monſtra ſunt, non homines, Thraces illi quos prodidit Ariſtoteles memoriæ tenuitate quartum numerum haud excedere in numerando. Stipites ſunt barbari illi ſub occidentem ſolem à Chriſtophoro Columbo Ligure centeſimo decimo ab hinc anno, longa æque ac felici maris Europæorum nauibus inſueti nauigatione, quaſi in altero ac nouo terrarum orbe reperti, qui ex imbecillitate quoque memoriæ, non niſi ad quinque poſſunt numerando peruenire. Trunci denique ſunt, aut non ſani mente, aut certe morbo læſi, obliuioſi illi, quos litterarum quas didicerant; quos matris, & propinquorum; quos ſeruorum, & domeſticorum, quos denique vel proprii nominis capit obliuio. Quamobrem Placentini ciues, vos quibus Natura beneficentiſsima parens fuit, nõ Nouerca, quibus ingenium optima exornauit memoria, Deo bonorum omnium & tanti potiſſimum tamque diuini muneris Au-

Cic. l. 1. de Diuinat.

Io. Huartes in exam. Ingen. cap. 5. & ſeq.

Ariſt. ſect. 15. Probl. 3.

Vita Chriſtophori Columbi.

Plin. l. 7. c. 24. Iul. Sol. cap. 4.

ctori

Digitized by Google

ctori gratias ex animo agentes exclamate cum Caſſiodoro cultioris ingenii, quàm linguæ ſcriptore: *Magnum beneficium obliuionis neſcire defectum; et quadam ſimilitudo vere cæleſtium eſt, decurſa ſemper habere præſentia.* Caſsiod. l. 5. Var. ep. 22. Iam vero caput alterum excutiamus, quo Memoriæ neceſſitas continebatur in Sapientia, & eloquentia adipiſcenda. Plato multorum philoſophorum Parens non vno in loco Memoriam requirit in eo, qui progreſſus in philoſophia facere cupiat, eam cum ingenio, iudicioque coniungens. *Plato l. 5. & 6. de Rep.* Ob eam cauſſam, opinor, Alcander è priſcorum numero philoſophus minime contemnendus dictitabat, Muſas ducere genus ab Ioue atque Memoria. *Plut. l. de educ. Clem. Alex. orat. ad Gētes.* Quam præclaram Alcandri ſententiam Afranius poeta nobilis ac vetus, mutato patre, matre retenta verſibus illigauit, cum cecinit Sapientiam Vſus ac Memoriæ filiam eſſe. *Afran. Poeta apud Agell. l. 13. cap. 8.*

Vſus me genuit, mater peperit Memoria:
Σοφίαν nocant me Graij, vos ſapientiam.

Quid philoſophorum ingenioſiſſimus Ariſtoteles? Hic ea tantum animalia diſcere poſſe exiſtimat, quæ vna cum Memoria ſenſum aurium habent, qui eſt ſenſus diſciplinæ: *Ariſt. l. 1. Metaph. cap. 1.* vnde vulgare dictum manauit, à viris quoque ſapientibus comprobatum: Nos id tantummodo ſcire, quod meminimus. Quod ſi vobis tantorum philoſophorum auctoritas memoriæ neceſſitatem in adeptione ſapientiæ non perſuadet, obtineat id à vobis ratio ex ipſa comparatione, ſapientiæ, conquiſitioneque deducta. Non enim ſemper Mens noſtra præſentes res habet cognoſcendas: non ſemper obiectas ſenſibus, vnde ſcientia ducit initium. Eas identidem introſpicere, contemplari, retractare debet, vt philoſophari poſſit, ſapientiaque compleri. *Idem l. 3. de An. t. 30. 39.* Quid faciat? quid conſilii capiat, ſi illæ Mentis fugiunt aſpectum? Sapientiſſimus corporis Architectus atque animi Deus miro modo iuſſit adeſſe Menti res omnes ad contemplandum; eique, ſi non corpore ipſo, certe quidem in ſimillimis imaginibus adſtare præſentes. Conſtituit in homine tamquam cellam

quandam ampliſſimam, capaciſſimamque non magnitudine ſpatii, ſed virtutis; non interualli granditate, ſed poteſtatis: in qua rerum mentis oculos fugientium idola & ſimulacra percepta ſenſibus reconderentur. Tum eam cellam, quam Memoriam appellamus, in arce corporis collocauit, hoc eſt in capite, vt à domicilio Mentis propius abeſſet, atque ea ſemper haberet in promptu quæcumque & quotieſcumque contemplari liceret. Quin etiam vt naturæ Mentis ea ſimulacra congruerent magis, & aptiora fierent intelligentiæ, iuſſit idem effector animi noſtri Deus vt facultas quædam, quæ Phantaſia dicitur à Græcis, eadē ſimulacra, vbi à rebus per ſenſus in arcem capitis influxiſſent, in ſuam officinam illata, tacitæ incudi impoſita limaret, expoliret, extenuaret, atque vt ita dicam corpore craſſo exueret: tum materiæ concretione nudata ſtatueret in operoſis illis memoriæ loculis ſine loco: ſeruandaque in mirabilibus receptaculis ſine ſpatio, collocaret. Quis hic non videt, eum qui hoc vel inſtrumento, vel apparatu, vel adiumento caret acquirendæ ſapientiæ perneceſſario, ſapientia ipſa carere oportere? Vidit Hiarchas ille ſapientum Indorum Rector cum ſuis Brachmanibus, qui cum Apollonii Tyanei (quem è Græcia ſapientiæ ſtudio peregrinatum ad ſe, reſidens in ſolio excelſo grauiter, humaniterque exceperat) magnam vim Memoriæ coniectura deprehendiſſet collaudaſſetque, ſignificans quanti eam adipiſcēdæ ſapientiæ gratia faceret, ait, *Memoriam à ſe, ſuisque poſt Deos maxime coli*. Vidit Quinctilianus dicendi magiſter à Cicerone ſecundus, qui diſciplinam omnem conſtare Memoria; fruſtraque nos doceri, ſi quidquid audimus, præterfluat, firmiſſime aſſeuerat. Atque eadem ferme de eloquentia eſt ratio. Theſaurus enim Memoriæ niſi rebus, ac verbis adinuentis excogitatisque cuſtos adhibeatur: niſi depoſitam hanc ſupellectilem ſibi commendatam reddat oratori dicenti fideliter: omnis ingenii labor in inueniendis rebus nouis, reconditis, mirabilibus; omnis in collocan-

Philoſtr. l. 3. de vita Apollon. cap. 5.

Quin. l. 11. c. 2.

dis ordine pulcherrimo inuentis induſtria ; ſententiarum
denique præclariſſimarum , verborumque ſelectiſſimorũ
copia omnis , atque apparatus miſerabiliter pereat eſt ne-
ceſſe . Quod ſi diſertiſſimos exercitatiſſimosque oratores
metus ab auditorum auctoritate locique dignitate, atque
inſolentia profectus,memoriam confundens , perturbans-
que coegit,aut penitus conticeſcere,velut Demoſthenem
coram Philippo Rege Macedonum, & Theophraſtum in *Orat. 8. n. 8.*
Senatu Areopagitarum : aut ducere initium à ſoloeciſmo,
locumque mutare iudicij , velut Porcium latronem in Hi- *Orat. 1. n. 1.*
ſpania: quid euenturum ei putetis oratori, qui memoriam
pæne nullam, vel parum firmam à Natura, nec ab Arte val
de corroboratam , exercitatamque tulerit ad dicendum ? *Plato in Critia.*
Propterea Critias apud Platonem celebraturus orationem
patriæ laudes, Hermocrati hortanti, vt Phœbi Muſarumq;
implorata ope laudationem animoſe aggrediatur, reſpon-
det alios præterea Deos inuocandos in auxilium ob rei ma
gnitudinem, & in primis Mnemoſynen, id eſt Memoriam
parentem Muſarum, in qua Dea præcipua ſunt poſita ora-
tionis momenta ; qua propitia , resque dicendas ſuppedi-
tante, ſe poſſe ſperat auditorum exſpectationi reſponde-
re: qua irata & aduerſa nequaquam officio ſuo facere ſe poſ-
ſe ſatis arbitratur. Quare vt quondam de Homeri poetæ *Cic. Orat. pro Archia Poeta.*
ſummi patria ſeptem vrbes Græciæ certabant. *Plut. in Hom.*
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ, *Agell. l. 3. c. 1.*
& vnaquæque vt ſuum ciuem vindicans , ab aliis repete- *Luc in Enc. Demoſt.*
bat; quarum Smyrna templo ædificato , ſtatuaque in tem- *Strabo l. 14.*
plo dicata Poetæ clariſſimo , poſſeſſionem ciuis ſui recupe-
ratam putauit: ita de Memoriæ theſauro propter maximã
eius neceſsitatem, atque vtilitatem , inter ſapientiæ filias
acerrima eſt exorta contentio. Quælibet doctrina nobilis;
ars omnis ingenua ; cuiuſque rei ſcientia ; quiuis denique
liberalis artifex hoc ſingulare Naturæ bonum ſibi arrogat, *Cic. l. 1. de or.*
7 ad ſe rapit, & ſuum eſſe contendit. Prodit Iuriſconſultus
primo loco, & omnis antiquitatis auctoritate fultus, quæ

iuriſperitis memoriam tribuebat, quòd eorum ſcientia, non tam inferendo, argumentando, conficiendo more philoſophorum, quàm legibus innumeris, iuriſconſultorum veterum ſententiis ac reſponſis, Imperatorum ac Regum iuſsis, decretisque colligendis coaceruandisque conſeruatur, & alitur; in tanti theſauri poſſeſsionem iamdudū irrupit. Obijcit ſe ſe deinde Orator, nec ſibi patitur à quoquam eripi firmam, liberalemque cuſtodiam, & fidam conſeruatricem rerum, verborumque Memoriam: tum quòd vniuerſa Rhetorum ſchola cunctis ſuffragiis eam numerat inter eloquentiæ partes; tum quòd ipſe magiſtra doctus experientia plane videt ſe non poſſe tam multas res & ſententias, tot verba, tamque varia, tam eleganter inter ſe nexa, & collocata celeriter ediſcere, fideliter reddere, & tamquam tela in aduerſarium per contentionem intorquere, niſi è Memoria, vbi aſſeruanda deponuntur, quaſi ex armamentario depromat. Vindicat eamdem ſibi philoſophus cæli, ſiderum, rerumque omnium naturalium contemplator, qui ſiue à magiſtro per aures diſciplina philoſophiam addiſcat; ſiue ſenſibus aliis omnibus, & oculorum potiſſimum adminiſtris, ſine Doctore, diuino quodā feliciſsimi acumine ingenii contemplando, ratiocinandoque à ſe ipſe doceatur; niſi ſolerter in memoriæ tabula depingat ea omnia præcepta, axiomata, experimenta, cogitata vel à magiſtris accepta, vel à ſeipſo inuenta, plane fiet vt breuiſsimo interuallo doctrinam omnem ſibi ex animo excidiſſe conqueratur. Quid de toto mathematicorum cœtu dicemus Auditores? Eruditus ille puluis, qui vehementiorlbus ſæpe flatibus cum figuris, numeris, litteris, notis, demonſtrationibus diſsipatur, nobiliorem, munitioremque puluerem ſuis cogitatis deſcribendis, ad quem venti nulli pertineant, Memoriam iampridem occupauit. Sed quid potiſsimum de ijs qui ſunt arithmeticorum imbuti diſciplina? Qui locus erit extra Memoriæ capacitatem, vbi tuto recondant numeros illos prope innumerabiles,

Cic. l. 1. de Inuent. Cornif. l. 1. Rhet. ad Herenn.

quibus

quibus ſe pluuiæ, maris, fluuiorum guttas numerare; littorumque omnium arenæ, tum etiam eius, quæ Mundum totum impleret, colligere numerum certa ratione poſſe profitentur? Merito & ipſi ſuam Memoriam eſſe arbitrantur, in qua velut in immenſo cereo pugillari vim ac ſummam hanc ingentem numerorum inſcribant. Ciuilis item Prudentia Memoriam ſibi arrogat vt ſuam: quippe quæ complurium negotiorum vſu, eorumque recordatione comparatur, & augetur. Tolle memoriam ciui ſtudioſo Reip. qui fungi officio ſuo poteſt? Neminem præterea fugit, Hiſtoriam magiſtram eſſe Prudentiæ; deque futuris conſultaturo prudenter, atque in poſterum prouiſuro, præteritorum exempla, quæ in armario memoriæ conduntur, præberi oportere. Porro autem Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, & nuncia vetuſtatis. Immo Memoria non tam vitam ducit ab hiſtoria, quemadmodum definit M. Tullius, quàm ipſa eſt viua quædam hiſtoria; ſic ut ſi memoria poſſet in homine mortali, aut ſempiterna eſſe, aut certe diuturna; ſuperuacanea plane commendata chartis, ac litteris hiſtoria videretur. Ars denique omnis auxilium ſibi flagitat atque adeo impetrat à memoria, ſine quo nec ſeſe erigere poteſt, neque expolire, neque ad laudem efflorescere. Nam experientia quidem efficit artem vt Poli vetuſtiſsimi philoſophi teſtimonio docuit Ariſtoteles: experientiam vero parens Memoria progignit, cum multa experimenta notata inter ſe conferuntur. Quorum in Medicina præcipue quantum ſit momentum, norunt doctiſsimi Medici, qui me benigne audiunt, & Hippocrates eorum Magiſter ac Princeps in aditu ſuorum aphoriſmorum locupletiſsimus eſt teſtis. Ac ne longum faciam, mitto Grammaticum, Poetam, Hiſtoricum ipſum, & alios doctrinarum artiumque doctores, qui de Memoriæ dominatu pelli nolunt: & rogo vos Auditores optimi, per iſtam veſtram humanitatem, qua dicēdo ſuſtentor, vt tantam controuerſiam me arbitro ſedet

Chriſtoph. clauius c. 1. Sphæræ. Digreſſ. de num. aren.

Cic. l. 2. de Inuent.
S. Th. 2. 2. q. 48. ar. un. & q. 49. ar. 1.
Plut. l. de educ. lib.

Cic. l. 2. de or.

Ar. l. 1. Met. c. 1. l. 2. Poſter. cap. vlt. Max Tyr. ſer. 40.

Hippocr. Aphor. 1.

noua forma iudicii, modus inſolitus tollat, & ſententia
quædam antehac inaudita definiat. Placebit, mihi credi-
te, noua hæc ratio litis dirimendæ. Quam ob rem date
mihi hanc poteſtatem: qua de fontibus veſtræ benignita-
tis accepta, quod iſte veſter declarat oculorum aſſenſus,
tamquam honorarius Iudex pronuncio videri litigatorum
vnumquemque in quieta & pacifica quaſi poſſeſsione di-
uini muneris eſſe lætum, gaudentemque relinquendum:
quando Memoria ſplendidiſsimi ſolis in modum, qui ſine
detrimento ſui, rebus collucet vniuerſis, artificibus omni-
bus, ac doctrinis ſine vllius damno, atque adeo maxima
vtilitate, promptoque auxilio deſeruit. Atque hinc aliquā- 8
do tandem faciamus gradum ad poſtremam orationis
partem, quæ lætiſsima omnium eſt, & pleniſsima volupta-
tis. Prodidit Heraclides Ponticus monitum aliquando
Pythagoram à Mercurio; vt præter immortalitatem, pe-
teret quidquid vellet certe impetraturus: ac petijſſe, vt vi-
uens, & vita functus omnium quæ contingerent, memo-
riam retineret. Itaque in vita meminiſſe omnium quæ vi-
derat, audierat, cogitarat; eandemque memoriam poſt
mortem conſeruaſſe. Fabulam hanc eſſe quis neſcit? At
vir prudens qui fabulam finxit, à mortalibus intelligi cu-
piebat, Memoriam inſignem, quæ omnium meminiſſet,
munus eſſe, ac donum Præpotentis Dei: tum vero diuinā
prope cenſeri vim admirabilem memoria celeriter ac mul- 9
ta comprehendentis; ſtabilitate diuturna retinentis; promp-
te fideliterque commendata reddentis. Hanc vim & fa-
cultatem animi propterea veteres Theſaurum, Cuſtodem,
Prætorium, Campum, Cellam diſciplinarum appellaue-
runt, & merito. Nam hic ingenii, & eloquentiæ partus, quē
orationem nominamus, Nauiculæ inſtar eſt, quæ dicentis
è pectore atque ore tamquam è litore ſtationeque ſoluēs
dentium remigio pulſa; linguæ gubernaculo recta; ſpiritus
aura prouecta, per aeris interiecti mare, rebus, ſententiis,
doctrinis, factis, dictis, cogitatis onuſta defertur in aures

Diog. l. 8. in Pythag.

Cic. paſſim
Corn. f. l. 3. Rhet.
Plut. l. de educ
Max. Tyr. ſer. 28.
S. Aug. l. 10. conf. cap. 8.
Orat. 1. n. 29.

au-

auditoris quaſi in tranquillum portum; ad quem vt appulſa eſt, pretioſas merces quas vehebat in phantaſiam audientis exponit; quas vbi illa inſpexit, expurgauitque vt diximus, in memoriæ cellam ordine recondit vniuerſas, opportuno tempore repetendas. Eodem oculi rerum omniũ quæ coloribus depictæ lumine colluſtrantur aucupes celerrimi: eodem reliqui ſenſus Mentis Reginæ ſatellites, quæcumque ex hac vniuerſitate perceperunt, inferunt, conuehunt, important. Similem Oceani Memoriam dixeris. Nulli hunc imbres, nulli amnes, nulli torrentes exſaturant. Non Pado, non Iſtro, non Euphrate, non Nilo, non aliis fluminibus perenni atque incitato curſu, & ingenti gurgite aquarum irruentibus redundat. Memoria ſimiliter, in quam riui quaſi quidam rerum, ac fluuii per oſtia quinque ſenſuum amne ſedato, & placido illabuntur aſſidue, capax eſt adeo atque auida, nulla vt rerum concreditarum multitudine, nulla copia, nulla varietate capacitas eius atque amplitudo ſatiari expletique poſſe videatur. Mundus ipſe totus, Auditores, ſeſe per partes in memoriam noſtram infundit, inſinuat, includit, ſic ut aptius de memoria dicere poſſis, quod iampridem de Archimedis ſphæra Caſſiodorus extulit inter ceteras laudes conglobatas. *Grauidam Mundo, atque ſpeculum eſſe Naturæ.* Quo-

9 niam vero ſpeculi nunc mentio incidit, Placentini ciues, & omnes ſapientes de memoria diſſerentes vna voce confirmant (quod iam me docuiſſe memini) in ea non res ipſas è materia concretas, ſed rerum quaſdam imagines à materiæ concretione ſegregatas, & rerum ipſarum ſimillimas conſeruari: venit mihi in mentem, Theatro cuidam magno ſpeculis intus conueſtito Memoriam ſimilem videri. Prodiderunt hiſtorici iuſſu Domitiani ſuſpicioſiſſimi mortalium Imperatoris, ob ſcelerum flagitiorumque immanitatem, multitudinem, atque atrocitatem; parietes interiores porticus, in qua ſpatiari ſoleret, & commorari diutius, cruſtis fuiſſe contectos, è lapide ſplendido, ac pel-

Caſsiod l. 1. Var. ep. 45.
Ar. l. de Mem. & Remin. c. 2.
Suet. in Domit. cap. 14.

lucenti

Pl.l.36.c.22. lucenti (quem phengiten ex argumento vocant) ad modum ſpeculi res omnes ad viuum referente per imagines. In qua ſedens, cęnans, legens, ſcribens, inambulans, quocumque conuerteret oculos, intrantes, exeuntes, ambulantes à lateribus, à tergo repræſentatos in parietibus peruidebat. Huius porticus ſimile fingite, Placentini, cogitatione Theatrum, cryſtallino tectorio intus circum quaq; conueſtitum; ita vt gradus, ſcenam, latera, parietes, omneſque partes ſpecula tegant & operiant. Huc, ſi quis conferret ſeſe, nonne continuo vt Theatri pulcherrimi limen attingeret, & in illo primum veſtigium faceret, quocumque flecteret oculos, ac circumſpiceret, ſe ſuamque formã in vnaquaque Theatri parte contueretur? Quid ſi huic eidem Theatro objiceretur terra, mare, cælum pariter, & quidquid Mundus cælo coercet? Nonne, quemadmodum in ſpeculis, oculiſque humani referri videmus rerum omnium, parua quidem, ſed tamen integra ſpectra; ſic illud imagines, & ſimulacra repræſentaret? In memoria noſtra puto contingere ſimile quiddam, Auditores. Theatrum rerum omnium ea eſt; vel, ut veriſſime loquar, Amphitheatrum imaginum, ſimulacrorumque varietate refertum. Animus in eo cum aliquid repoſcit, prælato lumine illo ſuo mirabili, quod ex Ariſtotelis ſententia naturaliter accendit in humana mente Deus, cernit effigiem quaſi ſpi-

Ariſt.l.3.de An. tex.18.

rantem rei à ſe quæſitæ, ad viuum expreſſæ: iuſſa, rogata, optata ſeſe ſpecies offert, in qua rem ipſam æque vt in imagine ſpeculi recognoſcit. O admirabilem memoriæ virtutem; O admirabilitatem diuini muneris prope diuinam! Et quiſquam erit, qui in hoc Amphitheatri ſpectaculo, & contemplatione non admiretur, & obſtupeſcat, in quo tam ſimilis immortali Deo videtur homo mortalis? Sapientum 10

Gen.1.

eſt opinio diuinorum auctoritate firmata oraculorum, emicere in nobis, atque ſplendeſcere Dei præpotentis imaginem quandam ei valde ſimilem: cuius ſpecies caligine obſcuritatis offuſa priſcorum poetarum, ac veterum philoſo-

phorum

phorum oculis allapſa, nonnihil de re tanta ex eorum ca-
lamis expreſſit. Scio multos in immortalitate animi ſta- *Orat.22.n.2.*
tuere ſimilitudinem hanc diuinam; fateor eſſe nonnullos,
qui in imperio quod in res ſub cęlo procreatas habemus,
poſitam eſſe arbitrentur. Alii ſunt qui in liberæ voluntatis
arbitrio, atque in actionum noſtrarum dominatu ſitam eſ-
ſe contendant. Non nego eandem alios aliis in immorta-
lis animi noſtri muneribus ac facultatibus poſuiſſe. Qui *Orat.22.n.19.*
omnes recte ac ſapienter, mea ſententia, de re tam abſtru-
ſa philoſophantur; cum in ſingulis rebus, quas commemo-
raui, pars aliqua diuinæ imaginis eluceat. Verum in inſtru
mento, atque ornamento memoriæ, quod modo maximũ,
& eximium Dei donum eſſe diximus, aliquam non exi-
guam, neque obſcuram diuinæ imaginis rationem emi-
nere, quis neget? Etenim Deus in infinito atque immenſo
Mentis ſuæ ſinu, tamquam ampliſſimo copioſiſſimoque
theſauro, nobiliſſimas ideas, ac formas præſtantiſſimas re-
rum omnium, quæ factæ ſunt, quæ fient, quæ fieri poſſunt,
ratione quadam mirabili, & infinite captum noſtrum ſu-
perante, planeque diuina, ab ipſa æternitate complectitur.
Mens humana Dei conceſſu diuinam imitans, parte illa,
de qua diſputo, Memoria; miro pariter modo, nec nobis,
qui fruimur, plane cognito, rerum præteritarum ſenſibuſ-
que perceptarum, dictorum, factorum, cogitatorumque
11 comprehenſas habet imagines, & impreſſa ſimulacra. Sed
quis tandem hunc modum nobis adumbret? Plato, cui *Plato in Theæteto.*
diuini cognomen ob ingenii flumen aureum tribuit anti-
quitas, eum nonnihil, obſcure tamen, indicaſſe viſus eſt,
tum cum apud eum Socrates explicandæ memoriæ gra-
tia iuſſit ceream effigiem in animo cogitatione locari; cum
Homerum ſecutus, optimo ingenio præditum animum,
idoneumque ſapientiæ, ceræ ſimilem dixit; cum denique
ſignare nos velut anulis, atque exprimere aſſeruit, quæ ſen
ſibus inſinuamus. Hæc Plato ſuboſcure, inquam, & ſuæ
doctrinæ congruenter, quòd diſcere nihil ſit aliud, quàm

Digitized by Google

reminiſci ac recordari. Verum ex eius verbis equidem animo mihi fingo memoriæ noſtræ facultatẽ ſimillimam ingenti cereæ moli, quæ quidem tenera ſit, commutabilis, & quocumque velis ducta torqueatur; cuique conueniat illud Poetæ

Ouid.l.10.met.

Tractataque pollice multas
Flectitur in facies: ipſoque fit vtilis vſu.

non tamen ita mollis, vt formas fluere ſtatim vt ficta eſt, atque euaneſcere patiatur. In ea igitur quemadmodum in cera, quæ fingitur arbitrio noſtro, tot rerum impreſſæ ſunt imagines, quot res memoriæ commendauimus. Quibus, inquies, ſignis? cuius manu? qua ratione? Signa ſunt, illa rerum ſeu veſtigia, ſeu ſimulacra tenuiſſima, quæ ſenſus à rebus ipſis materiatis continenter tranſmiſſa recipiunt, & Phantaſiæ ſubinde tradita in intimos animi receſſus intromittuntur. Tum hæc tamquam annuli obſignandis epiſtolis facti, ſuas item effingunt imagines in cerea Memoriæ tabula, ſigillaque imprimunt ſimillima ſui, quæ ſi qua obliuione delentur, rurſus vel recordatione, vel iterata ſignorum impreſſione renouantur. Manus artifex eſt ipſa Mens noſtra, quæ cum ſigna per ſenſus accepta memoriæ mandat, pariter tractabilem ceram illam ijſdem imaginibus conſignat: quas non oculis cernas, ſed acie mentis; nõ manu tangas, ſed intelligentia; non cubiti longitudine, ſed animi æſtimatione metiare. Ratio denique horum omniũ, quæ in ampliſſimo Memoriæ receptaculo fiunt, quem non latet? quem non fatigat? quem non deterret? obſcura eſt, mirabilis, captum excedit humanum; & ſi qua tenebricoſis illis è loculis ſcintilla cognitionis apparet, infantibus nobis explicatu difficillima eſt. Quamobrem diſertiſsimum quemque, & vero etiam Ciceronem ipſum ingenio perſpicacem, à copia verborum inſtructiſsimum, & ab vſu dicendi feliciſsimum naturalis memoriæ vim, fabricam, deſcriptionem, modũ, quo res complectatur, conſeruet, reddat, explicare parantem obſtupefactum admiratione, & ſe ne-

Cic.in Partit.

ſcire

ſcire fatentem accommodata explicationi verba deficiũt. *Cic. 1. Tuſc.*
Scientiſsimus opifex animi noſtri Deus ideo voluit aliquid *Theodor. l. 5.*
nos latere, quod ignoratum vnumquemque noſtrum in *d: cur. Græc. affect.*
admirationem artis diuinæ raperet, defixumque detine-
ret; vt præſtantiam tam excellentis operis ignorando, ad-
mirando, venerando, quàm plane cognoſcendo, ſanctius
intelligeremus. Sed quid in ceræ ſignatæ ſubtili pariter ac
vulgata ſimilitudine diutius immoror? Ad alia minus trita
12 veniamus: non exſpectatæ lucis aliquid inde fortaſſe cui-
piam adoleſcenti ſtudioſiſsimo memoriæ penitus cogno-
ſcendæ oborietur. Vtinam ſpectare poſſes (te alloquor
Adoleſcens) quæ memoriæ gremio continentur: vtinam
illuc introferre aciem oculorum: diceres, mihi crede, nobi-
le illud Alexandri Seueri Imperatoris eſſe Lararũ, in quo *Lamprid. in*
Diuorum ſuorum, Principum optimorum, philoſophorũ, *Alex. Seuero.*
poetarum, oratorum, aliorumque clarorum virorum ſta-
tuas collocarat. Arbitrarere tamẽ hoc differre, quòd illud, ſi
cum memoria docti viri componeretur, pauciſsimas habe
re ſtatuas, eaſque tantum æneas, ac marmoreas: at hæc au-
la regia memoriæ diues ac multiplex, innumerabilia mul-
tiformiaque ſigna, ſiue vt melius loquar, ſigilla, in baſibus
apte ac diſpoſite collocata ſeruare videretur. Quæ pro ge-
nerum varietate; diſsimilitudine naturarum, ac nobilitate
rerum, quas repræſentãt, varia cerneres ac diſsimilia, nec-
non aliis alia pulchriora. Putares è lignis quædam buxo,
ebeno, cedro, cupreſſo: pretioſis è marmoribus alia, Pario,
Liguſtico, Chio, porphyrite: nonnulla tamquam è metal-
lorum genere ferrea, ænea, aurea, argentea: gemmas quæ-
dam referre putares, adamantem, cryſtallum, pyropum,
atque ſmaragdum. Non colores deſunt, non extrema linea
menta; non mores, non ſenſus, non vita, non vox: magnitu-
dinem, formam, parteſ; à quo accepta, & quo tempore; &
quibus foribus ingreſſa referunt: ad viuum expreſſa, repræ-
ſentant ad viuum ea, quorum ſunt ſimulacra: ſpirant ipſa,
& vnumquodque rei ſeu veræ, ſeu ſimulatæ veriſsima ef-

figies eſt. Hæc animus curis vacuus, ne perturbetur ſua quies & otiũ, quaſi quoddã incuriæ velũ memoriæ obtendens opacat vniuerſa. Mentis iniuſſu nonnumquã mouentur loco, vel cum ſuapte ſponte ſeſe ingerunt in ſomnis quieſcẽti; vel cum vigilanti, diuerſaque cogitanti ſe offerunt minus opportune: quam ob rem indignatus animus interueniſſe cogitationibus ſuis, feſtinanter ad ſuos loculos redire iubet non vocata. Complicat obductum aulæum, & quaſi ſcenæ ſiparium demittit idem animus ad curas rediens, vel contemplandi, vel dicendi, ut conſpicua ſint ad nutum, parata ad imperium, & in promptu ad omnem vſum. Quid quod hoc vſu, tametſi cum effuſa largitione ſit coniunctus, non exinanitur Memoria, ſed ditatur? Cum foras profert animus per linguam atque uocem opes ſuas, Memoria ſubminiſtrante de ſuo quæ dicenda ſunt, ea, qua vacuam fieri putaretis effuſione: locupletatur atque augeſcit. Nam quæ ſuppeditat ad dicendum, cum pronunciantur, adeo infiguntur in ea ipſa, vt ſi orator illico repeteret orationẽ, feliciore proculdubio peroraret euentu. Miraris lacus quoſdam ex ſeſe fluuios maximos nauibus onerariis ſuſtẽtandis, ac vehendis pares gignere, atque effundere continenter; & ea perpetua fluxione non modo non areſcere, neque exhauriri, ſed ne tantillum quidem diminui, vel decreſcere. & iure miraris. Et non mirabere Memoriam, è qua per flumen orationis diſertorum oratorum manant, & fluunt toties, tam multa quæ ſuo complexu ac fonte claudebat, neque exhauriri quidquam neque deficere diffluẽdo? Nec mirare tantum, ſed etiam obſtupeſce hanc animi facultatem, in quá (quod miraculi ſimile eſt) ſimulacra rerum extracta remanent; egreſſa redeunt; reuulſa, penitus adhæreſcunt. Tanta eſt Memoriæ fecunditas; tanta uis; tantæ diuitiæ. Feliciter Auguſtinus vir ſanctitate doctri- 13
naque clariſsimus; cuius admirabile ingenium diuina lux ad altiora prouexit cogitata, quàm uis humana concipiat: feliciter, inquam, Auguſtinus admirando magis, quàm expli-

plicando, nobis ante oculos poſuit hanc noſtræ Memoriæ præſtantiam; quam, balbutiens ego de opere diuino, inobſcuraui potius, quàm illuſtraui. Hunc, oro uos Auditores, latine loquentem audite diligenter. *Venio, inquit, in campos & lata prætoria memoriæ meæ, vbi ſunt theſauri innumerabilium imaginum, de huiuſcemodi rebus ſenſis inuectarum. Ibi reconditum eſt, quidquid etiam cogitamus, vel augendo, vel minuendo, vel vtrumque variando ea quæ ſenſus attigerit; & ſi quid aliud commendatum, & repoſitum eſt, quod nondum abſorbuit, & ſepeliuit obliuio. Ibi quando ſum, poſco vt proferatur quidquid volo, & ſtatim quædam prodeunt, quædam requiruntur diutius; & tamquam de abſtruſioribus quibuſdam receptaculis eruuntur; quædam cateruatim ſe proruunt, & dum aliud petitur, & quæritur proſiliunt in medium quaſi dicentia, Ne forte nos ſumus? Alia faciliter, atque imperturbata ſerie ſicut poſcuntur, ſuggeruntur; & cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur iterum cum voluero proceſſura. Ibi ſunt omnia diſtincte generatimque ſeruata, quæ ſuo quæque aditu ingeſta ſunt. Hæc omnia recipit recolenda cum opus fuerit, et retractanda grandis memoriæ receſſus, et neſcio qui ſecreti, atque ineffabiles ſinus eius, quæ omnia ſuis quæque foribus intrant ad eam, et reponuntur in ea: nec ipſa tamen intrant, ſed rerum ſenſarum imagines illic præſto ſunt cogitationi reminiſcenti eas. Quæ quomodo fabricata ſunt, quis dicit? Magna iſta vis eſt memoriæ, magna nimis Deus meus, penetrale amplum et infinitum. Quis ad fundum eius peruenerit? Et vis eſt hæc animi mei, atque ad naturam meam pertinet, nec ego ipſe capio totum quod ſum. Multa mihi ſuper hoc oboritur admiratio, ſtupor apprehendit me.* Hæc Auguſtinus pij ſtuporis plenus, & alia multa, & auditu iucundiſſima, & ſcitu digniſſima, quæ prætereo ſtudio breuitatis. Quod ſi vir ingenioſiſſimus, & diuinitus edoctus admirabatur vim memoriæ; quid nos facere oportet, qui ab ingenio & ſanctitate Auguſtini tanto abſumus interuallo? Quare præ ſtat

S. Aug. l. 10. confeſſ. cap. 8.

Digitized by Google

naturæ ipſius diligentiore conſideratione prætermiſſa, quã
penitus introſpicere nequaquam poſſumus, admirabilita-
tem eius in illis intueri, qui memoria præſtiterunt. Tribus 14
illa quidem, cum ſumma, & perfecta eſt, virtutibus tam-
quam gemmis enitet, vt ante cognouiſtis; ediſcendi facili-
tate; rerum iam comprehenſarum diuturna, vt ita dicam,
tenacitate; prompta & celeri fidelitate reddendi. Verum
non in ſingulis, quos commemorabo, viris ingenioſis, om-
nes admirabilitate pari ſplenduerunt. Duabus alii clarue-
runt; inſignes alii vna fuerunt; nonnullorum felicitas om-
nes complexa eſt. Vos pro veſtra ſolertia, quot & quibus
virtutibus quiſque præcellentiſſimus fuerit, iudicate, Viri
doctiſſimi. Quinetiam date mihi hanc veniam, vt tritas,
vulgares, & decantatas hiſtorias præteruolem, tametſi cõ-
tinent admirationem: nouas, inauditas, ac reconditas pro-
feram, & accurate excutiam, vos vt ſine ſatietate delectẽ.
Pl.l.7.cap. 25. Taceo igitur de C. Cæſaris excellenti memoria, qui ſcribe-
re, & legere ſimul, dictare, & audire ſoleret: & epiſtolas gra
Plin.l.7.c.24. uiſſimarum rerum quaternas pariter dictare librariis, aut ſi
Iul.Solin.c.4. nihil ageret, ſeptenas. Sileo de L. Scipione, qui populo Ro-
Cic.l.1.Tuſc. mano nomina reddidit: ac de Cynea Theſſalo Pyrrhi Re-
Idem l. de cl. gis legato, qui poſtero die quàm Romam aduenerat, Sena-
orat.& in Lu tores, equitesque nominatim ſine nomenclatore ſalutauit.
cullo.
M.Sen. Præf. Nihil dicam de L. Lucullo, qui ſic in animo res inſculptas
l.1.controu. habebat, vt litteris conſignamus, quæ volumus mandare
M.Sen.Plin. monumentis. Nihil de Q. Hortenſio, qui quæ ſecum com-
Solin. locis ci- mentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem reddebat: &
tatis.
Quin.l.11.c.2. aliquando prouocatus à Siſenna, perſedit in auctione totũ
Pl.l.7.cap.24. diem; & omnes res, & pretia, & emptores ordine ſuo recẽ-
Val.l.8.cap.7. ſuit, argentarijs recognoſcentibus, ita vt in nullo falleretur.
Agell.l.17.ca. Miſſum facio Mithridatem Põti Regem, atque Bithyniæ,
17.
Iul.Sol.c.4. qui duarum & viginti gentium, quibus imperabat, linguis
Quin.l.11.c.2. iura dixit, & pro concione ſine interprete ſingulas affatus
Cic.l.2. de or. eſt. At prærerire nequaquã poſſum ſine admiratione The-
l.2.de fin.l.de miſtoclem Athenienſem, qui non modo ciuium ſuorum
ſeneƐt. & in
Lucullo.

nomina

nomina percepit, & vnum intra annum optime loqui perfecè didicit: ſed etiam nihil vnquam audiuit, quod non in *Quint.l.11.c.2.* memoriã eius penitus inſederit: nihil ex illius animo, quod *Val.l.8.cap.7.* ſemel eſſet infuſum, effluere potuerit: & Simonidi artem memoriæ pollicenti, qua omnia meminiſſet, doctorem reſpuens, obliuionis artem ſe malle dixit, quòd meminiſſet etiam quæ nollet, & quæ vellet obliuiſci non poſſet. Quam obliuionem, etſi valde cupiebat, non tamen à ſe ipſe poterat obtinere Clemens VI. Pont. Max. Vir inuictæ memo- *Franc. Petr. l.* riæ, vt Franciſcus Petrarcha loquitur, teſtis locuples illius *2. rerum memorand.* æui; vel Themiſtocles alter ſui temporis, vt ego dicere conſueui. Videor aliquid dixiſſe, Placentini Ciues, Themiſtoclis, & Clementis commemoratione. Verum maiore fortaſſe memoria pollent ij, qui ſine alueolo, & è conſpectu ſublata quoque gemina latrunculorum acie memo- *Ioan. Barros* riter latrunculis inter ſe ludunt; ita vt vterque collu- *in Aſia.* ſor, colluſoris ac ſuorum latrunculorum ſingulorum motus, paſſusque omnes certo ac firmiter numeratos comprehendat, retineatque memoria, quoad alter latrunculorum Ducem deductum in anguſtum, effecerit captiuum; & ſine vlla verborum altercatione ludicra illa pugna finiatur. Quàm valuit ille, qui recitatum à Poeta car *M Sen.l.1.cõ-* men nouum, ſuum eſſe dixit, & protinus memoriter reci- *tr.in Præfat.* tauit: cum hoc ille, cuius carmen erat, facere non potuiſſet? Quis autem crederet hominem mortalem poſſe memoria efficere, quæ Simplicium quendam ſe præſente atque audiente præſtitiſſe ſcribit S. Auguſtinus? Audite quæſo iterum Placentini, ſcriptorem veracem ac lepidum in narrãdo. *S.Aug.l.4.de An. & eius orig.cap.7.* *Cum interrogatus à nobis*, inquit, *eſſet quos verſus Virgilius in omnibus libris ſupra vltimos dixerit, continuo celeriter, memoriterque reſpondit. Quæſiuimus etiam ſuperiores vt diceret, dixit. Et credimus, eum poſſe retrorſum recitare Virgilium. De quocumque loco voluimus, petiuimus vt faceret, fecit. Proſa etiam de quacumque oratione Ciceronis, quam memoria commendauerat id eum facere voluimus, quantum*

Plato in Hippia.

Quint. l. 11. c. 2.

M. Sen. Præfat. l. 1. cõtrou.

M. Ant. Muret. l. 3. Var. lect. cap. 1.

voluimus ſurſum verſus ſecutus eſt. Prò Deus immortalis, tantum ne potuit memoria mortalis? Poteſt, Auditores, & aliquid amplius. Hippias apud Platonem tamquam de magno quodam, ac præſtanti bono gloriatur poſſe ſe quinquaginta nomina ſemel tantum audita recitare. Vicit Hippiam Theodectes apud Quinctilianum qui ſemel auditos quamlibet multos verſus protinus reddebat. Superabat Theodectem M. Seneca, qui duo nominum millia recitata, quo ordine erant dicta, referebat: & ab ijs qui ad audiendum præceptorem conuenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cum plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo
incipiens vſque ad primum recitabat. De his omnibus æta 16
te prope noſtra iuuenis quidam Corſus genere triumphauit. Numquam id portenti ſimile fuiſſem auſus proferre in hac prudentium virorum corona, niſi me M. Antonii Mureti, in quo probitas cum eloquentia certabat, auctoritas fulſiſſet, qui ſe huiuſce rei teſtem oculatum atque auritum Patauii fuiſſe profitetur: eamque multis fide dignis teſtibus clariſſimis viris teſtatam ipſe homo prudens poſteritati mandauit. Dictare cœperat M. Antonius nomina Latina, Græca, Barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia, tam varia, tam nihil inter ſe cohærentia, tam multa, vt & ipſe dictando, & puer qui excipiebat ſcribendo, & ceteri qui aderant feſſi iam eſſent omnes expectando. Vnus ille adoleſcẽs incredibilis memoriæ ex omni numero alacer ac recens aſsidue plura poſcebat. Sed aliquando tandem memoriæ ſuæ vim oſtendere rogatus, plane omnia eodem ordine, nuſquam prope inſiſtens, nuſquam hæſitans, ſtupentibus omnibus, reddidit. Deinde ab vltimo incipiens ſurſum verſus peruenit ad primum. Rurſus ita vt primum, tertium, quinctum, ac ſic deinceps omnia imparis numeri diceret: quo denique quiſque voluerat ordine ſine vllo errore feliciſsime omnia referebat. Ita præterea illi hærebãt omnia in animo, vt vel poſt annum, ſe quæcumque memoriæ mãdaſſet minimo negotio repetiturum: eodemque modo ſe

tri-

triginta ſex millia nominum recitaturum aſſereret : nec
31 permittebat experientia, nec iuuenis modeſtia, numerum
illum tam ingentem exiſtimari profectum à iactantia. Nũ
igitur credetis, Auditores, me non oratorie, ſed latine ac
vere locutum, cum paullo ante dixi, Memoriæ vim incre-
17 dibilem eſſe, prorſus admirabilem, ac pæne diuinam? Iam
vero antequam in portum reuehatur oratio mea, ſubſidio
currendum eſt duobus periclitantibus nauigiolis, quæ iu-
uenili tempeſtate iactata, plenis velis ad geminos errorum
ſcopulos deferuntur. Refellendi ſunt, vt planius loquar, er-
rores duo grauiſſimi, qui nonnullorum, & potiſſimum no-
ſtri temporis quorumdam adoleſcentium animos occupa
uerunt. Prior eorum eſt, qui tanto memoriæ bono cumu-
lati, vel colere neſciunt, vel certe non agnoſcunt: ſed negle
cta memoria, ſcriptis vtuntur pro memoria: res cognitas
auditas, lectas, excogitatas non memoriæ commendant,
ſed litteris, chartis, libellis: & tum ſe bene doctos putant,
cum multos libros calamo exaratos, in quos doctrinam ma
giſtrorum exceperant eleganti ſcriptura, belle colligatos,
coloribus pictos, auro perlitos, ſe habere recordantur. Hos
in armario clauſos domi ſeruant: hos quaſi theſaurum ca-
rioribus ſodalibus oſtentant: hos, cum aliquid interrogan-
tur, tamquam iudices appellant omnium controuerſiarũ:
in ore ſemper habẽtes illas formulas: *Enodatio difficultatis huius eſt in meis ſcriptis: Dubitationem tibi tollam, cum mea ſcripta relegero.* O miſeros adoleſcentes (vos appello
ſi adeſtis) quæ vos arripuit dementia, qui vos error cepit,
vt plus chartis quæ furto, incendio, caſibusque aliis innu-
meris perire poſſunt, fidatis, quàm memoriæ veſtræ, quæ
vobiſcum ſemper eſt, & non niſi grauiſſimo morbo vobis
eripi poteſt? An vero vultis, vt pereuntibus libellis manu
veſtra, vel aliena deſcriptis, pereat & ſcientia veſtra omnis
atque doctrina? Congrueret opinor tunc vobis illud An-
tiſthenis boni philoſophi dictum egregium ac ſalſum, qui
adoleſcenti conquerenti perditos commentarios: *Oporte-*

Laer. l. 6. in Antiſthene.

bat, inquit, *iſta potius anima, quàm chartis inſcribere.* Nec immerito; Placentini, coarguit adoleſcentem Antiſthenes. 18

Plato in Phædro & in Timæo.
Quin. l. 10 c. 6. & l. 11. c. 2.

Etenim animaduerti Thamum Aegypti Regem apud Platonem opinari, litterarum vſum obſtare memoriæ: quòd illa quæ ſcriptis repoſuimus, quaſi in tuto ſint, cuſtodire memoria deſinimus, & ipſa ſecuritate dimittimus. Secutus

L. Sen. ep. 88.

videtur Thamum L. Seneca, cum dubitat neſcire ſe, an certior memoria ſit, quæ nullum habet extra ſe ſubſidium. In eadem opinione Druides Gallorum veterum Antiſtites ac magiſtros collocari par eſt, qui quos erudiebant, adoleſcentes, ea quæ docebantur, litteris mandare nolebant; *ne confiſi litteris*, inquit C. Cæſar, *minus memoriæ ſtuderent,*

C. Cæſ. l. 6. de bello Gal.

quòd fere pleriſque accidit, ut præſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo, memoriamque remittant. Quis præterea mercatorem eum prouidum putet, & fortunis ſuis bene conſulentem, qui bona omnia, facultateſque vniuerſas in nominibus debitorum habeat, & in ſchedulis; nihil in numerata pecunia, nihil in capſa, nihil in promptu ad ſubitas neceſſitates, & ex improuiſo naſcentes? Vos prudentes exiſtimem Adoleſcentes (quos iterum mea petit oratio) vos famæ, ſtudiis, progreſſibus veſtris recte proſpicientes, qui doctrinarum, & rerum omnium ſcientiam, quam ab optimis magiſtris auditione diuturna mercati eſtis, chartis ac libellis quaſi debitorum nominibus habeatis concreditam; nihil ad ſubitos caſus in promptu, nihil in numerato, nihil in memoria? Per iocum fere dixit aliquando Cæ-

M. Sen. l. 2. controu. 5.
Quin. l. 6. c. 4.

ſar Auguſtus de L. Vinicio, qui præſentiſſimum habebat ingenium, & facile dicebat ex tempore: *Vinicius ingenium in numerato habet.* At ego non ioco, ſed ſerio dici poſſe reor, eum qui non in commentariis, ſed in arca memoriæ doctrinarum ſcientiam tamquam argentum ſignatum habet, non in nominibus, vt illi chartularum amatores, ſed in

Pier. Valer. l. 33. Hierogl.

numerato poſſidere ſapientiam. Cur denique putatis priſcos ſapientes aurem eſſe Memoriæ conſecratam tradidiſſe, niſi vt intelligerent poſteri, quæ audiuntur, ab aure pri-

mum

Digitized by Google

mum facere gradum in memoriam oportere: quæ auditione excipiuntur non calamo in chartis libellorum, ſed attenta meditatione in memoriæ libris eſſe collocanda? Non equidem hæc diſputo, Placentini Iuuenes, vt vobis perſuadeam litterarum deſpicientiam; ſed diligentiorem Memoriæ cultum. Cupio hæc argumenta tela eſſe, quæ terreant, quæ retardent, quæ reuocent à nimia ſcriptione commentariolorum eos, qui pectus lædunt, fatigant caput, & totam valetudinem immoderatione ſcribendi labefactant. Hos moneo, his prædico, his ante denuncio fore, niſi ſe ipſi moderentur, vt indocti, & adoleſcentes è viuis excedant.

19 Ac ne quis erret, iterum, quo melius omnes intelligant clara voce denuncio; me nec deteſtari litteras; nec dānare ſcriptionem, nec proſcribere commentarios: ſed laudare, ſuadere, commendare moderationem. Hortor, obſecro, & obteſtor cunctos per amorem illum quo vitam veſtram, quo ſapientiam, quo ſolidam laudem adamatis; vt plus præſidii, plus curæ, plus diligētiæ in naturæ bono, quod eſt memoria, quàm in deſcribendis commentariis, aut accumulandis aliorum ſcriptis, ſi proficere cupitis in ſapientia, ponendum eſſe ſtatuatis. Non enim ignoro litteras in ſubſidium infirmæ, ac non perpetuæ Memoriæ repertas fuiſſe: quòd eam admoneant, excitent, & in recordationem inducant: id quod ipſe Thamus Aegyptiorum Rex plane confeſſus eſt Theuth inuentori litterarum, cui paullo ante obiecerat inuentum eius obeſſe Memoriæ. Scio memoriæ iuuandæ cauſſa poeticos numeros ac verſus inuentos eſſe: atque id ex eo colligitur, quòd facilius verſus ediſcimus, quàm proſam orationem, vt Quinctilianus & Plutarchus monuerunt; & Druides inter Gallos ſapientiſſimi nō tam præceptis, quàm vſu docuerunt; quorum diſcipuli, eorum iuſſu, magnum verſuum numerum ediſcentes, doctrinam magiſtrorum omnem hauriebant. Non me latet ſingulis vixiſſe ſæculis nonnullos; tum vero hac ætate noſtra florere, qui dum quædam chartis ſcribunt, eadem interea in li-

Max. Tyr. ſer. 38.

Plato in Phædro.

Beſſar. Card. l. 1. adu. calū.

Plat. cap. 2.

Quin. l. 11. c. 2.

Plut. l. de orac. def.

Cæſar. l. 6. de Bello Gallico.

bro Memoriæ, illo ipſo ſtylo putâtur inſcribere. Inter quos
M. Sen.l.1. contr.in Præfat. admirabilis fuit Porcius Latro declamator egregius, qui
edidicerat illa, cum ſcripſerat: & cum ſcriberet, ſe in animo
ſcribere aiebat. Quare denuo vos hortor Adoleſcentes, vt
adhibita moderatione ſcribendi Porcium hunc Memoriæ
gloria ſplendeſcentem imitemini, ſi fieri poteſt, qui omnes
declamationes ſuás, quaſcumque dixerat, tenebat ita, vt ſi-
Idem loco cit. bi codices ſuperuacaneos fecerit. Et quod ille iam conſecu
tus eloquentiæ maturitatem fecit in ſuis, vos adoleſcentes
qui dicendi gloriæ inflammati cupiditate ſtudetis eloquen
tiæ, facite in optimorum veterum oratorum, & in primis
Ciceronis orationibus ediſcendis. Quod cõſequemini, mi- 29
hi credite, ſi vitaueritis alterum ſcopulum erroris, ad quem
adhæreſcunt ij, qui ſibi Memoriam nutantem, hebetem,
anguſtamque eſſe queruntur; nec tamen eam iuuant, nec
perficiunt. An vero ignoratis (eos moneo qui hoc errore
deprauati meam vocem exaudiunt) ægroti dementis eſſe
prodere morbum; & reſpuere medicinam? Cur ergo non
ea ſumitis ſiue adiumenta, ſiue præſidia, ſiue medicamenta
quæ memoriam vacillantem ſtabiliant, exacuant hebetem,
Cornif l.3. rhet. anguſtamq; dilatent? Duo ſapientes viri Memoriæ perfi-
S.Th.2.2.q. 49.ar.1.ad 2. ciendæ, iuuandæq; inſtrumenta tradunt: Artem, & Exerci
tationem. Vel vtramq; quod eſt optabilius, vel alteram ſal-
Cic.l.2.de or. tem amplectimini Adoleſcentes. Fuit quidem priſcis tem-
Quin.l.11.c.2. Pl.l.7.c.24. poribus hæc Ars inuenta à Simonide, Chionê, an Melico?
perfecta à Metrodoro Sceepſio: tradita poſteris à claris rhe-
toribus Cornificio, & Quinctiliano: probata M. Tullio a-
deo vt non valde laudarit Themiſtoclis reſponſum hanc
S.Th.2.2.q. 49.ar.1.ad 2. Artem contemnentis: commẽdata à S. Thoma Theologiæ
ſplendore clariſſimo: Vos ſoli eritis tanta cõfidentia, vt tot
viris tam ſapientibus hanc Artem comprobantibus ipſi re-
probetis? Carneades philoſophus Athenis hac imbutus di
Cic.l.1.de or. ſciplina tamquã litteris in cera; ſic ſe aiebat imaginibus in
ijs locis, quos haberet, quæ meminiſſe vellet, perſcribere:
vos fracti deſperatione nullam è memoria laudem; nullum

Digitized by Google

ex artificio memoriæ fructum vos conſecuturos putetis? Erigite vos, Adoleſcentes, ſumite animos, concipite ſpem fore, vt diligentia veſtra difficultates omnes in hac doctrina parãda ſuperentur.
21 Neq; vero deterreat vos, quod inertes dicunt, ad artem Memorię memoriam optimam requiri, & imaginũ pondere opprimi naturale bonum: præceptionibuſq; obſcurari etiam id, quod per ſe natura tenere potuiſſet. Inanis iſthæc ratio eſt, infirma, plena futilitatis. Primum enim narrat Antonius apud Ciceronẽ orator eximius ſe vidiſſe ſummos homines Carneadem & Metrodorum, quos commemoraui, mirabiliter in hac arte profeciſſe: quorum hic, qui perfeciſſe Memoriæ artem dictus eſt, tantum in ea ſe meditatione aſſidua prouexit, vt à multis ſimul dicta, non modo ſenſuum, ſed etiam verborum ordinibus detineret. Deinde accepimus patrum, auorumq; noſtrorum memoria Chriſtianos oratores extitiſſe clariſſimi nominis ac famæ, inter quos Cornelium Muſſum ciuem veſtrum cum primis fuiſſe conſtat; & hac ipſa ætate noſtra nonnullos etiam videmus, & audimus, qui artificio Memoriæ freti bene longas conciones, variis atq; inter ſe diſſimilibus refertas rebus ac ſententiis: optimis verbis artificioſe ſtructas; & ijs ornamentis effloreſcentes, quæ humana Memoria experitur difficillima; qualia ſunt, verborum contentiones; contraria contrariis oppoſita, paria paribus relata: longiſſimam item vocabulorum ſeriem multis ac miris modis commutatam de induſtria, & conſulto repetitam: linguæ tanta volubilitate, ac ſpiritus incitatione, celeritatẽ ingenii, captumq; auditorum interdũ ſuperante, memoriter recitant; tanta facilitate, ac felicitate numquam conſiſtentes, nihil hæſitantes, nuſquam lapſi pronunciant, vt admirationes, aſſenſiones, & tacitas acclamationes excitent audientis po-
22 puli, qui ſi per Chriſtianam modeſtiam liceret interpellare concionantem, in manifeſtos etiam plauſus, approbationes, & clamores erumperet. Hi memoriæ artificioſæ laudem hãc acceptam referunt; & collectam eloquentiæ famam arti quã naturæ tribuere malunt; vos Memoriæ negetis Artem, inſti-

Idem loco ci-.

Iul. Solin c.4.

tutiones,

tutiones, ac præcepta prodeſſe? Nam quod de multitudine 22
imaginum obijciebatur verũ fortaſſe videatur, in eo qui gloriæ ducatur deſiderio, & admirabilitate illa pæne diuina ſtudeat excellere; quod tamen non facile conceſſerim. Verũ de communi hominum memoria nunc diſputo, & cum illis ago maxime, quos oporteat perficere, iuuare, atque excolere memoriam imperfectam, non efficere admirandam & diuinam. In hos rurſus argumẽtũ retorqueo, quod nulla declinatione poſſint effugere: rurſus ferio, atque vrgeo. Si uiri mirabili memoria donati à Deo, doctrina Memoriã educabãt, excolebãt arte, præceptione cõfirmabãt, quid vos facere oportet Naturę accuſatores, queruloſque priuignos, qui ab illorum tantum abeſtis excellentia? Lucullus ingenio præditus ſummo, & diuina quadam rerum memoria, vt M. Tullius loquitur, adiun-

Cic. l. 2. Acad. xit etiam illam, quam Themiſtocles ſpreuerat diſciplinã: vos intolerandam Themiſtoclis arrogantiam, quàm laudabilem

M. Sen. Præfat. l. 1. cõtrou. Luculli prudentiam imitari maletis? Quid Porcio Latroni dicetis? Quanta in eo à Natura Principe tanti boni, rerum verborumq; memoria? Numquam ille quæ dicturus erat, ediſcẽdi cauſſa relegebat: dicebat ita vt in nullo unquam uerbo eũ memoria deceperit: iubebat aliquem nominari Ducem, & ſtatim eius acta curſu reddebat: nec tamen propterea memoriæ ſpreuit artificium. Vos qui Naturã uobis Nouercã fuiſſe doletis, & proinde maiore, quàm illi, præſidio, auxilioq; artis indigetis, Artem multo quàm Porcii tempore politiorẽ, fallaciſſimo argumentationis errore decepti negligetis? An vero non id tandem uobis perſuadeat (ut tã multos alios omittã) Corſi adoleſcentis gloria, qui arte perfecit, quod perſe natura conſequi nequaquam potuiſſet; vt Memoria viuum in tantam admirationem traduxerit, quantam audiuiſtis, & mortui nomen, hominum ſempiternæ memoriæ cõmẽdarit? Quod 23
ſi hæc Ars, uenalis licet, & in promptu, uobis non admodum placet, quòd operoſa ſit ac laborioſa, nec maxime uideatur

Ar. l. de Mem. & Remin. c. 2 utilitatis: conuertite animum ad alterum præſidium ab Ariſtotele philoſophorum Doctore, magna ſuaſione propoſitũ:

quod

quod Quinctilianus maximam item Artem appellauit. Exer- *Quin.l.11.c.2.*
citationem intelligo, Iuuenes optimi. Hanc vobis ueſtris in *Cic.l.1.de or.*
doctrina progreſsibus conſulens, auctor ſum, & impulſor ut
arripiatis, ſiue memoria ualetis, quam cælum Placentinum
cum optimis ingeniis optimam quoq; coniungere ſolet: ſiue,
quod nec arbitror, nec uellē, uos deficit optima. Plutarchus *Plut.l.de educ.*
enim cum de recta adoleſcentium educatione præciperet, bo *lib.*
nam memoriam exercitatione meliorem fieri dicebat, non
optimam, bonam. Hanc omnes quicumq; dant præcepta de *Quin.l.1.c.1.*
proba educatione ſummopere collaudant: in hanc ſtudium
aſſiduum, multamq; operam conferri iubent: ad hāc pueros,
adoleſcentes, omnes deniq; monendo, hortando, ſuadendo
pungunt, vrgent, exſtimulant. Quid Pythagoras Italiæ præ-
clarum in philoſophia lumen, cum adoleſcentes domi ſuæ in *Orat.14.n.24.*
quodam quaſi contubernio, collatis in mediū pecuniis ac for- *Diog.laer.l.8.* *in Pythag.*
tunis aleret, erudiretq; iuuandæ memoriæ gratia faciendum *Cic.l.de ſenec.*
cenſeret, accepimus à Diogene Laertio, qui primaria inter
eius documenta hoc numerat: *Exercendam eſſe Memoriam.*
Quid autem idem efficeret à Catone maiore didicimus, qui
ſenex iam, & ætate confectus Pythagoreorum more exercē-
dę memorię cauſſa, quid quoq; die dixiſſet, audiuiſſet, egiſſet,
veſperi commemorabat. Apollonius deniq; Tyaneus magi- *Philoſtr.l.1. de*
ca diſciplina famoſus, & rerum admirabilium effector, cū ſibi *vita Apollon.* *cap.11.*
Pythagorico exemplo quinquennale ſilentium pertinaciter
impoſuiſſet: toto illo tempore, iam grandis natu, iam pręſti-
giis, tum apud uulgus, tum apud Principes notiſsimus, glo-
riolam illam ſuam admirabilitate memorię cumulaturus, Me-
moriam aſſidua, & pęne quotidiana exercitatione perpolie-
bat: eoq; ſtudio conſecutus eſt, ut Simonidem illum omniū
litteris celebratum Memorię Magiſtrum ſuperaſſe credere-
tur. Vos ętate florentes adhuc, qua ętate facillime tenera in-
genia meditatio fingit in mirabiles formas: uos, quibus non
quinquennium modo, ſed ſexennium & amplius, in ingenii
cultū à parentibus datur: uos, qui non tendiculis illis, quibus
aſtutus ueterator fallaciſsime gloriā popularē aucupabatur,

in-

inſtructi eſtis: vos inquam, quos minime conueniret, tam eſ-
tis incauti, ſegnes, improuidi, vt quam propemodum tenetis
manibus laudem, ſi memoriæ ſtudeatis exercendæ diligẽter,
per negligentiam, incuriam, imprudentiam vobis elabi pa-
tiamini? Non in vna virtute Memoriæ tota laus eſt. Vt natu- 24
ralis bona, tametſi neglecta, & inexercitata cõpluribus viret
ornamentis: ita & exercita multis gemmis efflореſcit ad lau-
dẽ. Alijs alij laudibus, & poſſunt, & ſoleãt excellere. Sunt qui
memoria rerũ, vt audiſtis; ſunt qui verborũ; ſunt qui polleant
vtrorumq;: facilitas hos addiſcẽdi; pertinacia illos vt ita dicã,
retinendi; nonnullos celeritas audita lectaq; reddendi fecit il-
luſtres. Stat cuiq; veſtrũ à Memoria ſuus honos, ſua laus, ſuũ
decus, modo in eã incumbatis curã, vt vel in vna virtute, vel
in pluribus, veſtris æqualibus antecellatis, nec naturalibus in-
genii bonis, nec vulgari mediocritate contenti. Quamobrẽ,
Adoleſcentes egregij, tot tantorumq; virorũ auctoritate, di-
ctis, exẽplis admoniti perſuaſi, fracti ad memoriæ vel integrã
gloriã, vel gloriæ partẽ adipiſcendãl aliquando tandẽ exarde-
ſcite. Quã vt conſequamini, excitate iacentẽ, dormitantem,
languentemq; memoriã veſtrã naturalẽ, qua vigetis his voci-
bus, atq; rationibus, quas audiſtis: Laceſſite clarorũ virorũ, &
ciuiũ præſertim ueſtrorũ exẽplis experrectã: euocate latentẽ
per exercitationes varias in uſum, lucemq; hominũ: arripite
omnẽ illius exercendæ occaſionẽ: adiungite meditationem
arti, præcepta cõſuetudini; præſtigias longè, quàm illas Apol-
lonii ad excitandã ſodaliũ cuiuſq; admirationem aptiores,
atq; certiores. Nolite bonitati Naturæ; nolite uobis ipſis; no-
lite parentibus ac magiſtris, qui hoc à uobis requirunt, & fla-
gitant, deeſſe. Cogitate deniq; etiam atq; etiã, poſſe aliquan-
do uenire tempus, niſi prouideatis, cum uos, vel in Iuris ſciẽ-
tiæ ſtudio; uel in Medicinæ doctrina; uel in philoſophiæ co-
gnitione; uel in cauſſis amicorum agendis, uel in conſultan-
do de Rep. negligenter exercuiſſe Memoriam, aut artificio
non auxiſſe pæniteat.

FINIS.

BIBLIOTECA N42 ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in his Orationibus continentur.

Prior numerus orationem, quæ in particulas diſſecta eſt, poſteriores, particulas ſignificant. Inter multos numeros is dicitur prior, qui ſequitur punctum hoc.

A

ACclamat. concionis 3, 6. 4, 7. 15, 15.

Actio primas hab. in or. 2, 15 8, 9 2, 36. *vtilitas* 8, 10.

Adoleſc. ad diſcend. apta 16, 23. *pro cliuis ad malum, ſimilis fluuio. cera, teſta, lana, planta* 14, 17. & *ſeq.* 14, 23.

Aegypt. hieroglyph. 6, 3. 22, 32.

Aeſchin dictum de Demoſth. 8, 11. 18, 10.

Aeſchin. pauperis dictum 12, 6.

Alex. Magni eloq. 5, 24, 30. *virtutes alia* 19, 35. *vigilantia* 20, 28.

Alex. Farnes. Card. laud. 21, 1 & *ſeq.* 23, 2. *ædif. templ. Soc. Ieſu* 21, 6. 23, 4.

Alex. Farn. Dux *laud.* 1, 47. 21, 8. 23, 1.

Alex. Seu. Imp. laud. 1, 44. *ſtud. Ciceronis* 16, 12.

Ambix quid 4, 23.

Amoris nomen apud poetas, 20, 13. *ſtatua in gymnaſiis* 20, 27.

Amicitia cõſeru. & redintegr. eloq. 5, 10 & *ſeq.*

Amphion eloq. 5, 6.

Amphitheatrum à quo ædif. quot caperet 1, 30.

Amphitheatrum ligneum Curion. 22, 36.

Anaxagoras mens dictus 19, 13, 32. 22, 32. *prædictiones* 10, 20.

Andreas Lipoman. Laud. 14, 42.

Animus in corp. vt in palatio 1, 7. 10, 10. *pars eius dupl.* 3, 17. 14, 4. *vide Homo, Mens.*

Antiphon artifex conſolationis, 3, 22.

Antiſthenis ſcitum 19, 12.

Apelles princeps pictor. 16, 6. *illinebat atram. picturas* 1, 2. 22, 34. *exponebat tabulas* 2, 36. *pingebat* 4. *coloribus* 22, 33. *non abſoluit venerem Coam* 22, 35. *eius gratia* 15, 14. *modeſtia* 16, 2. *cautio* 22, 8. *diligentia* 7, 23. 13, 13. 19, 9. *iudic. de Protogene* 7, 23. *dicterium* 7, 4.

Apis mellificat in ore puerorum 2, 26. 22, 28. *induſtria & opera* 2, 2, 26. 7, 8. & *ſeq* 22, 27 & *ſeq.*

Apollonius obſtupeſcit Ciceronem 18, 15.

Appius cæcus eloq. 5, 16.

Archimedes laud. 3, 27. 4, 17. 7, 22. 13, 13. *eius ſphera* 14, 6. 20, 18. 25, 8. *vide Speculum.*

Areopagitæ inuigilabant educationi 14, 27. *ſeueri in pueros* 14, 35. *vetabant moueri affectus* 3, 1, 17, 18. 8, 9.

Digitized by Google

Ariſtoteles laud. 1, 44. 7, 5. 10, 32. 22, 24. *à Platone* 18, 8. 19, 32. & *ſeq. à philoſophis & patrib.* 19, 31. & *ſeq. oris vitia* 2, 34. *flumen aureū* 4, 26. 10, 22. 19, 21. *æmul. Iſocr.* 10, 26. *Xenocr.* 5, 32. *bene ſcripſit de educat.* 14, 24, 28. *dicta* 10, 14. 14, 2. *duo genera librorū* 19, 6. *obſcurior in acroam.* & *cur* 19, 6, 37. 20, 28. *Colit Platonem* 19, 13. *veritatem anteponit omnibus* 19, 13, 32. *verba expendenda & quomodo* 19, 21 & *ſeq quale templum excitandum illi* 19, 14. *non caruit erroribus* 19, 31. *ingenium* 19, 31. *dictus mens* 19, 32, 33. *doctrina* 19, 33 & *ſeq. diſcipuli* 19, 35. *honores poſt mortē* 19, 36. *ſtatua* 19, 36. *agnouit Deum auctorem rerum* 20, 18. *vigilantia* 20, 28. *eget freno* 20, 28.

Ars perficit nat. 1, 43 & *ſeq.* 10, 5. *imitatur nat.* 2, 2. 15, 3. *mira facit in plantis* 14, 23. *conatur imitari ſermonem humanum* 2, 33. *ſignificatur per manum* 1, 44. *vide rhetor.*

Aſclepiades medic. eloq. 4, 6.

Artaxerſes gratus 12, 7.

Atheas oſor muſica 13, 5. 16, 12.

Auditor quis bonus 19, 3 & *ſequen. ſimilis aſino* 19, 5. *amet magiſtrum* 19, 27. *credat* 19, 9. *obediens* 19, 8. *nec audax nec timidus* 19, 22. & *ſeq.*

Auguſtus eloq. 1, 48. 9, 15. *laudat auiam* 5, 19. *phonaſco dat operā* 2, 38. *declamat* 9, 15. *laudat Ciceronem* 16, 17. *erudit nepotes* 13, 19 14, 29. *eius ſigillum* 22, 9. *dicta* 2, 17. 10, 21. 12, 7. 25, 18.

Aues fari docentur 1, 33. *æneæ cantant* 22, 21.

Auris vnde nomen 1, 28. *ſenſus diſciplinæ* 19, 4. *Cur prope memoriam* 19, 17. *illi conſecrata* 19, 4. *Cur duæ* 19, 4. *Cur immobiles* 19, 5. *Sympathiam habent cum voce & ſerm.* 1, 28. *ſimiles portui & labyr.* 1, 36. *quid oculus in aure* 19, 16.

B

BErnardinus Sen. eloq. 3, 16. *calcat lacum Mantuan.* 24, 4.

Beſſarion. Card. bibliotheca 10, 19. 12, 4.

Bombycis natura & induſtria 7, 18. 22, 29 & *ſeq. Symb. reſurrect.* 22, 29, *vide ſumma, Thomas.*

Bonum triplex 20, 14.

Brixia laud. 5, 9. 10, 28. 13, 11.

C

CAeci docti numerantur 19, 16 & *ſeq.*

C. Cæſar eloq. 1, 48. 5, 19. 25. 17, 9. *cupidus gloriæ* 4, 33. *ſtylo nobilis* 6, 22. *laudat Ciceronem* 4, 31. 15, 8, 15. 17, 8. *ſedat exercitum* 3, 24. 5, 29. *permouetur à Cicer.* 4, 11. 17, 9. *poſtponitur Ciceroni* 17, 8 & *ſeq. memoria* 25, 14. *imponit pontem Rheno* 22. 23.

Caſtius Cicer. æmulus vapulat 17, 6. *laudat Ciceronem* 18, 14.

C. Caligula eloq. 1, 48. *reprehendit Senecæ ſtylum* 16, 11.

Caluus orator accuſat adoleſceus 18, 7. *æmulus Cicer.* 16, 10. *vitia compoſitionis* 7, 2. *actionis* 16.

16,10. componitur cum Cicer. 17,7.
Canes Lycurgi 14,20. regis Albaniæ 17,6. Vlyſsis 25,2.
Carneades eloq. 3,15. 4,5 legatio 4,10 doctrina 10,32. mem. 25,20.
Catena. vide Mercur. Hercul. Nazianz.
Cato ſenior erudit filium 13,19. 14,29. virtus 18,30.
Cato Vticens. vincit deliberat. 5,16.
Ceræ ſimilis memoria, oratio, adoleſcentia vide hæc.
Chriſtus eloq. 5,22.
Chriſtoph. Columbus inuentor terrarum &c. 5.4. 25,4 philoſophiæ peritus & aſtrol. 20,25.
Chryſoſtomus eloquens 3,25. 4,22. metuit in dicendo 9,6. unde cognomen 4,30. 5,23.
Cicero prouid. Dei genitus 15,25 & ſeq. laudabilis in quo reprehẽditur 16,14 & ſeq. ſoli ſimilis 17,2 anteponitur Latinis 17,3 & ſeq. valet perſuaſione 17,16. laud. à M. Seneca 18,14. animoſus in dicendo 18,17. in morte fortis 18,24 anteponitur Senecæ & Tacito 17,17 & ſeq interpretatur è Græco 1,11. 7,11. 18,9. rex fori 4,13. 6,6. rex eloquentiæ 15,22 & ſeq. dictus eloquentia 4,30. 6,6. 17,14 & ſeq peritus iuris ciu. 18,9. gradarius in actione 15,18 expreſsit veterum virtutes 15,20. 16,7. inſtructus arte rhet. 15,16. deſcripſit ideam eloq. 15,17. multa ſcripſit 18,9 Pericle maior 15,15. ſtudioſus ſtyli 6,7. declamat ſæpe, etiam Græce & ſcribit multũ 7,23. 9,15. 15,19,18,15. ciet lacrymas 3,28. 18,18. docet priuatim 5,32, 15,19. eius gratia 15,14. ioci 15,9. 18,18. mem. 15,9. copia 15,13. 18,19 & ſequen. doctrina 10,34. 15,11 & ſeq. 18,8. ingenium 7,15. 15,7. & ſequen. ingenij partus eloquentia 15.10. quattuor virtutes in eo 15,7 & ſequen. triumphus 4,31. 18,22 & ſequen. ſtatua 4,30. 18,28,29. diligentia in pronunc. 2,38. 18,11. egregia facta 4,5. compoſitio 16,16 reprehenſores poſt mortem 16,9. mors deploratur 18,25 & ſequen. laus 5,33. 15,11. & ſequen. eulogia 15,21 & ſequen. 17,3. reſeruantur illi poſtremæ partes 3,34. multa obijcit Ciceromaſtix 16,8. affuit magnitudo cauſſarũ 18,21. extruitur illi cenotaphiũ 18,28. quid aqua calida poſt mortem ſcatur. 18,27. componitur cũ Dem. 18,1. & ſeq. vide Thomas.
Cleanthes auditor patiens 19,5. eius lucerna 7,15.
Cleopatræ ſuauitas in loquen. 2,20. multit. linguarum 2,29.
Cœnis Syracus. & Sybarit. quid ſimile 20,2.
Columba nuncia, ſignif. orationem, gerula litterarum. 1,18. 19. 20,23.
Cometæ ſimilis eloquens 4,2.
Conſcientia deſcribitur fuſe 22,14.
Conſuetudo altera natura 9,9. 13,13,15.
Contraria collata magis apparent 1,2.
Copia laudab. in adoleſcente 6,12. 16,13. eloquentiam ſonat 18,20.
Corſi adoleſc. mira memoria 25,16.
Cygnus Platonis quid ſignif. 3,11.
Cynea orator eloq 4,21. 5,16,18,26. mem. 25,14.

D

Dameſceni cognomina 4, 30. 22 23.
Delphinis laus 11,4.12.3 *& ſeq. vide Titus.*
Democriti factum 20, 20. *cacitas* 19,25.
Demoſthenis laus 2,7,13.4.21.18, 2. *& ſeq diligentia* 2,37 *& ſeq.* 6,4 *& ſeq* 8,17 *& ſeq.* 13,13.18, 17. *vitia oris* 2, 34 8, 16. *orationis* 18, 10. *obmuteſcit coram Phil.* 8, 8. 18, 17. *reprehenditur* 16, 21. *gloria cupid.* 18, 13. *bello infelix* 18,22. *ſe necat* 18, 24. *vt adijcitur eloquentia* 4, 29. 8, 5. *comparatur cum Iſocr.* 3.32.6,4. 16,5. *concurſus* 3, 15. *torrens dicitur* 4,22.16,13. *honores* 4, 30. *ſtyli ſtudioſus* 6 4 *& ſeq. abſtinet à vino* 6, 5. *deſcribit Thucydidē* 7,10. *lucerna & calamus laudantur.* 7, 25. *accuſat tutores adoleſc.* 8,5. *adiutus ab Iſao* 18, 7. *cōponitur cum Cicer.* 18, 1. *& ſeq. poſtponitur* 18, 16 *& ſeq. valuit actione* 8, 11. *arte magis quàm ingenio* 18.17. *exercitatio multa* 9, 10. *doctrina* 10, 33. *oratio funebris eius in exequijs Cicer.* 18, 30.
Deus cur ... *dictus* 20, 12 *cur Deus* 22. 17. *cognoſcitur ex effectibus* 20, 18. *ſui cognitione beatus* 20, 12. *in paruis rebus mirabilis* 22, 31. *ex homine noſcitur* 22.11. *impreſsit rebus imaginem vt Phidias ſigillo.* 22,9. *eius proprium eſt eſſe* 22, 11. *intelligere ac ſapere* 20,7. *vide veſtigia, vmbra, philoſoph. imago, Ariſt.*
Didymus Alexandr. cacus 19, 17.
Diſciplina perpeſsiones 7, 24.
Diſsidium cordis & oris damnat. 10,12. *& ſeq.*
Doctrina neceſſaria oratori 10, 32. *vtiles militibus* 14, 12 *vide philoſophia, ſapientia.*
Domitianus hoſtis ſapientia 14,27. *ſpecul. lapide vſus* 1,23.
Druides Gall. Sap. fidebant potius memoria, quàm litteris 19, 16. 25,18. *vide Hercules.*

E

Cho quid &c. 2, 23.
Educatio liberum ſpectat ad parentes 15, 19. 14,28 *& ſeq. neceſſaria ciuitati* 14, 14 *& ſeq. continetur ſcientia parendi & imperandi* 14,2. *adumbratur forma* 14, 12. *requirit quattuor ornamenta* 14,3. *extra domum paternam* 14, 41.
Elephantis tard. in pariendo 7, 5. *Cæſar* 17,8.
Eloquentia quid ſit 3, 2. *naturalis non eſt ſatis* 1,43. *neceſſaria* 5. 2. *& ſeq. ciuitatibus* 5, 10 *& ſeq. armatis* 1,48.5,24 *& ſeq educationi* 14,10. *deliberationibus* 5, 15. *iudicijs* 5,17. *legationibus* 5, 18. *laudationibus* 5, 19. *concionibus* 5,21. *delectat vt ſonus* 3,10. *detinet,* 3,6, *& ſeq. trahit* 3, 12. *condit conuiuia* 5,12. *ſedat & concitat affectus* 3,12. *expugnat vrbes* 5,26. *parat victorias* 5,28 *& ſeq. ſedat ſeditiones* 5, 20. *expugnat partem ſuper. animi* 4, 3 *& ſeq. eſt regina* 4, 12. *ſimilis fulminis* 4,14 *& ſeq. bombarda* 4, 17. *flumi-*

Digitized by Google

minis 4,22 *& ſeq.* 18, 20.*fontis Doden.* 4, 25. *vide Eloquentes Oratio,ſermo,vox,facultas,orator.*
Eloquentes conſtit.Ciuitates 5,3 *& ſeq.conſolantur* 5,13.*reconciliāt diſſidentes* 5,14 *inflammant milites* 5, 33. *barbaros manſuefaciunt* 5.5.*eorum ſtatua & cognomina* 4,30. 15,23 *& ſeq.ſimiles excantatoribus* 4, 9. *praſtigiarum artificibus* 4, 9. *tyrannis* 4, 13.*vide eloq.*
Epicteti lychnus 7,25.*dictum* 14,8. 20, 14.
Epiſtolarum ſcriptio nobilitat 6, 21.
Euclidis Megarens. mirum 19, 26.
Exemplar neceſſ. imitationi 15,6. *vnum tantum perfectum* 16, 5.
Exercitatio neceſſaria in omnibus artibus 8,3 *& ſeq.eloquentia neceſſaria* 14,21. *duplex in eloq.* 8, 5.*& ſeq. corrigit actionem* 8, 16 *& ſeq. prodeſt ingenio* 9. 12. *memoria & copia* 9, 12. *ſit ſimilis operi* 9, 10. *confertur cum ſcriptione* 9,13,*vide Meditatio.*

F

Facultas dicendi nocet indoctis 10,16.*vide eloq.ſermo, Oratio.lingua,loquendi facul.*
Fauus ſimilis orationi 2, 25 *& ſeq. fictus in ore Pindari, Platonis,& Ambroſij* 2, 25.22,28. *vide oratio,ſermo,ſumma, memoria.*
Federicus Cornelius Epiſc. Patau. laud. 14, 40.
Feſtina lente 4, 15.7, 17.12, 4.
Fluuius,vide fons, eloq.natura.
Franciſcus Duodus laud. 5, 28.
Franciſci à Paula miraculum 24, 4
Fons & flumen vt fiunt 4, 23.
Fulminis natura & vis 4, 15 *& ſeq.vide eloq.ſtylus,ſumma.*
Fuluia crudelis in Ciceronem 18, 26.

G

Genuenſes doctrina clari, in epiſt.ad Ducem.
Gracchus mouet lacrymas 3,28.*adhibet ſibi fiſtulam* 8, 18.
Gladiatores 8, 3. 18, 1.
Gratia in dicendo quid 15, 14.
Grati animi facta 12, 6.*& ſeq.*
Gruum vigilantia 20, 28.

H

Hegeſia mira eloq. 4, 8.
Hercules eloq. praſes & eius aurea catena 1,28.3,13.5, 25
Hiarchas princ.Brachm.& eius dicta. 10, 27. 19, 28. 20, 16. 25,5.
Hieronymus laudatur & laudat Ciceronem 15,22. *Ariſtotelem* 19, 31.*vt Ciceronianus vapulat* 16, 18.*eius de Cicer.ac Demoſt. iud.* 18, 3.
Homo cur anthropos 20, 7.*Cur φῶς* 1,25.*microcoſmos* 10,4 22. 19. *ſimilis Deo* 10, 3. *Lucerna piſci* 1,27. *Silenis Alcibiadis* 22, 13 *eſt imago mundi* 10, 4. *factus in animam loquentem* 1,4.*armatus eloquentia* 4, 19.5, 17. *natus ad* So-

Societatem 5,10.20,21. mirabilium effector 10,25.22,21 & ſeq. ſui dominus 22,22. mortalis Deus dictus 10,25. miraculum &c. 22,16. timetur à beſtijs 22,17. habet cum Deo cognationem 22,3 & ſeq. cur poſtremo loco creatus 22,6 & ſeq.

Horol. rotatum mirum opus 20,18. 22,21.

Hortenſius laud. 4,5.7,4. valuit actione 8,10. mem. 6,10.25,14. ſtudioſus ſtyli 6,7. declamabat 9,15. componitur cum Cicer. 17,11. & ſeq. perierunt eius orationes 6,7.17,12. notantur eius vitia 6,2.17,11.

Horti deſcriptio 14,23.20,9.

Hyacinthus Sanctus laud. 24,1 & ſeq.

Hyacinthus flos maxime durat 24,8

I

IGnorantia duplex 19,11.

Imago Dei non eſt ſita in corpore 22,18. eſt in multis animi dotibus 22,18 & ſeq. potiſsim in lib. arb. 22,22. in ratione & oratione 10,3 & ſequen. differt à filio Dei 22,12. cognita philoſophis 22,2 & ſeq. Sibyllis 22,5. cur ficta in nobis 22,13. cur locata in mũdo 22,15 & ſeq. ſimilis picturæ 22,9. ſpeculo 22,10 & ſeq. vide hõ.

Imagines imperat. adorabãtur 22,15. violatores puniebãtur 22,38

Imitatio neceſſ. & vtilis eloquentiæ 15,3 & ſeq. illi neceſſariũ exemplar 15,6. imitando cauſſæ omnes agunt 15,2. doctrinæ parantur & artes 15,4. eloquentia 15,5. vtrum vnius tantum imitãdus 16,2. & ſeq. non vitia imitanda 16,21. imitatores ridiculi Salluſtij 16,22. ſimia ſimiles, 16,22. vide Ars, natura.

Ingenium quid ſit 25,4 quis habeat in numerato 2,17.25,18. ſæpè deſignat eloquentiam 6,11.10,18.15,10 ſimile ſtomacho 7,13. officinæ nummariæ 7,15. vaſi anguſti colli 13,13. agro inculto 13,13. in ingen. deponenda quæ leguntur potius, quàm in memor. 7,12.

Intermiſsio nimia ſtudijs nocet 13,14 & ſeq.

Interpretandi rõ 1,11.7,11.10,24.

Ioãnes Delphinus Epiſc. Brix. laud. 11,1 & ſeq. 12,1 & ſeq. cũ Origene confertur 12,1. quid nomẽ ſignif. 11,4. Symbolum aquila 12,4. tribus animalium regibus ſignific. 12,4.

Iris cæleſtis orationem ſignif. 1,13.4,28. flos item 1,14. pictam non abſoluit Ariſtides 1,13.

Iſocrates compar. cum Dem 3,32.6,4.16,5.18,5. tardus in ſcrib. 7,3,5. coti ſimilis 5,33. 6,6. ſtyli ſtud 6,6. timidus in dicendo 9,2.

Iucunda quæ ſint omnibus 20,4 & ſeq.

L

LAcones boni educat. 14,11,26,33,34.

Latro declamator memor 6,10.25,19. confuſus inſolentia loci 1,1.8,6.9,6 25,6.

Lectio ſuper menſam 5,12.

Legendi libri vtiliter quomodo 7,10 & ſeq. vide ſcriptio.

Lilia ſignif eloquentiam 1,44,47. Farneſiorum inſignia 1,47.

Lingua cur data 1,37. eius offic. 2,6. rõnis manus 6,2. inſtrum. orationis 2,6. & ſeq. 6,3. obſtetrix

mentis

mentis 2,7. ſimilis plectro 2,19, 20. typo monetali 2,17. lima 10, 8. gubernacula 5,20. Symb. eloquentiæ 6,5.18,28. clauis memoriæ 2,18. linguarũ multitudo lau. 2,29. qui floruerint 2,29.25,14.
Latina & Græca fontes ſap. 1,42. uide oratio, ſermo, eloquens, mens.
Litteræ proſunt memoriæ 29,18.
Liuius laud. 4,22. laudat Cicer. 17, 15. trahit ad ſe 2,33.15,32. eius dictũ 17,51. ſtatua 4,31. patauinitas notatur in eo ab Aſinio 2,35.17,10.
Logica ſpinoſa 20,1. quando diſcenda 23,32.
Loquendi facultatis officia 1,33. imperfecta eſt 1,39. arte politur 1, 41. à cerebro accipit neruos 1, 12. uide facultas dicendi, oratio, ſermo, lingua.
Lucerna Cleanth. Ariſtoph. Deth. 7,25.
Luſcinia ſolertia 8,22.
Luſitanorum regum merita 23,6.
Lycurgi factum 14,20.
Lyſippus ſtatuar. 6,13.

M

MAgiſtri nobilitas incitat ad diſcend. 19,18.22,37. iidẽ ſciẽdi & loquendi 10,26. vitioſi affigunt vitia 14,33.
Magnes eloq. Symbolũ 3,6 & ſeq.
Manus data in lingua ſubſid. 6,2 & ſeq. dilatata ſymb. eloq. 6,2. 18,20.
M. Ant. or. 2,38. deploratus 3,28 & ſeq 4,20 ſuam opinionem retractare fingitur 17,4.
M. Ant. nepos triumuir eloq. 3,26. crudelis in Cic. 18,27. dec. 9,5.
Meditatio ſeu exercitatio eſt totum 8,1. medit. mortis, philoſophia 20,15.
Melli ſimilis ſermo 2,30. vide ſermo, Oratio.
Memoria deſcribitur 2,18.25,5. ad imã aurem locata 1,36.2,18. Cur 19,17. nõ exinanitur 15,35. 25,12. laud. ab Aug. 25,13. pars ingenij 25,4. neceſſaria diſciplinis omnibus 25,5 & ſeq. quorũ ſ lia 25,5. vindicatur ab omnibus diſciplinis 25,6 & ſeq. eſt in beſtiis 25,2. præſtantior in hom. 25, 3. laudatur 25,3 & ſeq. iuuatur exercitatione 9,12.25,25. arte 25,20 & ſeq. ſimilis ceræ ac fauo 23,26.25,11. fideliæ 6,15. cellæ penariæ 7,13. ærario 7,14. larario Seneri 25,12. ſoli, cellæ, ſphæræ, oceano, ſpeculorũ theatro, mẽti diuinæ 25,7 & ſeq. vincitur eloq. 13,3. minuitur gemma quadã 19, 12. nocent illi litteræ 6,10.25,18. ſuccurrit ſtylus 6,10. memoria nobiles 6,10. 19,18.25,3,14 & ſeq. vide ſtylus, auris, ingenium.
Mens regina in regia, quæ deſcrib. 10,10 ſimilis & diſſimilis Angelorum 1,3. ſimilis tabulæ pictoris 1,26. ſoli 1,27.10,4. libro, ceræ et tab. pict. 19.11 & ſeq. claudo 10, 9. cõiũcta nat. cũ lingua 10,7. iungenda cultu 10,2 & ſeq. mens & lingua duo pedes orationis 6,20. vide animus, homo, lingua, ratio.
Mercurius vir ingenios. & eloq. 2. 20. præſes eloq. 1,10. 3,11. 10,27. interpres 10,12. cũ ſigno palladis iungitur 10,27. eius catena 3,9. lyra 3,11.15,6. virga aurea 3,13. 14,5. caduc. 25. vide eloq. ſermor.
Moly herba ſymb. eloq. 3,20.
Muſicæ amatur naturali. 13,5. vtilis quæ ſedat aff. 13,9 & ſeq. laſciua fugien. 13,6. noxia 13,7. damnata à philoſophis 13,8. eiecta è ciuitatibus 14,32 & ſeq.

Na-

N

Natura mag. artis 2, 2. imitatrix Dei 15, 3. corrupta in nobis, fluuio ſimilis 13; 23. vide ars, facultas, eloq.
Nazianz. Gregorius laudatur & laudat 5, 19. eius doctr. 12, 35. ſententia de ignor. 19, 12. catena magnetis 3, 6. 4, 16.
Nepenthes Homer. eloquentia 3, 21
Ne quid nimis 7, 3.
Nero imper. declam & præmia dabat 9, 16. laudat Claudium 5, 19. laminam plumb. pectori imponebat vocis cauſſa 2, 38. defecit cũ eloquentia 1, 48.
Nicias pictor dilig. 7, 22.
Nicoſtrati pictoris admiratio 16, 20. 22; 35.
Nomina noua reb. nouis imponenda 29, 19.
Noſce te ipſum 20, 16. 22, 11. 21, 8.
Nouitas rerum, locorum &c. in dicendo turbat 9, 6.

O

Ocellus bene ſcripſit de educ. 14, 25.
Octauius Farnes. dux laud. 1, 28, 47. 21, 4.
Odoardus Farneſ. Card. Laud. 23, 1 & ſeq.
Oratio ſolius hominis 1, 5. diſtinguit à belluis 1, 5. præponit 1, 41. vnde dicta 10, 7. exprimit etiam conceptus 1, 5. Sympathiam habet cum auribus 1, 28. tota in omniũ auribus 1, 30. commoda eius 1, 6. mentis interpres, nuncia, imago 1, 8 & ſeq. 10, 11 & ſeq. operis vmbra 14, 32. ſeruus atriens. ſatelles reg. 1, 12. imago mentis etc. 11, 20. vultus animi 1, 21. ſpeculum animi 1, 22, 23, 31. æmula lucis 1, 30, tua requirit ad ſui effectionem 2, 2. & ſeq. facit vndas in aere 1, 32 eius officina 2, 3 & ſeq. concipitur per aures 2, 7 & ſeq. partus eloq. 10, 17. qualis partus 2, 10 & ſeq. æmulatur tibia cantum 2, 23. ſonum organorum 2, 24 ſimilis irid: cal. floris, gemmæ, cælo, prato, picta tab. tela verſicol. 1, 13 & ſeq. columba, pauoni, phoenici, pauimento teſſel. 1, 18, 19 fluminis 10, 18, 22 lunæ 1, 27. 4, 4. 10, 4. nauiculæ onerariæ 1, 29, 33 & ſeq. 25, 8. cera & fano 2, 25. 7. 19. doloris medicina 13, 20. conantur eam aues imitari &c. 2, 31. vide Iris, eloq. lingua, os, ratio.
Orationes magnæ optimæ. præf. ad adoleſc. 2, 10. 15, 30.
Oratores adoleſcentes 18, 7. oratorum mult. virtutes 16, 3.
Origenes 12, 1 & ſeq.
Orpheus 3, 11, 14. 19. 5, 6.
Os exemplar muſic. inſtrumentorũ 2, 19 & ſeq. officina orationis 2, 3 et ſeq officina nummaria 2, 16. vide oratio, lingua.

P

Parrhaſius pictor laud 6, 15.
Patauinus & eius gymnaſ. laud. 14, 42.
Pauſonis pictoris factum 18, 6.
Peccata leuia non notant imperiti artium 8, 13.
Pericles aſtrolog. peritus 20 24. dictus Olympius 4, 30. 15, 15. eius ingen. eloq. perſuaſio 3, 4. 4, 7, 13, 14, 28. 6, 6. 10, 33.
Petrus Eremita eloq. 2, 12.

Petri ſancti templum 24, 7. *eius & Pauli eloq.* 5, 22.
Petri Io. Perpiniani eloq. praef. ad adoleſc. 17, 21.
Phiaiae factum 22, 9.
Philippus rex Maced eloq. 1, 48. 5, 24. *iud de Dem.* 3, 32. 6, 4. *dictū de ui pecun.* 4, 21. 5, 26.
Philoſophi nobiles cognominibus 17, 13. 22, 32. *duces copiarum* 20, 26. *rectores & legislatores ciuit.* 20, 22. *vide Philoſophia.*
Philoſophia eſt cogn. cauſſarum 19, 2. *animo mandanda non chartis* 19, 15. *cur medit. mortis* 20, 15. *eius duae ad animum viae* 19, 2. *quadam obſunt illi* 19, 10. *nocent ſectae* 19, 13. *prodeſt veritatis amor* 19, 13.
Philoſophia naturalis iucunda 20, 3 & *ſeq. vincit alias iucundit.* 20, 10 & *ſeq. auocat à voluptat.* 20, 14 & *ſeq. vtilis* 20, 14 & *ſeq. theologiae & alijs doctr.* 20, 19. *rei familiari* 20, 20. *ciuitatibus* 20, 21. *militiae* 20 23. *eius ignoratio nocuit* 20, 25. *inducit nos in noſtri cognit.* 20, 16. *demonſtrat Deum effectorem* 20, 17. *vide doctrina, ingenium.*
Phœnicis natura 22, 31. *Symb. reſurrect.* 22, 31. *eadem vox ſignificat palmam* 22, 32. *vide oratio, ſumma, Thomas,*
Phormio peripat. ab Annib. irriſus 5. 31.
Pictorum mira 8, 3. 22, 21. *uirtutes* 16, 3.
Pitho quid ſit 3, 4. 4, 7. 10, 13. 15, 15.
Plato eloq. 10, 32 *bonus educ.* 14, 24, 41. *iudicium de Pericle* 10, 33. *u de Ariſt.*
Plinij ſecundi dilig. 8, 15. *metum vtilem cenſet* 9, 5.
Plotini verecundia 12, 1. *dictum de Ammonio* 17, 14. 19, 28.
Plotius Gallus laud. 9, 14.
Polemonis luxur. adoleſc. conuerſio 3, 23. *mirum de eius imagine* 3, 23. 22, 13.
Pollio Aſinius orator 7, 3. *dictum eius* 16, 21. *inimicus Ciceronis* 16, 10, 11 *laudat Ciceronem* 17, 7 *componitur cum Cicer* 17, 10. *eius filius adu. Cic. ſcripſit & refut. a Claudio Imper* 16, 11.
Polycleti ſapienter factum 15, 28.
Pomp magnus eloq 1, 48. 5, 25, 30. *declamat* 9, 15 *verecundus in dicendo* 9. 7.
Popilius ingratiſsimus in Cic. 18, 25
Porcius, vide Latro.
Praemia excitant ingen. 13, 18
Protog. pict. 7, 3.
Probareſius rhetor dictus rex eloq 4. 12, 30 *eius ſtatua* 15, 22.
Prudentia pars educat. 14, 7 *quid* 12, 4. *quibus alitur* 14, 7.
Pudor turbat in dicendo 9, 7. *tollitur exercit* 9, 8 *ornat adoleſcentem* 9, 7. *nocet philoſ audit.* 19, 22 & *ſeq. nocuit Iſocrati & Q. Ciceroni* 9, 7.
Pueri verberandi parum 13, 18. *educandi a bene loquentib* 1, 40. *tenaces primae diſciplinae* 19, 11. *cur fabulis delectentur* 20, 6. *damnati ab Areopag.* 14, 35. *eorum ſpes laud.* 23, 3. *ijs imponenda pulchra nomina* 14, 24. *docendi ſunt ea, quae viri praſtare debent* 14, 34. *vide educ. adoleſc.*
Pythagoras Etruſcus 19. 4. *bene educabat* 14, 24. *exercebat memoriam* 25, 23. *cœnobium inſtituit* 11, 13. 14, 24 *eius auctoritas* 19, 9. *muſica* 13, 5. *mirum* 13, 10 *ſilētiū* 19, 4. 14. 24. *ſano modo intelligitur* 19, 9 *ſolertia* 20, 18. 22 8
Pythagoraei memoriae potius fidebant, quàm ſcriptis 19, 16.

Digitized by Google

Q

QVinctilianus optat nutrices beneloq. 14.3 1. 15,4. de Ariſt. iudic. 10,32. 19,31. de Cicer. iud. 15,8,26.18, 12, 19.

R

RAnutius Farneſ. princeps laud. 1,46
Ratio fons orationis 10, 14. & ſeq. cum ea coniuncta 10.6 & ſeq dat mediocr. virtutib. 14, 8. concordare debet cum moribus 14,8. dicitur ſol, cor, caput 10, 14 & ſeq. vide mens, animus, oratio.
Remiſsio ſtudiorum neceſſaria 13, 16.
Rhetorica Chriſtianis vtilis 5, 23. eadem in omni lingua 1, 42. per hanc alius alio melius loquitur 1,43. vide ars, eloq. nat. facult.
Roſcius actor laud. 8,21.

S

SAncti qui calcant aquas 24.4
Sapientia ſoror & mater eloq. 10,13. educationis pars 14, 6. ſapientis argum. eſt poſſe docere 10,23. vide doctr.
Sciendi cupiditas naturalis 19,24. philoſophos peregrinari coegit 19,25. contemnit labores, iniurias, verbera 19, 26. vide doctr. philoſoph.
Scipio Afric. min. eloq. 1.48. 5, 23.
Scriptioni præmittenda lectio 7, 7. ſed multum legendum non multa 7, 9 & ſeq vtilis intermiſsio ſcribendi 7, 21. prodeſt ſcriptioni interpr. e Græco 7, 11. damnatur quæ centoni ſimilis 7, 19. vide lectio, ſtylus, ſcriptor.
Scriptor ſit ſimilis bombyci 7, 18 vide ſcriptio.
Scriptura laus 4,29. manus inſtrumentum 6,3. quatenus in audiendo adhibenda 19, 18.
Seneca philoſ. æmulus Cicer. 16,11. ſtyli vitia 17, 20.
Senſus mentis ſatellites, atrienſes &c. 10, 10. aucupes, venatores 4, 24. vide auris, mens.
Sermo mentis frater 1. 9. interpres 14, 5. index Socrati, Diogeni & Solomoni 1,24. laudator Dei 1, 38. experitus à feris &c. 2. 31, 32. eius offic. 14, 5. eſt quoddam oraculum 10,25. vide oratio, lingua, mens, eloq.
Siculi eloquentes 15,30.
Sidonij iudic. de Demoſth. & Cicer. 18, 3, 11.
Sirenes eloq. ſymb. 3, 11.
Societ. Ieſu inſtit. in educat. iuuent. 14,39 & ſeq.
Socrates trahebat ut Siren 19, 14. 28,37. docebat interrogando 19, 37 ſimilis obſtetrici 2,14. 19,37.
Sodales vitioſi fugiendi 10.30.13, 4.
Speculum cur inſtitutum 1.23. vtile perturbatis 8, 14 moniton 8, 22. & ſeq optime refert ſpeculantem ſe 22.10 & ſeq. vtile declamanti 8, 13. vſus eo Demoſthenes 8, 17. incendium creant Archimedis artificio & Procli 3, 27. 14, 12.20, 23. vide oratio, mem. Imago.
Speculari lapide vſus Domitianus 1,23.
Stylus vnde dictus 6, 1. laud. 6,3 & ſeq. vtilis 6, 7 & ſeq. regnat in epiſt. hiſtor. &c. 6, 21 & ſeq. ſimilis falci, ſcalpello, lima 6, 12 &

& ſeq.calamiſtro, penicillo, acui 6,14 & ſeq eſt cos 6, 17. lingua viua 6 18 circinus 6,19. in eo vitanda celeritas & moroſitas 7, 2 & ſeq. nec fulmen nec terminus 7, 17, tingatur libentius in ingenij vaſculo, quàm memoria 7,18. vide ſcriptio, oratio, exercitatio.
Suauitas eloquentia virtus 3, 5 & ſeq.
Summa S. Th. præſtantiſs. omnium 22,23. ſimilis mugitus bouis 22, 26. fulmini & Echo 22, 26. fauo 22,28, nido bombycis 22,30 buſto phœnicis 22, 31. pictura Timanthis 22, 33. amphitheatro Curionis 22.36. cœlo 22, 37. arbori indica 22, 30. vide Thomas.
Sulpitij Galli aſtrol. 20,24
Suſtine & abſtine 14, 8. 22,14.
Symbola clarorum virorum 18,28.

T

Tacitus hiſtor. expenditur 17, 19.
Tertullian. laudat Ciceronem & Dem. 15,23. 18, 3.
Thaletis factum 20, 20.
Themiſtoclis eloq. 1,48. 5,24 mem. 6, 10. auxit facult. declamando 9.13.25,14. eius dictum 2, 1.4, 28.4.33.
Theodoſij ſenior. factum, 13 21.14, 29.
Theophraſtus vnde dictus 4, 30.8, 8.10,32. 15, 24. conticuit in Areopago 8,8.9,5. cognitus hoſpes è pronunc. 2,35.18, 15. iudicium eius de Dem. 6,6.9,13.18,16.
Thomas Aquin. cur bos mutus 22, 23 & ſeq. titione fugat ſcortum 22, 25. Ciceronem magnificat 15,12 dici poteſt phœnix 22, 22. eius obed. 22, 26. ſimilis api 22, 27. bombyci 22, 29. phœnici 22, 31. Timanthi 22,33. C. Curioni 22,36. vide ſumma.
Thomas Caiet. laud. 22, 35.
Timanthes pictor 22,33.
Timon oſor homin. 5, 11.
Timor obeſt oratori 9,2 & ſeq. monet oratores bonos & cur 9,5.
Timothei tibicinis conſuetudo 19, 11.
Timothei ducis eloq. 4,21. 5, 26.
Titus imper. ded cat amphit. 1, 30. delphinum implicat anchoræ 7, 17. orbis amor dicitur, & dictu 7, 23.
Triumphi deſcriptio 4, 32. 18, 23. triumphantis monitio 4, 1.

V

Venetiæ laudantur 7, 14.14.42.
Verba alata 1, 10. ſimilia nummis 2, 15. vt cuduntur 2, 17. vide os, oratio, lingua, vox.
Veris deſcriptio 6, 1.
Veritas opt magiſtra 19. 28. anteponenda magiſtris 19, 13. non contraria vero 19, 29. an vna tantum 19, 29, vide Ariſt. philoſoph.
Verrina orationes laud. 15,29 & ſeq
Veſtigia Dei res creatæ 22, 8. 20. 18 vide Pythagoras.
Veſpaſianus laud. 1,44.9.16.
Victoria naual. Chriſtian. 5, 28. 1, 47. victoria ſui max 23, 10.
Vincentius Ferrerius eloq. 3 16.
Virgilius vrſam imitatur 6, 18.
Virtus ad educ. præcipua 14, 8 & ſeq. militibus neceſſaria 14, 13. non à natura eſt 14, 21. in mediocritate poſita 18, 19. eius radix

Digitized by Google

aix amara 14,39.
Vita humana diuiſa in otium & negotium 5,7 *& ſeq.*
Vlyſſis oratio copioſa 4,27.
Vmbra Dei res creata 22,7.
Vrſa partum format lambendo 6, 18. *eam Virgil. & Petrarcha imitati ſunt* 6,18.
Vox luci ſimilis 1, 26. *mira de eius præſtantia & fabricat.* 2, 21 *& ſeq. currentes equos incitat* 5,33. *viua vox magis afficit* 8,9. *articulata Latine dicitur* 2,21. *propria cuique vt vultus* 2, 21. *vide oratio, lingua, os, ratio, eloq.*

X

Xenocratis eloq. 3, 23. *æmulus Ariſt.* 5,32. *tardior Ariſtotele* 20,28.
Xenophon laud. 10. 32.

Z

Zeno inuentor nominum 19, 20. *gaudet in naufr. amore ſap.* 19,26. *eius dictum* 10,36, *iudic. de eloq.* 6,2. 18,20.
Zeuxis pictor tarde pingit 7,4. *mirabilis in Helena* 15, 16. 16, 2. *eius hippocentaurus* 20, 2. *vide Nicoſtratus.*

Operarum errata cum emendationibus. Prior num. pagellam, poſterior lineam ſignificat.

DELE p.43,13.oratio.171.15 ſuadeo.329,2.tam.757,20.T.

MVTA 35,3.eſſe,eſſe.43,11. Cn. Pompeij.Oratio Cn. Pompeij.46,7. tos,tot.52.25 minor,idem.107,13.qui,quod.163,16.idem.quin idem. 163,17.potuiſſe,potuerit.207,23 lætificet. exhilaret. 234,10.dubitet? neget? 241,7 iniecistis,iniecerunt.260,10.Deſideratis &c.Deſideratis ne illam pyxidem nauticam.271,15.fore.quin idem.271,30 referatis. relaturi. 297,13 ex hoc cap. &c. quin ex hoc capite tanto ſit vtilior vſus declamitandi &c.317,19 tum.eum.527,13 ſubſtiteratque &c. ſecedensque in vaſtam Syriæ ſolitudinem in ſua locupletiſsima ſe reconderat bibliotheca &c.576,23 ſtum.dum.627,5.ſe, re.

CORRIGE in ſeq.modum 2,20.antehac.3,10.vſitatorum. 12,25 rorantibus.15,10 Quæ res.29,21 ergo 39,19.gloria.64,13 illepidus.80,34 ſuopte.85,32.animi. 102,23. εἰπὶν 122,26 memoriam.129,6. odiſſe. 133,5.obliuiſcerere.134,20 Roma.210,8.vicaria.229.7. eodemq; 245, 23 celeritate.270.25 alterum 277,32. nautarum. 293,29. conſecutus. 305,26,videte. 312,22. Et cur.321,14 recondito. 350,25.comprobata. 372,30 celeusmate. 373,28 teſtantur.400.6.benedicēdi.405,15 didicerant.31 commemorare.435.4 multiplicem.456,34 nobis.464,34 optimis.476,31 χάριν 481,17 ἀναλύσεως 488,18. gratia.536,29, Ciuitatis.31 laudatore.539,6 gratia. 573,3 exundans. 605,27. ſpectrum, 627.6. diſcentis.655,17 in qua.693,6 montis.698,19. defatigationis. 703,31 maternū.724,32 ſimilem.756,14 vniuerſitate.757,34 ſacerdotem.761.vlt. ceruicem.824,8 ſolent.

In margine anguſtiore pag.35 ad lin.30 adde numerum 40.pag.59 tolle n.61 & lege 19.pag.192.ad lin.32 adde n.26.pag. 230 in fine, adde n. 16,pag.325 dele n.4 & ſcribe.5.pag. 432 tolle 15 & pone 17.

In margine latiore pag. 18 corrige Iul. front. l. 3. de ſtratag. c.13.p.60 Hexam.lege Hexæm. p.80 Euclide, Eubolide. p.100.Caur.Sur. lege Laur.Sur.p.101.Hermat. Hermot.p. 238. lege Ael.l. 8. var. hiſt.c. 12. p.539 poſt, Hiſp.adde,pag.pag.611 lege Martial.l.1.epigr.1.p.681.lege Agell.l. 17.cap.19.p.693.lege Front.l.1.ſtratag.c.2.p.695 Arb.Abr. p. 733. lege Marſ. Fic.in argum.l.1.de legib.

Interpunctiones,accentus,diphthōgos,litteras ſuperuacaneas, omiſſas, tranſpoſitas,inuerſas,vetuſtate fugientes prudens lector tollat,reſtituat,emendet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google